15
5
395
IOTECA NAZIONALE
TRALE - FIRENZE

Digitized by Google

Digitized by Google

# INSTITUTIONES
## THEOLOGICO DOGMATICO
## CANONICO HISTORICO MORALES

*Iuxta Sacram Scripturam, Canones, SS. Patres, Celebrioreſque DD. & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ & Diſciplinæ Scriptores exaratæ.*

A PATRE

## ANTONIO MARIA BORANGA

ORD. S. HIERONYMI

CONGREG. B. PETRI DE PISIS

S. THEOL. LECT. IUBIL. EXPROV. ET TRIBUNALIS S. INQUISITIONIS CONSULTORE.

TOMUS VI.

*Complectens Tractatus de Indulgentiis, de Cenſuris, de Statu Religioſo, & Appendicem de Regulis Juris Canonici in quinto, & ſexto Decretalium breviter expoſitis.*



VENETIIS MDCCLXVI.

APUD SIMONEM OCCHI
*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*

Digitized by Google

# INDEX
## TRACTATUUM, CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM

*IN HOC SEXTO TOMO CONTENTORUM.*

### TRACTATUS

#### De Indulgentiis.


§. 1. DE *nomine & natura Indulgentiæ.* pag. 1
§. 2. *De Theſauro Eccleſiæ, quod eſt fundamentum Indulgentiarum.* ibi.
§. 3. *De poteſtate & uſu perpetuo concedendi indulgentias.* 3
§. 4. *De iis a quibus concedi poſſunt Indulgentiæ.* 4
§. 5. *De eo qui a ſummo Pontifice habet multas Indulgentias diſtribuendas, quod non poſſit talis facultas alteri donari.* 6
§. 6. *De iis, quibus Indulgentiæ concedi poſſunt, ſcilicet an vivis tantum, aut etiam mortuis.* ibi.
§. 7. *De diſpoſitionibus neceſſariis ad lucrandas indulgentias.* 11
§. 8. *De cauſis Indulgentiarum.* 15
§. 9. *De cauſa finali ac motiva ad valorem indulgentiarum.* ibi.
§. 10. *De effectibus Indulgentiarum.* 17
§. 11. *De valore Indulgentiarum.* 19
§. 12. *De ſufficientia unius actus quoad lucrationem plurium ſimul Indulgentiarum.* 20
§. 13. *De multiplici lucratione Indulgentiæ eadem die ſæpius Eccleſiam viſitando, num poſſit obtineri.* ibi.
§. 14. *De indulgentia conceſſa alicui Capellæ, quod non poſſit obtineri ab abſentibus.* ibi.
§. 15. *De Indulgentiis recenter conceſſis a Benedicto XIII. quod non poſſint applicari pro Defunctis.* 21
§. 16. *De variis ſpeciebus Indulgentiarum, ſeu de earum diviſione.* ibi.
§. 17. *De Iubileo.* 23
§. 18. *De Privilegiis Iubilei.* 25
§. 19. *De Indulgentia ad inſtar Iubilei, ſeu de Iubileo extraordinario.* 26
§. 20. *De facultate eligendi Confeſſarium a Regularibus utriuſque ſexus in Iubileis extraordinariis.* ibi.
§. 21. *De electione Confeſſarii quoad Moniales tempore Iubilei.* 27
§. 22. *De facultatibus, quæ conceduntur Confeſſariis tempore Iubilei.* 28
§. 23. *De facultate commutandi vota, facta Confeſſariis Iubilei.* 30
§. 24. *De facultate Confeſſarii commutandi opera præſcripta tempore Iubilei.* 31
§. 25. *De operibus, quæ deſignari ſolent in Iubileo; de loco, & tempore pro ipſo lucrando.* 32
§. 26. *De Confeſſione, & Communione pro lucrando Iubileo.* 33
§. 27. *De Ieiunio pro Iubileo.* 34
§. 28. *De Eleemoſyna danda pro Iubileo.* 35
§. 29. *De tempore quo opera implenda ſunt ad lucrandum Iubileum.* ibi.
§. 30. *De variis indulgentiis conceſſis omnibus fidelibus; & de Indulgentiis Baſilicarum, & Eccleſiarum Almæ Urbis.* 36
§. 31. *De Indulgentia in articulo mortis.* 37
§. 32. *De Indulgentiis Nummiſmatum, Roſariorum &c. benedictorum a Papa.* 38
§. 33. *De Indulgentiis in Feſtis Sanctorum.* 40
§. 34. *De clauſula, quæ in Conceſſione Indulgentiarum apponi ſolet a S. Congreg.* nempe, nullæ ſunt quas concedit, ſi aliæ eodem die in eadem Eccleſia ſint conceſſæ. 41
§. 35. *De Indulgentiis ſtationum ſeptem Eccleſiarum Urbis, & ſeptem Altarium.* 42
§. 36. *De formulis, ſub quibus concedi ſolent Indulgentiæ ſeptem Eccleſiarum Urbis, & pro feriis ſextis in Quadrageſima.* 44
§. 37. *De formula, qua conceditur Indulgentia Scalæ ſanctæ.* 45
§. 38. *De Indulgentiis quæ dantur in Dedicatione Eccleſiarum.* ibi.
§. 39. *De Indulgentiis in Feſto Corporis Chriſti,*




Digitized by Google

ſti, & per eius octavam. ibi.
§. 40. De Indulgentiis viæ Crucis. ibi.
§. 41. De Indulgentia Portiunculæ in Eccleſia S. Mariæ Angelorum Ordinis Seraphici prope Aſſiſium. 47
§. 42. De Indulgentiis conceſſis Ordinibus Regularibus. 49
§. 43. De communicatione Indulgentiarum inter Ordines Regulares. 50
§. 44. De Indulgentiis precibuſque Confraternitatum. 52
§. 45. De Altari Privilegiato. 53
§. 46. De indulgentiis quotidianis pro peregrinis. 55
§. 47. De Indulgentiis revocatis, & Apocriphis. ibi.
§. 48. De loco quem habet probabilitas in materia Indulgentiarum. 57

# TRACTATUS

## De Cenſuris.

## CAPUT I.

### De Cenſuris in genere.

§. 1. De nomine & natura Cenſuræ. 58
§. 2. De numero, ſeu diviſione Cenſurarum. 61
§. 3. De cauſſa efficiente Cenſuram. 64
§. 4. De iis qui ferre poſſunt Cenſuras, & de modo, quo poteſtas acquiratur ferendi Cenſuras. 67
§. 5. De conditionibus requiſitis ad Cenſuras ferendas. 70
§. 6. De cauſſis, ob quas ferri poſſunt Cenſuræ. 72
§. 7. De ſubiecto Cenſuræ. 76
§. 8. De forma ferendi Cenſuras, ac de ſolemnitate ad eas requiſita. 82
§. 9. De modo, quo facienda eſt admonitio. 85
§. 10. De his, quæ Cenſuram comitantur. 86
§. 11. De Denuntiatione. 88
§. 12. De fine, & effectibus Cenſuræ. 89
§. 13. De cauſſis excuſantibus ab incurrenda Cenſura. 90
§. 14. De abſolutione a Cenſura. 97
§. 15. De forma & ritu abſolutionis a Cenſuris. 103

## CAPUT II.

### De Cenſuris in Specie.

§. 1. De excommunicatione. 104
§. 2. De cauſſis, & ſubiecto excommunicationis. 108
§. 3. De peccatis, ob quæ ferenda ſit excommunicatio. ibi.
§. 4. De effectibus excommunicationis. 109
§. 5. De privatione iuriſdictionis Eccleſiaſticæ in excommunicatis. 114
§. 6. De inhabilitate in excommunicatis ad recipienda beneficia, & quotidianas diſtributiones. 115
§. 7. De privatione in excommunicatis communicationis cum Fidelibus, tum Civili, tum Forenſi, & judiciali. 118
§. 8. De excommunicationibus Papæ reſervatis in Bulla Cœnæ & extra, ac præcipue de excommunicatione, quæ dicitur Canonis, ſeu contra Clericorum percuſſores. 120
§. 9. De dicta Clerici percuſſione, & de abſolutione huius Cenſuræ. 123
§. 10. De Monitoriis, ſeu de excommunicatione, quæ incurritur ex monitione ad finem revelationis. 124
§. 11. De excommunicatione minori. 126
§. 12. De Suſpenſione. 127
§. 13. De Interdicto. 130
§. 14. De natura, & diviſione Interdicti. ibi.
§. 15. De degradatione, depoſitione, ceſſatione a divinis, & violatione Eccleſiæ. 135
§. 16. De Eccleſiæ violatione. 137

## CAPUT III.

### De Immunitate Eccleſiaſtica, & de Iure Aſyli.

§. 1. De natura, & diviſione immunitatis Eccleſiaſticæ. 139
§. 2. De perſonis, quæ gaudent immunitate Eccleſiaſtica, ſeu iure Aſyli. 145
§. 3. De criminibus, quæ non gaudent immuni-

*munitate Eccleſiaſtica, ſeu iure Aſyli.* 147

§. 4. *De iis, quæ concernunt privilegia circa extractionem, & reſtitutionem confugientium ad loca ſacra, & pœnas violantium ius Aſyli & abſolutionem ab iiſdem.* 150

## CAPUT IV.

### De Irregularitate.

§. 1. *De natura, & diviſione irregularitatis.* 153

§. 2. *De cauſſis Irregularitatis.* 154

§. 3. *De Irregularitate ex delicto.* 164

§. 4. *De Irregularitate, ex iteratione baptiſmi.* 169

§. 5. *De Irregularitate, ex mala ordinum ſuſceptione.* ibi.

§. 6. *De Irregularitate ex malo uſu ordinum.* 171

§. 7. *De Irregularitate ob violationem cenſuræ.* 173

§. 8. *De Irregularitate ex hæreſi.* ibi.

§. 9. *De diſpenſatione in Irregularitate.* ibi.

## TRACTATUS

### De Statu Religioſo.

## CAPUT I.

### De origine, & pregreſſu vitæ Monaſticæ.

§. 1. *De initio vitæ Monaſticæ.* 175

§. 2. *De diverſitate, & multiplicitate Religioſorum Ordinum.* 180

§. 3. *De prima Regula, quæ eſt S. Baſilii.* 184

§. 4. *De ſecunda principaliori Regula dicta S. Auguſtini.* 185

§. 5. *De tertia principaliori Regula quæ eſt S. Benedicti, & de his, qui ſub ipſa militant.* 190

§. 6. *De quarta principaliori Regula, quæ eſt Sancti Franciſci, & de militantibus ſub ipſa.* 192

§. 7. *De quibuſdam particularibus Religioſis Ordinibus, & Congregationibus, quæ ſub nulla dictarum quatuor principaliorum Regularum militant, ſed ſub propria Regula, & Conſtitutionibus.* 193

§. 8. *De Semi-Regularibus, ſeu quaſi Regularibus.* 194

§. 9. *De Canoniſſis.* 197

§. 10. *De Beguinis, ſeu Tertiariis.* 198

## CAPUT II.

### De obligationibus Regularium.

§. 1. *De nomine, & natura ſtatus Religioſi.* 200

§. 2. *De obligatione Religioſorum tendendi ad perfectionem, quæ eſt eſſentialis ſtatui Religioſo.* 207

§. 3. *De vocatione ad ſtatum Religioſum.* 212

§. 4. *De neceſſitate divinæ vocationis ad ſtatum Religioſum aſſumendum.* 218

§. 5. *De obligatione, quam habent Religioſi ſe exercendi in oratione.* 219

§. 6. *De Religionibus Militaribus, eorumque privilegiis, & obligationibus.* 220

§. 7. *De voto aſſumendi ſtatum Religioſum.* 226

§. 8. *De debito perſeverandi in Religione in illo, qui Religionem ingredi vovit.* 229

§. 9. *De tempore implendi votum Religionis ingrediendæ.* 230

§. 10. *De modis, quibus ceſſare poteſt votum Religionis.* 231

§. 11. *De Novitiatu.* 232

§. 12. *De informatione capienda admittendorum ad Religionem.* ibi.

§. 13. *De probatione admittendorum ad Religionem.* 233

§. 14. *De examine puellarum ante habitus ſuſceptionem, & profeſſionem.* 234

§. 15. *De impedimentis pro admiſſione ad Religionem.* 235

§. 16. *De iis, quæ iure poſitivo impediunt ingreſſum Religionis.* 237

§. 17. *De iis qui legitimam habent poteſtatem recipiendi ad Novitiatum.* 238

§. 18. *De Novitiatu, & de conditionibus ad Novitiatum rite, ſeu licite, & valide perſ currendum.* 240

§. 19. *De reperitione Novitiatus a tranſeuntibus ad alium Ordinem.* 246

§. 20.

Digitized by Google

§. 20. *De libertate Novitii deſerendi Religionem.* 247
§. 21. *De Teſtamento, & renuntiatione, vel donatione, quæ fieri poteſt a Novitiis.* 248
§. 22. *De ſolemnitate requiſita a Conc. Trident. in renuntiatione facienda a Novitiis ante profeſſionem.* ibi.
§. 23. *De obligationibus Novitiorum.* 249
§. 24. *De privilegiis Novitiorum, & exemptionibus.* 250
§. 25. *De profeſſione Religioſa eiuſque effectibus, ideſt de natura, diviſione, ac neceſſitate profeſſionis.* 252
§. 26. *De libertate ad profeſſionem requiſita.* 254
§. 27. *De iis in quibus reſidet poteſtas admittendi ad profeſſionem.* 255
§. 28. *De ætate profitentium.* ibi.
§. 29. *De forma profeſſionis expreſſæ, & aliis requiſitis.* 256
§. 30. *De profeſſione nulla, aut dubia.* 257
§. 31. *De nullitate profeſſionis ex inobſervantia Decretorum Innocentii XII.* ibi.
§. 32. *De modo quo ſe gerere debeat, qui ſibi certo conſcius eſt, ſe non eſſe profeſſum.* 260
§. 33. *De ratificatione profeſſionis invalidæ.* 262
§. 34. *De effectibus profeſſionis validæ ac ratificationis.* 263
§. 35. *De iure reclamandi ad reſcindendam profeſſionem.* 266
§. 36. *De Regulari aſſumpto ad Epiſcopatum, Cardinalatum, Abbatiam vel Parochiam extra Ordinem, circa eius liberationem a iugo Religionis.* 267
§. 37. *De Religioſis Apoſtatis, & Fugitivis.* 270
§. 38. *De Religioſo commorante in Hoſpitio Religionis, vel Conventu ſuppreſſo Religioni conceſſo, nec ad conventualitatem reſtituto, num licite habere poſſit talem habitationem.* 271
§. 39. *De tranſitu ab una ad alteram Religionem.* 273
§. 40. *De expulſione Religioſorum incorregibilium.* 276
§. 41. *De habitus dimiſſione.* 277

## CAPUT III.

De Votis ſolemnibus, quæ in profeſſione Religioſa emittuntur.

§. 1. *De voto ſolemni obedientiæ.* 283
§. 2. *De debito ſubditi obediendi Prælato aliquid præcipienti vel ſupra Regulam, vel contra & infra Regulam, vel præter Regulam.* 286
§. 3. *De debito obediendi Reformationi diſciplinæ Regularis collapſæ.* 288
§. 4. *De debito obediendi Prælatis in Reformatione diſciplinæ Regularis collapſæ, & præcipue quoad vitam communem.* 292
§. 5. *De obligatione obediendi Reformationi quoad obſervantiam vitæ communis.* 293
§. 6. *De debito obedientiæ circa ea, quæ ſunt extra Regulam.* 296
§. 7. *De culpa ſub qua obligant ſuperiorum præcepta indicta ſub cenſura.* 298
§. 8. *De facultate Prælati, aut Capituli Generalis quoad ea, quæ in Regula imponunt, vel ſub pœna tantum, vel ſolum ſub veniali.* ibi.
§. 9. *De debito pœnæ a ſubdito ſubeundæ.* 300
§. 10. *De Appellationibus Religioſorum, qui ſe gravatos credunt in pœna a ſuperiore localiſibi impoſita.* 301
§. 11. *De ſuperioribus, quibus ex vi voti obedientiæ Religioſus parere debet.* 303
§. 12. *De voto Caſtitatis.* 304
§. 13. *De voto Religioſæ Paupertatis.* 305
§. 14. *De permiſſione voti paupertatis poſſidendi bona immobilia in communi.* 306
§. 15. *De Paupertate Mendicantium.* 307
§. 16. *De variis modis, quibus violari poteſt a Religioſo votum paupertatis, ac contra hoc votum delinqui.* 312
§. 17. *De altero modo peccandi contra paupertatis votum per rerum detentionem.* 315
§. 18. *De modo peccandi contra paupertatem per uſum.* 316
§. 19. *De modo paupertatis a Religioſis ſervandæ.* 323
§. 20. *De uſu peculii, & de conditionibus ad ipſum requiſitis.* 324
§. 21. *De livellis non cedendis ſine licentia conſanguineis, ac de munerum largitione.* 326

§. 22.

§. 22. De quibus rebus Religioſi poſſint habere dominium. 328
§. 23. De facultate Pontificis quoad diſpenſationem ex gravi cauſſa a votis ſolemnibus. 329
§. 24. De aliis Religioſorum obligationibus, & primo de clauſura. ibi.
§. 25. De eo, qui deſignare poteſt, & variare clauſuram, ac de duplici conditione clauſuræ. 335
§. 26. De clauſura Monaſteriorum Monialium. 338
§. 27. De ſuperiore, ad quem ſpectat concedere licentiam ingrediendi Monaſteria Monialium. 341
§. 28. De culpa accedentium ad Monaſteria Monialium eas viſitandi gratia, & alloquendi ſine iuſta cauſſa, & ſine ſuperioris licentia. ibi.
§. 29. De alia Regularium obligatione, nempe non alienandi bona Monaſterii. 342

## CAPUT IV.

### De Prælaturis Regularium.

§. 1. Initium, & nomina Prælaturarum Regularium. 351
§. 2. De poteſtate Superiorum Regularium in genere. 352
§. 3. De poteſtate directiva, & præceptiva Prælatorum. 354
§. 4. De poteſtate Superiorum Regularium coercitiva per pœnas ſpirituales, & temporales. 355
§. 5. De poteſtate diſpenſativa Prælatorum Regularium. 257
§. 6. De auctoritate Prælatorum Regularium regendi & corrigendi ſubditos. 359
§. 7. De auctoritate Superiorum corrigendi ſubditorum exceſſus. 363
§. 8. De Reſidentia Superiorum Regularium. 364
§. 9. De poteſtate œconomica Superiorum, ſeu de eorumdem adminiſtratione bonorum temporalium. 365
§. 10. De duratione Prælaturæ Regularium. 368
§. 11. De Prælatis in particulari, ac primo de Prælato Generali. 370
§. 12. De Prælato Provinciali. 371
§. 13. De Prælato, ſeu Superiore locali. 373
§. 14. De Aſſiſtentibus, ſeu ſociis, aut Conſultoribus generalibus, ſive definitoribus. 375
§. 15. De Viſitatoribus generalibus & eorum Viſitatione. ibi.
§. 16. De Officialibus. 377
§. 17. De Parochis Regularium. 379
§. 18. De Capitulo generali & electione. 381
§. 19. De Capituli generalis eſſentia, ac poteſtate. ibi.
§. 20. De electione Canonica Superiorum, ac eius conditionibus. 385
§. 21. De ſcrutatoribus Capituli. 391

## CAPUT V.

### De privilegiis Regularium.

§. 1. De Origine ac natura privilegiorum Regularium. 393
§. 2. De communicatione privilegiorum, quam habent Regulares inter ſe. 394
§. 3. De ceſſatione privilegii. 395
§. 4. De vivæ vocis Oraculis. 396
§. 5. De exemptione Regularium ab Ordinarii iuriſdictione. 397

## CAPUT VI.

### De Ritu, ſeu Ordine iudiciali apud Regulares.

§. 1. De ordine procedendi de plano in Tribunali Regularium, ſola rei veritate perſpecta, & de ſubſtantialibus iudicii, quæ ſervanda ſunt. 399
§. 2. De via accuſationis. 401
§. 3. De via inquiſitionis ex officio. ibi.
§. 4. De Indice Regularium. 403
§. 5. De probatione per Teſtes. 405
§. 6. De Reo examinando, & complendo proceſſu. 407

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS

De Regulis Iuris Canonici in V. & VI. Decretalium.

CAP. I. *De Regulis Iuris in quinto Decretalium.* 414

CAP. II. *De Regulis Iuris in ſexto Decretalium.* 416

TRACTATUS

De Uſu Iuris Canonici & Civilis in Caſuum Moralium Reſolutionibus.

CAP. I. *Quid ſit corpus Iuris Canonici.* 443

CAP. II. *Quid ſit Ius Civile.* 446

APPENDIX.

*De Damnatis Propoſitionibus.* 448

Digitized by Google

# TRACTATUS
## DE INDULGENTIIS.

### §. I.

*De nomine & natura Indulgentiæ.*

NOmen Indulgentiæ deſumitur a verbo indulgeo, & duobus modis præcipue accipitur. Primo nempe pro bonitate, ac commiſeratione, ſeu condeſcendentia, in quo ſenſu ait D. Paulus 1. Corinth. 7. *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.* Secundo ſumitur pro remiſſione alicuius iuris, & pro relaxatione ut Iſaiæ 61. *Prædicare captivis indulgentiam*: quæ verba in Lucæ 4. ſic referuntur. *Prædicare captivis remiſſionem.* Hic autem proprie hoc Indulgentiæ vocabulum uſurpatur pro relaxatione pœnæ temporalis, quæ ſubeunda ſupereſt poſt condonationem reatus culpæ, & ſempiternæ pœnæ, quod ſit per Pœnitentiæ Sacramentum, aut perfectam contritionem.

**Definitio Indulgentiæ.** Quare Indulgentia in hoc ſenſu definitur, ſeu potius deſcribitur quod ſit *remiſſio pœnæ temporalis, quæ poſt condonationem peccatorum actualium, & pœnæ æternæ ſubeunda, ſeu luenda remanet, facta extra Sacramentum per applicationem theſauri Eccleſiaſtici ab eo, qui eiuſmodi theſaurum ex Chriſti Domini conceſſione facultatem habet diſpenſandi.* Dicitur 1. *remiſſio pœnæ temporalis*, ut diſtinguatur a remiſſione culpæ, & pœnæ æternæ, quæ poſtrema haberi nequit per Indulgentias, ſed tantummodo per Sacramentum Pœnitentiæ, vel contritionem perfectam cum ipſius Pœnitentiæ voto. Unde per Indulgentias remittitur ſola pœna temporalis, quæ poſt dimiſſam culpam & pœnam æternam luenda remanet, vel in hac vita; vel in Purgatorio. Quando igitur in forma, ſeu conceſſione Indulgentiæ dicitur per illam concedi *remiſſionem peccatorum*, peccatum ſumitur pro pœna peccati, iuxta illud 2. Machabæor. 12. *Ut a peccatis ſolvantur.* Et quando dicitur Indulgentia a culpa, & pœna, intelligitur, quod per talem Indulgentiam concedatur facultas, ut pœnitens abſolvi poſſit per Confeſſarium etiam a culpis reſervatis; ut notant Lezana, Rainaud. Gobat, Quinario trac. 4. cap. 2. n. 17. aliive. Dicitur 2. *quæ poſt condonationem peccatorum* &c. *ſolvenda remanet*; quia peccatum originale, & eius pœna remittitur per Baptiſmum. Dicitur 3. *facta extra Sacramentum*, tum ut diſtinguatur ab ea remiſſione pœnæ, quæ fit virtute Sacramenti Pœnitentiæ; tum quia conceſſio Indulgentiarum eſt actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ( non ordinis ) in foro externo. Dicitur 4. *per applicationem Theſauri Eccleſiaſtici*, ut oſtendatur iſtam remiſſionem non eſſe omnino gratuitam, ſed habere adnexam ſolutionem pœnæ æquivalentem. Dicitur 5. *ab eo, qui &c. facultatem habet diſpenſandi*, ut deſignetur proprius Indulgentiarum miniſter, ſcilicet ſummus Pontifex, & Epiſcopi.

### §. II.

*De Theſauro Eccleſiæ, quod eſt fundamentum Indulgentiarum.*

**Definitio theſauri Eccleſiæ.** Theſauri nomine ſic metaphorice dicitur *collectio, ſeu complexio divitiarum, ſive bonorum ſpiritualium, quæ Eccleſiæ ſuæ tribuit Chriſtus Dominus fidelibus diſpenſanda.* Vocabulo theſauri exponuntur illa bona, tum a Clemente VI. in Extravag. *Unigenitus* anno 1350. tum a Concil. Trident. ſeſſ. 21. de Reformat. cap 9.

Duo vero hic diſcutienda occurrunt; primum nempe, num detur in Eccleſia Theſaurus conſtans ex meritis Chriſti, & Sanctorum; alterum, quomodo merita Sanctorum ad theſaurum iſtum concurrant, videlicet, utrum via ſolutionis, & ſatisfactionis, an per modum tantummodo ſuffragii, interceſſionis, & impetrationis. In hoc ſecundo capite non conveniunt inter ſe DD. Nam revera modus, quo merita Sanctorum ad theſaurum pertineant, nunquam definitum fuit ab Eccleſia, ac proinde non eſt certum de fide; ex oppoſito tamen æque de fide credendum eſt, ſpiritualem Eccleſiæ theſaurum conſtare ex Chriſti meritis, ac indubitatum eſt, collatam fuiſſe Eccleſiæ facultatem concedendi Indulgentias: & in hoc unanimi conſenſu concordant Theologi, ſi



Digitized by Google

unum excipias Mayronum ex Ordine Seraphico, qui in 4. diſt. 19. q. 2. viſus eſt revocare in dubium, num revera theſaurus Eccleſiæ ex ſuperabundantibus Chriſti meritis coaleſcat.

De fide certum eſt, ut omnes tenent Catholici iuxta perpetuam Traditionem, ac Eccleſiæ communem ſenſum, dari in Eccleſia catholica Theſaurum ſpiritualem, præcipue, & primario conſtans ex infinitis, & ſupereffluentibus meritis, & ſatisfactionibus Chriſti. Nam certum eſt fide catholica, Chriſtum Dominum, Deum eſſe, & hominem, propitiationem, & redemptionem pro omnibus ut 1. Ioan. 2. Coloſſ. 2. & exinde ipſius merita, & ſatisfactiones eſſe valoris, ac meriti infiniti & ſuperabundantis, quod eſt fundamentum theſauri Indulgentiarum iuxta declarationem Clementis VI. in cit. ſua Extravag. *Unigenitus* tit. *de Pœnit. & Remiſſ.*, ubi ſic ait; *In ara Crucis innocens immolatus non guttam ſanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani ſuffeciſſet, ſed copioſe velut quoddam profluvium noſcitur effudiſſe..... Quantum ergo exinde, ut ne ſupervacua, inanis, aut ſuperflua tantæ effuſionis miſeratio redderetur, theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſivit? ..... Quem quidem Theſaurum non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum, ſed per B. Petrum Cœli clavigerum, eiuſque ſucceſſores, ſuos in terris Vicarios, commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum.*

Ad Eccleſiæ Theſaurum modo aliquo pertinent merita quoque, & ſatisfactiones Sanctorum. Id conſtat ex Symboli articulo de Sanctorum communione, cum communio hæc revera aliud non ſit, niſi communicatio bonorum operum, ac meritorum ſocietas, ut quod agitur ab uno, aliquo certo iure ad alios etiam pertineat; eo ferme pacto, ac eiuſdem naturalis corporis membra ſe ad invicem iuvant, iuxta illud D. Ambroſii l. 1. *de Officiis* cap. 29. *Eccleſia* (ibi ait) *in commune orat, in commune operatur*. Et equidem, ut patet ex Scripturis, Deus a precibus Sanctorum movetur, ac excitatur, ut reis debitas pœnas remittat, ſicuti factum fuit cum Loth propter fidem Abrahæ, cum populo Iſrael propter Moyſen, & ſic cum aliis, ut variis in locis habetur.

De hoc clarum habemus teſtimonium in prioribus Eccleſiæ ſæculis de Sanctis Martyribus; & præcipue tempore S. Cypriani, qui ſuis precibus obtinebant fidelibus illorum temporum mitigationem, ſeu relaxationem pœnæ eorumdem peccatis debitæ. Id totum illuſtratur, & confirmatur ex ſupra laudata conſtitut. Clementis VI. *Unigenitus*, ubi de Sanctorum meritis, quæ adiunguntur meritis Chriſti in Eccleſiæ Theſauro, ita loquitur. *Ad cuius quidem Theſauri cumulum B. Dei Genitricis, ac omnium electorum a primo iuſto uſque ad ultimum merita adminiculum præſtare noſcuntur, de cuius conſumptione, ſeu minutione non eſt aliquatenus formidandum, tam propter infinita Chriſti merita, quam pro eo quod quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iuſtitiam, tanto magis accreſcit illorum cumulus meritorum*. Spectant ad Theſaurum Eccleſiæ merita Sanctorum, quatenus plus paſſi ſunt, notat Gamachæus cit. hic a Tournel. quam meruerant, aut debebant ſecundum iuſtitiam divinam; & ſaltem ſecundario & per accidens, licet non eſſentialiter, reponuntur in illo Theſauro Eccleſiæ.

Nec merita ſatisfactioneſque Sanctorum inutiliter, ac cum aliqua Chriſti Domini iniuria, cuius merita ſufficiunt omni temporali debito ſolvendo, adduntur meritis ſatisfactionibuſque Chriſti in Theſauro Eccleſiæ: quia ea non adiungimus, quaſi merita ſatisfactioneſque Chriſti non ſufficiant, ſed ut illa otioſa non ſint; & Sancti hoc honore gaudeant, immo ut vis & efficacia meritorum Chriſti magis eluceant, ut poteque ipſis quoque bonis Sanctorum operibus, ut nobis aliquid mereantur, virtutem, efficaciamque influunt, ac communicant. Itaque Sanctorum merita cum meritis Chriſti coniuncta, non ſunt quid maioris pretii, & æſtimationis, quam ſola merita Chriſti a Sanctorum meritis ſeiuncta. Nam ſicuti ſecundæ cauſſæ, quibus utitur Deus in regendo Orbe univerſo, non ſunt quid intenſive maius, quam ipſa divina omnipotentia ſine illis ſpectata, cum illis Deus utatur non ex aliqua neceſſitate, & indigentia, ſed ex libera ſui voluntate; ſic utitur Eccleſia ad commodum noſtrum ſuperabundantibus Sanctorum ſatisfactionibus, non quod abſolute & eſſentialiter nobis neceſſaria ſint, ſed quia ſic expedire iudicavit propter ipſum etiam honorem Sanctorum, & commendationem meritorum Chriſti.

Merita, paſſioneſque Sanctorum concurrunt, ac ſpectant ad theſaurum Eccleſiæ non ſolum per modum ſuffragii, ac impetrationis, ſed etiam ſolutionis; quia paſſiones, ſeu ſatisfactiones Sanctorum, qui plus ſolvunt quam debeant, inſervire, ſeu prodeſ-

deſſe poſſunt aliis ad relaxationem, ſeu compenſationem pœnæ temporalis, via etiam ſolutionis. Cum autem non pauci ſint ex Sanctis, qui ſuis ſatisfactionibus, & operibus bonis plus ſolvunt temporali pœnæ, quam revera debeant pro eorum peccatis, ſicuti contigit in B. Virgine, quæ multo plus ſoluta eſt, quam debuerit, utpote quæ nulli prorſus culpæ ſive Originali, ſive actuali fuit infecta, in S. Ioanne Baptiſta, qui in materno utero ſanctificatus, tam pie, & auſtere vixit, ut ne quidem macula levis culpæ unquam fuerit contaminatus; in Apoſtolis, ac Martyribus, qui plurima aſpera & acerba ſuſtulerunt, quam eorum errores mererentur: Igitur merita, ac paſſiones, quæ in Sanctis ſuperabundant eorum debito, poſſunt aliis via ſolutionis communicari; & hoc confirmatur a S. Pontifice Pio V. in proſcriptione propoſitionis 60. Baii, in qua ſic habetur: *Per paſſiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur noſtra delicta: ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impertiuntur, ut digni ſimus, qui pretio ſanguinis Chriſti a pœnis pro peccatis debitis liberemur.*

Unde patet ex iam dictis, Theſaurum Eccleſiæ conſtare primario, & eſſentialiter ex meritis, & ſatisfactionibus Chriſti Domini, quæ cum ſint valoris infiniti, conſtituunt Theſaurum inexhauribilem; ſecundario vero, & per accidens ex meritis B. M. Virginis, omniumque Sanctorum. Quamvis enim ſatisfactiones Chriſti, utpote infinitæ, de ſe ſufficiant, & ſuperabundent ad conſtituendum ſpiritualem Eccleſiæ Theſaurum ſufficientem, & ſuperabundantem pro omnibus; congruum tamen fuit, ut ex divina dignatione ad conſtituendum hunc ſpiritualem Eccleſiæ Theſaurum aſſumerentur etiam ſatisfactiones Sanctorum, ne alioquin eorum merita, & ſatisfactiones quoad vim ſatisfactoriam a Deo irremunerata remaneant, & præcipue ut etiam per hoc magis eluceſcat perfecta unio Sanctorum cum Chriſto capite ſuo, & in myſtico Eccleſiæ corpore perfecta ſervetur Sanctorum communio. Sic P. Ferrar. in ſua Biblioth. verb. *Indulgentia*.

## §. III.

### *De poteſtate, & uſu perpetuo concedendi Indulgentias.*

Ab Indulgentiarum impugnatione cœpit Lutherus ſuam a Catholica Eccleſia defectionem. Indigne enim ferens Lutherus, quod Leo X. occaſione publicandi in Germania quaſdam Indulgentias, non Auguſtiniano Ordini, ſicuti mos erat, ſed Prædicatorum Familiæ hanc Provinciam demandaſſet, reprehendere cœpit Indulgentiarum abuſum, & a reprehenſione abuſus progreſſus eſt ad ipſarum Indulgentiarum reprehenſionem, eas calumniando, ipſamque Eccleſiam a qua diſpenſantur, improbando prius Indulgentias tamquam pias Eccleſiæ conceſſiones, poſtea eas evulgavit impugnavitque non ſolum ut fraudes Eccleſiæ, ſed ut meras Pontificum impoſturas, Fidelibus non ſolum nullius utilitatis, immo nocumenti ſaluti Fidelium, utpote qui decipiuntur fallaci ſpe conſequendæ remiſſionis pœnæ temporalis, quæ cum divinæ debeatur iuſtitiæ, nequiquam ab Eccleſia, ſed a ſolo Deo remitti poteſt. Hunc Lutheri errorem amplexi ſunt, & acriter propugnarunt Zwinglius, & Calvinus.

Quoad uſum vero Indulgentiarum facile videre eſt, quam hallucinari ſint quidam Scholaſtici, putantes uſum Indulgentiarum nonniſi a ſexcentis annis invaluiſſe in Eccleſia, vel ut contendit Kemnitius quadringentis dumtaxat annis ante milleſimum ducenteſimum idest VIII. Eccleſiæ ſæculo. Ex eo tamen contingit quod hoc inficiati ſunt qui ita de Indulgentiarum uſu ſenſerunt, quia non ſatis obſervarunt diverſum modum concedendi Indulgentias ſub certis conditionibus, & operibus qui ſæculo XII. uſurpabatur, & ſimplicem Indulgentiarum uſum, qui cum ipſa Eccleſia ortum ſuum obtinuit. Certum quippe eſt, etiam prioribus Eccleſiæ ſæculis conceſſas fuiſſe Indulgentias, ut factum fuit a Paſchali II., Urbano III., Sergio III., & præcipue a Leone III. qui ſedem Petri tenuit quadringentis annis ante milleſimum ducenteſimum notatum a Kemnitio. Mos vero, ſeu uſus concedendi Indulgentias ſub certis conditionibus & operibus, cœpit a militaribus ſpeditionibus Cruciatorum in Palæſtinam pro recuperandis ab infidelium manibus locis terræ ſanctæ; quia in Bullis inſtitutionis Cruciatæ variæ concedebantur Indulgentiæ iis, qui vel militiæ cruce ſignatorum nomen dabant, vel certam pecuniæ ſummam pro talibus expeditionibus largiebantur.

Deinde certum eſt, dari in Eccleſia Catholica poteſtatem acceptam a Chriſto Domino conferendi Indulgentias, ſeu diſpenſandi Fidelibus Eccleſiæ Theſaurum, eaque conſtanter, ac perpetuo uſam fuiſſe Eccle-



Digitized by Google

ſiam, ſeu huiuſcemodi auctoritatem perpetuo, & incunctanter exercuiſſe. Hoc expreſſe habetur in ſupralaudata Extravagante. *Unigenitus de Pœnit. & Remiſſ.* inter communes, & definitum fuit in Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 21. de reformat. ubi ſic habetur. *Cum poteſtas conferendi Indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque huiuſmodi poteſtate divinitus ſibi tradita antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit, Sacroſancta Synodus Indulgentiarum uſum chriſtiano populo maxime ſalutarem, & ſacra Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet, & præcipit; eoſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant*. Hæc autem catholica veritas evincitur ex verbis Chriſti Domini Matthæi 18. *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo*; nihil excipit Chriſtus, ideſt non culpam, quæ in Pœnitentiæ Sacramento, non pœnam temporalem, quæ extra Sacramentum dimittitur: & Ioannis 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Auctoritas autem conferendi Indulgentias, ſeu ſolvendi a temporali pœna, includitur in ipſa poteſtate, ſeu auctoritate abſolvendi, & retinendi peccata: nam cui facultas eſt, ut remittere, & retinere queat peccata, poteſt etiam, & laborioſa opera in vindictam ſcelerum imponere; & ſi poteſt ea imponere, poterit quoque, quando ita expediat, aliqua ex parte eadem relaxare, cum utrumque ad eamdem ſpectet poteſtatem.

Huiuſcemodi poteſtate, quam Eccleſia a Chriſto recepit, a ſuis primordiis ſemper ſucceſſive uſa eſt. Nam eadem poteſtate uſus eſt D. Paulus ſuper inceſtuoſum Corinthum, quem cum Sathanæ in interitum carnis tradidiſſet, poſt annum abſolvit, & a longiori pœna indulgentius eum liberavit ut 2. Corinth. 2. Igitur a Chriſto proceſſit poteſtas, qua potitur Eccleſia, relaxandi, ſeu condonandi temporales pœnas, quæ poſt dimiſſam culpam luendæ remanent. Secundo, & tertio ſæculo uſi ſunt Martyres erga lapſos poteſtate concedendi Indulgentias, ut teſtatur Tertull. l. 1. ad Martyr. cap. 1. Et S. Cyprianus, qui aliquando contentioſius egit cum Martyribus circa uſum legitimum Indulgentiarum, quas contendebat illis ſulummodo concedendas, qui pœnitentiam egiſſent, non aliis, qui propter libellos Martyrum, ſtatim, & abſque mora paci, & communioni temere poſtulabant reſtitui, nondum eorum cauſſa diſcuſſa, ſalvo tamen urgente mortis periculo, in quo vult S. Doctor lapſos illos cum pace dimittendos. Hæc habentur in eius Epiſt. 12. Sæculo vero IV. pro maiori pœnitentium fervore, ac ſtudio in adimplenda ipſis impoſita ſatisfactione, de ſeveritate impoſitæ pœnitentiæ detraxerunt, ac remiſerunt Concilia Nicænum I. Generale, Anciranum, Neocæſarienſe, Laodicenum, Carthaginenſe IV. &c., & ſic in ſingulis ſequentibus ſæculis de re hac plurima, & manifeſta exhibentur eccleſiaſticæ diſciplinæ hiſtorica monumenta, quæ ulterius non opus eſt ex ſequentibus ſæculis proferre, quia hæc quatuor priora ſæcula puriora Novatoribus videntur. Si quis autem etiam poſteriorum teſtimonia deſiderat, facilius intentum habebit, ſi conſulat Bellarm. l. 1. *de Indulgentiis* cap. 3. Quare merito Concil. Tridentinum in Decreto de Indulgentiis declarat ac ſtatuit; *Poteſtatem conferendi Indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſam eſſe, atque huiuſmodi poteſtate divinitus ſibi tradita antiquiſſimis etiam temporibus illam uſam fuiſſe, uſumque Indulgentiarum maxime ſalutarem eſſe populo Chriſtiano, & ſacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Eccleſia retinendum eſſe*.

## §. IV.

### *De iis, a quibus concedi poſſunt Indulgentiæ.*

Cum Indulgentiarum conceſſio ſit actus Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis, & hæc primario, & univerſaliter reſideat in Summo Pontifice, ut in ſupremo Eccleſiæ capite, clare patet, quod ad Summum Pontificem iure tum divino, tum canonico pertineat conferre quibuſvis Fidelibus publicas, ſolemnes, ac plenarias, partiales, perpetuas, temporales, locales, reales, ac perſonales Indulgentias. Eſt communiſſima apud omnes DD.; quia D. Petro, eiuſque ſucceſſoribus dictum eſt a Chriſto Domino; *Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in Cœlo; Paſce oves meas*. Unde iure divino ad Summum Pontificem Petri ſucceſſorem, ac proinde habentem iuriſdictionem in univerſa Eccleſia, & in omnes Fideles, necnon Primatum ſuper cæteros Epiſcopos, quaſi innato iure ſpectat publica Eccleſiæ bona fidelibus, per ſolemnes, ac publicas Indulgentias diſpenſare. Item iure canonico poteſtas illa ei con-

convenit, ut aſſeruit confirmavitque Concilium Lateranenſe ſub Innoc. III. can. 62 qui refertur cap. *Cum eo*, idemque in cit. Extravag. *Unigenitus*. Et in Concil. Conſtantienſi ſtatutum fuit, ut ſuſpectus de hæreſi interrogandus ſit, *Utrum credat, quod Papa omnibus Chriſtianis vere contritis, & confeſſis, ex cauſſa pia, & iuſta concedere poſſit Indulgentias in remiſſionem peccatorum?* Sic docet etiam D. Thomas in 3. diſt. 20. q. 1. art. 4., S. Bonaventur. art. 2. q. 3., Barboſ. *de Officio, & poteſtate Epiſcopi* p. 3. alleg. 88. n. 5. Tales Indulgentias concedere poteſt Papa etiam ante ſuam conſecrationem; Nam poteſtas huiuſmodi eſt iuriſdictionis, non Ordinis cap. *Quod de Pœnit. & Remiſſ.*, & ita ſentiunt communiter DD. cum Barboſ. loco cit. n. 6. Solus autem Papa concedere valet fidelibus quibuſcumque, ſive vivis, ſive defunctis quaslibet Indulgentias, ita ut nec Concil. Generale ſine Papa, ſive hic vivat, ſive mortuus ſit, talem habet poteſtatem. Sic Suar., Bellarm., Barboſ. cit. n. 6. Corduba tamen *de Indulgentiis* q. 10. prop. 8., Henriquez, Navarr., & alii apud Barboſam loco cit. n. 6. ſuſtinent, Concil. Generale, ſede vacante, iure divino Indulgentias concedere poſſe.

Prælati quoque Papæ inferiores, ut Cardinales Legati, Nuncii, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi ius habent conferendi Indulgentias iure tam divino, quam Eccleſiaſtico. Iure quidem divino; quia ſuam iuriſdictionis poteſtatem immediate a Chriſto receperunt, cum ipſis pariter, non ſecus ac Petro, dixerit Matth. 18. *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlis*. Actor. 10. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo Spiritus Sanctus poſuit vos Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*. Item iure canonico; conſtat enim ex Canonibus antea laudatis Concilii Nicæni, Ancirani &c. factam fuiſſe Epiſcopis poteſtatem mitius, indulgentiuſque agendi cum pœnitentibus, pro maiori eorum ſtudio, ac fervore in obeundis laborioſæ pœnitentiæ operibus.

Poteſtas dictorum Prælatorum, quæ olim, ut patet ex S. Cypriano, amplior erat, arctata fuit ad annum pro dedicatione Eccleſiæ, & ad dies 40. pro aliis temporibus in Lateranenſi Concil. IV. can. 62. ſupracit., qui tamen canon iuxta Sylveſtrum, qui Innocent. IV. laudat, & Fagnanum, intelligendus eſt de ſolis indulgentiis, quæ publice ac ſolemni ritu conferuntur, non vero de iis, quæ Epiſcopi iuſtis de cauſis largiri poſſunt in foro Pœnitentiæ. Epiſcopi autem non tantum proprio iure concedere poſſunt Indulgentias, ſed inſuper nullæ publicari poſſunt in ſuis reſpectivis Diœceſibus ſine eorum licentia. Sic ſtatutum eſt pluribus Conciliorum Decretis.

Circa Indulgentias vero, quas concedere poſſunt Epiſcopi, poſſunt eas in perpetuum etiam concedere, ideſt recurrenti omni anno; ſic Leſſius; & poſſunt eas concedere locis etiam exemptis. Nam Religioſi exempti poſſunt ſicut alii, lucrari Indulgentias conceſſas ab Epiſcopis; quia indulta in favorem non ſunt convertenda in læſionem, & facta in augmentum, non debent parere diminutionem L. *Quod favor*. Cod. *de Legib.*, L. *legata inutilit*. *ff. de Legatis* 1. Cap. *ob gratiam* 61. de Regul. iur. in 6., *quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum*. Barboſ. loco cit. n. 27. Bellarm. *de Indulgentiis*.

Archiepiſcopi ſaltem in locis, ubi recepta eſt diſciplina per Decretales, concedere poſſunt Indulgentias in ſua Provincia, ſicuti Epiſcopus in ſua Diœceſi, ut ex cap. *Noſtro* Honorii III. eodem tit. *de Pœnit. & Remiſſ.* l. 5. Decretal. Et hoc poſſunt Archiepiſcopi iuriſdictione non ordinaria, quam non habent in Diœceſibus ſuorum ſuffraganeorum, niſi in curſu viſitationis, & in caſu appellationis, ſed extraordinaria iure canonico.

Neque tamen Archiepiſcopus extra ſuam Provinciam, neque Epiſcopus extra ſuam Diœceſim, ob iuriſdictionis defectum, ius habent conferendi Indulgentias. Ita enim reſponſum fuit ab Alexand. Papa III. ad Cantuarienſem Epiſcopum Cap. *Quid autem tit. de Pœnit. & Remiſſ.*

Epiſcopi poteſtatem ſuam concedendi Indulgentias poſſunt aliis delegare, non ſolum Sacerdotibus, ſed etiam Clericis, ut Barboſ. Bellarm. & alii; non tamen laicis, cum laici iure humano removeantur a muneribus eccleſiaſticis, ut ex Suar., Reginald., Barboſ. & aliis.

Epiſcopi excommunicati denuntiati, ſeu vitandi, Indulgentias concedere nequeunt; quia excommunicati vitandi carent uſu iuriſdictionis, idcirco invalida ſunt ipſorum acta, quæ reſpiciunt iuriſdictionem, Cap. *Tanta* 18. *de exceſſib. Prælator.* Barboſa loco cit. n. 12. cum aliis plurimis ibi citatis.

Archiepiſcopi, Epiſcopi, ut Coadiutores

etiam cum futura ſucceſſione, Epiſcopi Titulares, Indulgentias per ſe concedere nequeunt. Sic Sac. Rituum Congregat. 13. Ianuar. 1591. Cardin. Petra tom. 3. conſtitut. 16. Alex. IV. n. 31. & 32.

Abbates, Vicarii Generales, aliique Prælati Epiſcopo inferiores, ut Generales, Provinciales Ordinum Regularium, licet in cæteris habeant poteſtatem quaſi Epiſcopalem, nequeunt tamen iure ordinario, ac proprio concedere Indulgentias, ne quidem reſpectu ſuorum ſubditorum, cum nullibi repetiatur ei conceſſum; immo iure canonico tali iure privantur cap. *Accedentib.* l. 4. Decret., tit. *de exceſſib. Prælator.* & arguuntur Abbates, qui ſuis finibus non contenti, manus ad ea, quæ ſunt Epiſcopalis digniratis extendunt, de cauſſis Matrimonialibus cognoſcendo, iniungendo publicas pœnitentias, concedendo eriam litteras Indulgentiarum, *Præſenti Decreto prohibens*, aiunt PP. Concil. Lateranenſ. IV. can. 60., *Ne quis Abbatum ad talia ſe præſumat, niſi forte quiſque eorum ſpeciali conceſſione, vel alia legitima cauſſa ſuper huiuſmodi valeat ſe tueri*. Neque pariter Capitulum, ſeu Vicarius Capitularis ſede vacante; quia non ſuccedit Epiſcopo in poteſtate iuriſdictionis extraordinariæ, ſaltem in his, quæ ſunt reſervata dignitati Epiſcopali, cit. cap. *Accedentib.* Barboſ., & ſic declaravit S. Congregat. Conc. 13. Novemb. 1688.

Ad conferendas ſolemnes publicaſque Indulgentias neceſſaria non eſt poteſtas Ordinis, ſeu characteris, ſed ſufficit poteſtas iuriſdictionis; & hoc patet ex uſu & praxi Eccleſiæ, quæ Epiſcopis electis, & non conſecratis permittit Indulgentias conferre; quia etiam Epiſcopi non conſecrati fruuntur iuriſdictione in proprios ſubditos. Nam licet ad abſolutionem ſive a culpa, ſive a pœna æterna in Sacramento requiratur poteſtas ordinis, ſeu characteris, ad abſolutionem tamen pœnæ temporalis, cuiuſmodi eſt Indulgentia, quæ abſolutio fit extra Sacramentum, non requirirur auctoritas ordinis, ſed ſufficit auctoritas iuriſdictionis.

Nec officit, quod facultas concedendi Indulgentias pertineat ad poteſtatem clavium, quæ non eſt iuriſdictionis, ſed etiam ordinis; quia huiuſcemodi facultas quoad conceſſionem Indulgentiarum pertinet ad poteſtatem non adequatam, & totalem clavium, quæ habetur ratione ordinis, ſed inadequatam & partialem ratione iuriſdictionis, quæ haberi poteſt etiam ſine ordine.

## §. V.

*De eo qui a Summo Pontifice habet multas Indulgentias aliis diſtribuendas, quod non poſſit talis facultas alteri donare.*

Habens a Summo Pontifice facultatem diſtribuendi alteri Indulgentias (ſeu intentiones, aut benedictiones, ut vocant) non poteſt eam facultatem diſtribuendi in toto, vel in parte alteri donare; quia hoc videtur prorſus adverſari intentioni ordinatæ, ac per rationem regulatæ Summi Pontificis; quod colligitur tum ex natura conceſſionis, tum ab exemplo ſimilium. Ex natura conceſſionis quidem; quia Pontifex cenſeri debet elegiſſe induſtriam, ac prudentiam œconomicam perſonæ, cui eam facultatem diſtribuendi Indulgenrias conceſſit. Neque enim cuivis credenda eſt tanta facultas, quæ danda eſt tantum benemeritis. Ab exemplo ſimilium idem colligitur; quia & Alexand. VII. ſpeciali Decreto edito 6. Febr. 1657. cavit, ne Indulgentia annexa Roſariis, vel Numiſmatibus piis tranſiret perſonam, cui ſemel in uſum indulgentialem conceſſa eſt. Unde Gobat, qui in prima ſua editione docuerat oppoſitum, in ſecunda revocat ſuam ſententiam tract. 4. p. 1. cap. 11. potiſſimum ob rationes Dianæ, qui teſtatur de oppoſita praxi Curiæ Romanæ. Unde colligitur, quod ſi quis v. g. Religioſus, dum erat in vivis, Indulgentias, ſeu intentiones, ut vocant, nondum diſtribuit, Superior non poſſit eas diſtribuere poſt illius mortem; quia ſic diſtribuerentur ab alio, non ab eo, cui Pontifex indulſit diſtribuendi valide facultatem.

## §. VI.

*De iis quibus Indulgentiæ concedi poſſunt, ſcilicet an vivis tantum, aut etiam mortuis.*

Certum eſt, ſi loquamur de viventibus, omnes baptizatos, rationis compotes, & temporalium pœnarum debitores, aptos eſſe, ut lucrentur Indulgentias, ac proinde his omnibus Indulgentiæ concedi poſſunt. Et eſt communiſſima inter catholicos. Cum enim omnes illi, clavibus, ideſt iuriſdictioni ſubiaceant Eccleſiæ, exinde capaces ſunt, ut Eccleſia ſuper eos poteſtatem exerceat, a pœna temporali, beneficio Indulgentiarum, eos abſolvendo, ideſt huiuſcemodi debitum eis remittendo; non ſecus ac per Pœnitentiæ Sacramentum a culpa, & æter-

æterna pœna eos abſolvit, ac utramque eis remittit. Ita communiſſime ſentiunt DD. omnes catholici. Indulgentiæ lucrari poſſunt etiam ab ipſis easdem concedentibus, eo quia non debeant eſſe conditionis aliis deterioris. Nec obſtat, quod nemo exercere queat iuriſdictionem, qua fruitur, in ſe ipſum; quia hoc ſolum intelligitur, & verificatur in actibus iuriſdictionis contentioſæ, vel coactivæ, non autem in actibus iuriſdictionis voluntariæ: cum enim Superior ſecum ipſo diſpenſare queat, ſi poteſtatem habeat diſpenſandi generaliter cum aliis, a fortiori poterit, ut perſona privata, lucrari illas Indulgentias, quas, ut perſona publica, aliis conceſſit. Unde in præſenti nulla controverſia eſt de viventibus. Difficultas igitur, quæ hic occurrit circa eos quibus Indulgentiæ concedi poſſunt, verſatur circa ſolos fideles defunctos. Cum autem duplici modo conferri, & applicari valeant Indulgentiæ, ſcilicet per modum iudicii, & abſolutionis, aut ſuffragii ſeu cuiuſdam ſubſidii Eccleſiaſtici, negant Lutherani, & Calviniſtæ utroque modo eas defunctis conferri poſſe.

Indulgentiæ concedi poſſunt & applicari a Summo Pontifice etiam defunctis, qui in Purgatorio detinentur. Et hoc eſt commune, & certum apud omnes catholicos DD. Et id conſtat ex uſu communi, & praxi Eccleſiæ, in qua nihil tam uſitatum eſt, quam applicare Indulgentias pro defunctis; & id traditur a Ioanne VIII. in Epiſt. 144., & a Leone X. in conſtit. contra Lutherum incip. *Exurge Domine*. Non poſſunt tamen concedi Indulgentiæ mortuis per modum iudicii, & abſolutionis, habentes adnexam ſolutionem, ſicuti conceduntur vivis, ſed ſolummodo per modum ſuffragii, & cuiuſdam Eccleſiaſtici ſubſidii, ſeu piæ ſolutionis, & exhibitæ ſatisfactionis. Eſt communis omnium Theologorum cum S. Thoma in 4. diſt. 45. q. 2. art. 3., & S. Bonaventura, & aliis. Et quoad primum, nempe quod concedi nequeant Indulgentiæ mortuis per modum iudicii, & abſolutionis, ratio eſt manifeſta; quia Eccleſia iudicium exercere nequit in eos, qui eius clavibus, & iuriſdictioni non ſubiacent, cuiuſmodi ſunt defuncti. Eccleſia enim, & Summus Pontifex Chriſti Vicarius in terris, & ſupremus Eccleſiæ caput, ac Rector, ac proinde univerſalis diſpenſator Theſauri Eccleſiæ, ſeu Indulgentiarum, non habet iuriſdictionem in defunctos, ſicut in fideles viventes, cum acceperit a Chriſto Domino poteſtatem ſolvendi ſolum *ſuper terram*, non *ſub terra*. Quare cum concedere Indulgentias per modum iudicii ſit actus iuriſdictionis in perſonam tamquam ſibi ſubditam, nequit Summus Pontifex eas concedere defunctis per modum iudicii & abſolutionis; ſed tantum per modum ſuffragii, ſeu piæ ſolutionis, & exhibitæ ſatisfactionis. Hinc Summi Pontifices in concedendis Indulgentiis pro defunctis ſolent ordinarie hanc apponere clauſulam, ideſt *per modum ſuffragii*. Ita Alexand. VI. Clemens VII. Iulius III. & Gregor. XIII. de indictione Iubilei, & alii.

Nomine autem ſuffragii ſecundum Eſtium in 4. diſt. 20. §. 11. intelligitur auxilium, ſeu ſubſidium Eccleſiaſticum, quod tribus potiſſimum modis conferri poteſt, vel merendo per opera, vel impetrando per orationes, vel ſatisfaciendo per paſſiones. *Indulgentia autem ut talis* (ait Eſtius) *cum proprie diſpenſet paſſiones, non cuiuſcumque ſuffragii Eccleſiaſtici, ſed ſatisfactorii rationem habet*. Satisfactio autem hic eſt debiti ſolutio, cum nempe aliquis pœnam ſubit, ac ſuſtinet pro alio, cui illa debetur.

Altera pars, nempe quod mortuis concedantur Indulgentiæ per modum ſuffragii, ex eo probatur; quia certum eſt ex fide, animas fidelium defunctorum, quæ in Purgatorio detinentur, viventium ſuffragiis, & incruento Miſſæ Sacrificio iuvari poſſe, ut docet Concil. Trident. ſeſſ. 25. de Purgator., ſeſſ. 6. de iuſtification. can. 30. & ſeſſ. 22. de Sancto Miſſæ Sacrificio. Et equidem ſi mortuorum animæ operibus bonis viventium, precibus ſcilicet, eleemoſynis, ieiuniis, aliiſque virtutum operibus adiuvari poſſunt (ait Tournely) per modum impetrationis; procul dubio iuvari poterunt per modum quoque ſolutionis, & ſatisfactionis. Nam ſi viventes poſſunt unus pro alio offerre opera ſatisfactoria, & applicare, idem profecto præſtare poterunt erga defunctos, cum ſit eadem utriuſque ſatisfactionis ratio, unio videlicet, quæ intercedit inter membra eiuſdem corporis, eodem vinculo Fidei, & Charitatis coniuncta. Et D. Thom. in 4. diſt. 20 & in ſupplem. q. 91. cap. 10. docet, Indulgentias *directe*, *ac primario* concedi viventibus, mortuis vero *indirecte*, *ac ſecundario*; quia vivens facit id, pro quo Indulgentia datur, quod mortui facere nequeunt; unde iſtis directe, ac primario Indulgentiæ valere non poſſunt, ſed tantum *ſecundario*, *ac indirecte*, quando vivens pro iis id facit, quod eſt Indulgentiæ cauſſa.

Indulgentia igitur, ut colligitur ex dictis, per modum abſolutionis, differt ab Indulgentia per modum ſuffragii ſpecialiter per hoc, quod Indulgentia per modum abſolutionis conceditur quando Superior ſibi ſubditum immediate, & directe liberat a pœna temporali. Sic Summus Pontifex tamquam Superior, & miniſter a Deo conſtitutus, immediate, & directe liberare poteſt Fideles vivos tamquam ſibi ſubditos a pœnis temporalibus relictis ex peccatis, iam quoad culpam dimiſſis, concedendo eis Indulgentiam per modum abſolutionis, habentem tamen annexam ſolutionem; quia hæc abſolutio fit cum aliqua ſolutione ex theſauro Eccleſiæ, ſcilicet applicatione, & exhibitione ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum. Indulgentia vero per modum ſuffragii dicitur concedi, quando non immediate, & directe, ſed indirecte, & mediate conceditur, ſcilicet mediante actione alterius. Sic Summus Pontifex concedit Indulgentias Defunctis, mediantibus aliquibus piis viventium Fidelium operibus, tamquam pretium æquivalens ex Theſauro Eccleſiæ Deo oblatum pro ſolutione debiti illarum animarum, quibus ex mente Pontificis applicatur. Ita inſinuare, aut potius ſupponere videtur S. Thom. in 4. diſt. 45. q. 2. art. 3. quæſtiuncul. 2., ubi ait, Indulgentias concedi defunctis non directe, & principaliter, ſed tantum ſecundario & indirecte, & hæc videtur communior, licet aliter ab aliis res exponatur.

Nota, ſolum Summum Pontificem concedere poſſe Indulgentias applicandas pro Defunctis: quia Indulgentiæ applicantur Defunctis per modum meræ ſolutionis afferendo pretium ex Theſauro Eccleſiæ; ſolus autem Papa claves habet theſauri Eccleſiæ. Sic communiter DD. qui ſimul docent, non poſſe Papam tot concedere Indulgentias, ut Purgatorium pœnitus evacuet, cum dari nequeat rationabilis cauſſa tam amplæ conceſſionis; & ita ſentit etiam D. Thom. in 4. diſt. 45. q. 3. art. 2. ubi docet, quod contrarium aſſerere, eſt alieniſſimum ab opinione, & perſuaſione Fidelium.

Num vero Indulgentiæ proſint illis tantum pro quibus in particulari offeruntur, an in communi defunctis omnibus, qui detinentur in Purgatorio, non una eſt Doctorum ſententia. Præpoſitivus, ut ſcribit D. Thom. in 4. diſt. 45. q. 2. art. 4. volebat; ſuffragia Eccleſiæ, licet pro aliquo particulari oblata, ſemper prodeſſe in communi Fidelibus omnibus in Purgatorio degentibus, & illis quidem magis, qui propinquiores ſunt liberationi; quod illuſtrabat exemplo libri, qui legitur coram Rege, ex quo non minorem fructum percipiunt alii, qui adſunt quam Rex ipſe, & nonnulli forte maiorem.

Communis tamen eſt DD. ſententia, iuxta Bellarminum l. 1 *de indulgent.* cap. 14. tam ſuffragia, quam Indulgentias prodeſſe omnibus defunctis quoad gaudium quoddam accidentale. Nam charitas omnia communia facit hoc ſenſu, quod omnes qui charitate præditi ſunt, gaudent de aliorum bonis, ac ſi eſſent propria, ſed quoad ſatisfactionem, & liberationem a pœnis, ſuffragia Eccleſiæ communia prodeſſe omnibus in communi, ſed ſuffragia, quæ pro certis animabus offeruntur, ac ſuſcipiuntur, non prodeſſe niſi illis, quibus ex intentione viventium applicantur. Merito igitur docent quamplurimi Theologi, Indulgentias rite pro defunctis conceſſas, & acquiſitas, ſecundum ordinariam Dei legem prodeſſe certo, & infallibiliter illis determinatis animabus, quibus ex intentione Summi Pontificis applicantur, ita ut animæ illæ de Theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii ſibi applicato inveniantur, vel ad totalem pœnæ remiſſionem, & totalem liberationem a Purgatorio, ſi Indulgentia eſt plenaria, vel ad partialem, ſi Indulgentia eſt partialis. Sic Navar. *de Indulg. & Iubileo*, Lugo, Gobat, Sotus, Bellarm., aliique, & præcipue recentiores, apud quos eſt communis, & ut communiorem, ac probabiliorem aſſerit Maſtrius Theol. Mor. diſp. 24. n. 41. & cum S. Thoma tenent Ledeſm., Sot., Valent., Lugo, Tannerus. Quod ſi impleantur conditiones requiſitæ, effectum liberationis animæ determinatæ eſſe infallibilem. Suarez diſp. 79. ſect. 10. oſtendit, S. quoque Auguſtinum, Chryſoſtomum, & Cyrillum idem ſentire. Et hoc confirmant doctrina, & auctoritate Leonis X. in Conſtitut. quæ incipit *Exurge Domine* contra Lutherum, ubi abſolute, & ſine hæſitatione pollicetur effectum ſuum illis Indulgentiis, quæ applicantur defunctis, ac illis, quas ſibi vivi lucrantur; dicit enim expreſſe, *Omnes tam vivos, quam defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias huiuſmodi conſecuti fuerint, tanta temporali pœna ſecundum divinam iuſtitiam pro peccatis ſuis actualibus debita, liberari, quanta conceſſæ, & acquiſitæ Indulgentiæ æquivalet. Et ita ab omnibus teneri, & prædicari debere ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna &c. auctoritate Apoſtolica decernimus*. Unde ſi

In-

Indulgentiæ rite conceſſæ, & acquiſitæ infallibiliter proſunt illis vivis, qui illas ſibi lucrantur, prodere debent illis quoque determinatis defunctis, quibus applicantur, cum quia promittere videntur Summi Pontifices in Brevibus Altarium privilegiatorum, liberationem a purgatorio determinatæ animæ, pro qua in altari privilegiato cum tali intentione ſacrificium offertur; tum etiam quia licet Deus non teneatur, ut notat quidam Theologus, acceptare applicationem Indulgentiarum factam defunctis ex eo, quaſi Papa haberet immediate iuriſdictionem in defunctos, tamen ex eo tenetur Deus acceptare talem Indulgentiarum applicationem, quia Deus voluit in Eccleſia eſſe communionem Sanctorum, unde ex hoc decreto communionis inter Eccleſiam triumphantem, militantem, atque etiam purgantem tenetur acceptare illas ſatisfactiones, ſive pro vivis, ſive pro defunctis oblatas, & ſic ſi infallibiliter proſunt illis vivis, qui eas ſibi lucrantur, etiam infallibiliter debent prodeſſe illis determinatis defunctis, quibus applicantur. Sic P. Ferrar. in ſua Bibliot. v. *Indulg.* att. 3. n. 17.

Unde nihil officit dicere, Deum non ſemper acceptare Indulgentias pro omnibus illis, quibus applicantur, ſed pro eis, qui ex hac vita deceſſerunt magis digni tali gratia, puta, quia dum erant inter vivos, magis ſolliciti ſuere in acquiſirione Indulgentiarum, & oratione pro defunctis, ut in ſimili de Miſſæ ſacrificio, eleemoſynis, & orationibus dicit S. Auguſt. l. *de cura pro mortuis* cap. ultimo, relat. in cap. *Non æſtimamus* 19. cauſs. 13. q. 2. *Non pro quibus fiunt omnibus proſunt, ſed his tantum, pro quibus dum vivunt, cooperantur ut proſint*; & in cap. *Tempus* 23. eadem cauſ. & q. his verbis; *Sed hæc eis proſunt, qui cum viverent, hæc ſibi, ut poſtea poſſent prodeſſe, meruerunt*. Non officit inquam, quia tametſi etiam de mente S. Auguſtini credibile ſit, quod Deus facilius pro illis defunctis, qui in vita ſuerunt magis ſolliciti pro acquiſitione Indulgentiarum, & oratione pro mortuis, acceptet, nedum Miſſæ ſacrificia, orationes, eleemoſynas, ieiunia, aliave huiuſmodi ſuffragia, ſed etiam Indulgentias generaliter pro defunctis omnibus applicatas, hoc tamen (ſecundum legem Dei ordinariam) non videtur dicendum de Indulgentiis pro aliquo determinato defuncto applicatis, niſi hic ex ſpeciali Dei providentia, & diſpoſitione fuiſſet merito privandus, ex quo dum viveret, alios defraudaſſet ſimilibus debitis ſuffragiis, & Indulgentiis.

Nec valet pariter obiicere, quod mos ſit ſæpius offerendi pro una eademque anima in eodem Alrari privilegiato, cum in ſuppoſitione quod Indulgentia Plenaria certo, & inſallibiliter proſit pro illa determinata anima cui applicatur, ſuperflua ſit huiuſcemodi conſuetudo; non valet inquam; quia merito in eodem Altari privilegiato pro una eademque anima plures Miſſæ celebrantur, & Plenariæ Indulgentiæ applicantur, ob plures, diverſaſque rationes. Primo nempe, quia non conſtat, an cauſſa propter quam Pontifex conceſſit Plenariam Indulgentiam, ſit iuſta, & ſufficiens, cuius defectu invalida eſt Indulgentia ab ipſo Summo Pontifice conceſſa. Secundo, quia non conſtat, an, & quomodo prior Sacerdos celebrans applicuerit ſuam intentionem, vel an Altare in quo celebratur, habeat omnia requiſita ut ſit privilegiatum. Tertio, quia non conſtat, an qui plenariam Indulgentiam alicui animæ applicavit, omnes neceſſarias conditiones impleverit. Quarto, quia ignoratur, an non ob aliquam peculiarem cauſſam velit Deus circa hanc vel illam excipere a ſuo generali promiſſione, ſcilicet ob rationes prorſus particulares, non permittendo, ut Indulgentia in actu ſecundo proſit huic certæ animæ, ut habetur in vita Rabani Mauri, ubi narratur reiectio ſuffragiorum pro demortuo Cœnobii Promo, qui vivus defraudaverat defunctos ſubſidio eleemoſynæ per Abbatem conſtitutæ; ſic refert Raymundus t. 7. p. 2. q. 5. fol. 289. Quinto, quia noſtra ſententia nondum eſt omnino certa, licet ſit probabilior, ac communior inter Theologos; quocirca iure merito pro iiſdem animabus reiterantur Miſſæ Sacrificia, & Indulgentiæ.

Porro non mirum, quod plures animæ, non obſtantibus tot Miſſarum Sactificiis, ac Plenariis Indulgentiis pro ipſis applicatis ac a Deo acceptatis, detineantur adhuc in Purgatorii pœnis; hoc enim oritur ex eo, quod in Purgatorium deſcenderint cum venialibus peccatis quoad culpam non dimiſſis. Cum autem pœna tolli nequeat, niſi removeatur culpa, & culpa quoque venialis remitti non poſſit per Indulgentias etiam plenarias, (hæc enim remittunt ſolam pœnam) ſed per ſatispaſſionem propriam uſque ad noviſſimum quadrantem, extingui debet in purgatorio, ut bene docet Scotus in 4. diſt. 21. q. 1. Hinc fit, poſitis etiam tot plenariis indulgentiis, aliquando Animas a pœnis Purgatorii non liberari.

Ve-

Verum ad acquirendas Indulgentias pro mortuis aliquæ requiruntur conditiones, nempe ex parte conferentis, ex parte eorum, qui ſuffragia ſua pro defunctis offerunt, & ex parte defunctorum, quibus Indulgentia confertur. Et 1. ex parte Conferentis duo requiruntur, auctoritas ſcilicet, & legitima cauſſa. Auctoritatem neceſſariam eſſe in conferente, & eam in Summo Pontifice, ut in ſupremo capite Eccleſiæ, ſicuti paulo ante iam diximus, potiſſimum reſidere, maniſeſtiſſime patet, & eſt communis DD. ſententia, qui ex eo quod Epiſcopi non concedunt huiuſcemodi Indulgentias, ideſt pro mortuis, colligunt, eorum poteſtatem reſtrictam eſſe ad Indulgentias pro vivis. Requiritur cauſſa legitima. Et equidem ſi requiritur cauſſa legitima quando Indulgentiæ conceduntur viventibus, quanto magis ubi agitur de mortuis. Docet enim D. Tho. q. 71. art. 10. ſupplem. Summum Pontificem non poſſe pro arbitrio liberare animas e Purgatorio, ſed ad hoc requiri cauſſam convenientem, ſeu, ut ait in 4. diſt. 45. q. 2. *Non quantum voluerit Pontifex, defunctis poteſt concedere remiſſionem, ſed quantum ratio poſtulat. Non ſufficit autem pro cauſſa, utilitas illarum animarum*, ait Bellarminus l. 1. *de Indulgent.* c. 14. *vel gloria Dei, quæ redundaret ex illarum animarum liberatione; nam ſi hoc ſufficeret, Chriſtus ipſe pius ac miſericors, iam omnes animas liberaſſet. Itaque requiritur cauſſa aliqua particularis pertinens ad honorem Dei, & Eccleſiæ utilitatem, ſicut de Indulgentiis pro viventibus; ita ut Summus Pontifex arbitretur gratiorem eſſe Deo rem illam, cuius gratia Indulgentiæ conceduntur, quam executionem iuſtitiæ, quam exercet in expiandis animabus Purgatorii*. Porro Indulgentiæ, quæ non ſunt univerſales pro tota Eccleſia, poſſunt obreptitie obtineri obtentu magnæ utilitatis, quæ revera non eſt, ac proinde ex hac parte dubitari poteſt de effectu Indulgentiæ, ſeu animæ relaxatione.

Requiritur 2. ex parte viventium, qui ſua offerunt ſuffragia pro Defunctis, tuam pia & prompta executio eorum, quæ in litteris Indulgentiarum imponuntur, ſeu imperantur; tum ut debito modo impleantur. Nam ſi nullus poteſt eſſe certus ſe conſecutum fructum Indulgentiæ ſibi conceſſæ, quia neſcit, utrum odio, vel amore dignus ſit, ratio longe maior eſt dubitandi, an fructus Indulgentiarum ad animas defunctorum perveniat, cum ſecundum D. Thomam ſupra cit. art. 10. non transferatur niſi ſecundario, & vivis mediantibus. Igitur ſtatus gratiæ ſanctificantis requiritur in viventibus ſua ſuffragia pro defunctis offerentibus. Nam ſi in viventibus gratia hæc neceſſaria eſt, ut fructum Indulgentiarum ipſi percipiant (cum non remittatur pœna temporalis, niſi prius remiſſa ſit culpa) certe hoc in ipſis requiritur ut eumdem fructum conferant mortuis, & applicent. Ita ſentiunt non ſolum quamplurimi Theologi, ſed & ipſi Summi Pontifices, ut obſervat Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Rhemenſis Carolus Mauritius le Tellier in ſuo mandato de Altaribus privilegiatis, dato die 16. Octobris 1694. in quo ut notat hic Habertus, integrum exhibet reſcriptum Innocentii XII. qui teſtatur, Innocentium X. Alexandrum VII., & Innocentium XI. certas Indulgentias conceſſiſſe Fidelibus utriuſque ſexus *vere pœnitentibus, & confeſſis*, quas applicare poſſent per modum ſuffragii animabus fidelium, qui ex hac vita deceſſerunt pie, ac ſancte, ideſt Deo coniuncti vinculis charitatis. Unde patet, Indulgentias mortuis non prodeſſe, niſi ipſi viventes, qui illas ad mortuos transferunt, ſint in ſtatu gratiæ.

Requiritur tandem 3. ex parte Defunctorum, qui beneficio Indulgentiarum ſublevandi ſunt, ſecundum Caietanum, ut non ſolum ſint in ſtatu gratiæ, ſed etiam, ut dum viverent fuerint devoti clavium Eccleſiæ, ſtuduerint ſatisfacere pro ſuis peccatis, & mortuos ſuffragiis iuvare. Hoc ſecundum Caietanum. Nam Bellarminus, Eſtius, Suarez, aliive agnoſcunt quidem, ac commendant ſententiam Caietani piam, ac utilem, ut viventes ad bona opera excitentur, ſed ut minus veram eam deprehendentes, & ab omnibus paſſim reiectam, contrarium ſentiunt, contenduntque, non plus requiri in defuncto per Indulgentias iuvando, niſi ut ſit in ſtatu gratiæ; & pro utraque parte laudatur Sanctus Auguſtinus. Utraque tamen ſententia facile hoc modo, ait hic Tournely, conciliari poteſt, nempe ut qui ex hac vita deceſſerunt in oſculo Domini, ideſt in ſtatu gratiæ, beneficio Indulgentiarum ſolamen aliquod, ac refrigerium percipiant, uberius tamen pro maiori eorum charitate, ac fervore, qui dum viverent, in pœnitentiæ operibus, ac virtutum exercitio ſe exercuere.

Nota. Indulgentias conceſſas pro vivis applicari non poſſe etiam defunctis, niſi in conceſſione exprimatur; quia Indulgentia ſicuti pendet ab auctoritate, ita a voluntate concedentis. Sic ex oppoſito Indulgentia con-

conceſſa a Summo Pontifice alicui Capellæ pro defunctis, non extenditur ad vivos, adeo ut qui vivens celebrat, aut ibi celebrare facit pro ſe Miſſam, Indulgentiam illam non conſequitur. Sic Navar. conſil. 39. p. 2. *de pœnit.*, *& remiſſ.* & alii paſſim. Item Indulgentia conceſſa a Papa pro ſe, aut pro defunctis, non poteſt applicari ſimul pro ſe, & pro defunctis, ſed pro alterutro diſtinctim; quia tantum conceſſa eſt ſub diſiunctione, ut quis, vel pro ſe, vel pro defunctis eam lucretur, non autem ut pro ſe, & eodem tempore pro Defunctis. Quintanad. dub. 12. n. 4.

## §. VII.

### *De diſpoſitionibus neceſſariis ad lucrandas Indulgentias.*

Ad lucrandas Indulgentias, præter integram executionem eorum, quæ in Bullis Indulgentiarum iniunguntur, & exemptionem a vinculo maioris excommunicationis, (quæ privat omni ſpiritualium bonorum communione) attendendum eſt etiam, qua animi diſpoſitione iniuncta opera exequantur. Etenim ad hoc, ut quis ſit ſubditus capax Indulgentiarum, ſatis non eſt, quod ſit ex gremio Eccleſiæ, ſed requiritur ulterius, ut a ſe removeat omnem lethalem culpam, quæ eſt obex Indulgentiarum effectui, remiſſioni ſcilicet pœnæ temporalis peccatis debitæ, quæ remitti nequit, quamdiu reatus culpæ non ſit remiſſus per Sacramentum Pœnitentiæ, quod neceſſarium eſt neceſſitate medii, ſaltem in voto, ad expurgandum reatum culpæ lethalis, ita ut in ſenſu compoſito, ut aiunt Theologi, hoc eſt donec reatus culpæ in fidelibus baptizatis remaneat, Indulgentiarum non ſunt capaces. Quare Eſtius in 4. diſt. 20. §. 8. reſpectu illius, qui lucrari vult Indulgentiam, Indulgentiæ conſequendæ tria diſtinguit tempora; primum, quo Indulgentia publicatur; ſecundum, quo peragitur opus iniunctum in Bulla pro lucranda Indulgentia; tertium, quo quis eam actu vult conſequi. Primus ſtatus eſt peccati, ſecundus pœnitentiæ, tertius gratiæ.

Ad percipiendum Indulgentiæ fructum, non eſt neceſſarius ſtatus gratiæ in eo, qui lucraturus eſt Indulgentiam, tempore quo Indulgentiæ promulgantur; quia hoc nequit probari ullo iure, nec ulla ratione; *niſi forte* (inquit Bellarminus lib. *de Indulg.* cap. 13.) *idem ſit tempus publicationis, & perceptionis, ut cum in Sacello Pontificio dantur Indulgentiæ omnibus, qui divinis officiis in eo loco interfuerunt.* Non eſt neceſſe, ut ſingula opera, in Bullis præſcripta ad finem Indulgentiæ conſequendæ, fiant in ſtatu gratiæ ſanctificantis, ſed ſatis eſt, ut peragantur animo religioſo, & pœnitenti, excluſo omni affectu lethalis culpæ. Et hoc patet ex veteri Eccleſiæ diſciplina, dum primis Eccleſiæ ſæculis Epiſcopus probabat lapſorum pœnitentiam, lacrymas, ieiunia, &c. ac tum demum ad preces Martyrum abſolutionem a peccatis, & ſimul Indulgentiam eis conferebat. Unde pœnitentes tunc temporis ſe præparabant ad Indulgentias laborioſis, ac piis operibus, eaque exercebant antequam gratiam ſanctificantem per Sacramentalem abſolutionem recepiſſent.

Huiuſmodi diſciplina manifeſte deprehenditur in Conciliis Ancirano, & Nicæno. Et equidem preces, ieiunia, eleemoſynæ, quæ funduntur in ſtationibus pro Iubileo, licet fiant in ſtatu peccati mortalis, ſi fiant animo pœnitenti, laudem, & pretium habent, utpotequæ diſponunt hominem ad iuſtitiam, & ad conciliandam Dei amicitiam. Quia tamen verſatur in peccato mortali, & retinet eius affectum, exequi nequit utiliter opus iniunctum ad finem Indulgentiæ lucrandæ: cum nemo in ſtatu, & affectu peccati mortalis mereri poſſit, ac Deo ſatisfacere, quidquid in contrarium dicant Caietanus, & Navarrus.

Tempore vero, quo ultimum opus præſcriptum impletur, & eſt tempus, quo Indulgentia conceditur, neceſſe eſt, ut qui lucraturus eſt Indulgentiam ſit in ſtatu gratiæ ſanctificantis, tum quia eo dumtaxat inſtanti Indulgentia ſuum ſortitur effectum, quem ſortiri nequit, nec ante; quia nondum impletæ ſunt conditiones, neque poſtea; quia tempus determinatum ad conſequendam Indulgentiam iam præteriit; tum quia non remittitur pœna temporalis, quæ remiſſio eſt effectus Indulgentiæ, niſi prius remittatur, ac expellatur per gratiam ſanctificantem culpa, & pœna æterna.

Inquirunt hic Theologi, num qui conſcius non eſt ullius mortalis peccati, teneatur Sacramentaliter confiteri, ut fructum Indulgentiæ conſequatur? Et pro clariori, ac faciliori reſolutione ita diſtinguendum eſt cum Haberto, videlicet, vel Sacramentalis confeſſio præſcribitur in Bulla tamquam pars operum, ſub quorum conditione Indulgentia conceditur, vel tamquam medium neceſſarium, ut quis in ſtatu gratiæ

ſan-

ſanctificantis reſtituatur. Si primum, Sacramentalis confeſſio eſt neceſſaria, utpote conditio, ſine qua Indulgentia non conceditur. Si ſecundum, non eſt neceſſe ad acquirendam talem Indulgentiam facere confeſſionem die, vel tempore, quo Indulgentia lucratur, ſed ſatis eſt, quod poſt ultimam confeſſionem homo perſeveret in gratia uſque ad talem diem, vel tempus Indulgentiæ acquirendæ. Ita Navar. in comment. *de Iubil. & Indulg.* notab. 18. n. 18., Suarez, Reginald., aliive paſſim. Et ratio eſt; quia non exigitur confeſſio tamquam opus iniunctum per modum oneris, ſed ſolum requiritur ex parte ſubiecti, tamquam diſpoſitio ad lucrandam Indulgentiam. Unde qui poſt ultimam confeſſionem perſeverat in ſtatu gratiæ, effectum conſequitur Indulgentiæ, quia implet formam Indulgentiæ, cum ſit vere pœnitens, & rite confeſſus. Quare Suarez diſp. 52. ſect. 3., Sylvius, & alii exiſtimant, per illa verba, quæ vulgo leguntur in Bullis Indulgentiarum, *contritis, & confeſſis*, deſignari dumtaxat neceſſariam diſpoſitionem ad reſtituendum ſtatum gratiæ ſanctificantis, adeo ut, qui ante tempus Indulgentiæ, vel etiam Iubilei fuit rite confeſſus, & abſolutus, nec poſtea relapſus, non teneatur Sacramentaliter confiteri ad lucrandam gratiam Indulgentiæ.

Quoad ſpatium vero temporis, quo Indulgentiam præceſſerit confeſſio, & communio, non conveniunt DD. Nam aliqui credunt ſufficere ſolummodo, ſi confeſſio fieret die præcedenti, & communio eo die, quo incipiunt Indulgentiæ, non autem, regulariter loquendo, ſi confeſſio fiat duobus diebus ante communionem; quia, aiunt, iuxta modernam Eccleſiæ diſciplinam confeſſio non ſolet coordinari ad communionem ſubſequentem, niſi fiat die immediate anteceden te, aut eodem die. Sed hæc diſciplina reſpicit dumtaxat reconciliationem, ideſt confeſſionem, quæ ordinarie fit ante communionem de oblitis in prima confeſſione, quæ eſt præparatoria ad communionem, vel de venialibus ex devotione ad acquirendam novam gratiam, ſeu gratiæ augmentum, cum in praxi videantur communiter fideles in Paſchate pro adimplendo præcepto, vel in aliis ſolemnibus diebus Eccleſiæ, accedere ad primam confeſſionem, quatuor & octo etiam diebus antequam in talibus circumſtantiis accedant ad Communionem. Verum pro ſecuriori reſolutione in caſu noſtro de ſufficientia confeſſionis præcedentis aliquot dies Indulgentiam, mihi videtur advertendum eſſe cum Amort, moralem æſtimationem de unione morali, ac ordine duorum ad invicem, ſumi a conſuetudine, non ab extraordinariis, ab iis videlicet, quæ communiter, non ab iis, quæ raro contingunt; quia intentio hominum fertur ad obvia. Sic reſpondit Sac. Congreg. 1712. Menſ. Martio n. 3. Si quæ igitur perſonæ haberent conſuetudinem in hebdomada bis confitendi, ſæpius autem communicandi, confeſſio etiam biduo, ac triduo præcedens ſufficienter ordinaretur ad communionem pro lucranda Indulgentia poſt inceptam Indulgentiam, vel etiam die, quo incipit. Nihilominus tamen in praxi quoad Iubileum non eſt recedendum a communi uſu Fidelium, qui in occaſione talis Indulgentiæ non omittunt Sacramentaliter confiteri.

Cæterum, quando in conceſſione Indulgentiæ expreſſe non requiritur Confeſſio ne quidem venialium, non eſt neceſſe ipſa venialia confiteri; quia quando in Bulla exprimitur confeſſio, ſemper ſermo eſt de confeſſione illius, qui conſcientiam habet peccati mortalis, niſi aliud exprimatur. Nam confeſſio ſimpliciter dicta ex communi uſu, & Eccleſiæ ſenſu, cenſetur confeſſio mortalium cap. *Omnes utriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* Unde ſicut Eccleſia non ſolet præcipere confeſſionem venialium, ita neque conſuevit confeſſionem venialium requirere ad conſequendam Indulgentiam. Sic Bonacin. cum aliis.

Præter ſtatum gratiæ requiritur ulterius proportio operis ſatisfactorii cum Indulgentia plenaria, ſeu cum pœna, quæ per Indulgentiam remittenda eſt, & ſufficiens diſpoſitio in ſubiecto, cui Indulgentia conceditur. Proportio vero non ea intelligitur, quæ ex opere operantis ſatis ſit ad totum pœnæ reatum expurgandum, alias locum non haberet Indulgentia; quia debitor, qui plene debitum ſolvit, non eget, ut aliquid a creditore de debito ei relaxetur, ſeu remittatur: ſed opus proportionatum, ſeu conveniens dicitur gratiæ expetitæ, quando operans, prout humana infirmitas patitur, nihil negligit quod ei promereri poſſit tam copioſam remiſſionem. Et hæc conditio de proportione operis cum Indulgentia plenaria, ſeu cum pœnæ remiſſione patet ex Extravaganti Bonifacii VIII. *Antiquorum*, ait enim, *unuſquiſque tamen plus merebitur, & Indulgentiam efficacius conſequetur, qui Baſilicas ipſas* (Apoſtolorum) *amplius, & devotius frequentabit*. Igitur iux-

iuxta mentem Summi Pontificis, qui non tam devote opus iniunctum perficit, integram Indulgentiam, quam concedit, non conſequitur, cum illo devotior plus obtineat. Neceſſariæ enim nobis ſunt Indulgentiæ ad ſupplendum pœnitentiæ noſtræ defectum, quatenus nempe ſatisfactiones noſtræ vix pares ſunt, quæ gravitati, ac menſuræ delictorum reſpondeant, ac proinde in eo qui conſequitur Indulgentias, ſicuti infra dicemus, eæ non excludunt propoſitum ſatisfaciendi, quantum humana patitur infirmitas. Sic docet S. Bonaventur. in 4. diſt. 20. q. ultim. S. Thom. in 4. ſententiar., & in ſupplement. q. 25., art. 2. ad 3., Innocent. IV. in cap. *Quod autem de pœnit.*

Secunda conditio, ideſt ſufficiens diſpoſitio ex parte eorum, quibus Indulgentiæ conceduntur, tria ſecundum Habertum requirit. 1. Veram pœnitentiam, & ex toto corde ad Deum converſionem. 2. Animi averſionem ab omni veniali peccato. 3. Intentionem, ſeu efficax propoſitum faciendi imposterum dignos fructus pœnitentiæ.

Quamvis autem quoad neceſſitatem huius triplicis diſpoſitionis unanimes conveniant Theologi, ſicuti etiam quoad ſecundam, & tertiam earumdem, circa quas nulla iam recurrere poteſt difficultas, ut infra patebit, multum tamen diſcrepant quoad primam, in ſtabiliendo ſcilicet qualis eſſe debeat pœnitentia requiſita ad lucrandam Indulgentiam. Alii enim, inter quos Suarez diſp. 52. ſect. 11., & Bellarminus l. 1. *de Indulgent.* cap. 13. contendunt eum Canoniſtis, pœnitentiam requiſitam ad Indulgentias, non includere propoſitum ſatisfaciendi; quia Indulgentiæ (aiunt ipſi) dantur loco ſatisfactionis. Eccleſia enim aperit theſaurum ſuum, ut pro pœnitentibus ſolvat ex Chriſti Domini ſatisfactionibus, unde, concludunt, fruſtra exigitur, ut de viſceribus ſuis ſatisfaciant.

Econtra vero docent alii quamplurimi, & probabilius, ut Adrianus VI. Soto, Caietanus, Heſſelius, Navarrus tract. *de Iubileo*, Eſtius, Sylvius aliique recentiores, veram non eſſe pœnitentiam tempore quoque Iubilei, niſi includat voluntatem, ſeu propoſitum Deo ſatisfaciendi, nec Indulgentiam fomentum eſſe ſocordiæ, ſed humanæ infirmitatis ſupplementum. Hanc ſententiam comprobant tum Patrum auctoritas, tum ratio. Docet enim, inter alios, S Cyprianus, iis non indulgendum, pro quibus intercedebant Martyres, niſi & ipſi ſtuderent laborioſis pœnitentiæ operibus Deum ſibi placatum reddere, & divinæ ſatisfacere iuſtitiæ. *Peto* (ait epiſt. 13.) *ut eos, quos ipſi videtis, quos noſtis, quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicitis, deſignetis nominatim libello, & ſic ad nos fidei, ac diſciplinæ congruentes litteras dirigatis*. Unde hæc ſententia eſt multo conformior ſenſui veteris Eccleſiæ, dum pœnitentes, ante expleta pœnitentiæ conſtitutæ tempora, & ante receptionem communionis Dominicæ ac Eccleſiaſticæ, non cenſebantur eſſe capaces Indulgentiæ. Hinc Gregorius VII. Indulgentiam delictorum Epiſcopo Linconienſi eam petenti, ea lege conceſſit, ut pœnitentiam pro viribus ageret. Et S. Antoninus 1. part. tit. 10. cap. 3. §. 3. de iis, qui hanc ſuſtinent ſententiam, ita ſcribit. *Nec credunt, quod propter has Indulgentias generales minus teneatur agere pœnitentiam in hac vita*. Et hoc dictum ſatis videtur concordare æquitati, ut notat Innocentius.

Irregulares igitur, ſuſpenſi, & interdicti, ſi eos culparum ſuarum pœniteat, capaces ſunt Indulgentiæ; ſicuti etiam excommunicati, ſi contriti ſerio petant ſolvi vinculo excommunicationis, & citra ſuam culpam excommunicati maneant in foro externo; nam hi non videntur excludi ab iis Indulgentiis, in quibus confeſſio non requiritur, & communio, cum etiam apud Deum non excludantur a ſua gratia.

Ratio pariter hoc comprobat. Nam valde differt ille, qui dolet de offenſa alteri illata propter pœnam quam evitare nequit, ab eo, quem pœnitet ipſius offenſæ utpote factæ alicui bene de ſe merito, quem efficaci amore proſequitur; quia ſi priori liberalitate, ac beneficio illius quem offendit, pœna condonetur, ſeu remittatur, cum huic ſublata ſit doloris cauſſa, nulla plus angitur animi perturbatione. Ex oppoſito alter, etiamſi per alium ei factum ſit ſatis, cui iniuriam intulit, adhuc diſplicentiam habet, nec finem dolori ſuo facit; quia benefactorem maxime dilectum offenderit. Hinc ut talis animus permaneat in iuſtis pro offenſis Deo illatis, cum peccatorum remiſſione infundit in eorum cordibus virtutem pœnitentiæ, quæ utpote viva, & charitate formata, otioſa non ſe habet in iuſtis.

Si ita res ſe habet, dicet aliquis, inutilis, & infructuoſa erit Indulgentia; ſiquidem quando quis ſolvit quod debet, non plus indiget remiſſione, & gratia: Unde nemo non videt, quod in tali ſententia virtus, &

& efficacia Indulgentiarum enervatur. Verum quam falſa ſit conſecutio, manifeſte patet, quia homo infirmus par non eſt ſolvendo per ſuam ſatisfactionem totum id, cuius debitor eſt apud ſupremam Dei iuſtitiam pro iniuriis, quas peccando ipſi Deo intulit, quodcumque ſit eius propoſitum ſatisfaciendi. Quare pro viribus ipſi elaborandum eſt, ut divinæ ſatisfaciat iuſtitiæ, & quia infirmus eſt, & deficit in multis, neceſſe eſt ut in ſubſidium, & ſupplementum ſuæ ſatisfactionis ad beneficium indulgentiarum recurrat. Nihil igitur tollit ſeu detrahit hæc ſententia de Indulgentiarum virtute, ac efficacia, ut ait Caietanus in ſuo opere *de Indulgentiis*, ubi ſic ait: *Nec aliquid adimitur efficaciæ Indulgentiarum, ſicut nihil adimitur efficaciæ Sacramentorum ex hoc, quod oportet accedentes ad illa eſſe digne diſpoſitos ſi fructuoſa ſibi eſſe volunt: ſoli ſiquidem indigni Indulgentia, ab illius fructu iuxta hunc dicendi modum excluduntur.* Igitur non ſecus ac Sacramenta tanto efficacius operantur, quanto ſubiecta melius fuerint diſpoſita; ita & Indulgentiæ. Tournely.

Ad hoc ut integre fructus Indulgentiarum percipiatur, oportet, ut ſuſcipientis animus alienus ſit, ac liber ab affectu cuiuſvis peccati etiam venialis, alioquin nonniſi partem Indulgentiæ conſequeretur; quia ſecundum communem omnium ſententiam, relaxatio pœnæ peccatis debitæ, neceſſario ſupponit culpam remiſſam; & hæc remitti nequit niſi diſpliceat, & animus ab ea ſit averſus. Habert.

Ex his omnibus facile colligi poteſt, exquiſitas diſpoſitiones requiri ad plenariam Indulgentiam, ac proinde perpaucos eſſe, qui eaſdem integre adipiſcantur.

Tandem in eo, qui ſuſcepturus eſt Indulgentias, requiritur intentio, & propoſitum efficax faciendi dignos fructus pœnitentiæ: 1. quia alias enervaretur per Indulgentias Eccleſiaſtica diſciplina, ut notat Habertus, & Fideles eo magis proclives redderentur ad peccandum, ut ait Sixtus IV. antea laudatus: 2. quia Clemens VI. Extravag. alias cit. docet, Indulgentias concedi, ut cunctorum Fidelium augeatur devotio, fides ſplendeat, ſpes vigeat, charitas vehementius ferveſcat: 3. quia Summi Pontifices quando Indulgentias concedunt, expreſſe admonent Confeſſarios, ut iniungant pœnitentias ſalutares: pœnitentiæ autem ſalutares & medicinales iuxta Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. illæ ſunt, quæ a peccatis revocant, & quaſi quodam freno paſſiones coercent, medentur peccatorum reliquiis, vitiorum habitus oppoſitarum virtutum actionibus tollunt, ac tandem conformes reddunt Chriſto. Unde qui in his ſe exercent, hi profecto faciunt fructus dignos pœnitentiæ. Hactenus Habert.

Nota 1. eum, qui opus aliquod ex iniunctis peregit cum affectu ad culpam mortalem, etiamſi poſtea contritus cum Deo reconcilietur, non conſequi Indulgentiam, niſi opera bona, quæ facta fuere cum affectu lethalis culpæ, in ſtatu gratiæ ſanctificantis denuo peragat, & ſi forte rurſus eadem opera fieri nequeunt, commutanda ſunt a Confeſſario in alia, quæ fieri queant; alias non perciperetur Indulgentiæ fructus; nam opera mortua, cuiuſmodi ſunt facta in peccato mortali, non poſſunt vivere, nec prodeſſe, & aliunde niſi omnia, quæ in Bulla conceſſionis iniunguntur, impleantur, nullus fructus Indulgentiæ omnino percipi poteſt.

Nota 2. Eum, qui præ infirmitate intra tempus præſcriptum opera iniuncta exequi non potuit, ex Sacerdotis conſilio licite & utiliter poſſe ea poſtea exequi: cum iam in litteris Indulgentiarum facultas Sacerdotibus conferatur, ut infirmis, aut alia legitima cauſſa impeditis, aut differant Indulgentias, aut etiam quædam ex iniunctis operibus, in alia pia opera commutent.

Si autem quæratur, num perfectius ſit non uti beneficio Indulgentiarum, abſque earum contemptu, ſed ex ſolo deſiderio plene ſatisfaciendi divinæ iuſtitiæ, pœnitus renuntiando cuilibet pœnæ relaxationi, facilis eſt reſponſio; quia cum chriſtiana perfectio in charitate conſiſtat, quo magis hæc eſt perfectior, eo magis exardeſcit deſiderium uniri cum Chriſto, ut ardenti animo exoptabat Apoſtolus, *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto:* nam fervidi amantis eſt velle coniungi cum obiecto, quem fortiter diligit: unde numquam, niſi maior Dei gloria id exigat, eliget homo ſibi differri tam optatam unionem, ſicuti contingit ei, qui debitor pœnæ in Purgatorio luendæ ex hac vita decedit, ubi uſque ad extinctionem debiti ſeiunctus a tam ingenti bono debet remanere: igitur nemo non videt, abſolute loquendo, perfectius non eſſe non uti beneficio Indulgentiarum, deſiderio plane ſatisfaciendi aut in præſenti, aut in futuro ſæculo pœnalitatibus divinæ iuſtitiæ.

§. VIII.

## §. VIII.

### *De Cauſſis Indulgentiarum.*

Cauſſæ iuxta Philoſopos vulgo in quatuor diſtinguuntur, ſcilicet in materialem, formalem, efficientem, & finalem, ſeu motivam. Materialis duplex eſt, ſcilicet *ex qua, & in qua*. Cauſſa materialis Indulgentiarum *ex qua* ſunt ſatisfactiones, ſeu merita Chriſti, & Sanctorum, ex quibus conflatur theſaurus Eccleſiæ, ut antea iam diximus. Materialis *in qua* eſt ſubiectum, ſeu ii, quibus Indulgentiæ applicantur, de quo iam egimus. Cauſſa efficiens principalis Indulgentiarum eſt Chriſtus Dominus, miniſterialis, ut antea expoſuimus, ſunt Papa, & Epiſcopi iure ordinario, & divino, cum cæteroquin poteſtas conferendi Indulgentias delegari queat Presbyteris, Diaconis, Clericis, & etiam Abatibus, ut patet ex can. 60. Concil. Lateranenſis IV. quia poteſtas concedendi Indulgentias non eſt actus ordinis, ſed iuriſdictionis, quam Clerici, ac Presbyteri inferiores poſſunt habere vel delegatam, ſicut legati Summi Pontificis, vel ordinariam, ſicuti Epiſcopi electi, & nondum conſecrati; ſic S. Thom. in 4. diſt. 20. & in ſupplement. q. 26. art. 2. Quoad cauſſam vero formalem, ſeu formam Indulgentiarum, conſtat apud omnes, Indulgentias non conſtitui eſſentialiter ex verbis tamquam ex forma, non ſecus ac Sacramenta novæ legis, ſed eas poſſe concedi nutu voluntatis, ac ad eas dumtaxat requiri verba, aut aliud ſignum ſenſibile, ut fidelibus ſubditis innoteſcat illas concedi. Sola autem difficultas eſt circa earum rationem conſtitutivam, cauſſamque formalem, ſcilicet, num concedantur per modum abſolutionis, ſeu ſolutionis, vel ſuffragii ac impetrationis.

Et pro reſolutione, diſtinguendum eſt inter Indulgentias, qoæ conceduntur pro vivis, & illas, quæ pro mortuis largiuntur. Nam Indulgentia conceſſa pro vivis eſt vera abſolutio ſimul, & ſolutio; quia Prælatus concedens Indulgentias exercet actum iuriſdictionis, & tamquam Iudex virtute clavium ſolvit ſubditos a pœna temporali; ex cap. *Cum autem*. Igitur ſicuti Sacerdos dum reatum culpæ remittit in Sacramento Pœnitentiæ vere abſolvit; ſic & Prælatus dum per Indulgentias relaxat pœnas, quæ pro peccatis debentur. Indulgentia eſt quoque ſolutio; quia Prælatus virtute clavium applicat ſatisfactiones Chriſti fideiuſſoris noſtri, qui plene pro nobis ſatisfecit, & ſolvit iuxta S. Thom. ſupplement. q. 25. art. 1. ad 3. *Solvit pœnam quam debuit* ( ſuſcipiens ) *de bonis Eccleſiæ communibus*; & in reſpon. ad 2. ait: *Qui Indulgentias ſuſcipit, non abſolvitur ſimpliciter a debito pœnæ, ſed datur ſibi unde debitum ſolvat*; ideſt, non gratis ei remittitur pœna debita, neque eam ex propriis ſolvit, ſed Eccleſia ipſa per applicationem ſatisfactionum Chriſti pro illo ſolvit. Sic Habertus.

Indulgentiæ vero, quæ conceduntur pro mortuis, ut iam vidimus, concedi nequeunt niſi per modum ſuffragii, & impetrationis; quia cum Eccleſia non habeat iuriſdictionem in defunctos, nequit illos abſolvere, ſed ſolum ipſis ſubvenire, ac pro ipſis impetrare. Verum in præſenti præcipuus ſcopus eſt, ut agatur de cauſſa finali, ſeu motiva Indulgentiarum.

## §. IX.

### *De cauſſa finali, ac motiva ad valorem Indulgentiarum,*

Cauſſa finalis generalis omnium Indulgentiarum eſt, ut cedant in utilitatem Eccleſiæ, & gloriam Dei. Sed hic agitur de cauſſa finali motiva Indulgentiarum. Finis autem Indulgentiarum, ut exponit Clemens VI. Extravag. *Unigenitus, eſt, ut cunctorum fidelium augeatur devotio, fides ſplendeat, ſpes vigeat, charitas vehementius incaleſcat*; quia propter finem temporalem concedi nequeunt, niſi ordinetur ad finem ſupernaturalem, puta ad Religionis amplificationem.

Ut Indulgentia valide concedatur etiam a Papa, ultra legitimam poteſtatem requiritur etiam iuſta & rationabilis cauſſa, qoa deficiente, omnes conveniunt Theologi, non eſſe ratam coram Deo, nec expungere reatum pœnæ in Purgatorio luendæ: Eſt communis cum S. Bonavent., Caiet., Coninch., Navar., Suar., Reinfenſt., Fagnan. & aliis, & deſſumitur ex Extravaganti *Unigenitus de Pœnit. & remiſs.* inter communes, ubi ita habetur, *Chriſtum Eccleſiæ theſaurum per ſuos Vicarios reliquiſſe diſpenſandum ſalubriter, & propriis, & rationabilibus cauſſis*. Et Innocent. III. in Concil. Lateran. IV. can. 62. Indulgentias ſine cauſſa conceſſas vocat *indiſcretas, & ſuperfluas*. Et ratio eſt, quia diſpenſatio ſine cauſſa in iis, quæ ſunt iuris divini, prorſos irrita eſt. Unde cum Papa, & Epiſcopi non ſint domini theſauri Eccleſiaſtici, qui eſt iuris divi-

divini, ſed tantum diſpenſatores, & iure divino expianda ſit pœna temporalis, quæ ſupereſt dimiſſa culpa, ſine rationabili cauſſa nec unam diſpenſare, nec alteram tollere, ſeu remittere poſſunt.

Quod non ſint domini, ſed diſpenſatores, conſtat ex extravagant. *Unigenitus*, & ex 1. ad Corinth. 4. ubi ita habetur. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, hic iam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur*. Fidelis autem diſpenſatoris poteſtas abſoluta non eſt, ſed ſubordinata voluntati Domini, ac diſſipator ille habendus eſt, non diſpenſator, qui abſque ulla iuſta cauſſa, bona eius diffundit, utpote qui agit contra eius voluntatem, quæ eſt, ut illa diſpenſentur, ſeu concedantur *in ædificationem, & non in deſtructionem*, ut conſtat ex eadem 2. ad Corinth. cap. 13. Et hoc confirmat doctrina S. Cypriani, qui ſermone *de Lapſis* ita invehit adverſus iniuſtas exceſſivaſque diſpenſationes; *Contra Domini, ac Dei legem* (ait) *temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: irrita, & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura*.

Num vero ad iuſtam, & rationabilem cauſſam conferendi Indulgentiam ſatis ſit quævis cauſſa, & opus etiam leviſſimum, vel ſpectatis circumſtantiis debeat eſſe etiam cauſſa proportionata; ut quanto maior ſit Indulgentia, tanto maior cauſſa requiratur: Reſp. 1. ad iuſtam Indulgentiæ cauſſam conveniunt omnes Theologi non requiri, ut opus iniunctum æquivaleat, ſeu æqualitatem habeat cum pœna debita, alias inutilis foret Indulgentia, nec eſſet remiſſio, ſed commutatio, vel redemptio. Quoad proportionem vero cauſſæ diverſimmode ſentiunt. Affirmant alii, ut Durandus Paludanus, S. Antoninus aliive, etiam minimam cauſſam ſufficere ad Indulgentiam, dummodo pia ſit, ſcilicet non detur Indulgentia pro opere malo, vel mere temporali, aut vano, nihilque ad divinum conferente, ſed quod cedat in gloriam Dei, & Eccleſiæ utilitatem, licet ſit opus leviſſimum. Negant alii, ut S. Bonavent., Gerſon, Adrianus, Caiet, Soto, Navar., Sylvius, Eſtius, aliive recentiores contendentes, iuſtam cauſſam dici non poſſe, quæ nullam habet proportionem cum effectu. Nam ſi ita eſſet, nullæ unquam dici poſſent ſuperfluæ, & indiſcretæ, cum ſemper haberi poſſit in promptu aliqua pia cauſſa, quæ allegari poſſet.

Hanc ſententiam agnoſcit Bellarminus *communiorem, & probabiliorem*, & hanc pluribus probat momentis; 1. quia abuſus quidem videtur vocabulorum, requirere ad Indulgentiam iuſtam cauſſam, & admittere opus leviſſimum. Etenim iuſta cauſſa dici nequit, quæ proportionem non habet cum effectu. 2. Non tantum dici infidelem diſpenſatorem, qui, nulla de cauſſa, bona diſpenſat Domini ſui ſed illum quoque, qui ſui Domini pretioſiora, pro re minima profundit, ac prodigit. 3. Quia Indulgentiæ conceſſio non eſt diverſa a votorum diſpenſatione. Vota vero, ut omnes conveniunt, nequeunt diſpenſari niſi pro maxima cauſſa, quæ magis placeat Deo, quam voti executio.

Verum, ut has duas oppoſitas conciliet ſententias, advertit 1. ad iuſtam cauſſam, ut plurimum, duo requiri. 1. finem aliquem pium, ac Deo gratum, cuius aſſecutio magis Deo placeat, quam pœnitentialis ſatisfactio, quæ per Indulgentiam relaxatur. 2. Opus aliquod ita fini proportionatum, ut per illud finis revera obtineri queat; quia ſi finis maxime ſit Deo gratus, ſed obtineri nequeat per opus iniunctum, non videtur iuſta cauſſa obtinendi Indulgentiam: puta ſi detur Indulgentia Plenaria iis, qui recitaverint aliquam precem pro Infidelium converſione, non videbitur iuſta cauſſa; nec opus proportionatum Indulgentiæ quantitati.

2. Ad cauſſæ proportionem cum Indulgentia non requiri, ut opus iniunctum ſit in ſe valde meritorium, & ſatisfactorium; ſed quod ſit medium aptum, ac utile ad conſequendum finem, in cuius gratia conceditur Indulgentia. Idcirco fieri poteſt, ut per opus in ſe leve magna aquiri poſſit Indulgentia, quia opus illud ſit medium ad finem Deo pergratum obtinendum. Huiuſmodi ſunt Indulgentiæ aliquæ iis conceſſæ, qui certa die ad aliquam Baſilicam impulſu religionis, ac pietatis accedunt. Nam licet opus ſit in ſe leve, nec laborioſum, nihilominus attentis circumſtantiis eſt proportionatum fini Indulgentiarum, ſcilicet ad cultum alicuius Sancti, ad incrementum pietatis &c.

3. diſtinguendum eſſe inter Indulgentiam, quæ conceditur alicui privato, & illas, quæ largiuntur in commune omnibus fidelibus propter gravem finem, puta pro ædificanda, & dotanda Eccleſia Cathedrali, vel Parochiali. Priores Indulgentiæ requirunt cauſſam gravem, & ut opus illi ſoli iniunctum, proportionatum ſit fini. Nam Con-

cil.

Digitized by Google

cil. Tridentinum Decret. *de Indulgentiis*, vult, eas concedi, iuxta veterem, & probatam Eccleſiæ conſuetudinem. Veteres autem, ut S. Cyprianus antea laudatus, ac Patres Nicæni can. 12. cenſent, iis dumtaxat indulgendum volebant, qui lacrymis, pœnitentia, & bonis operibus meruerant, ut quod ſupererat pœnæ luendæ, ipſis miſericorditer remitteretur. Inſuper omnes conveniunt, ut iam antea notavimus, non poſſe diſpenſari in votis, niſi ob gravem cauſſam, quæ magis placeat Deo, quam ipſius voti impletio. Sic igitur a pari dicendum in conceſſione Indulgentiarum.

In poſterioribus vero Indulgentiis, quæ in communi multis conceduntur, abſolute non requiritur quod opus iniunctum difficile ſit & laborioſum, ideſt non eſt neceſſe, ut opus ſingulorum, ſed opus omnium ſimul ſit proportionatum fini, ſeu medium ſit aptum, atque utile ad finem, propter quem dantur Indulgentiæ, conſequendum. Sic docet S. Thom. in 4. diſt. 20. & in ſupplem. q. 25. art. 2. ad 3. Hinc contingere poteſt, ut Indulgentia maxima ſit iuſtiſſima, etiamſi opus iniunctum, ſingulis videatur leve, puta ſi dum neceſſe eſt, ut ædificetur aliqua Baſilica vel Xenodochium, detur Indulgentia plurium annorum, vel etiam Plenaria, conferentibus certam auri ſummam. Si attendatur ad opus ſingulorum, cauſſa videbitur iniuſta, ſi tamen conſideretur tota ſumma ab omnibus collata, videbitur cauſa iuſta; quia illa ſumma poterit ædificari Xenodochium, vel Eccleſia Baſilica, quæ ædificatio gratior erit Deo, quam pœnitentiæ ſatisfactio, quæ per Indulgentiam relaxatur.

## §. X.

### *De effectibus Indulgentiarum.*

Vidimus iam agendo de natura Indulgentiarum, Indulgentiæ non eſſe remittere culpam ſive mortalem, ſive venialem, nec pœnam æternam, ut communiter docent Theologi, ac proinde quando in Bulla Indulgentiæ dicitur, concedi remiſſionem, ſumitur peccatum pro pœna peccati, iuxta illud 2. Machabeor. 12. *ut a peccatis ſolvantur*; & quando dicitur in Indulgentia concedi remiſſionem culpæ, & pœnæ, intelligitur facultas abſolvendi a culpa etiam reſervata, ut contingit in conceſſione Iubilei. Unde.

Effectus Indulgentiarum non eſt niſi remiſſio pœnæ temporalis, quæ ex peccatis dimiſſis quoad culpam luenda remanet. Sic communiter docent Theologi. Pœna autem temporalis, quæ homini relicta ex peccatis condonatur, ab homine luenda duplex eſt; una, ad quam perſolvendam homo obligatur ex Sacramentali Pœnitentia a Sacerdote iniuncta vel iniungenda. Altera, ad quam perſolvendam in hoc mundo, vel Purgatorio eſt obligatus a Dei iuſtitia; eſt comm. apud DD.

Verum circa hanc temporalis pœnæ remiſſionem non conveniunt Theologi. Alii enim, ut Halenſis, Durandus, Paludanus, Adrianus VI. Caietanus tract. *de Indulgentiis* contra Lutherum, exiſtimant, Indulgentias non liberare niſi a pœnis iniunctis, hoc eſt in Sacramentali Confeſſione impoſitis; quia, dicunt ipſi, non niſi de his mentio ſit in Bullis Indulgentiarum. Alii e contra communius, ac probabilius, ut S. Thom. in 4. art. 3. & in ſupplem. q. 25. art. 1., Soto, Bellarmin., & paſſim cæteri Theologi ſuſtinent, Indulgentias liberare a pœnis ſive iniunctis, ſive iniungendis. Alia inſuper eſt controverſia, & multum priore gravior, videlicet, num Indulgentiæ valeant ad ſolvendum a reatu pœnæ debitæ apud Deum, an ſolum a vinculo, quo Confeſſarius ligaverit pœnitentem, ſeu ligarent canones, ſi adhuc eorum diſciplina eſſet in uſu. Ex reſponſionibus vero, quæ infra exponentur, deprehendetur quid in eiuſmodi controverſiis ſit ſentiendum. Sit igitur:

Indulgentiæ, præcipue quando abſolute, & ſine ulla reſtrictione conceduntur, ſe extendunt in ſua remiſſione ad omnem pœnam temporalem, ſive iniunctam, ſive per canones iniungendam. Et hoc conſtat, ac probatur ex illo Matthæi 16. & 18. ubi Chriſtus Dominus abſolute, & abſque ulla reſtrictione ſeu limitatione contulit Apoſtolis poteſtatem ſolvendi; nec ex ullo Traditionis monumento evinci poteſt fundamentum, unde inferre poſſint contrarium ſentientes, reſtrictionem huiuſmodi poteſtatis ad pœnas in Sacramento iniunctas. Nec ſuffragatur contrariæ opinioni, quod in pluribus Indulgentiarum diplomatibus, reperiantur Indulgentiæ conceſſæ cum hac clauſula *de pœnis iniunctis*; quia plures etiam habentur in iure conceſſæ abſolute, & ſine huiuſmodi clauſula. Bonifacius VIII. in celebri Extravaganti *Antiquorum*, Clemens VI. Extravagant. *Unigenitus*, Sixtus IV. in Extravagant. *Quemadmodum*, & plerique poſtea Pontifices in Bullis pro Iubileo, clauſulam illam omittunt, & largiuntur

Indulgentias plenas, pleniſſimaſve, hoc eſt quantum claves ſe extendere poſſunt.

Quod vero Indulgentiæ conceſſæ ſub formula de pœnitentiis iniunctis, ſint extendendæ etiam ad pœnas iniungendas, Suarez, & Sylvius cum aliis quamplurimis arguunt ex cap. 27. *ex parte tit. de Decimis* ubi ſic habetur, *Ubi maius conceditur, minus conceſſum eſſe videtur;* maius autem eſt remittere pœnas iniunctas, quam iniungendas, cum illæ duplici titulo debeantur, nempe, & reatu pœnæ culpam conſequente, & præcepto Confeſſarii. Clauſula igitur de iniunctis pœnis non eſt reſtrictiva, ſed ampliativa; & eo vel magis, quod iuxta regulam iuris, *Favores ſunt ampliandi, & odia reſtringenda*. Inſuper Indulgentiæ veteres, quæ in gratiam Martyrum lapſis concedebantur, non tantum remittebant pœnas iniunctas a Sacerdote, ſed etiam iniungendas a iure, ſeu a Canone. Tandem ſi Indulgentiæ, quæ nunc conceduntur, reſtrictæ eſſent ad pœnas in Sacramento iniunctas, vix hodie locum haberent, ſeu fere nullius eſſent emolumenti, cum pœnæ, quæ a Confeſſario iniunguntur, relative ad veteres, ſint leviſſimæ.

Dices. Forum Sacramentale Pœnitentiæ eſt tribunal ſupremum, ita ut nemo ſit in terris ſic Confeſſario ſuperior, ut eius ſententiam valeat irritare. Igitur ne quidem a Pontificis poteſtate ſolvi poteſt per Indulgentias, quod Confeſſarius in dicto tribunali ligavit.

Reſp. diſtinguendo conſequens; ne quidem a Pontifice ſolvi poteſt quod Confeſſarius ligavit, directe, corrigendo ſcilicet ſententiam Sacerdotis, vel circa eam diſpenſando; poteſt tamen ſolvi a Pontifice indirecte, tollendo nempe debitum, & reatum pœnæ temporalis per Indulgentias: eo ferme pacto quo ſi quis pœnam pecuniariam, decreto Principis alicui impoſitam, liberaliter de ſuo pro eodem ſolveret, indirecte liberaret debitorem a lege per ſuperiorem iudicem impoſita, non emendando Superioris ſententiam, in quam nihil iuris & auctoritatis habet, ſed tantum debitum ſolvendo.

Inſtabis: Si ita res ſe habet, ſequitur, pœnitentem eximi per Indulgentias ab implendo onere orationum, ieiuniorum, eleemoſynarum, aliarumve huiuſce generis pœnalitatum, quas ob gravia peccata, quæ commiſit, ex præcepto Confeſſarii ſubire deberet.

Reſp. Verum eſſe, ſi pœnitenti conſtet ſe lucratum fuiſſe fructum totum Indulgentiæ, & opera ſibi impoſita eſſe in meram vindictam, ad emendationem præteriti, & minime in medicinam ſuæ infirmitatis, & futuri præſervativum remedium: Quia debitor tenetur debito, donec probet fuiſſe ſolutum. Cum igitur nemo certus eſſe poſſit, quando ei ſpecialiter non reveletur, ſe fructum omnem Indulgentiarum percepiſſe, ac proinde reatum pœnæ, cuius erat debitor, per Indulgentiam ſibi fuiſſe dimiſſum, iuxta illud Eccleſiaſt. 9. *Neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit;* Et Eccl. 5., *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu*: Hinc non eximitur a pœna per Confeſſarium ei iniuncta; & ſi hoc etiam eidem conſtaret, non eſſet liber, niſi ab iniuncta pœnitentia mere vindicativa, minime vero a pœnitentia medicinali, a qua non diſpenſat Eccleſia, nec per Indulgentias ab illis eximit, utpotequæ neceſſariæ ſunt neceſſitate medii ad reprimendas cupiditates, & perſeverandum uſque in finem, & aſſecurandam æternam ſalutem; alias enervarent Indulgentiæ Eccleſiaſticam diſciplinam, & eorum obtentu fideles procliviores ad illicita perpetranda redderentur: Extravag. *Etſi de Pœnit. & Remiſſ.* Hinc in diplomatibus Indulgentiarum ſic poteſtatem faciunt Confeſſariis abſolvendi a criminibus omnibus, & cenſuris tempore Iubilei, ut tamen non omittant apponere hanc clauſulam ſeu conditionem; *iniuncta ſalutari pœnitentia*.

Indulgentiæ liberant homines a pœna temporali non ſolum debita Eccleſiæ, ſed etiam ab ea, quæ debita eſt divinæ iuſtitiæ, & in futuro ſæculo luenda. Hæc ſententia eſt communis, & ita certa, ut Suarez laudata diſp. 50. ſect. 2. concl. 1. putet eſſe de fide, cum ſatis expreſſe eam definierit Concil. Trident. decreto *de Indulgentiis*, & probatur ex Scriptura Matthæi 18. *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo*, ſcilicet in Dei foro, & iudicio. Unde S. Paulus ait, quidquid inceſtuoſo Corinthio donavit, ſe in perſona Chriſti donaſſe: & hoc patet, & probatur etiam ex Traditione. Tertull. c. 22. *de pudicitia* aperte declarat, hanc fuiſſe Eccleſiæ fidem ſecundo ſæculo; Indulgentias precibus Martyrum conceſſas remittere pœnam divinæ iuſtitiæ debitam. Sic S. Cyprianus Epiſt. 13., S. Thom. in 4. q. 1. art. 1.

Tandem Concil. Tridentinum veritatem hanc confirmat in ante laudato ſuo Decre-

to contra Novatores negantes Eccleſiæ poteſtatem concedendi Indulgentias, & aſſerentes illas inutiles eſſe, & pias fraudes; ubi definit, tenendum ſub anathemate, non ſolum Eccleſiam poteſtatem habere ſibi a Chriſto traditam dandi Indulgentias, ſed etiam quod illæ ſint, rite accipientibus, ſalutares; verum tales non eſſent ſi non valerent: niſi coram Eccleſia, & minime coram Deo, immo eſſent valde perniciosiſſimæ; quia ſic plus nocerent, quam prodeſſent, ſicuti advertit D. Thom., quatenus ita abſolverent a pœnis canonicis, ut eos efficerent obnoxios pœnis gravioribus, cuiuſmodi ſunt pœnæ purgatorii, quæ ipſis luendæ remanerent: unde Eccleſia filios ſuos in re maximi momenti deciperet. Et equidem ſatisfactiones humanæ vim certe, & efficaciam habent coram Deo; igitur & relaxatio pœnæ temporalis, quæ per Indulgentias conceditur. Inſuper Martyres, iuxta D. Cyprianum Epiſt. 14., non alia mente olim concedebant lapſis libellos Indulgentiæ, niſi, ut etiam coram Deo, a pœnis in altera vita luendis, liberarentur: *Ut cum pace* (ait S. D.) *a martyribus ſibi promiſſa, ad Dominum remittantur*. Agnoſcit enim idem S. D. tract. de lapſis, *Merita Martyrum, & opera iuſtorum* plurimum valere apud Deum. Hinc Sixtus IV. damnavit hanc propoſitionem Petri Oxomenſis: *Papa non poteſt indulgere alicui vivo pœnam Purgatorii*.

Indulgentias, non obſtante eorum virtute ſolvendi debitum pœnæ temporalis, non eximere homines a pœnalitate, ac laborioſa pœnitentia, ſeu non excludere propoſitum ſatisfaciendi divinæ iuſtitiæ per opera afflictiva pœnitentiæ, conſtat ex divina Scriptura, præcipue Lucæ 3. ubi univerſaliter præcipitur omnibus fidelibus, ut in operibus veræ pœnitentiæ ſe exerceant; *Facite fructus pœnitentiæ*; & ibidem cap. 13. admonemur, quod ſine pœnitentiæ operibus non poſſumus æternam effugere perditionem; *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*. Pœnitentia igitur eſt ex iure divino, idcirco ab hac nequit Eccleſia per Indulgentias fideles eximere; & eo vel maxime, quod pœnæ ſatisfactoriæ non tantum ſunt in vindictam peccati præteriti, ſed etiam in remedium futuri. Indulgentiæ igitur, eſto quod poſſint liberare homines, qui rite eas percipiunt, ab omni pœnalitate, quæ ſit in vindictam culparum commiſſarum, nequeunt tamen eximere a pœnitentia, ſeu pœna medicinali, quæ omnino neceſſaria eſt ad coercendas cupiditates, & aſſecurandam æternam ſalutem: & hoc probaturetiam exemplo Corinthi inceſtuoſi, cui, ut habetur 2. Corinth. 2. non remiſit Apoſtolus pœnam, quæ ipſi luenda remanebat, niſi poſt peractam unius anni pœnitentiam. Hinc S. Cyprianus tract. *de Lapſis*, ut ſupra vidimus, acriter eos reprehendit, qui libellaticis, antequam pœnitentiam egiſſent, temere concedebant Indulgentiam, ſeu Eccleſiæ communionem, & pacem, quam Martyres pro ipſis petierant. Sed hic non diu eſt immorandum, cum ante in tali propoſito ſatis dixerimus.

## §. XI.

### *De valore Indulgentiarum.*

Vocabulum hoc *valoris* non hic ſumitur pro pretio, ſive utilitate Indulgentiarum, ſed ſolum pro earum validitate, ita ut inquiratur, qua regula certa dignoſci queat, quod Indulgentiæ validæ ſint, ac ratæ, ſcilicet, an, clave non errante, Indulgentiæ tantum valeant, quantum ſonant.

Indulgentiæ revera tantum valent, quantum ſonant, clave (ut ſtylo utar Theologorum) non errante, videlicet ſi concurrant illæ quatuor conditiones, quæ requiruntur ad validitatem Indulgentiarum, ideſt auctoritas, & iuſta, ſeu legitima cauſſa ex parte dantis; charitas, & executio eorum, quæ in Bullis Indulgentiarum iniunguntur ex parte recipientis, ut iam alias expoſuimus.

Requiritur 1. poteſtas, ſeu auctoritas in dante: nullus etenim, ſecundum iuris axioma, maior defectus, quam poteſtas. Requiritur 2. iuſta, ſeu legitima cauſſa ad conceſſionem Indulgentiarum; nam Papa, & Epiſcopi, ut ſupra notavimus, non ſunt abſoluti Domini bonorum Eccleſiæ, ſed Miniſtri, & diſpenſatores: unde bona illa iuxta Chriſti intentionem, & regulas legitimæ diſpenſationis, fidelibus miniſtranda ſunt. 3. ex parte ſuſcipientis requiritur gratia, ac charitas, cum non dimittatur pœna, niſi prius remiſſa, ſeu deleta ſit culpa. 4. tandem requiritur, ut ſuſcipiens exequatur opera, quæ in Bullis Indulgentiarum iniunguntur.

## §. XII.

*De ſufficientia unius actus quoad lucrationem plurium ſimul Indulgentiarum.*

Quæri ſolet a Theologis, num unico actu lucrari quis valeat plures Indulgentias; & pro reſolutione advertendum, ac diſtinguendum, nempe, quod ſi diverſæ Indulgentiæ conceſſæ ſint ad eumdem diem, ex diverſis titulis, & opus in quavis Indulgentia præſcriptum eodem die ſit reiterabile, cenſendum eſt poſſe opus offerri pro quavis Indulgentia; puta, ſi in eumdem diem incidat duarum diverſarum Confraternitatum Indulgentia menſtrua, Indulgentia 40. horarum, Indulgentia Numiſmatis Pontificii, Indulgentia alterius Numiſmatis, quinque vulnerum &c., poterit eadem confeſſio ac communio inſervire ad lucrandas omnes illas Indulgentias, non ſolum ſi partiales ſint, ſed etiam plenariæ, & has poſtremas ſaltem partialiter. Et ratio eſt; quia de plenariis earum fructus eſt diviſibilis, ac proportionatus gravitati cauſæ, ſeu motivi, & gravitati operis præſcripti. Itaque non repugnat naturæ Indulgentiarum, ſi id opus offeratur pro pluribus Indulgentiis conceſſis ex diverſo motivo, cumque eiuſmodi oblatio non ſit irrationabilis, eo quod præbeat occaſionem exercendi diverſas virtutes ob reſpectum ad diverſa motiva, cenſendum eſt, Summum Pontificem eam habere ratam; quod ipſum colligitur ex communi ſenſu Doctorum. Si vero concurrunt Indulgentiæ ex eodem titulo, aut opera ſint irreiterabilia, cenſendum eſt, non eſſe locum ad lucrandas plures Indulgentias, niſi iterentur opera: v. g. ſi quis habeat duo Numiſmata Pontificia, non poterit eodem die lucrari duas Indulgentias Plenarias: & ſi eodem die concurrant indulgentiæ duarum Confraternitatum, & Indulgentia menſtrua, non poterunt eodem actu obtineri, ſed neceſſe eſt pro lucrandis ſingulis, offerre diſtinctas preces; quia alioquin conceſſio Pontificia non eſſet rationabilis, utpote non debite proportionata ad intentum ſuum finem. Sequitur vero ex dictis, quod reiteratione eiuſdem actus virtutis, eodem die poſſet obtineri Indulgentia partialis Confraternitatis, puta 100. dierum; quia rationabile eſt, ut Pontifex concedat iteratas ſimiles Indulgentias actibus virtutum reiteratis; ſicuti iteratas concedit Indulgentias reiterantibus *Ave Maria*, iuxta numerum globulorum Roſarii.

## §. XIII.

*De multiplici lucratione Indulgentiæ eodem die ſæpius Eccleſiam viſitando, num poſſit obtineri.*

Indulgentia, quæ ſolet concedi viſitantibus tali die talem Eccleſiam, nequit ſæpius eodem die lucrari. Sic pluries reſponſum fuit a S. Congregat. & præcipue 27. Septemb. 1717. Et hoc confirmatur declaratione Innoc. XI. 1678. 7. Martii, ubi declarat, Indulgentias Stationum ſæpe non poſſe obtineri eodem die; & hoc confirmatur inſuper ex declaratione Sixti IV. in ſua Bulla n. 36. ubi declarat, Indulgentiam Plenariam conceſſam Eccleſiæ *S. Mariæ de Populo* in feſto Annunciationis M. V. transferendam eſſe in Dominicam, ſi forte contingat tale feſtum in Sabbato tempore Quadrageſimæ, quo die iam aliunde in eadem Eccleſia habetur Indulgentia Plenaria. Idcirco non eſt intentio Summi Pontificis, pro eodem die, ex eodem ſaltem titulo, qualis hic erat cultus B. M. Virginis, concedere duas indulgentias eidem Eccleſiæ. Poſſet tamen iterato eodem die, in eadem Eccleſia, eadem acquiri Indulgentia, ſi ſit etiam applicabilis pro defunctis, ut infra dicetur de Indulgentia Portiunculæ Aſſiſii 2. Auguſti, quæ ſecundum ſententiam gravium Doctorum quis poteſt ſemel lucrari pro ſe ipſo, & poſtea nova viſitatione pro Defunctis.

## §. XIV.

*De Indulgentia conceſſa alicui Capellæ, quod non poſſit obtineri ab abſentibus.*

Indulgentiam conceſſam alicui Capellæ, vel Eccleſiæ, non poſſe obtineri ab abſentibus, patet ex repetitis declarationibus S. Congregat. 14. Decemb. 1716., Menſe Ianuar. 1724., & anno 1732. Menſe Novemb.: & cum ea gratia poſtularetur a variis Confraternitatibus Bohemiæ, & Hiſpaniæ, conſtanter denegata fuit. Conceſſa quidem fuit Sodalitati Puellarum renuntiantium choreis, aliquibus in locis Germaniæ, quæ ſatisfaciunt viſitando ſuam Eccleſiam Parochialem.

§. XV.

## §. XV.

*De Indulgentiis recenter conceſſis a Benedicto XIII., quod non poſſint applicari pro Defunctis.*

Indulgentiæ recenter conceſſæ a Summo Pontifice Benedicto XIII. non ſunt applicabiles pro Defunctis; cum Pontifex, ſupplicationibus circa hoc factis eidem Pontifici ab Archiepiſcopo de Lerma Secret. Congregationis Indulgentiarum, dederit apertam repulſam, ut teſtatur P. Amort in ſua Hiſt. *de Indulgentiis*.

## §. XVI.

*De variis ſpeciebus Indulgentiarum, ſeu de earum diviſione.*

Indulgentiarum multæ, ac diverſæ ſunt ſpecies: primo enim dividuntur in eas, quæ *pro vivis* conceduntur, & in eas, quæ *pro Defunctis*. 2. in *temporales*, quæ ſcilicet dantur ad certum determinatum tempus, ut pro una die, vel ad ſeptennium, ut mos eſt Romanæ Curiæ, & in *perpetuas*, quæ expreſſe conceſſæ ſunt in perpetuum, & *indefinitas*, quæ indefinite conceduntur, nulla facta mentione temporis, vel durationis. Et circa huiuſmodi Indulgentias notant Scholaſtici, & Summiſtæ, habendas eſſe pro perpetuis; eo quia non ſit maior ratio, cur Indulgentia indefinite conceſſa, pro tanto tempore accipienda ſit, non pro maiori, eo vel maxime quod cum Indulgentia ſit beneficium, ſeu favor, potius ample, quam ſtricte ſit interpretanda, ut ex cap. 15. de Regul. iur. in 6. *Odia reſtringi, favores convenit ampliari*, dummodo tamen per aliquam legem, regulamque Apoſtolicam non limitetur, ac terminus conſtituatur Indulgentiis indefinite conceſſis; quia in tali caſu præſumitur, quod Pontifex Indulgentiam concedat ſecundum conſuetum Curiæ ſtylum, ut recte advertunt Navar., Henriquez, & alii. 3. in *partiales*, quæ ſunt ad relaxandam unam ſolummodo partem pœnæ debitæ, & *plenarias*, quibus pœna tota dimittitur temporalis, quæ ex peccatis remiſſis luenda remanet, ut ex cit. Extravag. *Unigenitus Dei Filius* de pœnit. & remiſſ. Hanc plenariam Indulgentiam diſtinguunt aliqui in *plenam, pleniorem*, & *pleniſſimam* Extravag. *Antiquorum de pœnit. & remiſſ.* inter communes, ubi ſic habetur. *Non ſolum plenam, & largiorem, immo pleniſſimam omnium ſuorum concedimus veniam delictorum*. Verum quoad effectum nullum eſt inter eas diſcrimen, cum non minus quam pleniſſima, etiam ſolum plenaria in recte diſpoſitis, & confeſſis conferat totalem relaxationem pœnarum, quæ pro peccatis remiſſis debentur, & luendæ eſſent in Purgatorio. Sic etiam docet hodiernus Curiæ Romanæ ſtylus, iam inveterato uſu, & iudicio, ac auctoritate Sapientum roboratus. Ita teſtatur Sotus, Suarez, Corduba, Bonac., Tolet., Bellarminus, & alii; immo Pontifex in cit. Extravag. *Antiquorum* per illum loquendi modum, nihil aliud intelligere voluit, quam concedere *Indulgentiam adeo plenam, prout clavium poteſtas ſe extendit*. Nihilominus ſi non quoad effectum, tamen quoad privilegia, & adnexas facultates, cum Reifenſtuel in ſua morali, aliiſve, ſequens inter dictas Indulgentias debet notari diſcrimen, ut Indulgentia dicatur *plena*, quando tota pœna pro peccatis iam remiſſis debita, remittitur; *Plenior*, quando ſuperadditur poteſtas extraordinaria abſolvendi a reſervatis; *Pleniſſima*, quando ultra hæc, etiam diſpenſationes in votis, & huiuſmodi vinculis conceduntur, ut fieri ſolet in Iubileo, de quo ſic proſequitur cit. Extravag. *Antiquorum*, ubi, ut patet, ſermo habetur de Iubileo anni ſancti.

Indulgentiæ igitur plenariæ duplicis ſunt generis; Aliæ ordinariæ, quæ etiam dicuntur ſimpliciter plenariæ: Aliæ extraordinariæ, & hæc pariter triplices ſunt, nempe Iubileum, Cruciatæ, & ad inſtar Iubilei. Indulgentia *Iubilei* illa vocatur, quæ olim concedebatur ſingulis annis centeſimis, ut videbimus, nunc autem concedi ſolet ſingulis annis vigeſimiſquintis. Cum autem in eiuſmodi Indulgentiis Iubilei Romani Pontifices annectere ſoleant varia privilegia, videlicet abſolvendi a caſibus reſervatis, a cenſuris, necnon commutandi vota, ac in eis, & irregularitatibus diſpenſandi &c., ideo aliæ Indulgentiæ habentes annexa ſimilia privilegia, dicuntur conceſſæ ad inſtar, ſeu per modum Iubilei, vel in forma Iubilei; & ordinarie loquendo nihil plus important, quam Indulgentiam plenariam non annexa facultate abſolvendi a reſervatis, commutandi vota, & huiuſmodi, quæ alias conceduntur in Iubileo. Sic explicant, & probant Theologi, inter quos Gobat in ſuo Quinnario trac. *de Iubil.* cap. 7. & tract. *de Indulgentiis* p. 2. cap. 5. Suar. tom. 5. in 3. part. diſp. 7. ſect. 5. n. 7. Navarrus, & alii. Summi autem Pontifices ideo

Duplex genus Indul. gentiæ plenariæ.

ideo aliquam Indulgentiam plenariam vocant ad inſtar Iubilei, in forma, vel per modum Iubilei, ut oſtendant maiorem non effectum, ſed affectum, & cauſæ abundantiam, & ut in fidelibus maiorem lucrandæ Indulgentiæ curam, maioremque ex ea conſolationem excitent. Ita Ferr. in ſua Bibliotec. v. *Indulg.* art. 1. n. 11. Et hæ Indulgentiæ ad inſtar Iubilei ſolent concedi, quando novus Pontifex inauguratur, vel quando Eccleſia magnis premitur calamitatibus. Indulgentia *Cruciatæ* vocatur ea, quæ conceditur contribuentibus, aut cooperantibus ad bellum ſacrum contra Infideles. Et talis Bulla Cruciatæ in Hiſpania eſt perpetua; quia ibi perpetuo contra Turcas, Affricanos, & Mauros invaſores navium chriſtianarum & urbium pugnandum eſt.

Indulgentia partialis.

Indulgentia partialis, quæ, ut ſupra notavimus, remittit ſolum partem pœnæ temporalis debitæ peccatis quoad culpam iam remiſſis, alia dicitur quarena, quadragena, quarantena, quæ ſignificat Indulgentiam 40. dierum, ideſt remiſſionem tantæ pœnæ, quanta fuiſſet remiſſa ob pœnitentiam 40. dierum olim ab Eccleſia pro certis peccatis in pœnitentialibus canonibus ſtatutam. Alia vocatur ſeptena, per quam ſignificatur Indulgentia ſeptem annorum, ſeu remiſſio tantæ pœnæ, quanta fuiſſet remiſſa ob pœnitentiam ſeptem annorum. Alia vocatur Carena, quæ ſecundum multos eſt Indulgentia utramque ſupra dictam complectens, ideſt 40. dierum, & ſeptem annorum; ita ut ſit remiſſio tantæ pœnæ, quanta remiſſa fuiſset ob pœnitentiam 40. dierum in pane, & aqua peractam, & ob aliam pœnitentiam ſeptem annorum ſubſequentem. Sic Tannerus, Suarez, Bonac. Reiffenſ., & in hoc ſenſu videtur accipi nomen Carenæ in cap. *Accuſaſti* 8. de Accuſationibus. Alii tamen per Carenam intelligunt pœnitentiam agendam ſolum per 40. dies in pane, & aqua, & ideo dicebatur Carena; quia afferebat carentiam ciborum, & conſortii humani. Ita Gloſsa in cap. *Accuſaſti* verb. *Carena*.

Indulgentiæ dierum & annorum.

Alia vocatur centum dierum, centum annorum, mille, centum mille, bis centum mille, trecentum mille annorum. Hanc tamen amplitudinem Indulgentiarum quidam opinantur eſse exagerationem excogitatam a quæſtuariis ad facilius emungendas fidelium pecunias, cum in Litteris Apoſtolicis non legatur tam enormis numerus: Et ſi velimus etiam accipere huiuſmodi Indulgentiarum amplitudinem, quantumvis enormem, in recto ſenſu, eiuſmodi numerus intelligi poteſt de pœnis canonicis, quas peccatores graviſſimorum delictorum exſolvere nequeunt per mille annos, & multo minus per viginti millia, & centum mille. Nam ſi pro peccato ſemel commiſso, puta pro blaſphemia, homicidio, adulterio, ſacrilegio &c. pœna canonica eſt ſeptem, vel viginti annorum, qui lapſus eſt in omnia flagitiorum genera, ac in ea per longum tempus ſæpiſſime relapſus eſt, profecto reus eſt plurium mille annorum.

Indulgentia inſuper alia eſt *localis*, alia *realis*, alia *perſonalis*. Indulgentia *localis* eſt ea, quæ conceditur alicui pio loco, ideſt fidelibus aliquam deſtinatam Eccleſiam, ſeu Capellam viſitantibus, & in ea, iuxta expreſſa verba in formula Indulgentiæ orantibus. Indulgentia *realis* eſt, quæ conceditur rebus mobilibus, ut Coronis, Crucibus, Medaliis, & huiuſmodi, ideſt fidelibus tales res pœnes ſe devote habentibus, & opera exequentibus ad conſequendam Indulgentiam præſcripta. Indulgentia *perſonalis* ea eſt, quæ independenter a loco, & re, directe, & immediate conceditur alicui perſonæ, aut individuæ, & in particulari, aut communi, & generali, ut toti Religioni, aut Communitati, ut eam lucretur ubicumque fuerit, vel in articulo mortis, vel quotieſcumque tale opus peregerit.

Circa Indulgentiam localem quædam ſunt notanda: 1. ſcilicet, quod ſi Eccleſia, ſeu Capella totaliter corruat, nec amplius reædificetur, ceſsat, ac expirat Indulgentia; quia conceſsa erat non loco tali ſimpliciter, ſed Eccleſiæ, ſeu Sacello in tali loco erecto. Gobat, & alii paſſim: 2. ſi Eccleſia penitus deſtruatur, & ibidem in meliorem formam denuo conſtruatur ſub eodem titulo, & Patrono, retinet eamdem Indulgentiam; Gloſsa in Reg. 7. Iuris in 6., Innocent. in cap. 2. *novi operis nunciatione*, Suarez, Bonac. Gobat., quia Indulgentia non conceſsa eſt ratione ſitus, & loci, ut ſupponitur, ſed abſolute Eccleſiæ ſub tali ſuo proprio nomine, & titulo adhuc retento, licet in meliorem ſtructuram redactæ, ita ut cenſeatur eadem moraliter Eccleſia: 3. retinet pariter eamdem Indulgentiam, ſi Eccleſia non omnino deſtruatur, ſed tantum per partes, & paulatim reædificetur, cum moraliter eadem maneat Eccleſia. Sic communiter.

Notanda pariter ſunt circa Indulgentiam realem 1. quod ſi conſummetur, ſeu deſtrua-

Digitized by Google

ſtruatur res, in qua erat Indulgentia, exſpirat Indulgentia: 2. ſi Crux, reliquia, ſeu imago, cui affixa erat Indulgentia, ita frangatur, ut non amplius referat imaginem crucis &c. ceſſat Indulgentia: non ceſſat autem ſi partes fractæ, ſeu disiunctæ denuo copulentur, & compaginentur: 3. ſi funiculus, ſeu corda coronæ, cui affixa erat Indulgentia frangatur, non perit ipſa Indulgentia; ſicuti nec perit ſi frangatur crucula coronæ, aut certa pars granorum, pro quibus alia ſubſtituantur; quia per mutationem chordæ, ſeu dictorum granorum, aut cruculæ, corona non cenſetur moraliter immutata: 4. Si frangatur dimidia pars dictæ coronæ, Indulgentia non remanet in parte integra, cum una ſola dimidia pars non conſtituat coronam; alias ſequeretur, quod diviſa corona in duas partes, ex una corona duæ fierent coronæ & ambæ gauderent ſua peculiari Indulgentia, quod minime dici poteſt; quia unica Indulgentia tantum data fuit pro tota corona: 5. ad hoc, ut aliquis ſive ſanus, ſive moribundus lucretur Indulgentias conceſſas Cruci, Medaliæ, Roſario, Coronæ, & huiuſmodi, neceſſe eſt ut crucem &c. apud ſe habeat. Non eſt tamen opus manibus tenere rem cui affixa eſt Indulgentia: 6. Nemo lucrari poteſt dictam realem Indulgentiam utendo Roſario, Corona, ſeu Medalia &c. aliena, ſicuti expreſſe decrevit Alexand. VII. die 6. Februar. 1657. ſuo Decreto quod incipit, *Sanctiſſimus*. Et Innocent. XIII. die 5. Iunii 1721. ſuo Decreto quod incipit, *Nuper ſacræ*, & ſupradicta communiter ſentiunt DD.

## §. XVII.

### *De Iubileo.*

Iubileus, ſive Iubileum, vel Ioboleum ſignificabat apud Hebræos, a quibus acceptum eſt, annum remiſſionis recurrentem quolibet anno quinquageſimo, qui incipiebat die 10. Menſis ſeptimi, ſeu Septembris, quo ſcilicet anno reſtituebantur cuilibet ſuæ poſſeſſiones, domus, agri, vineæ & alia huiuſmodi, ſi quæ per venditionem vel per hypotecam &c. forte neceſſitate compulſi, vel alia cauſa alienaſſent, ac a debitis omnibus abſolvebantur; & mancipii cum liberis ſuis, gratis, id eſt ſine ullo pretio, libertate donabantur. Hoc anno Iubilei qui dicebatur etiam *ſabbaticus*, terram non colebant, ſed veſcebantur Iudæi rebus iis, quæ ex annis præteritis collegerant, vel iis quæ illo anno terra ſine cultura ſponte producebat: ut Levit. 25. *Sanctificabiſque annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ, ipſe enim eſt Iubileus.*

*Vocabuli Iubilei derivatio.* Nomen Iubilei derivari a vocabulo Hebræo *Iobel* cenſent Liranus & Turrecremata cum Navarro, quæ vox hæbraica ſignificabat etiam *Buccinam ſonat*; nam ſonitu Buccinæ Iubileus promulgabatur. Alii vero volunt, Iobel ſignificare *quinquageſimum*, unde potius dicendum eſſet Ioboleus, quam Iubileus. Verum alii, & præcipue Bellarminus *de Indulg.* l. 1. volunt derivare a verbo hebræo *Iubal*, quod ſignificat *producere*, ſeu *germinare*; quia, ut iam diximus, illo anno quinquageſimo terra ſine cultura fructus producebat. Hinc Eccleſia figurata in Synagoga, ad ſimilitudinem antiqui ritus, licet altiori quadam ratione, inſtituit annum Iubileum, ſeu Iubilei, qui vocatur *Annus Sanctus*, eo quod ipſo anno pleniſſima remiſſio, ſeu Indulgentia conceditur omnium peccatorum, & ad eam lucrandam ſanctiſſima pietatis opera a fidelibus viciſſim edantur; ut habetur in Extravagant. *Unigenitus* Clementis VIII. Ex eo tamen quod Iubileum inſtituerit Eccleſia, ad normam Iubilei Hebræorum, colligere non licet, Iubileum Iudæorum inſtitutum fuiſſe in figuram Iubilei Chriſtianorum, quomodo cæremonia eius agni Paſchalis fuit a Deo præcepta in typum Euchariſtiæ. Nam figuræ omnes veteris legis implendæ erant in Evangelio, & a Chriſto Domino, qui eſt veritas, revera fuerunt impletæ; Iubileus autem Chriſtianorum eſt arbitrarius, & lege humana inſtitutus, ac proinde nonnunquam mutatus, ut videbimus.

Annus Iubilei ſic deſcribi ſolet a Theologis; *Annus, quo viſitantibus certas Eccleſias, & certa pia opera facientibus, Indulgentia plenaria conceditur, cum facultatibus circa abſolutionem a peccatis, & circa commutationem votorum.*

*Definitio Iubilei.* Iubileum triplex eſt, *Romanum* ſcilicet, quod Romæ anno Sancto celebratur. *Compoſtellanum*, quod ex conceſſione Alexandri III. habetur Compoſtellæ, ut ex Gobat *in quinar.* cap. 1. *de Iubil. natur. n.* 2. toto illo anno, quo feſtum S. Iacobi incidit in Dominica: *Et extraordinarium*, quod extra annum Sanctum, ob aliquam gravem cauſam concedi ſolet, præcipue in aſſumptione novi Pontificis. Iubileum, ut ſic hæc tria Iubilea complectens, ita deſcribitur a P. Ferr. in ſua Bibliot. verbo *Iubil. Indultum*



Digitized by Google

*Pontificis*, *Indulgentiam plenariam*, *& magna privilegia tribuens certa opera in Brevi præſcripta præſtantibus*. Et eſt communis.

De Inſtitutione Anni Sancti.

Inſtitutio, & inchoatio huius anni ſancti, ſeu magni Iubilei, licet attribuatur ab aliquibus, ut a Polydoro Virgilio, & aliis, Bonifacio VIII. ex quo ipſe revera Iubileum inſtituerit pro anno 1300., ut ex eius Extravag. incipient. *Antiquorum de pœnit. & remiſſ.* reperitur, tamen antea quoque celebratos fuiſſe Iubileos, oſtendunt Navarr. in Iubil. nota 1. Benzonius, Cardinalis de Laurea, Pavinus, Turrecremata relati a P. Ferr. loco cit. & Palaus refert principium Iubilei ad tempora Apoſtolorum, & alii, ſaltem ad immediatos eorum Pontifices, ut Scaliger in Euſeb. par. 18. & Petavius in *Rationale temporum*, qui referunt, Iubileos celebratos ann. 49. & 50. poſt Chriſtum natum. Annus Sanctus, ſeu Iubilei inſtitutus fuit revera a Bonifacio VIII. pro unoquoque anno centeſimo celebrando, & determinatus in ſua Conſtitut. incipien. *Antiquorum*, & poſtea redactus a Clemente VI. ad annum quinquageſimum, ut in ſua cit. Conſtitut. incipiente *Unigenitus*, & fuit prima vice anno 1350. Deinde Urbanus VI. anno 1390. ſtatuit, ut annus ſacer recurrat quovis trigeſimo tertio, in memoriam 33. annorum Chriſti Domini; & Paulus II. in ſua Conſtitut. incipien. *Ineffabilis providentia*, Iubileum reduxit ad annum 25. quam diſpoſitionem confirmavit Sixtus IV. anno 1473. eamque reductionem nunc ſervat Eccleſia.

Annus igitur ſanctus dicitur Iubileus propter analogiam cum Iubileo legali. Illo etenim anno ſervi peccati redeunt in libertatem filiorum Dei, temporalis pœnæ debita relaxantur, merita bonis operibus comparata, & per ſubſequens peccatum extincta, ſeu, ut aiunt Theologi, mortificata, revi viſcunt; unde peccatores ad primam poſſeſſionem gratiæ & rationis ad æternam gloriam revertuntur: vacant pariter Chriſtiani a ſervilibus operibus peccati. Hinc merito annus ille ſanctus habetur. Verum quia Chriſtus prædicavit captivis Indulgentiam, & annum acceptabilem, ut prædixit Iſaias cap. 61. Clemens VI. & eius Succeſſores deinceps ſtatuerunt, ut ſacer ille annus inciperet a primis veſperis Nativitatis Domini, ad primas eiuſdem veſperas anni ſubſequentis, cautumque eſt ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, ne ullæ aliæ Indulgentiæ per totum illum annum prædicentur.

Anno ſancto imminente, die Aſcenſionis Domini ante annum ſanctum, maximo apparatu in Baſilica S. Petri poſt recitatum Evangelium promulgatur Pontificis diploma de proximi anni Iubileo, qui incipit, ut iam diximus, a primis veſperis Nativitatis Domini eiuſdem anni, antequam veſperæ decantentur, & in vigilia Nativitatis Domini inſtituitur mane celeberrima ſupplicatio, cui intereſt Summus Pontifex cum Cardinalibus, Legatis Principum, Prælatis. Poſt meridiem Pontifex e ſacello Palatii ſe confert ad Eccleſiam S. Petri, immediate ante veſperarum decantationem accedit ad portam muratam, quæ dicitur *porta ſancta*, ter malleo argenteo eam percutit, & bis ſummus Pœnitentiarius, & tunc a fabris murariis diſiicitur murus, cuius omnes lapides, & cæmentum magna cum devotione accipiunt Populus Romanus, & peregrini; deinde Pontifex templum ingreditur, intereſtque ſolemnibus veſperis, & interim Cardinalis Decanus pergit ad aperiendam portam ſanctam Baſilicæ S. Pauli eodem ritu, & ſic omnes alii Cardinales Archipresbyteri ad aperiendam hanc portam in reſpectivis ſuis Baſilicis, & ſic incipit annus Sanctus ante veſperas vigiliæ Nativitatis Domini, & proſequitur uſque ad vigiliæ Nativitatis Domini veſperas, quas præceſſit non minus ſolemnis ſupplicatio ac in aperienda: Nam veſperis completis accedit Pontifex ad portam Sanctam cum ſummo Pœnitentiario, & in medium liminis ingreſſum ipſius Portæ Sanctæ, Pontifex ponit calcem argenteo cochleari, ternoſque lateres ponit, & ſic poſt ipſum ſummus Pœnitentiarius, & tunc in altum latumque murus erigitur, manetque integer donec redeat alius annus Sanctus. Dum Summus Pontifex, & ſic Cardinales in ſuis reſpectivis Baſilicis, aperiunt, & claudunt portam ſanctam, recitantur variæ & determinatæ preces, quas præ aliis refert Navarrus in ſuo commentario.

Pro lucrando Iubileo anni Sancti indictæ ſunt variæ Eccleſiæ viſitandæ. Bonifacius VIII. aſſignavit viſitandas Baſilicas SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, Clemens VI. addidit viſitandam Baſilicam Lateranenſem, & Gregorius XI. adiunxit Baſilicam S. Mariæ Maioris de urbe, prout uſque ad præſens ſervatur; & publicantur in Bulla indictionis Iubilei. Interdum tamen iuſtis de cauſſis ſubrogatæ fuerunt aliæ Eccleſiæ, ut contigit ſub Urbano VIII. a quo deputata fuit viſitanda Eccleſia S. Mariæ Transtiberim

loco

loco Baſilicæ S. Pauli extra mœnia, ratione peſtis, quæ tunc temporis graſſabatur in Urbe, & Regno Neapolitano, & Siciliæ. Et tales Baſilicæ viſitari debent per 30. vices a Romanis, & incolis Urbis, & per quindecim ab exteris, in gratiam laborum, & pœnarum itineris. Interdum tamen iuſtis de cauſſis ad minores vices redactæ fuere, & data etiam facultas Pœnitentiariis Baſilicarum tales viſitationes diminuendi, ut colligitur ex Franciſco Phebæo Archiepiſcopo Tarſenſi in ſuo opere *de progreſſu celebritatis anni Iubilei* pag. 240.

Dantur aliæ Indulgentiæ, quæ, ut antea notavimus, vocantur Iubileus extraordinarius, quoties ſcilicet novus Pontifex inauguratur, & quando Eccleſia magnis calamitatibus exagitatur: Et hæ dicuntur ad inſtar Iubilei, quia iiſdem gaudent privilegiis, ac Iubileus.

Iubileus differt ab Indulgentia Plenaria in quibuſdam tantummodo privilegiis, quæ non comitantur Indulgentiam plenariam; ſed in præcipuo effectu, qui eſt integra pœnæ debitæ remiſſio, prorſus conveniunt; cum utraque Indulgentia integram pœnam remittat.

## §. XVIII.

### *De Privilegiis Iubilei.*

Conditiones requiſitæ ad effectum Indulgentiarum multo magis elucent in Iubileo, namque 1. cauſſa propter quam conceditur Iubileus, eſt longe gravior, utpote totam reſpiciens Eccleſiam, nec in ea poteſt eſſe ſubreptio, ſicuti in Indulgentiis privatis. 2. ad Iubileum melius diſponuntur fideles, tum propter plura, & maiora opera, quæ iniunguntur, tum propter communia Chriſtianorum vota, qui veluti iunctis viribus vim Cœlo inferunt. Quantum autem vis illa ſit Deo grata, & efficax ad flectendam eius miſericordiam, nemo eſt, qui non intelligat.

In Iubileo, & in Indulgentiis, quæ dantur ad inſtar Iubilei, 1. liberum eſt cuique eligere quem maluerit ex approbatis ab Epiſcopo Confeſſarium. 2. quivis Confeſſarius ab Epiſcopo approbatus abſolvere poteſt ab omnibus peccatis & cenſuris etiam reſervatis ſive Epiſcopo, ſive Summo Pontifici, & commutare vota, vel in ipſis diſpenſare (exceptis votis Religionis, & Caſtitatis perpetuæ) dummodo tamen ſit cauſſa ſufficiens, iuxta regulas, quæ alias traduntur.

Durante anno Sancto ſuſpenduntur, ut ſupra diximus, omnes Indulgentiæ plenariæ conceſſæ pro vivis, (& eſt communis) ne uſus Indulgentiarum impediatur ad urbem, ut in Extravag. *Quemadmodum de Pœnit. & Remiſſ.* Dixi *pro vivis*; quia, ut notant Theologi, non ſuſpenduntur Altaria privilegiata, cæteræque Indulgentiæ conceſſæ pro defunctis, & pro moribundis, ſeu conſtitutis in articulo mortis, referentes, ſic declaraſſe Urbanum VIII. Innocentium X. Clementem X. Nec ſuſpenduntur Indulgentiæ conceſſæ Almæ Domui Lauretanæ, ut declaravit Gregorius XIII. teſte Baronio lib. 4. cap. 7., nec Portiunculæ Aſſiſiis, ut declararunt Summi Pontifices, ſignanter Innocent. X. 5. Iulii 1650. Clemens X. 12. Novemb. 1664., Innocentius XII. 21. Auguſti 1699. Suſpenduntur tamen in aliis Eccleſiis ſeraphicis pro vivis, & remanent pro defunctis.

Pro vivis, volunt aliqui, nec ſuſpendi anno Sancto Indulgentias Bullæ Cruciatæ; quia hæ ſe habent per modum contractus, & refert Rodriquez cit. a Diana ſic declaraſſe Clementem VIII. Item contendunt alii, ut probabilius, non ſuſpendi in anno Sancto Indulgentias non Plenarias a ſummis Pontificibus conceſſas; quia, dicunt, plures Pontifices in ſuis Bullis anni ſancti, ut Clemens VI. Iulius III. Greg. XIII. & præſertim Sixtus IV. in Eſtravagant. *Quemadmodum de Pœnit. & Remiſſ.* ſuſpenderunt ſolummodo Indulgentias Plenarias. Unde ſi ſuſpendere intellexiſſent etiam non Plenarias, hoc expreſſiſſent: exceptio enim firmat regulam in contrarium. Nec obſtat, quod ſucceſſores Pontifices non excipiant plenarias, ſed dicant, *omnes, & ſingulas Indulgentias*; quia quidquid in poſteriori lege non fuit expreſſum, id veterum legum Conſtitutionumque regulis relictum eſſe intelligendum eſt, Leg. *Præcipimus Cod. de Appellat.*; tum quia quando aliud non exprimitur, ſuſpenſio iſta accipienda eſt iuxta ius commune. De iure autem communi ſolum plenariæ ſuſpenduntur, ut conſtat ex cit. Extravagant. *Quemadmodum*, quæ tamquam inſerta in corpore iuris facit ius commune.

Indulgentias tamen, ab aliis, quam a Summo Pontifice, conceſſas, certum eſt anno ſancto non ſuſpendi, cum illi etiam durante anno Sancto partiales Indulgentias, ſuæ facultati competentes, concedere valeant, & Pontifices in ſuis Bullis ſuſpendunt Indulgentias, quæ a Pontificibus conceſſæ fuere, ut declaravit Innocentius XII. in ſua notificatione gratiarum, & declarationum

Digitized by Google

num factarum a Clemente X. occaſione Iubilei anni ſancti. Item non ſuſpenduntur Indulgentiæ Stationum, aliæque Indulgentiæ conceſſæ Baſilicis, aliiſque Eccleſiis Romanis, ut ex Gobat, aliiſve, immo ſic declaravit Clemens X.

Anno ſancto non ſuſpenduntur facultates abſolvendi a reſervatis Papæ, licet conceſſæ ad aliud finem, quam ad lucrandum Iubilæum; ſicuti etiam facultates commutandi vota, quæ conceſſiones factæ fuere ex privilegio Regularibus; eſt communis inter Doctores cum Boſſio, Leandro, Henriquez, aliiſve: ſic enim declaravit Urbanus VIII. anno 1625. Suſpenduntur tantum huiuſcemodi facultates conceſſæ intuitu Indulgentiarum, cuiuſmodi non ſunt quæ conceſſæ ſunt Regularibus. Similiter non ſuſpenditur facultas, quam habent Epiſcopi, aliique Prælati eligendi ſibi Confeſſarium, a quo abſolvantur, utpotequæ conceſſa non ſit intuitu lucrandi Indulgentias. Nec ſuſpenditur Epiſcopis facultas, quam habent a Tridentino Concil. ſeſſ. 24. de Refor. cap. 6. abſolvendi ab occultis reſervatis Papæ, & diſpenſandi in irregularitatibus ex delicto occulto, & non deductis ad forum contentioſum, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, aut abſolvendi impeditos adire S. Sedem, cum talis facultas competat Epiſcopis ratione proprii officii, & de iure communi. Idemque dicito, ob eamdem rationem, de tali facultate reſpectu Prælatorum Regularium ratione proprii officii in ordine ad abſolvendos ſuos ſubditos. Sic paſſim DD.

Suſpenſio Indulgentiarum occaſione Anni Sancti incipit a primis Veſperis Nativitatis Domini, & ceſſat cum fine veſperarum eiuſdem ſolemnitatis anni ſequentis.

Ad Iubileum Anni Sancti requiritur Confeſſio; an vero etiam Communio, dubitant DD. quia in Bullis non exprimitur. Verum contra plures, qui ſuſtinent non requiri, ait Filiucius, alios bene multos eam præſupponere. Requiritur tamen viſitatio certarum Eccleſiarum Urbis, de qua iam antea diximus. Poſt celebrationem Anni Sancti in Urbe, conceditur a Papa Iubileus Provinciis omnibus Eccleſiæ Catholicæ, quæ per ſuum Nuntium illum expoſtulant.

Bullæ Iubilei quoad favorabilia latiſſime ſunt interpretandæ quantum patitur proprietas verborum, niſi in particulari caſu, vel materia, communis praxis, & ſtylus Curiæ Romanæ, aut omnino peculiaris ratio reſtrictionem ſuadeat. Quoad ea autem, quæ gravamen important, ſeu in odioſis ſtricte interpretanda ſunt quantum patitur verborum proprietas, niſi in particulari caſu ſtylus & praxis Romanæ Curiæ, aut aliqua peculiaris ratio laxiorem perſuadeat interpretationem. Sic Suar. Henriq. cum aliis. Unde latiſſime interpretandæ ſunt quoad conceſſionem Indulgentiæ, electionem Confeſſarii, commutationem operum, vel votorum &c. quia ſunt favores: Stricte vero quoad obligationem ad certa opera, ſuſpenſionem Indulgentiarum, & facultatum, quia ſunt gravamina, & odioſa. Sic plures DD.

## §. XIX.

*De Indulgentia ad inſtar Iubilei, ſeu de Iubileo extraordinario.*

Vidimus iam, Indulgentiam ad inſtar Iubilei, ſeu Iubileum extraordinarium, eſſe Indulgentiam, quæ gaudet iiſdem privilegiis, ac Indulgentia Iubilei Romani, qui Romæ celebratur ſingulis viginti quinque annis per integrum annum, qui dicitur Annus Sanctus. Nam in hac Iubilei extraordinarii Indulgentia conceditur facultas eligendi Confeſſarium, ex approbatis tamen ab Ordinario, a quo pœnitens abſolvi poſſit a caſibus reſervatis, & cenſuris, diſpenſari circa vota, & irregularitates &c. Et hæc Indulgentia conceditur ordinarie ad duas hebdomadas, ideſt ad quindecim dies.

## §. XX.

*De facultate eligendi Confeſſarium a Regularibus utriuſque ſexus in Iubileis extraordinariis.*

Unum ex privilegiis, ut iam vidimus, quod conceditur in Iubileis extraordinariis, ſeu indulgentiis, quæ ad inſtar Iubilei conceduntur, eſt profecto facultas eligendi Confeſſarium, ex iis tamen, qui ab Ordinario loci ſunt approbati, ut conſtat ex Bullis, quæ in Iubileis edi ſolent. Regulares quoque viri, eo tempore, ideſt Iubilei, ſine ulla ſuorum Superiorum licentia, ſibi eligere poſſunt quemvis Confeſſarium, ſive Sæcularem, ſive Regularem, ex approbatis ab Epiſcopo loci; quia ſic fuit declaratum a S. Congregatione. Sic communiter Theologi. Nec obſtant Conſtitutiones aliquæ Summorum Pontificum, & præcipue Urbani VIII. Conſtitut. quæ incipit *In ſpecula* 19. Iunii 1630., declarantis, *Bullam Cru-*

*Cruciatæ, aliaque Indulta huiuſcemodi non ſuffragari quantum ad illum articulum eligendi Confeſſarium independenter a ſuis Superioribus*, ut habetur in Bulla Cruciatæ; quia, ut notat inter alios Felix Poteſtas, declaratio Pontificum eſt expreſſe pro Bulla Cruciatæ, minime pro Iubileo; quia, ut advertit etiam Card. de Lugo diſp. 20. *de Pœnit.* n. 187. diverſis formulis & efficacioribus revocantur privilegia Regularium reſpectu electionis Confeſſarii a ſubditis dependenter a ſuis Superioribus in Bullis Iubilei, quam in Bullis Cruciatæ. Unde quamvis Regulares nequeant vi Bullæ Cruciatæ Confeſſarium, ſine Superiorum licentia, eligere, poſſunt quidem vi Bullæ Iubilei, ut patet ex verbis apponi ſolitis in Bullis Iubilei, ſcilicet: *Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, iiſdem Ordinibus conceſſis, etiamſi de illis mentio ſpecialis facienda eſſet*: Et ratio eſt; quia Indultum Cruciatæ permanens eſt, Indultum vero Iubilei eſt tranſiens, & raro contingit, favetque omnibus, neminique nocet. Idcirco ſæpe declarant Pontifices, vi Bullæ Cruciatæ ſe noluiſſe revocare privilegia Regularium, ſecus vero vi Bullæ Iubilei, ut conſtat præcipue ex declaratione Gregorii XIII. apud Rodriguez relata a Paſqualigo *de Iubil.* q. 206. Immo non tantum Regulares tempore Iubilei poſſunt ſibi eligere quemcumque Confeſſarium ex approbatis, ſive Sæcularem, ſive Regularem, ſed abſolvi inſuper per eumdem a caſibus omnibus ſuo Superiori reſervatis, ut declaravit S. Congregat. Epiſcopor. & Regular. 19. April. 1583., & Alexander VII. die 14. Maii 1655. in ſuo Brevi incipiente *Unigenitus*; quod antea declaraverat etiam Gregor XIII. teſte Peyrino *de Privileg. Regul.* cap. 4. art. 3. pag. 1324.

Confeſſarius eligendus debet eſſe ex approbatis ab Ordinario loci, ſeu ipſius Confeſſarii, non autem ab Ordinario pœnitentis. Ita S Congregat. Concilii interpretando Bullam Iubilei, & ex eius ſententia Sanctiſſimus declaravit, Bullam eſſe intelligendam de Ordinariis eorum, qui Confeſſiones audiunt, non autem de Ordinariis pœnitentium. Sic refert Fagnan. l. 5. Decret. in caput *Ne pro dilatione* 18. *de Pœnit. & remiſſ.* n. 19. Unde aliqui volunt, Regularem non poſſe eligere Confeſſarium approbatum a ſuo Prælato, cum nomine *Ordinarii* intelligantur ſolummodo confeſſarii Prælati. Sic Suarez, Reginald. & alii. Alii vero, ut Gobat, cum aliis contrarium ſuſtinent, immo addunt, hanc opinionem eſſe tutam, ac ideo ſufficere Regulari electionem etiam approbati a proprio Prælato, qui vere eſt Ordinarius ſuorum ſubditorum, cum nomine Ordinariorum veniant omnes, qui iuriſdictionem ordinariam quaſi Epiſcopalem exercent, ut dicit Rota p. 13. dec. 54. n. 15. Præterquam quod favorabilem interpretationem non recipit, quando eum cui favetur lædere poſſit, ut ex Regul 6. Iur. in 6. in qua expreſſe habetur; *Quod in gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum*. Gravaretur autem Regularis a Bulla, ſi præter ſuum morem cogeretur quærere Confeſſarium ab Ordinario loci approbatum, & forſan extra ſuum Conventum.

## §. XXI.

### *De electione Confeſſarii quoad Moniales tempore Iubilei.*

Moniales tempore Iubilei num poſſint eligere quemcumque Confeſſarium ex approbatis ab Ordinario, non deſunt, qui hoc ſuſtinent, ut Peyrinus, Boſſius, Bonacina, Paſqualigus & alii, qui volunt etiam, Moniales, non ſecus ac Regulares alios, & Sæculares, gaudere privilegio tempore Iubilei eligendi ſibi quemvis Confeſſarium ex approbatis ab Ordinario loci. Verum advertir hic Ferrarius in ſua Biblioteca, illos audiendos non eſſe, & ſequendos, donec aliter ſtatuatur a S. Sede, aut declaretur; cum Summi Pontifices in ſuis Conſtitutionibus Iubilei non dicant abſolute, Sanctimoniales poſſe eligere Confeſſarium quemcumque ex approbatis univerſim ab Ordinario, relinquendo explicationi Doctorum qualis Confeſſarius intelligendus ſit approbatus ab Ordinario, qui eligi poſſit a Monialibus tempore Iubilei. Dicendum igitur cum communiori, & probabiliori, Moniales non poſſe eligere tempore Iubilei quemcumque Confeſſarium ex approbatis ab Ordinario ad excipiendas Confeſſiones, ſed ex his tantummodo, qui approbati ſunt ad audiendas Confeſſiones Monialium: & talis eſt praxis, quæ deducitur ex Conſtitut. Gregor. XV. incipiente: *Inſcrutabili*, & Conſtitut. Clement. X. quæ incipit: *Superna*, ubi declaratur, Confeſſarios generaliter approbatos ad audiendas Confeſſiones Sæcularium non poſſe audire Confeſſiones Monialium ſine ſpeciali approbatione pro ipſis. Et hoc clare habetur etiam ex declaratione S. Congregat. miſſa ad Epiſcopum Abulenſem anno 1593. relata a Caietano de Alexan-

xan-

Digitized by Google

xandri in *Confeſſario Monialium* cap. 6. §. 13. q. 6. ubi habetur, quod Confeſſarius approbatus ad audiendas Confeſſiones certi generis perſonarum, puta virorum, vel in certa Eccleſia, non cenſetur approbatus ſimpliciter, ac proinde non poteſt virtute Iubilei eligi ad audiendas Confeſſiones aliarum perſonarum, puta mulierum, aut extra Eccleſias ſibi deſignatas, & ſic tanto minus ad audiendas Confeſſiones Monialium ſine ſpecifica pro ipſis approbatione; & ſic tenent etiam Pellizarius cum pluribus aliis. Immo neque Confeſſarius approbatus pro uno Monaſterio eligi poteſt a Monialibus alterius Monaſterii, ut colligitur ex cit. Conſtitutionibus Clementis X., Gregor. XV., ut in huius Conſtitut. declaravit S. Congregat. Concilii. Debent tamen Ordinarii tempore Iubilei approbare plures Confeſſarios, ſive Sæculares, ſive Regulares, quos Moniales ipſæ exoptaverint, ut eos poſſint Moniales maiori ſuo ſolamine eligere pro Iubileo lucrando iuxta intentum Summi Pontificis, ut declaravit S. Congregat. Epiſcop., & Regular. 24. Martii 1634.

## §. XXII.

### *De facultatibus, quæ conceduntur Confeſſariis tempore Iubilei.*

Quadruplex facultas concedi ſolet Confeſſariis electis vi Iubilei. 1. Abſolvendi a quibuſcumque Cenſuris: 2. abſolvendi a quibuſcumque peccatis: 3. commutandi vota: 4. commutandi opera præſcripta, ut patet expreſſe ex verbis Bullæ, quæ edi ſolet pro Iubileo. Confeſſarius igitur Iubilei ratione facultatis ſibi conceſſæ abſolvendi a quibuſcumque Cenſuris, poteſt abſolvere ab omnibus Cenſuris cive a iure, ſive ab homine, quovis modo, & cauſſa latis, etiam locorum Ordinariis, ſeu Papæ, & Sedi Apoſtolicæ, etiam in Bulla Cœnæ contentis, & alias quomodocumque reſervatis, ut habetur expreſſe ex verbis Bullæ. Ratione tam amplæ facultatis abſolvendi ab omnibus cenſuris etiam in Bulla Cœnæ, & quomodocumque reſervatis, poteſt probabilius Confeſſarius Iubilei abſolvere etiam a cenſuris hæreſis, niſi hæc expreſſe excipiantur. Sic reſponſum fuiſſe refert Filiuccius in S. Pœnitentiaria anno 1617. occaſione Iubilei a Paulo V. conceſſi; & ſervari in praxi ſic tenent etiam Corduba Lugo, Gobat, Azorius, Reiffenſtuel. Theol. mor. tract. 12. diſp. 3. q. 9. n. 129. & ſeq. Sotus, Reginaldus, & alii quamplurimi. Et ratio eſt; quia compertum eſt, plurimos graves DD. ſuſtinere hanc ſententiam, & in praxi a plurimis Confeſſariis, hanc opinionem ſequentibus, conferri tempore Iubilei abſolutionem ab hæreſi. Si Pontifex vellet illam excipere, expreſſe exciperet Cap. *Inter corporalia* 2. *de transl. Epiſcop.* §. *Sed neque iſtud*, ſicuti de facto fecerunt alii Pontifices, quando voluerunt crimen hæreſis eſſe exceptum.

Plurimi tamen alii cum Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi* p. 2. alleg. 40. n. 32 contrarium ſentiunt, qui refert ex aliis, ſic fuiſſe declaratum per aliquos Romanos Pontifices. Verum ſi revera tales declarationes emanaſſent, & pro omnibus locis, non potuiſſet S. Pœnitentiaria ſic reſpondere, ut reipſa, teſte Filiuccio, ut ſupra cum eo notavimus, reſpondit. Unde reſponderi poteſt, quod declarationes, quas hi afferunt, ſint particulares aliquorum locorum, ubi viget officium S. Inquiſitionis, ut in Hiſpania, ad cuius inſtantiam emanaverint, ita ut ad limites talium locorum reſtrictæ ſint dictæ declarationes.

Confeſſarius Iubilei ratione facultatis ſibi conceſſæ abſolvendi a quibuſcumque peccatis, poteſt abſolvere, ut diximus ſupra, a peccatis omnibus Sedi Apoſtolicæ etiam in Bulla Cœnæ alias quomodocumque reſervatis, & etiam a reſervatis Epiſcopo, ut conſtat ex verbis ipſis Bullarum Iubilei. Abſolvere poteſt a reſervatis Epiſcopo, etiamſi hoc in Bulla non exprimatur; cum facultas abſolvendi a reſervatis Papæ ferat facultatem abſolvendi a reſervatis Epiſcopo, ut communiter tradunt DD. A tali Confeſſario abſolvi poteſt ille quoque, qui ſpe Iubilei reſervatum commiſit, ſi vere doleat, pœniteatque, & tale peccatum non excipiatur a Bulla; quia hoc peccatum ſpecialiter non reſervatur. Sic Navarr. Bonac. Filiuccius, Suarez cum aliis communiſſime. Quilibet vi Iubilei abſolvi poteſt non ſolum a commiſſis ante, ſed etiam poſt publicationem Iubilei; quia in Bulla datur ampliſſima facultas abſolvendi a reſervatis, nec limitatur ad commiſſa hoc, vel illo tempore. Sic communiter; unde dicunt DD. quemlibet, durante Iubileo, abſolvi poſſe, quoties in reſervata tum peccata, tum cenſuras relabatur. Immo etiamſi ante, puta in Iubileis duarum hebdomadarum, (tempus quod ſolet aſſignari in Iubileis extraordinariis.) prima hebdomada Iubileum recepiſſet; ſaltem ſi præſcripta opera repetat. Sic Diana, Navar. Henriquez, Reginald. Gobat, & alii, quamvis aliqui ex his dicant, non poſſe bis lu-

lucrari Iubileum; quia abſolutio non pender ab Indulgentia. Inſuper docent poſſe abſolvi, etiamſi non repetat opera præſcripta, ut Rodriguez, Lhoner, & alii, nam verba *pro hac vice tantum*, quæ apponi ſolent in Bulla Iubilei, non referuntur ad actus abſolvendi, ſed ad tempus Iubilei, ideſt pro tempore huius Iubilei tantum, ut notat Boſſius cum aliis.

Num vero quis Iubileum bis lucrari poſſit non conveniunt Theologi, ſed negativa ſententia videtur probabilior, utpote quæ magis eſt conſona verbis Bullæ, quæ uti ſolet clauſula diſiunctiva; *Qui prima, vel ſecunda hebdomada* &c. & infra; *Alterius ex duabus hebdomadibus*. Et Filiuccius tom. 1. trac. 8. cap. 10. n. 261. & 278. refert ita declaraſſe Sac. Congregat. Concilii, & Clement. VIII.; ſemel tantum ſumi poſſe Iubileum tam in anno Sancto, quam in aliis. Verum notant Diana, Gobat, & alii non conſtare authentice de hoc declaratione. Immo de Iubileo anni Sancti habetur declaratum oppoſitum ab Urbano VIII. poſteriore Clement. VIII. quod nempe toties poſſit obtineri, quoties repetantur opera iniuncta.

Abſolutus vi Iubilei a peccatis, quorum meminit, ſi ex oblivione, & inculpabiliter omiſit confiteri peccatum reſervatum, vel cenſuratum, poteſt tranſacto Iubileo eius abſolutionem obtinere a quolibet ſimplici Confeſſario. Sic Filiuccius, Pelizarius, Sanchez, Navarrus, Reginaldus, Lugo cum aliis: Quia Confeſſarius cenſetur conferre abſolutionem quoad totam extenſionem, quæ fieri poteſt. Quocirca cum tempore Iubilei poſſit Confeſſarius electus tollere omnem reſervationem, de facto & abſolute illam tollit, & conſequenter tranſacto Iubileo ab iſtis quilibet ſimplex Confeſſarius abſolvere poteſt. Sic bona fide confeſſus tempore Iubilei, & ex invincibili defectu doloris, vel propoſiti invalide abſolutus, ſi cætera præſcripta impleverit, probabiliter immunis, ſeu liber remanet a reſervatione peccatorum, & cenſurarum; ita ut poſt tranſactum Iubileum a quocumque ſimplici Confeſſario abſolvi poſſit. Ita Lugo, Henriq., & alii. Et ratio eſt; quia Confeſſarius abſolvendo facere voluit quantum potuit, reſervatio autem tolli poteſt ſine abſolutione a peccatis.

Num vero tollatur reſervatio per Confeſſionem malitioſam, & ſacrilegam, probabiliter affirmant Bonacina, & Diana, ſed probabilior eſt ſententia negativa; non enim tolli poteſt reſervatio per confeſſionem malitioſe nullam; quia iuxta regulam Iuris; *Fraus non debet alicui patrocinari cap. Sedes 15. & cap. ex tenore 16. de reſcriptis, & cap. ex Litteris de Dolo, & contumacia*, ubi expreſſe dicitur: *Nos attendentes, malitiam & dolum nulli patrocinari debere*; tum quia generaliter concedens, non cenſetur concedere id quod negaret, ſi ſpecialiter rogaretur. Negaret vero Papa tali ſacrilego ſi rogaretur, ſicuti negat poteſtatem implendi præceptum de annuali Confeſſione, & Communione, per Confeſſionem voluntarie nullam & Communionem ſacrilegam, ut de prima patet ex propoſitione 14. damnata ab Alexandro VII. 24. ſeptembris 1665. alias relata, & de ſecunda ex propoſitione 55. inter damnatas ab Innocentio XI. 2. Martii 1679. pariter iam alias relata.

Qui vero animo adimplendi omnia pro Iubileo fuit abſolutus a reſervatis, valide remanet abſolutus, nec reincidit in reſervationem, vel cenſuram, quamvis poſtea, etiam ex negligentia, ſeu pigritia opera præſcripta non impleat, ac ideo Iubileum non lucretur. Eſt communiſſima apud DD. & ratio eſt, quia huiuſmodi abſolutio data fuit abſolute, non autem ſub conditione de futuro, adeoque ſemel habita ſimpliciter ſemper tenet. An autem hic peccet, & qualiter, nempe an lethaliter, vel venialiter, quamvis omnes conveniant peccare, diſcrepant tamen in qualitate culpæ. Contendunt enim aliqui mortaliter peccare, ut Suarez cum Vaſquez, Filiuccio; quia in re gravi non ſatisfacit tacitæ promiſſioni, ſeu tacito pacto, quod in tali caſu videtur intervenire pœnitentem inter, & Pontificem, ita ſcilicet, ut Pontifex concedat huiuſmodi media, & pœnitens ea acceptet obligando ſe ad ponendum finem. Alii e contra, ut Henriquez, Sanchez, Bonacina, Lugo, cenſent, & probabilius non peccare mortaliter; quia cum ipſe bona fide petierit, & obtinuerit abſolutionem a reſervatis, non apparet ſufficiens fundamentum inducendi obligationem ſub mortali ad implenda cætera opera, cum nulli gravem iniuriam inferat, & ſibi ſolummodo noceat non lucrando Iubileum, ad quod lege nulla adſtringitur.

Confeſſarius iuſta de cauſſa differens abſolutionem pœnitenti, poteſt tranſacto Iubileo ipſum abſolvere ab omnibus peccatis commiſſis ante tranſactum Iubileum. Sic Lugo, Sanchez & alii paſſim.

§. XXIII.

## §. XXIII.

### *De facultate commutandi vota facta, Confeſſariis Iubilei.*

Confeſſarii Iubilei, ratione facultatis ſibi conceſſæ commutandi vota, ordinarie commutare poſſunt vota omnia, exceptis votis Religionis, & Caſtitatis: communis eſt, & clare patet ex verbis Bullæ, quæ edi ſolet pro Iubileo. Talis facultas ſe extendit etiam ad vota iurata, ſeu iuramenta; quia quantum ad hoc eadem ratio eſt de voto, & iuramento, cum eadem ſit obligatio paſſiva voti, & iuramenti. Item ſe extendit ad vota facta in favorem tertii, & nondum acceptata; ut ſi quis voverit Calicem alicui Eccleſiæ, alicui pauperi eleemoſynam, & huiuſmodi; tunc enim tale votum commutari poteſt; quia adhuc ius nullum eſt acquiſitum Eccleſiæ, Pauperi &c. Secus vero ſi talia vota in favorem tertii ſint acceptata, ut ſi tertius promiſſionem in voto incluſam, & non iniuſte extortam, acceptaſſet; quia tunc illi tertio ius eſſet acquiſitum ad rem in voto promiſſam: eſt communis. Item commutare poteſt talis Confeſſarius promiſſiones factas Sanctis, quæ veniunt nomine voti, licet re ipſa vota non ſint. Sic Gobat l. 3. p. 1. n. 14. & alii. Item commutare poteſt vota de non petenda commutatione, aut diſpenſatione votorum: Ita Suarez Sanch., Pelizarius, & alii communiter.

Confeſſarius Iubilei commutare poteſt etiam vota Caſtitatis, & Religionis, quando ſunt generalia; ut ſi quis voveat ſe Religionem ingreſſurum ſi adhuc blaſphemaverit, ſe inebriaverit, & huiuſmodi; diſpenſari poteſt hoc votum a Confeſſario Iubilei non ſolum ante blaſphemationem, inebriationem &c. ſed etiam poſt, & ſic ſentiunt communiter DD. quia huiuſmodi votum procedit, non ex affectu Religionis, aut Caſtitatis, ſed in frenum, & tamquam medium ad finem intentum. Quocirca tale votum, non eſt proprie votum Religionis, ſed punitionis; directe enim potius vovet, non blaſphemare, ſe non inebriare &c. & Religionem eligit potius, ut pœnam, & non tamquam materiam, quæ promittatur Deo abſolute, & ex affectu erga illam, quod proprie ſpectat ad votum. Sic Gobat, Suarz., Sanch. & alii plures contra Leſſium, & Azorium, alioſve. Similiter commutare poteſt eadem vota quando ſunt conditionata, ut ſi quis voveat Religionem ſi convaluerit, ſi aliquod periculum evaſerit, &c. Nec ſolum commutare poteſt tale votum antequam conditio impleatur, ſed etiam poſt impletam conditionem. Sic Sanch., Suarez, Filiuccius & alii communiter contra Cordubam, Navarrum, & Azorium, qui dicunt poſt impletam conditionem tranſire in abſolutum; quia tale votum ab initio non fuit reſervatum, cum promiſſa non fuerit Religio ex affectu erga ipſam, ſed ex affectu ſalutem recuperandi &c. quod rigoroſe non eſt votum Religionis, quod ſolum reſervatum eſt. Licet enim vota conditionata, impleta conditione tranſeant quodammodo in abſoluta, nihilominus de ſe ſunt imperfecta; quia imperfectum eſt eorum principium, quod ſolum ſpectandum eſt ex L. *Nam Origo* §. *Quod vi, aut clam.*

Item commutare poteſt votum alternativum, ſeu diſiunctivum, cuius altera pars eſt commutabilis, ut ſi quis voveret vel Caſtitatem, vel Peregrinationem, cum poſſit eligere Peregrinationem, quæ eſt commutabilis, poterit tale votum abſolute commutari. Sic Suarz., Sanch., Azorius, iuxta cap. *in alternativis* 70. *de Regul. iuris* in 6. *In alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimplere.*

Confeſſarius in Iubileo commutare poteſt eadem vota Caſtitatis, & Religionis ſi elicita ſint ex metu etiam levi tantum ad ea extorquenda iniuſte incuſſo; quia talia vota non ſunt perfecte libera, & deliberata. Ita Sanchez; Henriquez, Navarrus cum aliis. Necnon commutare poteſt votum ſumendi Sacros Ordines; quia tale votum non eſt reſervatum, cum ſit tantum votum vovendi caſtitatem, immo necdum caſtitatis; Sacris enim ordinibus annexa non eſt Caſtitas ex natura rei: Sanchez, Leſſius, Gobat. Item commutare poteſt vota Religionis, & Caſtitatis emiſſa a puberibus; quia ante pubertatem imperfecta eſt deliberatio, & promiſſio; hinc eſt quod impuberes nequeunt ante pubertatem eligere ſtatum natura ſua perfectum, qualis eſt Religio, vel Matrimonium cap. *Atteſtationes* 10. *de diſpenſatione impuberum*, & ſic ſentiunt communiter DD. Commutare pariter poteſt votum non nubendi, non petendi, nec reddendi debitum; quia nec ipſum eſt votum omnimodæ caſtitatis, ſicuti requiritur ad reſervationem, etiamſi, addit quidam Theologus, votum factum eſſet de mutuo conſenſu: S.Antoninus, Henriquez, Leſſ. Commutare tandem poteſt votum caſtitatis emiſſum ad certum tempus; cum

ad hoc, ut ſit reſervatum, debeat eſſe perpetuum. Ita Navarrus, Sotus, Sanchez.

Vota commutata a Confeſſario tempore Iubilei non amplius reviviſcunt; tametſi poſtea non ponantur opera ad lucrandum Iubileum iniuncta, ſic paſſim DD. quia commutatio eſt abſoluta. Commutatio votorum obtineri poteſt etiam poſt tempus Iubilei, ſi pœnitens oblitus ſit petere voti commutationem, opera tamen omnia præſcripta impleverit; & hanc exigere poteſt, & obtinere a quocumque Confeſſario a loci Ordinario approbato etiam poſt Iubileum, & poſt longum tempus, puta anni, & ulterius ex quo fuit Iubileum; quia Iubileum ſemel obtentum dat ius omni tempore etiam eligendi Confeſſarium pro iis gratiis obtinendis, quæ tempore Iubilei fuerunt conceſſæ. Contrarium tamen ſentiunt, nec improbabiliter, Suarez, Bonacina, Filiuccius.

## §. XXIV.

### *De facultate Confeſſarii commutandi opera præſcripta tempore Iubilei.*

Confeſſarii, vi facultatis ſibi conceſſæ commutandi opera in Bulla Iubilei præſcripta, poſſunt ea in alia commutare, etiam aliunde debita v. g. ex voto, pœnitentia, præcepto; Gobat, Lugo aliive paſſim contra Armillam, Tabienam, Bonacinam, & alios. Et ratio eſt, quia ſicuti moraliter certum eſſe debet, per illa eadem opera, quæ præſcribit Pontifex, obtineri poſſe Iubileum, etiamſi aliunde debita ſint, ut obſervat Laymanus; ita Confeſſarius opera a Pontifice præſcripta commutare poteſt ex rationabili cauſſa, in opera quæ pœnitens iam ex præcepto, voto, aut pœnitentia facere tenetur; *quia ſubrogatum naturam ſequitur, & conditiones illius pro quo ſubrogatur*, ut tenent communiter DD. teſte Gobat per textum in cap. *Eccleſia* 3. *ut Lite pendente*. Commutatio operum facienda eſt in opera moraliter æqualia, aliter non eſſet commutatio, ſed diſpenſatio; & talis æqualitas ſpectanda eſt non tam in ordine ad præſtantiam, aut pœnalitatem operis, quam in ordine ad mentem & finem Papæ Iubileum concedentis. Ita Gobat, Rodriquez, Navarrus, Lugo, aliive paſſim.

Olim Confeſſarii commutare poterant omnia opera, quia ſic ipſis in Bullis concedebatur; nunc autem, ut notant Lugo, & alii, Bullæ ſolent exprimere ſolummodo aliquam commutationem. Unde diligenter attendendæ ſunt Bullæ, quia hæ tantum valent, quantum ſonant, & ordinarie non datur facultas commutandi Confeſſionem, vel Communionem. Dato tamen caſu, quod aliquis ante poſtremam Dominicam alia omnia impleſſet opera præter Communionem, poſſet Confeſſarius in tali caſu commutare Communionem in aliud pium opus cum adeſſet moralis impoſſibilitas communicandi, quia impoſſibilium nulla eſt ratio, L. *impoſſibil. ff. de regul. iur.* in 6. ubi ſic. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari*: Et quod non eſt licitum in lege, neceſſitas licitum facit cap. *Quod non eſt de Regul. Iur.* & alibi in Iure Canonico. In pueris autem non eſt opus commutatione Communionis; quia cum a iure, ſeu a conſuetudine prohibeantur pueri Communionem ſumere, & hoc non ignoret Pontifex, videtur non exigi ab his ſacra Communio: cap. *Tua de Teſtimoniis*, ubi conditio de iure impoſſibili, tametſi apponatur, habetur pro non appoſita.

Ad legitimam operum commutationem non ſatis eſt quodcumque impedimentum, ſed requiritur impedimentum cum impotentia ſaltem morali, proveniente ex notabili, gravique difficultate, ut colligitur ex tenore Bullæ Iubilei, quæ ſolet apponere clauſulam, *Qui nequeunt*, quod ſignificat impotentiam ſaltem moralem ante expreſſam. Sic habet praxis, & communiter DD. Si cauſſa vero commutandi fuerit inſufficiens, ſed bona fide iudicata ſit a Confeſſario ſufficiens, adhuc valet talis commutatio pro Iubileo lucrando; quia commutatio remittitur iudicio Confeſſarii, & ex cap. *Cognoſcent.* 2. *de Conſtitutionibus* habetur: *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit.*

Facultas conceſſa Confeſſariis commutandi tempore Iubilei opera præſcripta, & quælibet alia ex ſupra notatis, probabilius nequit exerceri extra Sacramentum Confeſſionis, maxime quando dicitur in Bulla, quod abſolutio conferatur *auditis Confeſſionibus*; quia quando in Bulla ita exprimatur, clare denotatur, quod abſolutio a cenſuris conferenda ſit eodem tempore, quo confertur abſolutio a peccatis. Ita Suarez, Vaſquez, Navarr. Filiuccius. Quod dicitur de abſolutione a cenſuris, idem intellige de tollenda reſervatione peccatis, quod nempe talis quoque facultas collata Confeſſariis tempore Iubilei, licet tolli poſſit reſervatio etiam extra Confeſſionem ab iis, qui talem habent poteſtatem ordinariam, tamen fieri debet in Confeſſione ab illis, qui ha-

bent

bent delegatam poteſtatem, ut ſunt Confeſſarii electi vi Iubilei: Nam iis delegatur, ut auditis Confeſſionibus abſolvant a reſervatis. Sic Suarez, Lugo, & alii. Commutatio vero votorum, & operum præſcriptorum probabiliter fieri poteſt etiam extra Confeſſionem, ut ſuſtinent Suarez, Sanchez, Henriquez, Bonacina, & alii; quia nullibi præſcribitur, quod commutatio votorum, & operum fiat in Sacramentali Confeſſione, tametſi in Bulla ſoleat dici, *Confeſſionibus auditis valeat abſolvere a peccatis, & commutare vota*: licet enim hoc ſpectet ad forum conſcientiæ, non ſpectat tamen ad forum pœnitentiæ, & quoad commutationem operum extra Sacramentum Confeſſionis: ſic declaratum fuit a Gregor XIII., quæ tamen operum commutatio facienda eſt intra tempus Iubilei, & a Confeſſario, cui homo confiteri poſſit peccata, licet ei confiteri non cogitet. Non deſunt tamen, qui circa hoc dubitent; quia per Confeſſarium, intelligendus eſt Confeſſarius pœnitentis lucraturi Iubileum; Confeſſarius autem, cui non cogitat confiteri, dici nequit Confeſſarius pœnitentis.

## §. XXV.

### *De Operibus, quæ deſignari ſolent in Iubileo; de loco, & tempore pro ipſo lucrando.*

Septem opera deſignari ſolent, ac exquiri pro Iubileo lucrando, videlicet Proceſſio, Viſitatio Eccleſiarum, Oratio in illis, Confeſſio, Communio, Ieiunium, & Eleemoſyna, ut colligitur ex Bullis, quæ edi ſolent pro Iubileis. Ordinarii nec poſſunt, nec debent plura requirere, quam hæc ſeptem, quæ requirit Papa. Sic paſſim & communiter DD.

Ad obtinendum Iubileum requiritur ex parte lucrantis eorumdem ſeptem operum præſcriptorum executio, & licet optandum ſit, pieque ſtudendum, ut lucraturus Iubileum ſaltem præmiſſa vera contritione ſit in ſtatu gratiæ toto illo tempore, quo opera ſingula peragit; probabilius tamen eſt ſufficere ad huiuſmodi Indulgentiam conſequendam, quod ultimum opus perficiatur in ſtatu gratiæ.

Opera autem illa præſcripta ſic perfecte implenda ſunt, ut ſi aliquod ipſorum, vel penitus, vel ſaltem quoad notabilem partem omittatur, ſi id fiat ex ignorantia, ſeu oblivione, ſive etiam ex impotentia (ſecluſa commutatione in aliud pium opus facta a Confeſſario) non obtinetur quidquam de Iubilei Indulgentia. Sic S. Thomas in 4. diſt. 20. q. 3. Gobat, aliive communiter. Siquidem Papa hanc concedit Indulgentiam ſub hac conditione, nempe executionis operum præſcriptorum, ut eadem in caſu iuſti impedimenti, in alia pia opera commutari valeant. Additur notanter, *vel ſaltem quoad notabilem partem*: Quia quamvis res dubia ſit, utrum prætermittens levem partem operis iniuncti, Indulgentiæ fructum obtineat, puta ſi quis de præſcripti ieiunii modicum aliquid deguſtet, quod tamen ſufficiat ad fractionem talis ieiunii; vel ſi quis ex iniuncto Roſario omittat ſemel vel bis *Ave Maria*: Licet, dixi, res ſit aliquantulum dubia, probabilius tamen eſt, quod etiam hoc parvulum pro nihilo reputetur, ac proinde omittens hanc minimam partem non careat fructu Iubilei, cum adhuc opus iniunctum ſimpliciter impleatur, v. g. ſervetur Ieiunium quoad ſubſtantiam, Roſarium recitatur. Ita Suarez, Bonacina citati hic a Reiffenſtuel.

Quantum ad Proceſſionem vero, quamvis ſit gravis obligatio eam indicendi,& inſtituendi, ex quo Bullæ publicari ſolitæ pro Iubileis diſtricte, & in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipiant, ac mandent Ordinariis locorum, & curam animarum exercentibus, ut Clero, ac populis ſubiectis, ſolemnes proceſſiones indicant, ac celebrent: Nemo tamen tenetur abſolute intereſſe Proceſſioni, dum Bullæ diſtinctive, & alternative loquuntur; *Qui proceſſioni interfuerit*; *aut Eccleſiam, ſeu Eccleſias viſitaverit*; idcirco ſufficit alterutrum præſtare. Nam Cap. *In alternativis de Regulis iuris* in 6. dicitur expreſſe *in alternativis* (ideſt ſub diſiunctione propoſitis) *debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimplere*. Unde qui nequeunt, vel nolunt proceſſioni intereſſe, non indigent, ut ſibi fiat proceſſionis commutatio in aliud, ſed vel proceſſioni debent intereſſe vel Eccleſiæ, ſeu Eccleſiarum viſitationem inſtituere.

Lucraturus Iubileum certe eadem præſcripta opera per ſemetipſum implere debet, ut puta ieiunando, (licet nondum vigeſimum ſecundum ætatis annum attigerit) Eccleſias viſitando &c. Nec obſtat, quod quis per famulum ſuum poſſit dare eleemoſynam: Nam talis eo ipſo quod dat de propriis, adhuc cenſetur moraliter, & proprie dare eleemoſynam, licet interveniente miniſterio ſui famuli. Et nota, quod nihil præiudicet Domi-

mino, quod famulus ſit in peccato mortali quoad valorem Indulgentiæ; bene quidem ſi eleemoſynam ſibi appropiet, ut] eam non det pauperibus; quia tunc revera deficeret conditio datæ eleemoſynæ.

Viſitatio neceſſario facienda eſt illarum Eccleſiarum, quæ ab Ordinario, vel ab eo, qui curam habet animarum, fuerunt deſignatæ, ut clare habetur ex verbis Bullæ, & tenent communiter DD. Hinc Regulares quoque eaſdem viſitare tenentur, & ſi ſua propria Eccleſia foret deſignata pro viſitatione, ſatisfaciunt Regulares eam viſitando, dummodo tamen non fuerit ab Ordinario ea ſolummodo deſignata, quia tunc tenerentur viſitare alienam Eccleſiam deſignatam pro viris. Sic DD. Quando vero quis pro nimio hominum concurſu ingredi nequeat Eccleſiam viſitandam, ſatisfacit viſitando extra portam, ibique orando. Sic Suarez, Lugo, Gobat, & alii. Immo ſi ratione talis nimii concurſus nequidem portam Eccleſiæ poſſet pertingere, ſatis eſſet viſitare, & orare in Cœmeterio; quia & hoc modo dicitur moraliter viſitare Eccleſiam. Cœmeterium enim in favorabilibus venit nomine Eccleſiæ cap. *Odia* 15. de Regul. Iur. *Favores convenit ampliari*. Sic Suarez, Gobat, & alii. Quando præſcribitur orari in certa Capella, vel ad certum Altare Eccleſiæ, oportet ingredi Eccleſiam. Quando præſcribitur viſitatio plurium Altarium in eadem Eccleſia, non ſufficit eſſe in ipſa Eccleſia, & animo converti ad illa Altaria, ſed requiritur, ut aliquo ſigno ſenſibili, puta converſione capitis, aut corporis ſignificetur, ac demonſtretur converſio animi ad ſingula deſignata Altaria; quia exigitur viſitatio ſenſibilis, videlicet talis actio, quæ exterius indicet, orationem, aut alium actum religioſum fieri ad illa Altaria. Lugo, Gobat citati. Quod ſi in Eccleſia non eſſent tot Altaria, quot viſitari præſcribuntur, ſatisfaciet quis tot inclinationes, & orationes repetendo ad illa quæ ibi exiſtunt, quot Altaria viſitare debuiſſet. Diana, Eſcob., aliive.

Quando præſcribitur viſitatio plurium Eccleſiarum, non requiritur quod viſitentur omnes una die, ſed ſufficit quod viſitentur intra eamdem hebdomadam, qua quis Indulgentiam Iubilei lucrari ſtatuit, dummodo tamen in Bulla aliter non præſcriberetur; quia tunc ipſi ſtandum eſſet. Paſſim DD. Viſitatio Eccleſiarum fieri poteſt etiam curru, vel equo, aiunt Gobat, Benzonius cum aliis. Viſitatio tamen Eccleſiarum devote facienda eſt, ut notat Bulla: & devote adhuc intelligitur eum viſitare, qui conſtitutus eſt in mortali, item immodeſtus, & peccans per viam, quando modeſte ingrediatur Eccleſiam, & in ea devote oret, quia, ut diximus antea, non eſt neceſſe, ut opera omnia præſcripta fiant in gratia, ſed ſatis eſt, ut in ea impleatur ultimum opus. Sic Peyrinus, Navarr. & alii. Qui proximi ſunt Eccleſiæ deſignatæ, & in ea habitantes, tantam Indulgentiam conſequuntur ipſam viſitando, non ſecus ac illi, qui veniunt a longe; quia remiſſio proportionatur meritis, quæ diſpenſantur, non labori ſuſcipientium. S. Thom. diſt. 20. q. 1. art. 3. Gobat, Navarr., & alii paſſim.

Oratio requiſita pro Iubileo lucrando, niſi aliud conſtet ex Bulla, ſatis eſt etiam pure mentalis, quæ proprie eſt Oratio, & fuſio precum, & magis proprie quam vocalis, cum vocalis ſit Oratio in quantum conjuncta eſt cum mentali. Sic Navarr., Filiucc., Gobat, & alii. Lugo tamen dicit quod requiri ſoleat Oratio vocalis, addens, quod licet non ſit improbabilis opinio, ſufficere orationem mentalem, tutius tamen erit miſcere aliquid de oratione vocali; cui ſententiæ concordat etiam Gobat cum aliis. Quando Oratio eſt indeterminata, ſufficit etiam brevis, ut Suarez, Gobat, Buſſius, Filiucc., Lezana & alii. Quando vero præſcribitur orare per aliquod temporis ſpatium, ſufficit quina devota repetitio Orationis Dominicæ, & ſalutationis Angelicæ, Gobat loco cit.; alii vero explicantes *per al quod ſpatium* cenſent ſufficere etiamſi minus oretur, puta ſi ter recitetur oratio Dominicalis, & ſalutatio Angelica, vel Pſalmus *Laudate Dominum omnes gentes*. Oratio vero facienda eſt in loco, & tempore deſignatis ad mentem Summi Pontificis; & ſufficit ſi dicatur, intendo orare ad mentem Summi Pontificis deſcriptam in Bulla; Gobat cum aliis.

## §. XXVI.

### *De Confeſſione, & Communione pro lucrando Iubileo.*

Quando in Bulla concedente Iubileum requiritur Confeſſio, ut ſi dicatur, *præmiſſa, aut facta Confeſſione*, & lucraturus Iubileum, ſeu Indulgentiam habet lethale peccatum, neceſſaria eſt Confeſſio, nec ſufficit Contritio. Ita communior, & probabilior, & tutior Theologorum ſententia: Caiet., Cordub., Bellarmin., Reifenſtu. Theolog. moral tract. 12. diſt. 3. q. 5. n. 49. Et ratio eſt;

eſt; quia tunc confeſſio actualis cenſetur conditio neceſſario requiſita ad lucrandam Indulgentiam. Indulgentiæ enim tantum valens quantum ſonant, & explicandæ, ac acquirendæ ſunt ſicut in Bullis exprimitur. Et hoc verum eſt, tametſi dicatur in Bulla *contritis, & confeſſis*, ſeu *vere pœnitentibus, & confeſſis*; quia particula *&* non eſt disiunctiva, ſed copulativa: ſic DD. citati. Quando autem in conceſſione Iubilei expreſſe non exigitur confeſſio, ſufficit, ut lucraturus Iubileum, ſeu Indulgentiam, ſit in gratia ſanctificante per contritionem perfectam, vel quia poſt ultimam confeſſionem in gratia uſque ad diem, vel tempus lucrandi Iubilei perſeveraverit; quia tunc capax eſt Indulgentiæ, ſeu Iubilei ſine actnali confeſſione, quæ iam a Bulla ſupponitur non exigi. Sic Reginaldus, Bonacin., Suarez, & alii communiter.

Quando confeſſio quidem in Bulla Indulgentiæ præſcribitur, tamen Indulgentiam lucraturus nullum habet peccatum mortale, ſed ſola venialia, ut ſi dicat, *contritis, & confeſſis*, ſeu *vere pænitentibus, & confeſſis*, ait Reiffenſtuel in ſua Theol. morali loc. cit. n. 50. licet tutius, & conſultius ſit facere confeſſionem de ſolis venialibus, nihilominus ſatis probabile eſt, non requiri confeſſionem actualem, niſi in forma Indulgentiæ expreſſe requiratur confeſſio etiam de ſolis venialibus. Sic Suarez, Henr. & alii paſſim cit. hic a Reiſſenſtuel: : Et ratio eſt; quia etiamſi confeſſio requiratur, id intelligendum eſt quando pœnitens habeat conſcientiam peccati mortalis; nam confeſſio ſimpliciter prolata intelligitur in SS. Canonibus de confeſſione mortalium, pront in ſimili patet ex præcepto annuæ confeſſionis, ad quam nemo obligatur, niſi remordeat conſcientia de mortali. Accedit, quod confeſſio videatur rèquiri præſuppoſitive tantum, ſeu tamquam certius medium ad acquirendam gratiam iuſtificationis, vel tamquam neceſſaria ad communionem in his; qui conſcientiam habent peccati mortalis, quæ communio frequenter præſcribitur. Quando vero ex conceſſione Iubilei requiritur Confeſſio actualis, non ſufficit confeſſio ſacrilega, ſeu voluntarie nulla, ut patet ex propoſitione 14. damnata ab Alexandro VII. 24. Septemb. 1665. *Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.*

Communio actualis neceſſaria eſt, nec ſufficit præterita etiam proxime pro lucrando Iubileo, quando in conceſſione ipſa expreſſe requiritur, & conſtat a pari ex dictis de Confeſſione actuali. Quando vero in Bulia Iubilei conceditur Indulgentia *omnibus confeſſis, & communicatis* ſeu *ſacra Communione refectis*, ſufficit confeſſio; & communio ſacta duobus, ſeu tribus, ſeu etiam qnatuor diebus ante primam Dominicam in qua publicatur Iubileum. Sic Lugo, Gobat, Comitolus, Reiffenſt., Baſſeus, Eſcob. & alii plures. Ratio eſt, quia Confeſſio & Communio non videntur exigi directe tamquam opus iniunctum per modum oneris, ſed ſolum preſuppoſitive tamquam maior diſpoſitio ſubiecti ad lucrandam Indulgentiam. Non ſufficit tamen Communio ſacrilega ſive actualis, ſive præterita ad acquirendam Iubilei Indulgentiam, ut colligitur maniſeſte ex propoſit. 55. damnata ab Innocentio XI. 12. Martii 1679. ubi ſic: *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.* Pueris autem commutanda eſt Communio, utpote quæ a iure ipſis prohibeatur, ut antea iam diximus.

## §. XXVII.

### *De Ieiunio pro Iubileo.*

Ieiunium pro Iubileo lucrando præſcribi ſolet tribus diebus, ſcilicet Mercurii, Veneris, & Sabbati, ut conſtat ex Bullis, quæ edi ſolent in Iubileorum conceſſione. Extra dies præſcriptos obſervari nequit, nec dividi in duas hebdomadas. Communis contra Bonacinam, cuius ſententia falſa vocatur a Lugo. Poteſt quidem interveniente rationabili cauſſa homo petere commutationem ieiunandi in aliis diebus, eiuſdem tamen hebdomadæ. Henriquez, Filiucc. Gobat. Non obligati ad ieiunandum ex præcepto Eccleſiæ, ut ſenes, pueri, infirmi, itinerantes, laborantes; aut ieiunare debent, aut petere commutationem. Sic communiter DD. Ieiunium tale eſſe debet, quale requiritur ab Eccleſia extra tempus Iubilei; Sanchez cnm communi. Idemque dicito de diſpenſatis ad comedendas carnes in aliis ieiuniis, nempe vel debent ſe abſtinere a carnibus tribus illis diebus, vel petere commutationem in aliud pium opus a Confeſſario. Sic Azorius, Lugo, Gobat. Iubileum lucrari poteſt per ieiunia aliunde debita, v. g. ex præcepto, voto, & pœnitentia, ut conſtat ex praxi, quando Iubileum incidit, ſeu promulgatur in Quadrageſima: Lugo, qui teſtatnr ſic tenere communem DD. contra Sylveſtrum, Tabienam, Armill. & Bonacinam. Si quis inculpabiliter ieiunia omiſit, ultima die Iubilei poſſunt ei com-

mutari in alia pia opera eo die præſtanda. Communiter DD.

## §. XXVIII.

*De Eleemoſyna danda pro Iubileo.*

Elargiri Eleemoſynam pro lucrando Iubileo omnes tenentur, nequidem Religioſis exceptis, aliiſve pauperibus, qui ſi dare non valeant, petere debent commutationem in aliud pium opus; quia Bullæ Iubilei, non ſecus ac alia opera, eleemoſynæ largitionem exigunt, ſub dicta facultate commutandi ea, quæ præſtari nequeunt. Cum enim Iubileum detur ſub tali conditione etiam eleemoſynæ, hac non impleta, vel commutata a Confeſſario, conceſſio habetur pro non facta ex L. *Pecunia digeſt. Si certum petatur*; conditionale autem, non impleta conditione, nihil ponit in eſſe. Unde pro Communitatibus Religioſis iam praxis eſt, quod Superior ex bonis Monaſterii eam largiatur, de quo tamen præmonere debet Religioſos in publico Refectorio; quam monitionem, ut neceſſariam tenet Lugo cum aliis; quia cum eleemoſyna ſit actio moralis, debet procedere ex cognitione, & volitione. Circa quantitatem, Eleemoſynæ, attendenda eſt Bulla Iubilei, quæ ſi dicat, faciendam eſſe iuxta cuiuſcumque facultatem, dives debet largiri maiorem eleemoſynam, quam pauper. Si Bulla vero nihil determinet, tunc aiunt Lugo, Leo, Diana, ſufficere quamcumque eleemoſynam, etiam parvam. *Cap. in obſcuris* 30. *de Regul. iuris in* 6. ubi ſic; *In obſcuris minimum eſt ſequendum*. Quod ſi Bulla dicat (ut iam ſolent) *& eleemoſynas ad libitum, prout charitas, vel devotio ſingulis ſuggeſſerit, fecerint*, ait Lugo tunc curandum eſſe, ut ſit in quantitate proportionata ad finem implorandi divinam opem. Hæc vero, ut iam ante notavimus, dari poteſt per famulum; & eſt communis iuxta Regulam iuris in 6. *Qui per alium facit, eſt perinde ac ſi faciat per ſe ipſum*. Quod ſi famulus eam ſibi retineret, docent ut probabilius DD. quod Dominus, ſeu quis alius committens alteri largitionem eleemoſynæ non lucraretur Iubileum, quia in tali caſu non eſſet data eleemoſyna, cum non eſſet ſublevatus pauper, & non poſita ex hoc capite conditio requiſita pro lucrando Iubileo. Sic Gobat, Corduba, Bonacina, Lugo contra aliquos, qui contrarium ſuſtinent.

Nomine vero pauperum, quibus præbenda eſt eleemoſyna pro lucrando Iubileo, intelliguntur nedum vere pauperes, quibus ex debito naturali, vel voto, ſeu pœnitentia tenetur quis ſuccurrere, ſed ii etiam, qui ſecundum ſuum ſtatum, & conditionem non habent neceſſaria ad victum, & veſtitum, & illi inſuper, qui ſe fingunt pauperes, dummodo pro veris pauperibus habeantur. Item pia loca, Monaſteria nempe Religioſorum, Hoſpitalia, & Eccleſiæ, quæ indigent luminaribus, ornamentis, ædificiis, & huiuſmodi. Gobat, Sanchez, Lugo, Navarrus, ac alii paſſim.

## §. XXIX.

*De tempore, quo opera implenda ſunt ad lucrandum Iubileum.*

Inſuper ad conſecutionem Iubilei requiritur, quod opera præſcripta, tempore in Bulla præfixo, impleantur; quia, ut antea diximus de aliis requiſitis in Bulla, nemo lucrari poteſt Iubileum, niſi ſervatis conditionibus ſub quibus conceditur, inter quæ eſt pariter tempus ſtatutum ad opera præſcripta peragenda: quia igitur in Iubileis, quæ extraordinarie concedi ſolent, communiter inſerta habetur clauſula, quod opera præſcripta peragi debeant, prima vel ſecunda hebdomada ab Ordinariis locorum, vel ab eorum Vicariis &c. indicenda; item quod feria quarta, ſexta, & Sabbato alterius ex duabus hebdomadibus deputandis ieiunium ſervetur; hinc qui facere incipit opera præſcripta ante tempus duarum hebdomadarum, taliter ab Ordinario indictarum, non lucratur Iubileum; quia deficit conditio debiti temporis. In caſu tamen urgentis periculi (puta, ſi quis lethaliter decumbat) cenſet Filiuccius, accedente commutatione huius conditionis per Confeſſarium in aliud pium opus, Iubileum Romæ iam publicatum, alibi obtineri poſſe; quia in Bulla Iubileorum extraordinariorum expreſſe concedi ſolet, quod Confeſſarius ob legitimum impedimentum, ratione cuius pœnitens opera pro lucrando Iubileo præſcripta, vel eorum aliquid præſtare nequeat, in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus protrahere valeat, eaque iniungere, quæ ipſi pœnitentes efficere poſſunt, ut communiter loquuntur Bullæ Pontificiæ Iubilei extraordinarii; quod enim maius impedimentum, quam inſtans mortis articulus? Nec credibile eſt, Pontificem piiſſimum patrem, & paſtorem omnium Fidelium voluiſſe excludere agonizantes,



Digitized by Google

eo quod tempus Iubilei in propria Diœceſi deputatum nondum advenerit.

Num vero alia opera præſcripta ad lucrandum Iubileum, (ſicuti de Ieiunio iam diximus) in una eademque hebdomada integre impleri debeant, non vero in duabus hebdomadibus, non conveniunt DD. Affirmat Lugo, Henriquez, Sanctarellus, Reiffenſtuel, & alii, qui ex verbis Bullæ id demonſtrare conantur, quæ verba huiuſmodi eſſe ſolent; *Qui prima, vel ſecunda hebdomada Eccleſias viſitaverint, ac feria quarta, ſexta, & Sabbato ieiunaverint, pariterque confeſſi, & ſanctiſſima Communione refecti fuerint, & Eleemoſynas*, &c. Ex his verbis clarius certe colligitur, quod opera facienda ſint in una eademque hebdomada, & minime diviſim, partim in una, partim in altera, ac ideo hæc ſententia eſt probabilior, & tutior oppoſita.

Quoad locum vero implendi præſcripta opera, conveniunt DD. impleri poſſe in diverſis locis, partim nempe in uno loco, partim in alio, dummodo viſitatio Eccleſiarum fiat in loco publicati Iubilei. Sic Lugo, Gobat, Diana, Bonacina aliive paſſim; & ratio eſt, tum quia favor Iubilei non eſt localis, ſed perſonalis ex cap. *Autem Privilegium* 7. de Regul. iuris in 6 *Privilegium perſonale perſonam ſequitur, adeoque quocumque pergat, fert ſecum iſtum favorem, & ius utendi omnibus Iubilei facultatibus*; tum quia Bulla Iubilei non requirit ut opera omnia præſcripta impleantur in loco Iubilei, adeoque dicitur notanter; *Dummodo viſitatio Eccleſiarum fiat in loco publicati Iubilei*: quia cum viſitatio facienda ſit illarum ſolarum Eccleſiarum, quas Ordinarius deſignavit, non poteſt fieri in alio loco, ubi non eſt publicatum Iubileum, & conſequenter nondum deſignatæ ſunt Eccleſiæ viſitandæ.

Hinc qui tempore publicati Iubilei cœpit opera præſcripta perficere, puta iter facturus, ante ſuum diſceſſum viſitet deſignatas Eccleſias, poteſt in itinere reliqua opera peragere; non enim tenetur ratione Iubilei differre iter in aliud tempus, volens Iubileum lucrari. Nam Bulla ſine diſtinctione offert gratiam iter agentibus, & navigantibus. Unde qui a principio promulgati Iubilei in ſua Patria non erat præſens, ſed primum feria quinta advenerit, poterit is, ieiunio feriæ quartæ alibi peracto, vel hoc ex iuſta cauſſa in aliud pietatis opus per Confeſſarium commutato, reliqua opera in patria proſequi: immo ſi malit, poterit talis in itinere conſtitutus ſequenti hebdomada ieiunium præſcriptum cum cæteris operibus peragere, & ſic lucrari Iubileum, non obſtante quod tempus Iubilei in ſua Patria iam effluxerit, cum talis facultas, iuxta proxime dicta, univerſaliter concedatur a Bulla itinerantibus, & navigantibus, ut cum primum ad ſua domicilia ſe repererint, poſſint opera præſcripta peragere, ſicque Iubileum lucrari; & in hunc finem, ut omnia cum maiori quiete, & devotione perfici queant, conceditur iiſdem ſpatium duarum hebdomadarum æque ac aliis. Poteſt etiam iter faciens, ſi perveniat ad locum ubi pariter eſt Iubileum, ſive perveniat ante, ſive poſt promulgationem, ſi velit, poteſt ibi opera præſcripta peragere, & æque ac Incolæ ibidem Iubileum lucrari; quia per præſentiam in illo loco ſtatim acquirit locum, nec Bulla præcipit, ut percipiatur in propria Patria, ſed ubique concedit, ubi ſit promulgatum. Et ſi ibi pariter nequeat opera omnia implere, viſitatis ibi Eccleſiis deſignatis ſuum poteſt proſequi iter, & alibi reliqua præſtare opera, & Iubileum lucrari. Sic Lugo cum aliis; immo ſi poſtquam completum eſt Iubileum in ſua Patria, pergat ad locum alium, ubi celebratur Iubileum, probabilius replicando opera, poteſt denuo Iubileum percipere.

## §. XXX.

*De variis Indulgentiis conceſſis omnibus Fidelibus; & de Indulgentiis Baſilicarum, & Eccleſiarum Almæ Urbis.*

Variæ, & plurimæ ſunt Indulgentiæ, quæ in quibuſdam circumſtantiis conceſſæ fuere a Summis Pontificibus omnibus Chriſtifidelibus. Sic alios ſalutantes dicendo latino, vel vulgari ſuo ſermone; *Laudetur Ieſus Chriſtus*, & reſpondentes *in ſæcula*, vel *Amen*, vel *ſemper*, lucrantur centum dies Indulgentiæ, ex conceſſione Sixti V. in ſua Conſtitut. incipiente *Redditurí* edita 11. Iulii anno 1587. & invocantibus reverenter Nomen Sanctiſſimum Ieſus, aut Mariæ conceſſit dies vigintiquinque Indulgentiæ. Iis vero, qui præfata agere conſueverint, ſi in articulo mortis conſtituti, & ore, vel, ſi non potuerint, ſaltem corde Sanctiſſimum Nomen Ieſus, & Mariæ invocaverint, plenariam Indulgentiam adiecit.

Eaſdem Indulgentias adiecit Prædicatoribus, qui inter prædicandum auditores hortati fuerint, ut modo ſupra expoſito Sanctiſſimum Nomen Ieſus laudantes ſeſe invicem

tem ſalutent, & idem Nomen Ieſus, & Mariæ devote invocent, cæteriſque omnibus, qui hanc ſalutationis formam uſui eſſe curaverint. Recitantibus tandem Litanias B. V. Mariæ bis centum dies Indulgentiæ dedit.

Cum autem Sanctiſſimo D. N. Benedicto Papæ XIII. ſupplicatum fuerit, ut omnes & ſingulas Indulgentias ſupra memoratas confirmare dignaretur, Sanctitas ſua audito voto Sac. Congregat. Indulgentiis, ſacriſque Reliquiis præpoſitæ, huiuſmodi precibus benigne annuens, eaſdem Indulgentias Apoſtolica auctoritate confirmavit die 22. Ianuarii 1728.

Benedictus XIV 23. Decemb. 1740. ad Paſſionis, & agoniæ Redemptoris D. N. I. C. in fidelium animis devotionem excitandam & fovendam, conceſſit Indulgentiam centum dierum iis omnibus, qui ſingulis feriis ſextis totius anni, hora tertia poſt meridiem, ad ſonum Campanæ Eccleſiarum Metropolitarum, Cathedralium, & Parochialium, ( quarum Parochis, aliiſque Superioribus, ut campanam uniuſcuiuſque Eccleſiæ huiuſmodi pulſari faciant, in virtute Sanctæ Obedientiæ mandat ) flexis genibus quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam devote iuxta mentem ipſius Pontificis recitaverint.

Benedictus XIII. 14. Septembr. 1724. conceſſit omnibus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui mane, aut meridie, ſeu veſpere ad pulſum Campanæ recitaverint flexis genibus *Angelus Domini*, *Ecce Ancilla Domini*, *Verbum Caro*, cum tribus *Ave Maria*, & oraverint ad mentem Summi Pontificis, Indulgentiam plenariam in uno die cuiuslibet menſis per unumquemque fidelem ad ſui libitum eligendo. In reliquis vero anni diebus; quoties id egerint, Indulgentiam centum dierum, ut conſtat ex eius Brevi cuius initium: *Iniuncta Nobis* &c. dato die 5. Decembr. 1727. Exorto autem dubio, num tempore Paſchali has preces flexis genibus, vel ſtando dicendæ ſint, Benedictus XIV. confirmatis prædictis Benedicti XIII. Indulgentiis, præſcripto rubricarum inhærens, iuſſit, orationem illam a Veſperis cuiuslibet Sabbati uſque ad totam Dominicam ſequentem a ſtantibus recitari; ac inſuper durante tempore Paſchali, quod in Veſperis Dominicæ Sanctiſſimæ Trinitatis terminatur, loco ſupra memoratæ Orationis, Antiphonam *Regina Cæli* &c. cum verſiculo, & Oratione correſpondente *Deus, qui per reſurrectionem* &c. a ſtantibus dicendam ſubſtituit Indulgentiis conceſſis, ita tamen, ut ii qui eam Antiphonam memoriter neſciverint, eamdem acquirant Indulgentiam, ſupradictam orationem *Angelus Domini* &c. recitantes, ut ſupra, ut habetur ex Notificatione Cardinal. Guadagni Sanctiſſimi Domini N. Vicarii Generalis Romæ publicata 20. Aprilis 1742.

Clemens XII. 14 Auguſti 1736. ſuo Brevi incipiente *Cæleſtes Eccleſiæ &c.* ſuo horam noctis ad pulſum campanæ devote flexis genibus recitantibus Pſalmum *De profundis*, vel ſemel orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam cum verſiculo *Requiem æternam* &c. conceſſit quolibet die hoc egerint, de iniunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, Indulgentiam centum dierum. Inſuper iiſdem Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui per annum præmiſſa peregerint, ac ſecundum mentem Pontificis oraverint, Plenariam in uno die cuiuslibet anni, dumtaxat per unumquemque Chriſtifidelem ad ſui libitum eligendo, lucrifaciendam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino in perpetuum conceſſit, & largitus eſt, & iſtæ Indulgentiæ acquiruntur, ſive prædictæ orationes recitentur ante, ſive poſt horam noctis, iuxta cuiuſque loci conſuetudinem, ut declaravit idem Clemens XII. die 12. Decembris.

Indultum conceſſum a Benedicto XIII. ante allatum pro Regularibus, aliiſve in religioſis domibus commorantibus, quod ſcilicet poſſint ipſi ſupradictam recitationem Salutationis Angelicæ differre poſt completos actus Religioſæ Communitatis, ſi dum in ipſa reperiuntur contingat hora, & ſonitus campanæ pro tali recitatione, videtur aliquibus, benigna mentis Pontificis interpretatione, extendi poſſe, & applicari pro conſimili dilatione recitationis Pſalmi *De profundis*, ne videlicet interrumpantur, & perturbentur pii, ac devoti actus Religioſæ Communitatis. Nam ubi eadem eſt ratio, eadem etiam debet eſſe Legis, ſeu iuris diſpoſitio L. *Ideo* 27. digeſt. *de Legibus*, Lege *Illud* 32. digeſt. *ad Legem Aquiliam*, Cap. *Inter Corporalia de translat. Epiſcop.*

## §. XXXI.

*De Indulgentia in articulo mortis.*

Circa ſenſum in quo conceditur Indulgentia in articulo mortis, triplex eſt Theo-



Digitized by Google

ſogorum ſententia. Prima eſt, quam tenet Canus, Covarruvias, P. Theodorus, qui cenſent intelligi verum mortis articulum, ita ut talis Indulgentia numquam obtineatur, niſi ipſo momento mortis, quo anima ſolvitur in corpore. Fundamentum P. Theodori eſt, quia Pontifices Romani, puta Paulus III. 29. Novembr. 1539. Confraternitati Sanctiſſimi Sacramenti, Indulgentiam pro articulo mortis expreſſerunt ſub hac formula: *In mortis articulo, etiamſi tunc mors non ſequatur*. Deinde quia praxis impartiendi Indulgentiam in articulo mortis, erat, ut daretur a Sacerdote ſub hac forma; *Auctoritate mihi conceſſa* &c. *omnem Indulgentiam tibi concedo, ſi tamen hac vice moriaris; alias eam tibi reſervo pro vero mortis articulo*. Secunda ſententia eſt Navarri, quod talis Indulgentia tantum obtineatur in articulo mortis præſumpto, ideſt in proximo periculo mortis, in quo ſenſu dicit Rituale Romanum, ægrum, a quovis Sacerdote, *in articulo mortis* abſolvi poſſe. In hac ſententia, ſi æger in tali articulo mortis conſtitutus utatur Indulgentia, & præter opinionem convaleſcat, non poteſt amplius lucrari eamdem Indulgentiam in altero, aut etiam vero articulo mortis. Tertia ſententia eſt Cordubæ, qui docet, talem Indulgentiam obtineri in præſumpto, & in vero articulo mortis, ita ut ſi homo ſingulis annis conſtitueretur in articulo mortis præſumpto, toties obtineret Indulgentiam. Et hæc ſententia videtur cuidam recentiori aliis præferenda; Ita ut toties obtineat homo hanc Indulgentiam, quoties in mortis articulo, ideſt in probabili periculo mortis conſtituatur. Et ratio eſt, quia hæc Indulgentia eſt idipſum, quod erat antiquis *perfecta reconciliatio* pœnitentium in articulo mortis; illa autem habuit ſuum valorem, & effectum ſtatim ac ægro conferebatur. Item ſuſpendere effectum Indulgentiæ ad conditionem independentem ab homine, quantumvis iam poſuerit omnes conditiones pro parte ſua requiſitas ad lucrandam Indulgentiam, exorbitat a ſtylo Eccleſiæ, & a ſana ratione.

Si autem vera eſſet prima ſententia, falſificaretur forma Romæ præſcripta pro communicatione Indulgentiæ in articulo mortis, ubi ſemper ſignificatur effectus de præſenti in ſimilibus verbis, *Remiſſionem omnium peccatorum tuorum tibi concedo*. Forma iſta applicandi moribundis Indulgentiam, uti ſolent Regulares varii, præſertim erga Confratres ſuarum Confraternitatum, ut habetur in P. Theodoro. Rationes P. Theodori nihil probant contra tertiam ſententiam, immo potius huic favent. Praxis vero antiqua, quam affert, ſicuti inducta erat privata auctoritate, & erat per ſe abſurda; ita tacite revocata eſt per novam formam Romæ præſcriptam pro communicanda Indulgentia in articulo mortis. Nullum vero eſt diſcrimen inter morientem cum lucratione Indulgentiæ plenariæ, & morientem cum communicatione ſolemni Indulgentiæ plenariæ ex merito particulariter deprecantium nomine Eccleſiæ, aut alicuius Ordinis.

## §. XXXII.

*De Indulgentiis Nummiſmatum, Roſariorum, &c. benedictorum a Papa.*

Habentes Coronas, Roſaria, Cruces, Imagines, Nummiſmata ex auro, argento, aliove metallo confecta, vulgo *medalia* nuncupata, cum Indulgentiis ordinariis, quas poſtremi Pontifices Innocentius XI, Alexander VIII., Innocentius XII., Clemens XI., & Benedictus XIII. pro Canonizatione Sanctorum conceſſere, dummodo ſemel in hebdomada recitent coronam Chriſti Domini, aut B. Mariæ Virginis, aut tertiam Roſarii partem, aut Officium Divinum, aut parvum B. Virginis, vel Defunctorum, vel Pſalmos Pœnitentiales, vel Graduales, aut ſemel in hebdomada conſueverint rudimenta fidei tradere, aut detentos in carcere vel Domus Hoſpitalis ægrotos viſitare, aut Miſſam audire, aut ſi ſint Sacerdotes celebrare, Indulgentiam Plenariam, Defunctis applicabilem conſequenter quoties confeſſi communicant in primariis anni feſtis, videlicet Nativitatis D. N. I. C., Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, SS. Trinitatis, Corporis Chriſti, & die Purificationis, Annuntiationis, Aſſumptionis, & Nativitatis S. Ioannis Baptiſtæ, in feſtis SS. Petri, & Pauli, & reliquorum undecim Apoſtolorum, S. Ioſeph Sponſi Mariæ Virginis, in feſto omnium Sanctorum, ac in articulo mortis. Ad has tamen Indulgentias lucrandas requiritur in primis, ut eiuſmodi Coronas, & Nummiſmata ſecum habeant. Hæ ſunt conditiones lucrandi Indulgentiam primariam. Secundo, ne huiuſmodi Coronæ, Cruces, Roſaria, Nummiſmata, & ſacræ Imagines tranſeant perſonam illorum, quibus a S. Sanctitate conceſſæ ſunt, aut ab his, quibus primaria vice diſtribuuntur; neque commodari, aut precario dari poſſunt; & ali-

Digitized by Google

aliqua re ex prediċtis deperdita, pro ea ſubrogari altera nullo modo poteſt: prohibet Sanctitas ſua hanc Indulgentiarum formulam imprimi extra Urbem. Raphael Comus de Hieronymis Secretarius.

Adduntur ad varia bona opera Indulgentiæ partiales annorum, vel dierum, ut ſequitur.

Primo, quicumque vere pœnitens peccata commiſſa firmiter emendare propoſuerit, & eadem die viſitaverit ſeptem Eccleſias quaslibet, & ubi tot non reperiuntur, & una ſit Eccleſia, omnia ipſius Altaria, & pie oraverit iuxta mentem Summi Pontificis, ſemel in anno fruatur Indulgentiis conceſſis viſitantibus ſeptem Baſilicas Romæ.

Secundo, quiſquis devote cogitaverit de aliquo Sanctiſſimæ Paſſionis D. N. I. C. myſterio, & in eiuſdem Paſſionis honorem ſepties terram humiliter deoſculatus fuerit, eo die lucretur Indulgentias conceſſas aſcendentibus Romæ per Scalam Sanctam; has tamen ſemel tantum in anno.

Indulgentia centum dierum conceſſa fuit illi, qui aliquid pauperibus tribuat, vel eoſdem inſtruat, aut per alios inſtrui curet, in his, quæ pertinent ad fidem, bonoſque mores. Item iis, qui ſe exercuerint in devotione erga Sanctiſſimum Sacramentum Altaris, & B. Mariam Virginem; meditando illud myſterium, & beneficia nobis inde provenientia, aut compatiendo doloribus, quos Beatiſſima Virgo propter Filii ſui paſſionem, & mortem tulit, aut Sanctiſſimum Altaris Sacramentum alio modo venerando, & pro Eccleſiæ neceſſitatibus Deum precando, qualibet vice conceſſa eſt Indulgentia centum dierum. Omnes ſupradictæ Indulgentiæ exprimuntur in notificationibus editis Romæ ſub Pontificatu Benedicti XIII. Clementis XII., & Benedicti XIV. prout teſtatur P. Theodorus.

Nota, quod omnes ſupradictæ Indulgentiæ applicari poſſunt Defunctis Fidelibus per modum ſuffragii.

Circa Cruces vero & Coronas terræ Sanctæ quoad Indulgentias, ipſis quoque plenaria conceſſa eſt, ſicuti Crucibus, Coronis, aliiſve rebus huiuſmodi, quæ a Pontifice benedictæ ſunt, prout habetur in Bulla Innocentii XI. data 28. Ianuarii 1688., & hæ ſubiacent iiſdem conditionibus, ac aliæ benedictæ a Papa, & Cruces Caravacenſes, videlicet, quod non tranſeant perſonam illorum, quibus a Pontifice conceſſæ ſunt, alias carent Indulgentia, & multo magis ſi vendantur, ut declaravit Sac. Congregat. Indulgentiarum 11. Martii 1721. Hoc tamen intelligendum eſt, ſi vendantur prout benedictæ, & donatæ Indulgentia.

Eſt autem eadem ratio circa Nummiſmata, Cruces, & alias res a Papa benedictas, vel circa Cruces Caravacenſes; quia in conceſſione Indulgentiarum pro iis lucrandis, modus, & conditio ponitur, *ut diſtribuantur*, quæ verba in ſenſu a Summis Pontificibus rationabiliter intento, ſignificant diſtributionem gratuitam, non venditionem. Hinc vetitum eſt etiam Mercatoribus Romanis talia Nummiſmata, vel Roſaria iam benedicta vendere; ſed poſtquam a Peregrinis empta ſunt deferuntur ad Papam, ut benedicantur.

Omnes Chriſtifideles, ideſt etiam non adſcripti Confraternitati Sanctiſſimi Roſarii, recitantes Roſarium, lucrantur Indulgentias conceſſas a Benedicto XIII. ut in eius Brevi, quod eſt huius tenoris. *Benedictus* XIII. *audito voto S. Congregationis Indulgentiis præpoſitæ, omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, Roſarium, vel ſaltem tertiam partem eiuſdem devote recitantibus, pro qualibet Oratione Dominica, & pro qualibet Salutatione Angelica, Indulgentiam centum dierum conceſſit. Recitantibus vero quotidie per integrum annum idem Roſarium, vel ſaltem eius tertiam partem, ſi confeſſi, ac S. Communione refecti fuerint, & iuxta mentem Summi Pontificis oraverint, ſemel in anno, die ab unoquoque eligenda, inſuper conceſſit Indulgentiam Plenariam, etiam cum facultate applicandi Defunctis. Declaravit tamen Sanctitas Sua, ut ad effectum lucrandi dictas Indulgentias, requiratur, quod Roſarium fuerit de more benedictum a Fratribus Ordinis Prædicatorum. Datum die 31. Aprilis 1726. L. Card. Picus Præfectus; Raphael Coſmus de Hieronymis Secretarius.*

Recitantes, ſeu dicentes, *Benedicta ſit Sancta, & immaculata Conceptio B. V. Mariæ*, lucrantur Indulgentiam centum annorum ex conceſſione Gregorii XV. anno 1621. quæ confirmata fuit a Clemente XII. Menſe Novembr. 1731.

Sacerdotes, qui ante Miſſæ celebrationem recitant, *Ego volo celebrare Miſſam* &c. lucrantur Indulgentiam quinquaginta dierum ex conceſſione Gregorii XIII. & legentes Miſſam priuſquam pergant ad Altare ad celebrandum, lucrantur Indulgentiam dierum quadraginta, ex conceſſione Ioannis XXII. Recitantes vero in fine Horarum Canonicarum, ad quas tenentur, orationem inſtitutam a S. Bonaventura, Seraphico Doctore, videlicet, *Sacroſanctæ, & individuæ*



Digitized by Google

*Trinitati* &c. cum *Pater*, & *Ave*, conſequuntur remiſſionem culparum in recitatione, ex humana fragilitate contractarum, ex conceſſione Leonis X.

Ex conceſſione pariter Clementis VIII. conſequuntur remiſſionem omnium commiſſorum, ſeu omiſſorum in Miſſa, necnon 2300. annorum Indulgentiam, recitantes poſt Miſſam Orationem, quæ incipit, *Obſecro te dulciſſime Ieſu Chriſte, ut paſſio tua* &c.

Commitantes ſacrum Viaticum cum lumine accenſo, quando defertur ad infirmos, lucrantur Indulgentiam ſeptem annorum, & totidem quadragenarum. Legitime impediti lumen, ſeu facem per alios ea occaſione deferendam mittentes, lucrantur Indulgentiam trium annorum, & totidem quadragenarum. Sic conceſſit Innocentius XII. die 5. Ianuarii 1695. Conſtit. quæ incipit *Debitum Paſtoralis officii*, confirmando, & ampliando conceſſionem iam factam ab Innocentio XI. die prima 1688. Inſuper legitime impediti, qui perſonaliter commitari nequiverint S. Viaticum, recitando ſemel *Paſter noſter*, & *Ave Maria* ad mentem Pontificis, lucrantur Indulgentiam centum dierum conceſſam a Paulo V. ſub die 3. Novembr. 1606. confirmatam a Clemente X. vivæ vocis oraculo per viam S. Congregationis Indulgentiarum die 23. Aprilis 1676.

Intervenientes orationibns 40. Horarum per ſpatium unius horæ, lucrantur indulgentiam trium annorum. Intervenientes Proceſſioni factæ, ſive in initio, ſive in fine dictæ orationis, ſi fuerint in Cathedrali lucranrur Indulgentiam decem annorum, & ſi in aliis Eccleſiis, Indulgentiam quinque annnrum. Qui conſueſcunt ſe exercere in dictis piis operibus, nempe interveniendi Orationi 40. horarum, aut proceſſioni, quæ in tali occaſione fieri ſolet, ſemel in anno die præſcripta ab Epiſcopo, confeſſi, & Sac. Communione refecti, lucrantur Indulgentiam plenariam, remiſſionemque omnium ſuorum peccatorum. Sic conceſſit Gregorius XIII. die 5. Aprilis 1580. Conſtitut. quæ incipit, *Quam uberes* &c.

Qui ad pulſum, ſeu ſonum campanæ in ſignum elevationis Sanctiſſimi Sacramenti in Miſſa Conventuali, aut Parochiali, genuflexi oraverint, ſive domi, ſive in viis, aut ubicumque id fecerint, pro qualibet vice, lucrantur Indulgentiam unius anni. Illi vero, qui ad hunc finem ad Eccleſiam perreverint, & ibi in dicto tempore Sanctiſſimum Sacramentum adoraverint, lucrantur pro qualibet vice Indulgentiam duorum annorum. Qui diebus feſtivis vere pœnitentes confeſſi fuerint, ac Sacra Communione refecti, pro qualibet vice lucrantur Indulgentiam quinque annorum. Qui vero aſſueſcunt communicari ſemel in menſe, & in ſolemnitatibus D. N. I. C., B. M. Virginis, omnium Apoſtolorum, & S. Ioannis Baptiſtæ, pro qualibet vice lucrantur Indulgentiam decem annorum, & ſemel in anno in Feſto principaliori Civitatis, ſeu loci, confeſſi, & S. Communione refecti, lucrantur Indulgentiam plenariam. Ita conceſſit Gregorius XIII. die 10. Aprilis 1580. Conſtitut. quæ incipit: *Ad excitandum*.

## §. XXXIII.

### *De Indulgentiis in Feſtis Sanctorum.*

Nota 1. cum P. Theodoro in huius opere *de Indulgentiis in genere*, ordinarie Indulgentias non concedi in Feſtis Sanctorum, & Beatorum, quorum nomina non ſunt deſcripta in Martyrologio Romano. Affert P. Theodorus Decretum Sac. Congregat. Rituum editum an. 1674. ubi Eminentiſſimi PP. ſtatuerunt, *Indulgentias non eſſe concedendas in poſterum, niſi Sanctis deſcriptis in Martyrologio*. Quod ſi tamen in caſu extraordinario obtineatur, S. Congregat. reſcribit *Pro gratia; citra tamen expreſſionem Beati, vel Sancti in litteris Apoſtolicis*.

Nota 2. cum eodem, Eccleſiis Cathedralibus concedi duplicem Indulgentiam Plenariam. Una conceditur pro feſto Titulari, altera pro alio feſto, quod ſolemniter celebratur. Collegiatæ, vel Parochiales Eccleſiæ obtinere ſolent unam Indulgentiam plenariam, & alteram partialem ſeptem annnrum, & totidem quadragenarum, pro diebus a Summo Pontifice, vel ab ordinario deſignandis. Regularium Eccleſiis, & aliis inferioribus conceditur una tantum Indulgentia plenaria, aut pro feſto Titulari, aut pro alio; quod fortaſſe maiori celebritate ſervetur. Si plures ſint eiuſdem Eccleſiæ Sancti Titulares, vel Feſtum Tituli pluries in anno recurrat, pro uno die Indulgentia plenaria, pro alio vero, vel aliis partialis ſeptem annorum & totidem quadragenarum concedi ſolet. Quamobrem Eccleſiis ſub titulo B. V. Mariæ, cuius ſeptem celebrantur feſtivitates, concedi ſolet Indulgentia plenaria pro uno ex dictis feſtis,

reliquis Indulgentia partialis ſeptem annorum, & totidem quadragenarum.

Translato feſto, in cuius die conceditur Indulgentia, non transfertur etiam Indulgentia, niſi ex conceſſione ſpeciali: Sac. Congregat. 30. Novemb. 1679., & 10. Iunii 1690. Sic in Rubricis Breviarii Fratrum Minorum. & ſic etiam tenet P. Theodorus *de Indulgentiis* p. 2. cap. 1. §. 8., ubi eamdem refert declarationem S. C. Rituum. Cenſet tamen Amort recentior Theologus n. 74. *de Indulgentiis*, & recte, ut mihi videtur, diſtinguendam eſſe translationem a translatione; nempe vel feſtum, pro quo Indulgentia conceſſa eſt, non eſt ex ſua natura vel conſuetudine mobile, & tunc ſi transferatur, non poſſunt transferri Indulgentiæ translato feſto, & idem ſive Feſtum transferatur ſimul in Choro, & in Foro, ſive ſit ſolemne, ac publicum, ſive privatum, cum reſponſa Sac. Congregationis agant etiam de translatis ſimul in Choro, & in Foro, & de ſolemnibus, & Decretum eiuſdem Sac. Congregationis editum 10. Iunii 1690. generale ſit, cuius hæc ſunt verba. *Translato Feſto, in cuius die conceditur Indulgentia, non transfertur etiam Indulgentia, niſi ex conceſſione ſpeciali*. Sic ex ſpeciali conceſſione eſt translatio Indulgentiæ in translatione Feſti Annunciationis pro Congregationibus erectis a Soc. Ieſus per Bullam Sixti V. an. 1585. & plures aliæ; quod aliquando etiam negatum fuit, ut in translatione Feſti S. Ludovici Bertrando anno 1731. 4. Octobr. & S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, SS. Angeli, & Alberti 1733. 16. Novembr.; ubi obſervat citatus Auctor, negatum fuiſſe circa feſta non multum ſolemnia in Foro; e contra vero conceſſam fuiſſe ad feſta ſolemnia in Choro, in utriſque tamen opus eſt Pontificia conceſſione pro translatione Indulgentiæ. Si vero Feſtum ex ſua natura, vel conſuetudine ſit mobile, ut ſi Indulgentia data fuerit prima, vel ſecunda, vel tertia Dominica menſis, & ſolemniter a prima frequenter transferri ſoleat in ſecundam, aut viciſſim, videtur etiam transferri Indulgentia, maximæ cum & Romæ ſolemnitas Sanctiſſimi Roſarii apud PP. Dominicanos transferri ſoleat in ſecundam Dominicam, quin Fideles per hoc cenſeantur frandari conſuetis Indulgentiis.

Nota 3. Ab hoc ſtylo Sac. Congregationem Indulgentiarum non recedere, niſi ſpecialis Chriſtifidelium ad Eccleſiam confluentium devotio, aut loci qualitas, ubi Eccleſia conſtructa eſt, alterius Indulgentiæ plenariæ conceſſionem ſuadeat. Ideoque ſi Eccleſia præclariſſimas poſſideat reliquias, aut in ea inſignis miraculi memoria recolatur, prævia ſuper his Ordinarii informatione, alia Indulgentia plenaria non raro ſolet concedi, nulla tamen in Litteris Apoſtolicis facta expreſſione Reliquiarum, vel miraculi; vel ſub aliqua adhibita cautione eadem gratia conceditur Eccleſiis vel in Indiis, vel ſub hæreticorum dominio conſtitutis, vel conterminis, ut fideles pluries infra annum poſſint commode Indulgentiæ plenariæ participes fieri.

Nota 4. Ad obtinendas eiuſmodi Indulgentias requiri, ut in Libello ſupplici exponatur 1. Eccleſiæ Titulus. 2. Eccleſiæ qualitas, videlicet, an ſit Cathedralis, vel Collegiata, vel Parochialis, aut Regularis, & cuius Ordinis, vel ſæcularis neque Cathedralis, neque Parochialis. 3. Locus Diœceſis. 4. Feſtum Sancti, quod celebratur, pro quo petitur Indulgentia. 5. An Eccleſia gaudeat alia, vel aliis Indulgentiis ſpecialiter conceſſis. Hæc ultima expreſſio tam rigoroſe requiritur, ſaltem pro Eccleſiis Regularium, ut ſi omittatur, ſupplex Libellus nequidem recipiatur a Sac. Congregatione, prout ab ea decretum eſt die 27. Iulii anno 1733.

## §. XXXIV.

De Clauſula, quæ in conceſſione Indulgentiarum apponi ſolet a Sac. Congregatione, nempe, *nullæ ſunt quas concedit, ſi aliæ eodem die in eadem Eccleſia ſint conceſſæ*.

Clauſula iſta, quæ a Sac. Congregatione apponi ſolet in concedendis Indulgentiis; *Volumus, ut ſi aliæ Indulgentiæ Eccleſiæ conceſſæ fuerint; præſentes nullæ ſint*, ab ipſa Sac. Congregatione Indulgentiarum 28. Aprilis 1716. ſic explicata fuit per Decretum 23. Ian. ann. 1676. quod in tali conceſſione minime intelligatur contineri privilegium Altaris privilegiati pro Defunctis, neque Indulgentias conceſſas certo perſonarum generi, ut Confraternitatibus, Regularibus, Capitulo, aut certum pium opus in Eccleſia peragentibus, puta recitationem Litaniarum, altarumque huiuſmodi Orationum, nec conceſſas iis qui Doctrina Chriſtiana erudiuntur, aut erudiunt, & qui Sanctiſſimi Sacramenti expoſitioni cum oratione 40. horarum intereſſunt; neque Indulgentias Stationum Urbis, & ſeptem Altarium

Digitized by Google

rium conceſſas Baſilicæ Vaticanæ, neque demum, quæ pro unica vice conceduntur. Cæterum ſi alia Indulgentia, ſeu plenaria, ſeu non plenaria in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generatim Chriſtifidelibus Eccleſiam, vel aliquod eius Altare, vel Capellam viſitantibus, eodem anni die, vel diverſo conceſſa fuerit, de qua non fiat in Litteris Apoſtolicis expreſſa mentio, certum eſt, has Litteras ob adiectam Clauſulam eſſe prorſus irritas, ac nullas.

### §. XXXV.

*De Indulgentiis Stationum ſeptem Eccleſiarum Urbis, & ſeptem Altarium.*

Nomen *Stationis* ambiguum eſt, ut notat P. Mabillonius in ſuo eruditiſſimo Commentario præfixo Ordinibus Romanis, quos ipſe evulgavit n. 5. Aliquando enim accipitur ſtatio pro ieiunio voluntario, & antiquitus ſtationes primo ita appellata ſunt ieiunia feriæ quartæ & ſextæ hebdomadæ, quæ Fideles valde devote ſervabant uſque ad tertiam horam poſt meridiem. S. Petrus Alexandrinus in ſua Epiſtola Canonica can. 15. obſervat, quod ſtatutum fuit iuxta antiquam Traditionem, ut ſervaretur ieiunium in ſupradictis diebus cuiuslibet hebdomadæ, videlicet feria quarta, in memoriam quod tali die ſtatuerunt Iudæi capere Ieſum Chriſtum, & feria ſexta, in reverentiam ipſius Chriſti Domini paſſionis: quandoque ſumitur pro ſtatu orantium, in quo ſenſu loquitur Tertullianus præſertim lib. *de Orat.* Stationes etiam dicebantur dies illi, quibus Chriſtiani orabant, & ieiunabant uſque ad horam nonam, & inde vocati ſunt *dies ſtationares*, ut colligitur ex S. Cypriano Epiſt. 41. Tertull. lib. *de Anima*, *de Ieiunio*, & ex D. Ambroſio ſerm. 25. Deinde vero ſtationes appellatæ ſunt Eccleſiæ illæ, ad quas Clerus & populus agmine, ſeu proceſſione inſtructa proficiſcebantur, & ibi conſiſtebant ad aliquam divini Officii partem celebrandam, & huiuſmodi Eccleſiæ dictæ ſunt etiam *loci ſtationales*. Olim apud Romanos in extraordinariis lætitiæ, & luctus Feſtis, in Templis omnibus ſtationes populo præcipiebantur.

Eſt igitur antiquus ritus in Urbe, ut certis ſtatutis diebus Clerus, Populuſque Romanus aliquam conveniant Eccleſiam ſupplicationis cauſſa, ubi ſacra fiunt, ſermones habentur, aliaque divina officia recitantur. Ad prædictam deſtinatam Eccleſiam ſeu ſtationem pergere poterat Clerus Romanus ſolemniter, aut privatè: hoc ſecundum eveniebat, quando unuſquiſque in locum indictum ſe recipiebat: Primum vero contingebat, quando cum ſolemni more, decantando Litanias, aliaſve preces, Pontifex, aliique omnes proceſſionaliter eamdem Eccleſiam adibant. Eiuſmodi ſolemnes proceſſiones præcedebat Collecta, nimirum coadunatio Clericorum in una Eccleſia, ut ex eadem, quaſi agmine facto, ad locum ſtationis procederetur, ſic dicta, quod in eo loco Clerus cum populo colligebatur ad faciendam ſolemnem proceſſionem, & quia in loco, ubi collectio fiebat, ante egreſſum proceſſionis ab Eccleſia, oratio ſuper populum recitabatur, & exinde factum eſt, quod huiuſmodi orationes collectæ appellatæ fuere, ut ex Micrologio cap. 3. & refert Mabilonius loco cit.

Quatuor igitur in ſtatione occurrebant, nimirum indictio ſtationis, Populi collectio, Proceſſio Populi, & terminus ſtationis, ſeu ſtatio ipſa. Indictio fiebat a Notario die feſto proxime antecedente, & duo indicebat, nempe locum, quo omnes convenire, & ex quo egredi debebant; deinde locum ſtationis, ad quem proceſſionaliter pergere iubebantur. Sic in Feſto S. Georgii, ideſt 23. Aprilis, in eius Eccleſia fiebat indictio ſtationis ad S. Petrum pro die 25. eiuſdem menſis, & invitabatur Populus ad ſe coadunandum in Eccleſia S. Laurentii, ut inde procederet ad S. Petrum, ubi erat ſtatio. Hæc colliguntur ex his, quæ traduntur a Frontone in Prænotatis eruditiſſimis ad ſuum Kalendarium §. 7. In aliis etiam Civitatibus fiebant huiuſmodi ſtationes in maioribus Eccleſiis, & Epiſcoporum cathedræ huc, & illuc transferebantur, ut Concilium Aurelianenſe IV. clare hoc indicat.

Verum prædictas ſtationes Romæ antea vagas, vel certis Eccleſiis non addictas S. Gregorius Magnus in ſuo *Sacramentario* conſtituit per certas Baſilicas, præcipue Patriarchales, & Titulares, vel certa B. Martyrum cæmeteria, ut nunc ſunt in Miſſali Romano; non vero primum S. Gregorius ſtationes inſtituit, ut ſupponit Ioannes Diaconus qui in eius vita lib. 3. cap. 8. ea omnia a dicto Pontifice ordinata aſſerit, cum perſpectum ſit omnibus, ante D. Gregorium dictas ſtationes inſtitutas fuiſſe, vel ob Sanctorum Natalitia, vel ob dies publicæ proceſſionis, ſive Miſſæ ſacrationi tem-

Digitized by Google

tempore celebrandæ. Stationes ob Sanctorum Natalitia fiebant in eorum memoriis, vel in cæmeteriis, ideſt Eccleſiis ſuper eorum tumulos conſtructis, quæ ob id quandoque Cæmeteria appellantur; cum autem notiſſimæ eſſent Sanctorum feſtivitates, ſuperfluum videbatur harum ſtationum diem, & locum in Sacramentariis aſſignare. Stationes vero aliarum dierum, puta Quadrageſimæ, quatuor temporum, Adventus, Natalis Domini, Paſchatis, & ſimilium, cum incertæ eſſent, eas in Sacramentariis aſſignare opus fuit, quod fecit D. Gregorius, eas in ſuo Sacramentario certis diebus adiiciendo, ut in omnibus dignoſci poſſent loca ſtationum.

Ad locum ſtationum deferebantur ex Patriarchio Lateranenſi, libri, vaſa ſacra: præeunte Cruce ſtationali, Pontificem in ſella geſtatoria eo portari mos erat, aliquando tamen equo vehebatur. Cum vero nunc Baſilicis & Eccleſiis Romæ, ubi deſignatæ fuere, & fiebant dictæ ſtationes, conceſſæ ſint quædam Indulgentiæ eas viſitantibus, præcipue illis diebus, quibus olim ſtationes expoſitæ ibi habebantur, hinc ſtatio nunc accipitur pro iiſdem Baſilicis, & Eccleſiis Urbis, ubi applicatæ fuere huiuſcemodi Indulgentiæ.

Notat vero 1. citatus Amort circa Indulgentias Stationum, nullas ſtationes gaudere Indulgentiis, niſi quæ exprimuntur in Miſſali Romano ad Miſſam. Ita declaravit Sac. Congregatio. Notat 2. numquam ad eumdem diem concurrere duplicem Indulgentiam plenariam. Ita declaratum eſt ab eadem Sac. Congregatione. Notat 3. non conſtare de ulla Indulgentia plenaria ſtationum. Sic reſpondet noviſſime P. Theodorus Congregationis Indulgentiarum Conſultor lib. 10. cap. 1. art. 2. §. 3. q. 2. ubi ſic ſcribit. *Reſpondemus, non conſtare, ſtationum Indulgentias eſſe plenarias. Inſpecta ſiquidem Bonifacii VIII. ætate, ſtationum Indulgentiæ non erant plenariæ, alias Bonifacius VIII. ſtationibus Quadrageſimali tempore occurrentibus non addidiſſet partialem unius anni, & quadragenæ. Superfluum quippe foret poſt Indulgentiam plenariam adiicere aliam unius anni; Nec ſæculi XII. aut ſuperiorum diſciplina patiebatur, Indulgentias plenarias plures infra annum acquirendus fidelibus exhibere. Septem vero Eccleſiarum Urbis Indulgentias in Stationibus contineri, nullo ſolido argumento probari poteſt.* Ita P. Theodorus, & Paſſerinus. Notat 4. etiam incertum eſſe, & probabilius falſum, in Eccleſiis Regularium, a Laicis Indulgentias ſtationum obtineri poſſe, cum ea extenſio ad Laicos nullibi legatur conceſſa. Notat 5. Indulgentias ſtationum certas, nullas alias reperiri, niſi quæ continentur in Bulla Bonifacii VIII. incipiente *Sublimi*, & quæ deſcribuntur a Mabilonio in *Muſeo Italico* tom. 2. commentar. in Ordin. Roman.. In dicta Bulla Bonifacii VIII. explicatur, quæ Eccleſiæ aſſignatæ fuerint a S. Gregorio, & ab aliis ſucceſſoribus Pontificibus pro ſtationibus, quibus Indulgentias ſtationarias conceſſerunt, & ipſe Bonifacius iiſdem ſtationariis Indulgentiis adiunxit unum annum, & quadraginta dies de pœnitentiis iniunctis, pro iis, qui eas Eccleſias viſitarent a die cinerum incluſive uſque ad Paſcha Reſurrectionis Domini incluſive. Quales autem fuerint olim Indulgentiæ ſtationales, quas Bonifacius ait conceſſas eſſe a ſuis Prædeceſſoribus, habentur in Cæremoniali Gregorii X., qui Bonifacium VIII. 20. annis in Pontificatu præceſſit, prout refert Mabilonius in eo Cæremoniali. Indulgentiæ pro ſtationibus quadrageſimalibus eo tempore promulgabantur poſt Miſſæ Evangelium a Concionatore, qui eo die ſermonem ad populum habebat. Ita hæ Indulgentiæ promulgabantur Romæ ſub Gregorio X., qui Cathedram Petri aſcendit anno 1271. Sic promulgabantur anno 1396. niſi quod in ultima ſtatione reſpectu venientium ultra mare, loco quatuor annorum promulgati fuerunt ſeptem anni; non enim pluſquam annorum, ideſt partiales, ut antea notatum eſt cum Recentiore, & minime plenariæ, erant Indulgentiæ ſtationariæ.

Nunc tamen additæ fuere a poſterioribus ſummis Pontificibus Indulgentiis Stationum, præter quinque Patriarchales Baſilicas, aliæ etiam Eccleſiæ, & præter Adventum ac Quadrageſimam, incipiendo a die Cinerum incluſive, & quatuor tempora, ſtatuti fuerunt etiam alii ſolemnes dies pro Indulgentiis Stationum lucrandis in una vel altera Eccleſia, quibus ſtationariæ Indulgentiæ conceſſæ ſunt, ut dies Reſurrectionis, tota octava Paſchæ, Dominica in albis, dies Aſcenſionis, Vigilia & tres Feſtivitates Pentecoſtes, Vigilia, & Feſtivitas Nativitatis Domini, dies Sanctorum Stephani, Ioannis Evangeliſtæ, Sanctorum Innocentium, Circumciſionis, & Epiphaniæ Domini, & Dominicæ Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ, ut habetur in Miſſali Romano edito a S. Pio V. quo nunc univerſa utitur Eccleſia Latina.

Præ-

Digitized by Google

Præter Stationes, ideſt Indulgentias ſtationarias in ſupradictis Eccleſiis relatis a Miſſali Romano, ſingulis diebus, ac temporibus, quibus currit Indulgentia ſtationaria, habentur Romæ præcipue Indulgentiæ conceſſæ, ſeptem principalioribus Eccleſiis Urbis, nempe quinque Patriarchalibus Baſilicis, & duabus aliis adiutis Patriarchalibus, nempe Eccleſiæ S. Ioannis in Laterano, S. Petri, S. Pauli, S. Mariæ Maioris, S. Laurentii, & hæ ſunt Patriarchales, Sanctorum Fabiani, & Sebaſtiani, & S. Crucis in Hieruſalem, quæ ſunt duo Patriarchalibus adiunctæ, ita ut eas viſitantes magnas acquirunt Indulgentias: hæ ſeptem Eccleſiæ ſunt etiam deſignatæ cum aliis pro Indulgentiis Stationum, ut videri poteſt in cit. Miſſali Romano.

Quoad nomen Patriarchalis attributum quinque ſupramemoratis Eccleſiis, dicit P. Ferrari ex Sanctarello v. *Indulgentia* art. 6. n.25. quod ita ſint appellatæ, eo quod una, ſcilicet S. Ioannis in Laterano, aſſignata ſit Summo Pontifici Romano, qui eſt totius occidentis Patriarcha, & caput totius Orbis chriſtiani, ubi, quatenus eſt Romanus Epiſcopus, ſuam cathedram habet. Aliæ quatuor Patriarchis Orientis, videlicet Alexandrino, Antiocheno, Hieroſolymitano, & Conſtantinopolitano deſignatæ fuere, ut ſi forte Conciliorum cauſſa, vel aliorum negotiorum Romam advenirent, ſua in Eccleſia decenter degerent. Sic pro primo, ideſt Alexandrino, deſignata fuit Eccleſia D. Pauli; pro ſecundo, ſeu Antiocheno, Eccleſia S. Mariæ Maioris; pro tertio, ſeu Hieroſolymitano, Eccleſia S. Laurentii; pro quarto, ſeu Conſtantinopolitano, Eccleſia S. Petri. Cum autem Populus Romanus ſummam venerationem hiſce Patriarchalibus Eccleſiis haberet, ipſas magna pietate, ac frequentia continenter inviſebat, & quia in earum viſitatione opus erat per duas alias celeberrimas tranſire, ſcilicet per Eccleſiam SS. Fabiani, & Sebaſtiani, ubi eſt cæmeterium innumerorum Martyrum, & per Eccleſiam S. Crucis, ubi valde magnum Crucis Chriſti Domini fruſtulum ſancte colitur, idcirco ſeptem illas Eccleſias una omnes viſitare conſueverunt. Hinc ut ad tantum pietatis opus eo magis Fideles excitarent, Summi Romani Pontifices multis Indulgentiis eas ditaverunt.

In Baſilica Vaticana ſunt ſeptem Altaria, quibus affixa eſt tabella cum hac inſcriptione, *Unum ex ſeptem*, & ea viſitantes Indulgentiam lucrantur. Sed quam, vel quas Indulgentias lucrentur incertum eſt, ut teſtatur P. Theodorus, eo quia, ait, nulla determinata reperitur. Sic enim de his ſcribit lib. 11. art. 3. §. 1. *De Indulgentiis ſeptem Altarium Baſilicæ S. Petri de Urbe, non una eſt Scriptorum ſententia. Sunt, qui pro ſingulis ex his ſeptem Altaribus viſitatis, Indulgentiam decem, & octo annorum acquiri putant ex tabella pro inſtructione Peregrinorum veteris Baſilicæ S. Petri ( dirutæ a Leone X. circa annum 1510. ) cuius fidem facit Ioannes Hordonus Subarchiviſta, dictæ Eccleſiæ. Alii eaſdem eſſe credunt, quas lucrantur viſitantes ſeptem Urbis Eccleſias. Alii tandem Indulgentiam plenariam horum Altarium viſitatione percipi ſcribunt: & ideo nos ob hanc auctorum varietatem citra erroris periculum nihil definire poſſumus.*

## §. XXXVI.

*De Formulis, ſub quibus concedi ſolent Indulgentiæ ſeptem Eccleſiarum Urbis, & pro feriis ſextis in Quadrageſima.*

Forma conceſſionis Indulgentiarum ſeptem Urbis Eccleſiarum eſt huiuſmodi; *Volentes ſeptem Eccleſias N. Diœceſis ab Ordinario deſignandas ſpeciali dono illuſtrare, omnibus fidelibus, qui ſemel tantum in anno Eccleſias huiuſmodi in uno die, per eumdem Ordinarium ſpecificando, devote viſitaverint, quo die id egerint, ut eas omnes, & ſingulas Indulgentias, quas viſitando ſeptem Urbis Eccleſias conſequerentur, conſequi poſſint, & valeant; concedimus, præſentibus ad ſeptennium duraturis* &c. Ex hac forma patet obtineri Indulgentias indeterminatas. Verum cum inter varias Indulgentias Eccleſiarum Urbis plurimæ certis feſtis diebus alligatæ ſint, non eſt veriſimile eas omnes Indulgentias per communicationem in unum anni diem determinatum a Summo Pontifice coacervari, quo ſemel in anno tantum eiuſmodi Eccleſiæ viſitandæ ſint.

Forma autem, qua concedi ſolet Indulgentia feriis ſextis in Quadrageſima, eſt huiuſmodi; *Omnibus Fidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, & ſacra Communione refectis, qui Eccleſiam Diœceſis N. in una ex feriis ſextis Menſis Martii per Ordinarium deſignanda ab ortu, uſque ad occaſum ſolis feriæ huiuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam concedimus. Inſuper eiſdem vere pœnitentibus & confeſſis, & ſacra Communione refectis prædictam Eccleſiam in reliquis*

Digitized by Google

liquis feriis ſextis menſis Martii, ut ſupra viſitantibus, qua feria prædictarum id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de iniunctis, ſeu alias quomodocumque debitis pœnitentiis relaxamus &c.

## §. XXXVII.

*De Forma, qua conceditur Indulgentia Scalæ Sanctæ.*

Forma, qua conceditur Indulgentia Scalæ Sanctæ, eſt iſtiuſmodi. *Omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, & Sacra Communione refectis, qui ſcalam in Eccleſia N. Civitatis N. ad inſtar Scalæ Sanctæ de Urbe, ut aſſeritur, conſtructam, & orationi tantum deſtinatam, in quatuor anni diebus per Ordinarium ſemel tantum deſignandis, flexis genibus pie aſcenderint, ibique pro Chriſtianorum Principum pace &c. pias ad Deum preces effuderint, qua die prædicta id egerint, plenariam Indulgentiam concedimus. In reliquis vero anni diebus, ſcalam huiuſmodi, ut ſupra aſcendentibus, quacumque vice id egerint, centum dies relaxamus.*

## §. XXXVIII.

*De Indulgentiis, quæ dantur in Dedicatione Eccleſiæ.*

In ipſa Eccleſiarum dedicatione conceditur Indulgentia unius anni. In anniverſario autem die dedicationis habetur Indulgentia perpetua 40. dierum, ut ſtatutum fuit in Concil. Generali Lateranenſi ſub Innocentio III. Ad acquirendam hanc Indulgentiam nihil plus requiritur, quam devota Eccleſiæ viſitatio.

## §. XXXIX.

*De Indulgentiis in Feſto Corporis Chriſti, & per eius Octavam.*

Martinus V. in Bulla *Ineffabili* 20. Maii 1429. conceſſit ſingulis vere pœnitentibus, & confeſſis, qui, & quoties in ipſius Sacramenti profeſto ieiunium, vel loco illius, aliquod pium, iuxta ſuorum conſilia Confeſſariorum, opus fecerint, centum dies; & qui in Eccleſiis, in quibus illa feſtivitas SS. Corporis celebrari contigerit, officiis interfuerint, pro matutinali ducentos, & pro Miſſæ officio totidem, ac pro qualibet veſperarum ducentos; reliquarum vero horarum, videlicet Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorii Feſti, octoginta. Rurſus quibuslibet Octavarum diebus pro ſingulis Matutinarum, Miſſarum, & Veſperarum officiis ſimiliter centum, necnon reliquarum horarum huiuſmodi quadraginta. Has Indulgentias confirmavit Eugenius IV. in Bulla *Excellentiſſim.* 26. Maii 1433.

## §. XL.

*De Indulgentiis viæ Crucis.*

Indulgentiæ viæ Crucis conceſſæ ſunt variis in locis, ſeu ſtationibus, quæ vocantur viæ Crucis Hieroſolymæ ſeu terræ Sanctæ, ſubiectis Ordini Fratrum Minorum S. Franciſci, quas Innocentius XI. anno 1686. 5. Septembr. & Innocentius XII. 1695. 17. Kalend. Ianuar. per eorum Apoſtolicas litteras conceſſerunt & aliis Eccleſiis eiuſdem Ordinis per totum Orbem. Itaque ad intelligentiam harum Indulgentiarum requiritur 1. ut ſciamus quale ſit exercitium viæ Crucis. 2. quales ſint Stationes quæ comprehenduntur in via Crucis. 3. quales ſint Indulgentiæ cuilibet ſtationi conceſſæ. Et quoad primum, exercitium viæ Crucis conſiſtit in devota contemplatione Paſſionis Dominicæ coram pictis tabellis, in quibus exhibetur tota Paſſionis ſeries; ſic explicat illum terminum Benedictus XIII. in ſua Bulla incipiente: *Procurator Generalis*. Ad 2. dico, quod Stationes Paſſionis Dominicæ, quæ Hieroſolymis habent Indulgentias, ſunt loca, ubi in tabellis expreſſa ſunt myſteria præcipua Paſſionis Domini, & ſingulis locis conceſſæ ſunt Indulgentiæ iis, qui ſingula loca viſitando ibi contemplentur illa Dominicæ Paſſionis myſteria. Et talia loca, ſeu ſtationes, quæ ſunt Hieroſolymis, deſcribuntur tum a P. Angelico Muller, qui propriis oculis loca terræ Sanctæ perluſtravit, in ſuo libro cui titulus *Peregrinus in Hieruſalem*, tum ab Adrichomio n. 118. qui tamen in ſerie locorum non concordant. Nam Muller incipit a loco, ubi Chriſtus Sanguinem ſudavit, poſtea ubi Chriſtus locutus eſt Apoſtolis; *Non potuiſtis una hora vigilare mecum*, ad torrentem Cedron, ad Palatium Annæ uſque ad ipſius Chriſti ſepulturam: Adrichomius vero incipit a Palatio Pilati, uſque ad ſepulturam. Veriſimilius tamen eſt, Viam Crucis eſſe, ſicuti in ſuis Eccleſiis, ubi habetur tale exercitium, exhibent in diſtinctis Tabellis PP. Minores Ordinis Seraphici, qui auctores fuerunt huius piiſſimæ exercitationis. Quales vero Indulgentiæ conceſſæ ſint ſingulis Stationibus in hoc ſancto exercitio, licet revera habeantur,

ta-

tamen cum non habeantur, ut credo, elata documenta de iiſdem Indulgentiis: (ac proinde Sac. Congregatio prohibuit ſingulis ſtationibus adſcribere determinatas Indulgentias) hinc non licet eas aſſignare, ac determinare, ut factum fuit a ſupra citato P. Muller; licet ſint, qui de iis Indulgentiis loquuntur, eas aſſerendo ſine ullo tamen authentico teſtimonio Bullarum Summorum Pontificum, qui eas conceſſere, alias Sac. Congregatio non interdixiſſet eas deſignare. Videri poteſt reſponſum S. Congregationis 1710. Menſe Novembr. n. 1.

Certum tamen eſt, quod Innocentius XII. extendit participationem Indulgentiarum conceſſarum pio exercitio Viæ Crucis, quod habetur in Terra Sancta, ad Fratres omnes, & Moniales, necnon ad Chriſtifideles Miniſtro Generali Minorum de Obſervantia ſubiectos, Confratres, & Conſorores cuiuſcumque Confraternitatis, & Societatis, ſive ſub titulo B. Mariæ Virginis Immaculatæ, ſive ſub alio titulo canonice erectæ, ſive erigendæ in Eccleſiis eorumdem Fratrum, vel Monialium, ut conſtat ex ipſius Brevi incipiente *Ad ea* ann. 1692. Ita Benedictus XIII. extendit talem communicationem, ac participationem Indulgentiarum, & Privilegiorum eidem exercitio Viæ Crucis conceſſorum Locis Sanctis, ac illorum Stationibus intra, & extra Hieruſalem ad omnes Chriſtifideles etiam minime ſubiectos Generali dicti Ordinis, qui Exercitium Viæ Crucis, & alia chriſtianæ pietatis opera eiuſdem modo, & forma, quæ a Fratribus, & perſonis prædictis peraguntur, pie, ac devote pœnes Fratres dicti Ordinis, privative quoad alios quoſcumque peragent, & implebunt. Et ut eo magis promoveretur Fidelium devotio erga hoc pium exercitium Viæ Crucis, conceſſit idem Benedictus XIII., ut Indulgentiæ eidem conceſſæ, poſſint etiam applicari Defunctis per modum ſuffragii, ut habetur in eius cit. Brevi.

Clemens tandem XII. non ſolum confirmavit ſuo Brevi, quod incipit *Expoſui nobis* ſub die 16. Iannuar. 1731. communicationem Indulgentiarum, ac privilegiorum Viæ Crucis peragentibus tam pium exercitium in Eccleſiis Fratrum Minorum, ideſt in locis ſubiectis Miniſtro Generali eiuſdem Ordinis Minorum; ſed extendit etiam ad alia loca non ſubiecta eidem Ordini, nec dependentia ab Ordine Minorum S. Franciſci, ubi erecta ſit, vel in poſterum erigatur Via Crucis, dummodo tamen erecta ſit, & erigatur per Fratres dicti Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia, & modus, ac forma ſervetur, quibus eiuſmodi erectiones in Eccleſiis, & locis Ordinis prædicti hactenus fieri conſueverunt, & accedat licentia Ordinarii loci, & conſenſus Parochi, Superiorum Eccleſiæ, Monaſterii, Hoſpitalis, & loci pii, ubi de eis pro tempore erigendis agi contigerit. Amort. 331. n. 52. Ferrar. v. *Indulgent.* art. 5. n. 58. pag. 213.

I. Che eſſendo ſtata conceduta la facoltà di erigere le Viæ Crucis alli Religioſi ſoggetti al Miniſtro Generale de FF. Minori, sì oſſervanti, che Reformati *privative quoad alios quoſcumque*, non è lecito ad altri di erigerle, ed erigendoſi non godono le Indulgenze. II. Che non poſſano eſſer erette ſe non da Superiori dell'Ordine ſuddetto, o di loro commiſſione da un altro Religioſo dello ſteſſo Ordine, il quale però ſia o Predicatore, o almeno Confeſſore approvato. III. Che devono erigerſi nella forma conſueta, cioè che ſiano 14. Stazioni, e che le Croci o Capellete rappreſentino li miſteri della Paſſione. Dove poi ſi voleſſe erigere fuori della Chieſa, come ſi uſa in molti Conventi del detto Ordine, ſi procuri ſempre di terminare; o di cominciare dalla Chieſa, o luogo ſagro, con avvertire onninamente, che le Capellette ſiano chiuſe con cancelli da non potervi entrare nè perſone, nè animali, e che tanto eſſe, quanto le Croci ſiano collocate in luoghi non ſoggetti ad irriverenze, ed in caſo che in progreſſo di tempo i luoghi, ne' quali foſſero ſtate erette, diveniſſero indecenti, debbano i Superiori ſoſpenderle, ſopra di che s' incaricano ſtrettamente le loro coſcienze. IV. che nella ſteſſa Chieſa, o luogo pio, quando ſia capace, sarà bene erigere per maggior comodo del Popolo due *Viæ Crucis*, una delle quali ſerva per gli Uomini, e l'altra per le Donne, e quando una ſi pianti fuora di Chieſa, ſe ne eriga ſempre un' altra nella Chieſa, quando però ſia capace, che baſti per non far confuſione, acciò in tempo di pioggia, o d'altro impedimento ſi poſſa non oſtante praticar così Santo eſercizio. V. Che queſta pratica ſia uniforme in tutti i luoghi, ſenza alterare punto quella, che s'è oſſervata fin ora ne' Conventi dell'Ordine, cioè o proceſſionalmente da tutto il Popolo ſotto la direzione d'uno, o più Sacerdoti, ovvero privatamente da ogn'uno. Se ſi faccia nel primo modo, ſi diſponga la Proceſſione in maniera, che gli uomini vadino ſeparati dalle Donne, cioè quel-

quelli prima, e queſte dopo, con uno, o più Sacerdoti intermedii, e ad ogni ſtazione un Chierico, o Sacerdote legga ad alta voce la conſiderazione corriſpondente ad ogni miſtero, e ſtazione, e dopo recitato un *Pater*, & *Ave*, e fatto un atto di Contrizione, ſi tiri innanzi, cantandoſi tra una ſtazione e l'altra il *Stabat Mater*, o altra Orazione, avertendo tutti di contenerſi con ſomma modeſtia, ſilenzio, e raccoglimento, mentre l'eſperienza dimoſtra, che queſto Santo Eſercizio praticato con pietà, e divozione introduce a poco a poco ne' Fedeli d'ogni condizione l'uſo del meditare, e la riforma de coſtumi. VI. Che praticandoſi privatamente, non è neceſſario recitare ſei *Pater*, & *Ave* ad ogni ſtazione, come alcuni ſuppongono, ma baſta meditare, benche brevemente, la paſſione del Signore, ch'è l'opera ingionta per far acquiſto delle ſante Indulgenze, e conforme all'uſo introdotto recitare un *Pater*, & *Ave* ad ogni Croce, e far un atto di Contrizione. VII. Che eſſendo eretta la Via Crucis nella Chieſa, per quel tempo degli Officj Divini, e della Santa Meſſa, e quando in Chieſa vi ſia tal concorſo di Popolo, che poſſa cagionare tumulto, e diſturbo, ſi aſtenghino di praticarla, tanto maggiormente, che non eſſendovi impedimento ſi devono viſitare ad una ad una tutte le ſtazioni. VIII. Che dovendoſi erigere la Via Crucis in qualche Monaſtero di Monache, o Conſervatorio, non è neceſſario entrare nella Clauſura, ma baſta che un Religioſo del medeſimo Ordine, d'età matura, e qualificato, come s'è detto nel terzo avvertimento, con licenza dell' Ordinario benedica le Croci alle grate, & faccia una breve inſtruzione alle Monache, ed altre che ſi trovaſſero in tal Monaſtero, o Conſervatorio, circa il modo con il quale è neceſſario di viſitare le Croci per participare dell' Indulgenze, e riportarne profitto per l'anima. IX. Che non ſi pubblichi da pulpiti, nè in altra forma, e molto meno ſi ſcriva nelle Capellete, o ſtazioni un numero certo, e determinato dell' Indulgenze, che ſi acquiſtano; poichè ſi è riconoſciuto in più occaſioni, e per inavvertenza, ed equivoco, o per traſporto di divozione, ſi altera o ſi confonde la verità dell' Indulgenze; e perciò baſti il dire, che chiunque s'impiegherà a meditar la Paſſione del Signore in queſto ſanto Eſercizio, acquiſterà per conceſſione de' Sommi Ponteſici le ſteſſe Indulgenze, che acquiſterebbe ſe viſitaſſe perſonalmente le ſtazioni della Via Crucis di Geruſalemme. Dato li 13. Aprile 1731.

L. Card. Pico Prefetto.

Gio. Arciveſcovo di Tiro Segr.

## §. XLI.

### *De Indulgentia Portiunculæ in Eccleſia S. Mariæ Angelorum Ordinis Seraphici prope Aſſiſium.*

Pro Indulgentia Portiunculæ ea intelligitur, quæ data fuit ab Honorio Papa III. ex divina immediata Chriſti Domini diſpoſitione Eccleſiæ Portiunculæ, quæ eſt S. Mariæ Angelorum extra, & prope Aſſiſium. Dixi *ex divina immediata Chriſti Domine diſpoſitione*; quia, ut traditur, iuxta Breviarium Franciſcanorum in lectione quinta ad diem ſecundum Auguſti, cum Seraphicus S. Franciſcus oraret in ſuo habitaculo, dictæ Eccleſiæ Portiunculæ proximo, ac ei ſignificatum fuiſſet, eſſe in ipſa Eccleſia Dominum, eiuſque Sanctam Matrem, cum ingenti Angelorum multitudine, ſtatim ſumma cum religione Templum ingreſſus, cum primum ſummam Filii Dei maieſtatem, ac gloriam aſpexiſſet, ante illius conſpectum humilime procubuiſſet, eumque maiori, qua potuit animi ſui ſubmiſſione, ac pietate venerabundus adoraſſet, Chriſtus Dominus ei locutus eſt, ſicuti ſequitur in præcitata lectione Breviarii; *Quem Dominus benigniſſime admonuit, ut ab eo aliquod beneficium pro ſalute hominum peteret: adiutus patrocinio Matris, cuius opem imploraverat, ſupplex petiit, ut omnibus Eccleſiam illam introeuntibus concederet veniam, & Indulgentiam omnium peccatorum ſuorum, quorum Confeſſionem Sacerdoti feciſſent; Reſpondit Dominus id ſibi placere, præcepitque illi, ut eius Vicarium adiret, & ab eo ſuo nomine Indulgentiam poſtularet.* Sic Benedictus XII. apud Calarubias verb. *Indulgentiæ* quoad ſæculares §. 1. n. 13., Gobat part. 2. *de Indulgentiis* cap. 9. March. in ſua *Portiuncula Theologica, & hiſtorica*, Mattheucius officialis Curiæ cap. 26. n. 5. & alii paſſim. Hinc recte ait Bellarminus l. 2. *de Indulgent.* cap. 20. quod tria fidei, & Eccleſiæ catholicæ dogmata Indulgentia Portiunculæ confirmantur: Primum ſcilicet de Indulgentiarum exiſtentia; ſecundum de Romani Pontificis auctoritate; quia præcepit Chriſtus Dominus S. Franciſco, ut eius Vicarium adiret, & ab eo ſuo nomine hanc Indulgentiam peteret; & tertium de Confeſſionis auricularis neceſſitate; quia ad eam

lu-

Digitized by Google

lucrandam requiritur Confeſſio peccatorum Sacerdoti facta.

Honorius III., qui eo tempore ſedem Petri tenebat, anno ſcilicet 1221. eamdem Indulgentiam, & illam plenariam conceſſit iuxta expoſita a S. Franciſco pro ſola Capella ſeu Eccleſia rurali S. Mariæ dictæ de Angelis & Portiunculæ, a primis Veſperis Kalendarum Auguſti uſque ad Veſperas diei ſequentis uſque ad annum 1480. ita ut ipſi Religioſi, & Moniales Ordinis S. Franciſci uſque ad illud tempus eam Indulgentiam lucrari cupientes petere debuerunt Aſſiſium ad diem 2. Auguſti. Anno vero 1480. impetrata fuit gratia a Summo Pontifice, ut Religioſi, & Moniales eiuſdem Ordinis Clauſuram habentes poſſent obtinere Indulgentiam Portiunculæ in ſuis Eccleſiis. Eadem extenſio, ac conceſſio anno 1515. facta fuit in ſpecie pro Monialibus S. Claræ, ut videlicet in ſuis Eccleſiis poſſent lucrari Indulgentiam Portiunculæ, ne haberent anſam diſcurrendi: ex quo colligitur, tunc temporis nondum conceſſam fuiſſe pro ſæcularibus, niſi tantum Aſſiſii, & Monachii in Bavaria in Eccleſia Monialium S. Claræ, cui Eccleſiæ Bonifacius IX. anno 1401. conceſſit Indulgentiam Portiunculæ etiam pro ſæcularibus. Anno vero 1622. 4. Iulii Gregorius XV. per Bullam *Splendor Paternæ gloriæ* extendit in perpetuum ad omnes Eccleſias Ordinis Minorum de Obſervantia etiam Reformatorum, pro omnibus Chriſtifidelibus a primis Veſperis primi diei Auguſti, uſque ad occaſum ſolis diei ſequentis, dummodo lucraturi confeſſi fuerint, & ſacra Communione refecti, ac orent juxta mentem Summi Pontificis. Eamdem Indulgentiam anno 1608. conceſſam a Paulo V. ad decennium, Gregorius XV. extendit ad Eccleſias Capucinorum in perpetuum, ut habetur in Annalibus Capucinorum Boverii. Ex quo infert P. Gobat p. 2 cap. 9. n. 351. Indulgentiam de Portiuncula non competere omnibus Eccleſiis Minorum per viam communicationis Privilegiorum, & patet ex alio Brevi Urbani VIII. qui anno 1643. extendit eamdem Indulgentiam ad Eccleſias Tertii Ordinis S. Franciſci, quod opus non fuiſſet, ſi Privilegiorum communicatione ſine ſpeciali ſummi Pontificis conceſſione ad omnes Franciſcanos Ordines extendi potuiſſet. Talis Indulgentia in omnibus Eccleſiis Religionis Seraphicæ pro die 2. Auguſti, quæ antea non valebat, niſi pro vivis, Innocentius XI. ſuo Brevi incipiente *Alias felici record.* dato die 12. Ianuarii 1687. conceſſit, ut poſſet applicari etiam Defunctis. Innocentius XII. ſuo Brevi dato 18. Auguſti 1695. incipiente *Redemptoris*, conceſſit viſitantibus eamdem Eccleſiam Portiunculæ, ſeu S. Mariæ Angelorum prope, & extra Aſſiſium quolibet anni die plenariam Indulgentiam, quam alio Brevi, incipiente *Commiſſa nobis* dato eadem die, & anno nempe 18. Auguſti 1695. conceſſit eodem tenore viſitantibus Eccleſiam S. Franciſci Conventualium de Civitate Aſſiſii.

Indulgentia plenaria Portiunculæ pro die 2. Auguſti non ſuſpenditur per annum Sanctum in eadem Eccleſia Portiunculæ, ideſt S. Mariæ Angelorum Aſſiſii, ut declararunt Innocentius X. 5. Iulii 1650., Clemens X. 12. Novemb. 1674. Innocentius XII. 1699. in ſuo Brevi incipiente *Cum ob ſacri Iubilei celebrationem &c.* dato ſub die 21. Auguſti 1699. Et talis declaratio facta fuit etiam a Clemente VIII., & Urbano VIII. & noviſſime a Benedicto XIII.

In aliis vero Eccleſiis, & locis Ordinis ſuſpenditur Anno Sancto pro vivis, minime vero pro Defunctis, ut infert Felix Poteſtas ex declarationibus factis a Gregorio XIII. Clemente VIII. Urbano VIII. Innocentio XI. nempe Indulgentias non ſuſpendi anno Sancto pro conſtitutis in articulo mortis, & pro Defunctis. Et ſic cum praxi paſſim ſentiunt DD.

Num vero Indulgentia Portiunculæ pro 2. die Auguſti conceſſa a primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis eiuſdem diei, obtineri poſſit *toties quoties* a Chriſtifidelibus aliquam Eccleſiam Ordinis Franciſcani viſitando, & ibi ad mentem Pontificis orando, nempe ſemel pro ſe ipſo, & aliis vicibus pro animabus Purgatorii, reſpondet affirmative Engelbertus Pauck in *tertia Seraphica Vinea* cap. 28. n. 136. Hermannus Born in ſuo *Seraphico Firmamento* 2. die Auguſti, Kazemberger, aliique paſſim, qui hoc colligunt tum ex communi praxi, ubique, & etiam Romæ obſervata, nedum a ſimplicibus, ſed etiam a Viris doctis, & Primatibus; & ex reſponſione S. Congregationis Concilii. Cum enim Innocentius XI. decreverit, ac declaraverit 7. Martii 1678. Indulgentiam ſemel dumtaxat in die plenariam, in certis diebus Eccleſiam viſitantibus conceſſam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri; & Fratres Ordinis S. Franciſci Reformatorum de Provincia Carniolæ perſuaderent populis, Indulgentiam pro die 2. Auguſti de Portiuncula nuncupatam, eorum Eccleſiam viſitantibus conceſſam, *toties quoties* eodem die lucrifieri poſſe; Epiſcopus Labacenſis a parte Imperii Orator iuxta iuſ-

ſum

ſum Concilii Tridentini factum Ordinariis deferendi S. Congregationi Concilii abuſus, qui irrepere poſſent circa Indulgentias, quæſivit, ac declarari petiit, an præfata Indulgentia nuncupata *de Portiuncula*, comprehendatur ſub citato Decreto Innocentii IX. cui petitioni Sac. Congregatio die 17. Iulii 1700. audita etiam relatione Procuratoris Generalis, & Miniſtri Provincialis, cenſuit; & *reſpondit ſervandum eſſe ſolitum*; & ſic ſemper in tali quæſito reſpondit. Unde cum ſemper ſolitum fuerit credi, ſe *toties quoties* obtineri poſſe eamdem Indulgentiam Portiunculæ die 2. Auguſti, denuo, ac denuo viſitando Eccleſias Fratrum Ordinis Seraphici, & ad hunc finem etiam Romæ a Doctis viris illa die renoventur viſitationes earumdem Eccleſiarum, cenſuerunt, Congregationem iuxta eorumdem ſenſum reſpondiſſe; nempe, quod *toties quoties* viſitantes eodem die 2. Auguſti a primis veſperis, uſque ad occaſum ſolis dictas Eccleſias, Chriſtifideles eam obtinere poſſint, videlicet ſemel pro ſe ipſis, alias pro Defunctis. Sic P. Ferrar. V. *Indulgent.* art. 5. n. 57. pag. 212.

## §. XLII.

### *De Indulgentiis conceſſis Ordinibus Regularibus.*

Paulus V. antiquatis, ſeu revocatis aliis omnibus Indulgentiis; quia de non paucis ex his, quas tenere cenſebant Regulares, nullum apparebat certum viſibile documentum, ſequentes in Bulla *Romanus* conceſſit, quæ ſic habet: *Paulus V. &c. Romanus Pontifex proſpicere debens, ne ex Indulgentiarum multiplicitate confuſio oriatur; cum itaque Cardinales gratias Ordinibus conceſſas examinaverint, ac circa Indulgentias varia dubia, ac incertitudines repererint; Nos Regularibus tantum infraſcriptas Indulgentias ſuffragari debere declaramus;* 1. *Plenariam omnibus, qui cauſſa profitendi regularem habitum ſuſceperint, die ingreſſus eorum in Religionem, ſi v. p. ideſt vere pœnitentes, ac S. C. r. ſ. ideſt ſacra Communione refecti (& ſic hæ litteræ v. p. S. C. r. ſ. ſunt intelligendæ)* 2. *Cuilibet Novitio plenariam in die Profeſſionis v. p. & S. C. r. ſ.* 3. *Cuilibet Religioſo in feſto principali ſui Ordinis ſi c. ideſt confeſſus, & S. C. r. ſ., aut ſi Miſſam recitans p. c. ideſt pro concordia Principum, & pias ad Deum preces fuderit plenariam.* 4. *Plenariam in articulo mortis ſi v. p. & S. C. r. ſ. aut ſaltem contritus nomen Ieſu, ore ſi potuerit, ſin autem corde invocaverit.* 5. *Plenariam iis, qui ad Presbyteratus Ordinem canonice promoti, & confeſſi primam celebrabunt Miſſam; nec non etiam iis Religioſis, qui pariter confeſſi, ac S. Communione refecti eidem interſuerint, aut ipſo die Miſſam ſimiliter celebrabunt.* 6. *Plenariam iis, qui de ſuorum Superiorum licentia, a negotiis per decem dies alieni, in Cella commorabuntur, aut ab aliorum converſatione ſeparati in piorum librorum, & aliarum rerum ſpiritualium animos ad devotionem, & ſpiritum inducentium lectionibus operam ſuam dederint addendo ſæpe conſiderationes, ac meditationes myſteriorum Fidei Catholicæ, divinorum beneficiorum, quatuor noviſſimorum, Paſſionis D. N. I. C., & aliorum exercitiorum, orationum iaculatoriarum, aut vocalium ſaltem per duas horas in diem, & nocte orationibus mentalibus ſe exercendo, faciendo eodem tempore Confeſſionem generalem, aut annualem, aut Ordinariam, SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, aut Miſſam celebraverint, quoties hoc exercitium peregerint.* 7. *Religioſi intra Clauſtra viventes, qui ſuam Eccleſiam devote viſitaverint, & ut præfertur (P. C. P. C.) oraverint, conſequantur eaſdem Indulgentias, quas viſitantes Eccleſias Urbis, & extra eam diebus ſtationum conſequuntur in omnibus diebus perinde ac ſi ipſas Urbis Eccleſias perſonaliter viſitarent.* 8. *Omnibus item Religioſis intra clauſtra viventibus, quinquies orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante Altare eorum Eccleſiæ recitando, in quolibet die quinque annos, & totidem quadragenas.* 9. *Iis vero, qui de ſuorum Superiorum licentia in itinere exiſtentes, aut extra clauſtra degentes, tamquam Predicatores, & Lectores, quinquies eamdem Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante quodlibet Altare ſimiliter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.* 10. *Necnon etiam eiſdem Religioſis, qui per menſem integrum ſingulis diebus ſpatio mediæ horæ Orationem mentalem fecerint, ac confeſſi, & Sacra Communione ultima Dominica menſis huiuſmodi refecti fuerint, ſexaginta annos, & totidem quadragenas.* 11. *Qui vero contrito corde, & pœnitentes eorum culpas & peccata, ac imperfectiones in Capitulis culparum accuſabunt, & ſpiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas.* 12. *Plenariam Miſſionariis bis, videlicet quando itineri ſe accingent, & quando Provinciam* in-

*ingreſſi fuerint, ſi c. & S. C. r. aut Miſſam celebraverint.* 13. *Plenariam iis, qui ſpatio ſaltem duarum horarum in diverſo tempore interfuerint orationibus* 40. *horarum, quas Superior in viſitatione generali ordinaverit, ſi p. c. p. c. &c. pro diſciplinæ Regularis augmento oraverint. Hæ Indulgentiæ etiam ſuffragantur Monialibus perpetuam clauſuram ſervantibus. Omnes autem, & ſingulas Indulgentias quibuſcumque Ordinibus, & inſtitutis Regularibus, etiam Mendicantibus, tam vigore Litterarum Apoſtolicarum, quam vivæ vocis oraculo, aut alias quovis modo per quoſcumque Romanos Pontifices conceſſas, confirmatas, & innovatas, revocamus. Datum Romæ* 23. *Maii* 1660.

Nota, quod in præfata Bulla Pauli V. revocatæ ſunt omnes Indulgentiæ etiam *locales* Regularium Eccleſiis conceſſæ, ſi præciſe conceſſæ ſint intuitu, ſeu favore Regularium, nulla excepta, ut ipſi eas lucrari poſſent; cuiuſmodi ſunt conceſſæ a Leone X. Mendicantibus ſi propriam Eccleſiam viſitaverint. Si vero conceſſæ ſint Perſonis non Regularibus, aut Laicis Eccleſias Regularium viſitantibus, hæ non comprehenduntur ſub revocatione Pauli V. Ita declaravit Sac. Congregatio Indulgentiarum 7. Septembr. 1607. Item non comprehenduntur in eo Decreto Indulgentiæ directe conceſſæ Defunctis, cum Paulus V. in præfata Conſtitutione nullam Indulgentiam pro Defunctis directe conceſſerit, quod non eſt veriſimile eum non facturum fuiſſe, ſi præcedentes revocaſſet. Indulgentiæ vero a Paulo V. revocatæ, a ſuis ſucceſſoribus non fuerunt reſtitutæ, ut patet ex propoſitione damnata ab Alexandro VII. in qua ſic habetur; *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & a Paulo V. revocatæ, nunc ſunt revalidatæ*. Item in ea revocatione non comprehenduntur Indulgentiæ directe conceſſæ Tertiariis Ordinum Regularium ſed illæ quidem, quæ illis conceſſæ ſunt indirecte, ideſt per communicationem, ſeu extenſionem. Ita declaratum fuit ab Innocentio XI. 10. Octobris 1686., quia Paulus V. revocavit tantummodo Indulgentias Regularibus, hoc eſt addictis ad tria vota Ordinis Religioſi conceſſas, quales non ſunt Tertiarii, & Tertiariæ. Definita fuit quoque a Sac. Congregatione Indulgentiarum controverſia 1737. in partem negativam circa communicationem inter Tertiarios Carmelitanos & D. Franciſci. Novitii lucrari nequeunt Indulgentias a Paulo V. Regularibus conceſſas; ſic reſpondet P. Theodorus l. cit. par. 2. art. 1. §. 3. q. 2., quia in dicta Conſtitutione expreſſe requirit Paulus V. annum Novitiatus completum. Hoc tamen non obſtante Patri Amort ſententia oppoſita videtur Probabilior, eo quia non ſit veriſimile, Paulum V. recedere voluiſſe in hac Bulla a communi doctrina, quod Novitii in favorabilibus gaudeant privilegiis Ordinis. Moniales gaudent privilegiis a Paulo V., vel ab aliis Pontificibus conceſſis Eccleſiis Regularium directe in favorem Laicorum, licet non amplius ſint ſub regimine Ordinis, ſed Epiſcopi; ſic declaravit eadem S. Congregat. 2. Februar. 1720. & ſpeciatim confirmavit Innocentius XIII. 9. Maii 1722. per Breve Apoſtolicum editum in favorem Canonicarum Reyrberg & aliarum Sanctimonialium.

Monialibus intra clauſtra exiſtentibus concedi ſolent variæ Indulgentiæ extraordinariæ, videlicet 1. quatuor præcipue plenariæ ut ex P. Theodoro viſitantibus Capellas intra Clauſtra exiſtentes diebus, vel in Brevi aſſignatis, vel ab Ordinario deſignandis, 2. Indulgentiæ ſeptem Eccleſiarum Urbis. 3. Indulgentia pro Novena Nativitatis D. N. I. C. 4. Indulgentia ſeptem Altarium. 5. Indulgentiæ feriarum ſextarum menſis Martii. 6. Indulgentiæ Scalæ Sanctæ. 7. Indulgentia in articulo mortis (relate ad exteras) 8. Indulgentia Altaris Privilegiati pro Anima cuiuſque ex Monialibus, earumque conſanguineis, & affinibus primi, & ſecundi gradus, ac pro Benefactoribus Monaſterii. Et hoc intellige de Monialibus ſervantibus perfectam clauſuram, minime pro aliis.

A Religioſis Viris pariter ſimul, & Monialibus obtineri ſolent, ait P. Theodorus ſupracitatus l. cit. Indulgentiæ extraordinariæ, quarum aliæ conceduntur particulari Religioni, vel Provinciæ, vel Monaſterio, pro quibuſdam piorum operum exercitationibus; ſi Sac. Congregationi id expedire iudicaverit; & potiſſimum orationi mentali vacantibus.

## §. XLIII.

### *De Communicatione Indulgentiarum inter Ordines Regulares.*

Communicatio Indulgentiarum inter Regulares ſic intelligi debet; 1. Quod Indulgentias omnes conceſſas Eccleſiis unius ex Ordinibus Regularibus, lucrari poſſit in Eccleſia ſui Ordinis quivis alius Regularis, niſi obſtet aliqua ſpecialiſſima ratio. Non pot-

poteſt idcirco quilibet Sæcularis eadem lucrifacere in qualibet Eccleſia alterius Ordinis, ut deſumitur ex declaratione Leonis X. in Conſtitut. quæ incipit *Dudum per Nos*, ubi dixit, *illos plus ſapere*, quam oportet; qui ex eo quod Indulgentiæ Templo unius Ordinis Mendicantium impartitæ, eſſent communicatæ Templis aliorum Ordinum Mendicantium, inferebant, Sæculares poſſe in Eccleſiis Prædicatorum, Minorum &c. obtinere Indulgentiam, quam prædeceſſores eius elargiti erant viſitantibus Eccleſiam S. Mariæ de Populo de Urbe ſpectantem ad Auguſtinianos Eremitas. Sic Gobat tract. *de Indulg.* p. 2. cap. 27. n. 555.

Hæc tamen Indulgentiarum communicatio non eſt extendenda ad Indulgentias conceſſas pro ſingularibus Feſtivitatibus huius, aut illius Ordinis; unde cum ipſa Indulgentia Portiunculæ non ſit extenſa ad Eccleſias omnes trium Ordinum per Communicationem, ſed ad ſingulos per Brevia ſpecialia Summorum Pontificum, ut antea demonſtratum eſt; eo minus cenſeri poteſt illam extendi per communicationem ad alios Ordines, Gobat loco cit. n. 550. Reiffenſtuel, Lezana, Peyrinus, & alii. Quare cenſet, & bene Lezana Verb. *Indulgent.* n. 8., cui concordat Gobat, Reiffenſtuel &c. prædictum communicationis privilegium intelligendum eſſe de Indulgentiis, quæ in genere conceſſæ ſunt Eccleſiis Regularium, minime vero de illis, quæ ſpecialiter pro aliqua Eccleſia in particulari largitæ ſunt. Dicit enim cit. Reiffenſtuel n. 62. idipſum aſſerendum eſſe de Indulgentiis, ac de privilegiis, quæ conceſſa fuere ob ſpecialem aliquam rationem, ut quando Indulgentia conceſſa eſt uni loco ſpeciali, quia ibi eſt Imago B. M. Virginis cum magna veneratione Fidelium, vel aliqua inſignis alicuius Sancti Reliquia, vel Feſtivitas alicuis Sancti illius Ordinis; nam hæ ſunt ſpeciales rationes illius loci, vel Ordinis, qua alia loca, & alii Ordines carent. Idemque dicendum de Indulgentiis conceſſis Eccleſiis per tot, & tot annos in honorem alicuius Sancti; idemque de Altaribus Privilegiatis ob ſpecialem rationem talis Altaris; quia cum hæ ob ſpecialem rationem impartitæ ſint illi Eccleſiæ, non intuitu Ordinis Religioſi, cuius eſt illa Eccleſia, non communicantur aliis Regularibus. Sic Donatus, Reiffenſtuel, Kazenberger, & alii communiter; *arg. cap. Cum Capella 16. de privilegiis*, ubi dicitur, quod conceſſum uni Eccleſiæ, vel Provinciæ, ſeu loco, nequit trahi ad aliam Eccleſiam, ſeu Provinciam, vel locum.

Secundo, quod vi prædicti Privilegii communicationis omnes Indulgentiæ conceſſæ immediate, & directe Religioſis, vel eorum Oblatis, Cognatis, Parentibus, Procuratoribus, Benefactoribus, ſervitobus, & ſimilibus perſonis ad aliquem Ordinem ſpectantibus, intelligantur conceſſæ etiam omnibus aliis ſimilibus Religioſis, & perſonis ad alios Ordines ſpectantibus. Sic declaravit, & conceſſit Iulius II. die 1. Iunii 1509. Prædicatoribus, & Fratribus Minoribus per ſuam Conſtitut. quæ incipit *Alias ad ſupplicationem* &c. Qui rem melius ſcire peroptet, adeat dictam Bullam, & clare deprehendet ex illius verbis, hanc Privilegiorum, Indulgentiarumque communicationem eſſe non debere identice materialem, ſed analogam formalem, ſcilicet ſimilem, & fere eamdem, ſecundum quamdam proportionem, & ſtatus decentiam; ita ut totum id, quod eſt conceſſum Generali Prædicatorum pro ſuo Ordine, conceſſum Generali Minorum pro ſuo, & quibuſvis aliis Generalibus pro ſuis reſpective Ordinibus, & totum id quod conceſſum eſt Provincialibus, vel Prioribus Prædicatorum, cenſetur conceſſum Provincialibus, & Guardianis Minorum, aliorumque Regularium pro ſuis reſpective Provinciis, & Monaſteriis; & totum id quod eſt conceſſum Religioſis ſubditis in, & pro ſuo Ordine Prædicatorum, cenſetur conceſſum Religioſis ſubditis in, & pro ſuo Ordine Minorum, & ſic de omnibus aliis. Sic pariter diſcurrendum de Feſtivitatibus ad Feſtivitates, ita ut Feſtivitates pares ſint reſpective in honore, & dignitate in quolibet Ordine, & quemadmodum Laicus viſitans noſtras Eccleſias tempore Feſtivitatum noſtrorum SS. conſequitur Indulgentiam noſtris Eccleſiis conceſſam pro tali, & tali Feſtivitate noſtri alicuius Sancti: Ita a pari Laicus viſitans Eccleſias aliorum Regularium tempore Feſtivitatum ſuorum SS. lucratur Indulgentiam conceſſam pro tali, vel tali Feſtivitate alicuius ſui Sancti. Ita etiam ſicuti Novitius ſuſcipiens habitum noſtræ Religionis multa lucratur beneficia & Indulgentias; ſic quilibet Novitius cuiuſcumque alterius Ordinis, vel Religionis; ſic proportionaliter eſt diſcurrendum de aliis Indulgentiis. In generali enim communicatione Privilegiorum veniunt ſolum illa, quæ ſunt communia, & in genere omnibus Ordinibus Regularibus conceſſa, non vero



Digitized by Google

ro, quæ ſunt propria, & ſpecifica, & quæ ſunt difficilis conceſſionis, ſeu quæ raro, & cum difficultate conceduntur intuitu ſpecialis meriti, aut motivi, & quæ quis interrogatus veriſimiliter in ſpecie non eſſet conceſſurus; & ratio eſt, quia latitudo Communicationis unice dependet a voluntate, ſeu intentione concedentis, qui non prudenter communicaret indiſcriminatim omnibus privilegia conceſſa Loco, Monaſterio, aut Ordini ob particularia, præcipuaque motiva. Sic reſpondet cum aliis alias laudatus P. Theodorus l. cit. arg. Cap. *In generali conceſſione* 81. *de Regul. iur.* in 6., cap. *Cum Capella* 16. *de Privilegiis*, & alibi; Sic Donatus, Mattheucius Officialis Curiæ cap. 26. n. 17., Reiffenſtuel, Lezana, Gobat, aliive paſſim.

Nota. In communicatione generali omnium Indulgentiarum, quæ conceſſæ ſunt alicui Eccleſiæ, comprehenduntur etiam Indulgentiæ pro Defunctis, exceptis Altaribus privilegiatis; quia tunc non datur ſpeciale motivum, cur Pontifex exciperet a generali conceſſione Indulgentias pro Defunctis, cum iam æque facile concedantur, ac pro vivis; idcirco non eſt opus illarum ſpecifica expreſſione, ſicuti opus eſt ad Altare Privilegiatum, quod non tam facile concedi ſolet, ac cæteræ Indulgentiæ; ita Altaria privilegiata non præſumuntur concedi in generali communicatione, niſi exprimantur.

## §. XLIV.

### *De Indulgentiis, Precibuſque Confraternitatum.*

Qui inſcribitur Confraternitati, non tenetur quidem ſub peccato obſervare præſcriptas leges, & conſtitutas Confraternitatis preces recitare; ſi tamen eaſdem non perſolvat, aut ſervet, pro eo die, vel hebdomada, menſe, vel anno, quibus eas negligit, non lucratur Indulgentias Confraternitatis. 1. quia eadem videtur in aliis Confraternitatibus eſſe intentio ſuſcipientium, & ingredientium, vel Epiſcoporum, ac Papæ ſtatuta Confraternitatum confirmantium, quæ eſt in Confraternitate Roſarii; in iſta non datur quidem obligatio ſub peccato ad ſtatuta, ſicuti teſtatur Navarrus l. cc. Miſcell. 8. & 14. ſed docet, eum Confratrem non lucrari Indulgentias Confraternitatis, qui facit Roſarium recitare per alium; & hoc confirmatur a pari cum Indulgentiis pro Defunctis in Altari privilegiato, quas Sac. Indulgentiarum Congregatio declaravit non ſortiri effectum eo menſe, vel ea hebdomada, quibus non implentur præſcriptæ conditiones.

Nota, Indulgentiam in articulo mortis non prodeſſe his Confratribus non habentibus ſerium animum implendi ſtatuta Confraternitatis. Hanc eſſe intentionem Summi Pontificis patet ex communi DD. in quibus, ut in Summo Pontifice, principia directiva prudentiæ, & intentionum utique ſunt uniſona, cum fundentur in eodem lumine rationis. Sic Gobat hic cap. 35. Itaque ſenſui communi non eſt conforme eos lucrari Indulgentiam in articulo mortis, qui in ingreſſu non habuerunt ſerium animum ſervandi ſtatuta; & in eo animo ſaltem habitualiter perſeverant. Verum cum ſecundum communiorem Indulgentia ſit diviſibilis, cenſet aliquis ſperari poſſe, eos, qui ſaltem aliqualem diligentiam adhibuere in ſervandis ſtatutis, lucraturos in articulo mortis partem Indulgentiæ proportionalem ſuæ diſpoſitioni.

Cum in aliquibus Confraternitatibus eorum inſtitutum ſit, Confratres, ut fruantur gratiis eiuſdem Confraternitatis, deferre ipſius habitum, ſeu ſcapulare, ut in Confraternitate B. M. V. Montis Carmeli, Dolorum, & Redemptionis Captivorum SS. Trinitatis, non poteſt ſupplere tali debito fruſtulum panni illius Ordinis, ſeu Confraternitatis veſtibus aſſutum, & patet ex reſponſo Sac. Congregationis 1716. Menſe Novembr. n. 2., & 1715. Menſe Ianuar. num. 2.

Indulgentiæ conceſſæ Confraternitatibus v. g. Roſarii, SS. Nominis Ieſu &c., ante Decretum Clementis VIII., quo iubentur illæ Confraternitates de novo erigi, ſi de novo poſt illud Decretum erectæ non fuerint, participant de dictis indulgentiis: & hoc patet ex variis reſponſis Sac. Congregationis præſertim 1709. 27. Novembr. Excipitur tamen Confraternitas SS. Sacramenti, cui Paulus V. ſuo Decreto edito 15. Februar. 1608. confirmavit participationem omnium Indulgentiarum, privilegiorum, gratiarum, Indultorum expreſſe, & nominatim conceſſorum a S. S. per ſuum Breve datum 3. Novembr. 1606. Archiconfraternitati SS. Sacramenti de Minerva.

Non poteſt una Confraternitas aggregari alteri Confraternitati, cum facultate participandi Indulgentias alterius Confraternitatis, niſi ex conceſſione Summi Pontificis, ut conſtat ex reſponſo Sac. Congregat. 1716.

Menſ.

Digitized by Google

Menſ. Decembr. n. 2. & 1715. Menſ. Ianuar. num. 2.

## §. XLV.

### *De Altari Privilegiato.*

Circa Altaria privilegiata notandum 1. Privilegium Altaris privilegiati ea hebdomada, menſe, vel die non currit, quando non implentur conditiones præſcriptæ v. g. ſi ingruente bello, peſte, vel ex alia cauſa, non poſſint celebrari tot Miſſæ, quot pro uſu Altaris privilegiati in conceſſione Pontificia requiruntur, non valet pro ea die, hebdomada &c. Privilegium; ita declaratum fuit a Sac. Congreg. Indulgentiarum 1720. 10. Iulii. Privilegium vero Altaris privilegiati conceſſum cum expreſſione numeri Sacerdotum in Eccleſia deſervientium, imminuto tali numero Privilegium extinguitur. Sic declaravit Sac. Congregat. 16. Iulii 1725.

Notandum 2. Quando Indulgentiæ unius Eccleſiæ, vel Congregationis communicantur alteri Eccleſiæ, non cenſetur in communicatione Altare privilegiatum. Ita declaratum eſt a Sac. Congregat. Indulgentiar. 1729 9. Maii, & 25. Martii 1729.

Notandum 3. Quando conceditur alicui Eccleſiæ Altare privilegiatum ſub hac formula: *Volentes Eccleſiam N. N. in qua aliud Altare privilegiatum non reperitur erectum, hoc ſpeciali dono illuſtrare* &c. ly *aliud* non excludit aliud Altare privilegiatum alterius rationis, ſed tantummodo eiuſdem rationis. Et hoc colligitur ex formula circa Indulgentias vivorum, ubi illa Clauſula; *Volumus autem, ut ſi aliæ Indulgentiæ Eccleſiæ conceſſæ fuerint, præſentes nullæ ſint*, intelligitur ſolummodo de Indulgentiis ejuſdem rationis, quatenus patet ex declaratione ejuſdem Sacr. Congregationis Indulgentiar. 1716. 28. April. Idcirco ſi Eccleſiæ alicui conceſſum fuerit Altare privilegiatum pro omnibus Fidelibus indiſcriminatim, non impedit quod obtineri poſſit aliud pro certo genere perſonarum v. g. pro Confratribus alicuius Confraternitatis, aut pro Defunctis alicuius Familiæ ſepultis in Capella. Attamen ſi extet in Eccleſia Altare privilegiatum quotidianum pro univerſis Fidelibus Defunctis, nequit aliud obtineri ad aliquam feriam hebdomadæ pariter pro omnibus Fidelibus; quia cenſentur eſſe eiuſdem rationis ex æſtimatione Indulgentias concedentium, ut conſtat ex conſtanti praxi Romana, de qua etiam antiqua teſtatur Gobat hic p. 2. cap. 26.

Notandum 4. Si Altare eſt tantum portatile, cui tantum imponitur imago alicuius Sancti, dubitatur an ſatis ſit ad hoc, ut ſerviat pro privilegiato, & ob hoc ipſum dubium haberi nequit, & promulgari pro privilegiato. Quod autem valor hujuſcemodi Altaris ſit dubius patet ex eo, quia Sac. Congregatio noluit tale Altare ſtatim declarare pro privilegiato, ut conſtat ex ejus reſponſo edito 1715. Menſe Iulio n. 5.

Notandum 5. Quando in conceſſione Apoſtolica dicitur, quod tantum Sacerdotes alicuius Eccleſiæ uti poſſint Altari privilegiato; per illos Sacerdotes non ſolum intelliguntur Canonici, aut Parochi illius Eccleſiæ, aut convictores, ſed alii etiam, qui eidem Eccleſiæ ſolent quomodocumque deſervire; ut Cantores, Organœdi habentes cooperaturam conditoriam expectantiam, ac in primis Beneficiati. Sic colligitur ex reſponſo Sac. Congregat. dato 1713. Menſ. Septembr. n. 3.

Notandum 6. Quando conceſſum eſt Altare privilegiatum perpetuum ſine clauſula expreſſe reſtrictiva ad dies non impeditos feſto duplici, ſatisfit obligationi celebrandi in eo Altari Miſſam *de Requiem*, ſi in eo dicatur Miſſa de Sancto. Ita declararunt Alexander VII. die 22. Ianuar. 1667., Clemens IX. die 23. Septembr. 1669. Conſtitut. quæ incipit *Cum felicis* Innocentius XI. 24. Maii 1688. Conſtitut. quæ incip. *Alius*, & noviſſime S. C. R. Urbis, & Orbis 15. Septemb. 1714. ſpecialiter approbante Clemente XI. die 29. eiuſdem menſis, & anni. Ex hic colligitur, tantum iis Miſſis, quæ ex fundatione Teſtatorum deberent eſſe *de Requiem*, ſatisfieri in Altari privilegiato celebrando de duplici; minime vero ſequitur, in Altari privilegiato celebrando de duplici, ſatisfieri univerſim etiam iis Miſſis, quæ ex voluntate perſonarum adhuc viventium, ac ſtipendium pro Miſſa *de Requiem* conferentium, celebrandæ ſunt *de Requiem*. Et ratio eſt; quia cum quilibet ſit rerum ſuarum moderator, & arbiter, poterit determinate conferre Miſſæ ſtipendium pro Miſſa *de Requiem*, & non pro Miſſa duplici: hoc modo etiam concordari poteſt reſponſum Sac. Congregat. de ann. 1725. 16. Iulii, ubi ita fuit declaratum; Privilegium in Altari privilegiato ad dies non impeditos ante declarationem Alexandri VII. conceſſum, non ſuffragari univerſim etiam diebus impeditis feſto poſt illam declarationem.

Notandum 7. In Altari privilegiato, etiam occurrente feſto duplici, legi poteſt

Miſſa de duplici pro Defunctis cum applicatione Indulgentiæ, quia numquam a Sac. Congregatione Rituum, vel Indulgentiarum, aliove decreto vetitum fuit legere de duplici in Altari privilegiato cum applicatione Miſſæ, & Collecta pro Defunctis; ſicque uti privilegio: ſed tantum prohibitum fuit, ne in feſto duplici dicerentur Miſſæ de Requiem. Neque etiam Sac. Congregatio, quando Altare privilegiatum concedit *pro Miſſis Defunctorum*, hoc termino intendit reſtringere Privilegium ad ſolas Miſſas *de Requiem*. Aliud enim eſt *Miſſa de Requiem*, & aliud *Miſſa Defunctorum*. Ille terminus eſt ſpecificus, ac ſignificat ritum determinatum. Iſte vero terminus *Miſſa Defunctorum* eſt terminus genericus, & nihil aliud importat, quam Miſſam applicatam pro Defunctis, ſive deinde celebretur ſub ritu mortuali, ſive de feſto. Neque obſtat quod Barboſa V. *Miſſa Defunctorum* dicatur afferre declarationem Congregationis Rituum, qua declaratur, per Miſſam Defunctorum intelligi Miſſam *de Requiem*; nam Sac. Congregatio non intendit declarare, quod univerſim ubicumque in Brevibus Apoſtolicis occurrit nomen *Miſſa Defunctorum*, debeat intelligi *de Requiem*; ſed ipſa potius declarat, terminum hunc *Miſſa pro Defunctis*, ſeu *Miſſa Defunctorum* habere duas ſignificationes, unam generalem, qualis eſt in Brevibus Apoſtolicis, aliam vero ſtrictiorem, ac forte famoſiorem, & uſitatiorem in communi uſu, propterea enim explicandi cauſſa dum adhibet hunc terminum, *Miſſa pro Defunctis*, addit; ſe hunc terminum hic & nunc accipere pro Miſſa *de Requiem*. Quod vero illa declaratio Rituum patiatur, & exigat hanc interpretationem, patet ex tenore Decreti hunc ſenſum admittentis, & ex eo quod intentio non erat Sac. Congregat. Altaria privilegiata reddere in tota Eccleſia inutilia pro feſtis duplicibus. Huiuſcemodi eſt tenor Decreti. *Cum Sanctiſſimus Dominus Noſter Alexander Papa VII. in Viſitatione Eccleſiarum Urbis acceperit, in plerisque Eccleſiis abuſum irrepſiſſe celebrandi Miſſas privatas pro Defunctis etiam in feſtis duplicibus contra præſcriptum Rubricarum Miſſalis Romani, eumdemque abuſum Decreto Congregationis eliminari præceperit; innotuerit vero Sacrorum Rituum Congregationi, huiuſmodi abuſum, etiam in aliis Eccleſiis ubique gentium exiſtentibus inductum pariter reperiri; Sacra eadem Congregatio, ut Miſſalis Rubricæ inviolate ſerventur, diſtricte præcepit omnibus, & ſingulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, &c. ut in poſterum dictam Rubricam ſervent, ita ut Miſſas privatas pro Defunctis, ſeu de Requiem in duplicibus nullatenus celebrare audeant. Quod ſi ex Benefactorum præſcripto Miſſæ hujuſmodi celebrandæ, incidant in feſtum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit, ſed dicantur de feſto currenti, cum applicatione ſacrificii juxta mentem eorumdem Benefactorum.*

Notandum 8. Diruta Eccleſia non perſeverare Altare privilegiatum, ut habetur ex reſponſo Sac. Congregationis 1712. menſe Iulio n. 6., & 1732. menſe Februar. n. 3. Si vero manente eadem Eccleſia, in renovatione Eccleſiæ conſtituantur loco priorum Altarium privilegiatorum nova Altaria, non amittitur privilegium; ſed perſeverat. Ita reſponſum fuit a Sac. Congregat. 1723. Menſe Febr. n. 1. & 3.

Notandum 9. Falſum eſſe, quod Confraternitati SS. Roſarii conceſſum fuerit Altare privilegiatum perpetuum, nulla amplius indigens confirmatione de ſeptennio ad ſeptennium. Sic reſpondit Sac. Congregatio 1729. Menſe Maio n. 2. Unde deciperetur populus, ſi in hac & ſimilibus Confraternitatibus Altare haberetur pro privilegiato, & non peteretur confirmatio Privilegii ſingulis ſeptenniis; quia in hac materia error populi non tribuit privilegium Altari.

Notandum 10. Indulgentias Altaris privilegiati, ſicuti & alias Indulgentias omnes pro Defunctis non ſuſpendi in Iubileo, ut conſtat ex declaratione Innocentii X., & Clementis X. quorum ſenſui cenſentur inhærere alii Pontifices in Bulla Iubilei. De priori aſſerit Gobat p. 2. cap. 26. n. 533. in tract. *de Iubileo*. Accedit declaratio Innocentii X. cuius teſtis omni exceptione maior eſt Diana; nam ipſo præſente, & audiente interrogatus SS. D. N. hebdomada præcedente in Examine Epiſcoporum, quidnam ſua Sanctitas velit determinatum de Indulgentiis pro illo anno Sancto circa Defunctos, & in articulo mortis? Reſpondit eas Indulgentias a ſe non revocatas. Hactenus Amort 323. q. 44.

Non licet recipere onera perpetua, ac fundationes ad Altaria privilegiata. Sic reſpondit Sac. Congregatio 14. Decemb. 1711.

Si in Altari privilegiato tantum, ſuperſit tantus numerus Miſſarum, ut omnibus ſatisfieri nequeat, remedium eſt ſupplicare Sac. Congregationem Indulgentiarum, ut Miſſæ re-

Digitized by Google

reſiduæ poſſint applicari in alio Altari, cum facultate, ut valeant, ac ſi celebratæ eſſent in Altari privilegiato. Exempla huiuſmodi habentur in reſponſis Sac. Congregationis 1710. Menſ. Novembr. n. 2. & 1714. Menſ. Maio n. 2. & 5.

Habens obligationem celebrandi in Altari privilegiato non ſatisfacit cum Nummiſmate, aut Imagine habente Indulgentiam transferibilem in Defunctos; quia non eſt tam certum conceſſam eſſe revera Indulgentiam huic Nummiſmati in individuo, quam eam eſſe conceſſam huic Altari. Hinc ob talem incertitudinem quaſi generalem circa Nummiſmata, & res ſimiles, conferens ſtipendium præſumitur rationabiliter eſſe invitus, ſi Sacerdos non celebret in Altari privilegiato. Aliter reſpondendum ſi certo, & non dubie conſtaret de alia voluntate dantis ſtipendium. Sic reſpondent Bonac., Gavant., Lugo, & alii, ideoque ob hanc ipſam auctoritatem ſententia eſt dubia, & eo ipſo cum verſetur in materia ubi agitur de damno tertii, non amplius licita in praxi.

Cæterum conditiones, ſub quibus concedi ſolent Altaria privilegiata, colligi poſſunt ex reſponſis Sac. Congregationis 1710. Menſ. Septembr. n. 5., 1712. Menſ. Martio, Menſ. Maio n. 2. & Menſ. Decembr. n. 3. eiuſdem anni; & 1713. Menſ. Auguſti n. 1., & 1715. Menſ. Septembr. n. 3., & 1720. Menſ. Ianuar. n. 4., & Menſ. April. eiuſdem anni n. 5.; & 1722. Menſ. Martio n. 5. Et hæc reſponſa habentur in *Hiſtoria Indulgentiarum* P. Amort.

## §. XLVI.

### *De Indulgentiis quotidianis pro Peregrinis.*

Aliquando ob celebritatem loci, & difficultatem aditus ſolent concedi ob concurſum, etiam non valde magnum, Indulgentiæ quotidianæ. Aliquando ſolet attendi ad numerum communicantium annuatim in ea Eccleſia, vel ad numerum proceſſionum ad eam Eccleſiam concurrentium. Nunc regulariter requiritur numerus centum millium peregrinorum ad novam conceſſionem, & nec tunc quidem ſemper conceditur, quando in vicinia eſt Eccleſia habens ſimilem Indulgentiam. Sed pro confirmatione ſemel obtentæ gratiæ, aliquando conceditur pro minori, dummodo Epiſcopus teſtetur, concurſum priorem, qui fuit motivum prioris conceſſionis, non fuiſſe imminutum. Hæc omnia colligi poſſunt ex reſponſis Sac. Congregationis 1712. Menſ. Februar. n. 4. Menſ. Iulii n. 4., 1733. Menſ. Ianuar. n. 5. eodem anno Menſ. Iulii n. 3.

## §. XLVII.

### *De Indulgentiis revocatis, & apocriphis.*

Nota 1. Indulgentia omnis revocari poteſt ab eo, qui eam conceſſit, antequam ſuum ſortiatur effectum, ut communiter DD. arguunt cap. *Omnis res* 1. de Regul. iur. in 6., *Omnis res per quaſcumque cauſſas naſcitur, per eaſdem & diſſolvitur.* Dicitur *antequam ſortiatur ſuum effectum*; quia ſi Indulgentia effectum ſuum iam conſecuta ſit, non poteſt amplius quoad illum revocari; nam remiſſio pœnæ ſemel facta, non poteſt amplius retractari, & divina clementia dimiſſa in ultionem, ulterius redire non patitur, ut ait Gelaſius Papa in cap. *Finali de Pœnit.* diſtinct. 4.

Nota 2. Ad hoc ut Indulgentia cenſeatur revocata pro omnibus, neceſſe eſt, ut ſufficienter eius revocatio promulgetur; quamvis enim revocatio Indulgentiæ ſit facta publice, & affixa Romæ Bulla illius revocatoria, non ſtatim tamen incipit ubique deſinere eius valor. Navarr. *de Iubil.* notabul. 31. n. 28., Gobat tract. 4. *de Indulgent.* p. 2. cap. 37. n. 666., & alii communiter arg. L. *Si Procuratorem* ff *de Procuratoribus*: Sed tamdiu in provinciis durat, quamdiu communi, & morali modo ad eas potuerit pervenire revocatio; quia alioquin orirentur maxima incommoda, & infinitæ propemodum deceptiones. Sic Suarez. t. 4. in 3. par. diſp. 57. ſec. 2. n. 9., & Gobat loco cit.

Nota 3. quando revocantur Indulgentiæ alicuius Eccleſiæ, aut Ordinis, non cenſentur revocatæ Indulgentiæ alteri loco, aut Ordini conceſſæ. Sic Navarr. *de Iubil.* notabul. 26. n. 8., Gobat loc. cit. n. 675.; quia etſi huiuſmodi Indulgentiæ a prioribus deperderint quoad productionem, non tamen pendent quoad conſervationem; ſicuti privilegia uni Academiæ inſtar alterius Academiæ privilegiorum conceſſa, non tolluntur, ſublatis illius alterius privilegiis, ut recte docet Baldus communiter receptus in l. *Omnia* cap. *de Epiſcop. & Cleric.* Immo revocatis Indulgentiis omnibus, quæ alicui Eccleſiæ ſunt conceſſæ, non cenſentur revocatæ illæ, quas habet unum, alterumve Altare illius privilegiatum; cum non ſit ta-



Digitized by Google

tio cur nomine Eccleſiæ intelligantur in hac odioſa materia etiam Altaria arg. cap. *Odia* 15. *de regul. iur.* in 6.; *Odia reſtringi*, *favores convenit ampliari*; Sic Gobat, Lezana verſ. *Bulla Cruciatæ* n. 41., Ferrar. art. 4. n. 2.

An vero in revocatione Bullæ alicuius, in qua varia continentur privilegia, cenſeantur revocatæ etiam Indulgentiæ in ea contentæ; notat Recentior, tunc inſpiciendam eſſe mentem Summi Pontificis revocantis. Si enim Pontifex innuet ſe revocare Bullam ex motivo devitandi contentiones, & querelas, ſignum eſt, eum tantum revocare voluiſſe privilegia contentioſa, quæ poſſunt aliis inferre præiudicium, & in tali caſu non cenſendæ ſunt revocatæ Indulgentiæ. Et hæc reſponſio patet ex reſolutione Sac. Congregat. data 1733. Menſe Ianuar. n 3. Si vero intentio Pontificis non reſtringatur manifeſto aliquo ſigno, ſub generali revocatione comprehenduntur etiam Indulgentiæ.

Variæ porro a variis Pontificibus revocatæ fuere Indulgentiæ, & 1. S. Pius V. Conſtitut. quæ incipit. *Etſi Domini ci* edita ſexto Kalendas Februar. 1567. revocavit Indulgentias omnes, quæ quæſtum continebant, & exinde dictæ *quæſtuariæ*, quæ fuerunt conceſſæ ſub conditione porrigendi manus adiutrices, ſeu dandi eleemoſynam ad fabricam Eccleſiæ aliudve pium opus. Et tales quæſtuariæ Indulgentiæ revocatæ fuere etiam a Concil. Trident. ſeſſ. 25. Decret. *de Indulgentiis*, & ſeſſ. 21. cap. 9. *de Reformat.*, & in eadem citata Bulla S. Pii V. habetur revocatio aliarum variarum Indulgentiarum. Quando vero in una eadem Bulla continentur duo diverſa Indulgentiarum genera, quarum aliæ ſunt quæſtuariæ, aliæ vero non ſunt quæſtuariæ, non cenſentur poſteriores revocatæ; quia *utile per inutile vitiari non debet*. Reſolutio patet ex reſponſo Sac. Congregationis dato 1715. Menſ. Ianuar. n. 2. ubi talis Indulgentia agnoſcitur pro valida.

Indulgentiæ conceſſæ a Concil. Baſilienſi, & Felice V. ſic in ſua obedientia dicto, vel ab eorumdem delegatis, non ſunt revocatæ, ſed potius confirmatæ a Nicolao V. per Bullam *ut pacis* datam an. 1449. 14. Kalendas Iulii, ubi expreſſe dicit, ſe pacis ſtudio confirmare omnes Indulgentias a Concil. Baſilienſi, Felice V., eorumque delegatis conceſſas.

Indulgentiæ conceſſæ per vivæ vocis oraculum ante Gregorium XV., & Urbanum VIII. probabilius comprehenduntur in revocatione Indulgentiarum, & privilegiorum emanatorum per vivæ vocis oracula ab iis Pontificibus facta, quia etiam Indulgentiæ, aliquando proprie ſunt Indultum, & quia eadem certe, ſi non maior, erat ratio revocandi huiuſmodi Indulgentias, cum maniſeſtum ſit, ex allegationibus talium vivæ vocis oraculorum, in œconomia Indulgentiali oriri ingentem confuſionem. Et ſtylus Sac. Congregationis dictum confirmat, eo quia ipſa non ſtatim tales confirmat Indulgentias vivæ vocis oraculo conceſſas, nec eas de novo concedit; immo ſi de novo concederet, eas abrogatas agnoſceret, ut patet ex reſponſo dato an. 1715. Menſ. Ianuar. n. 2. ubi ſupplicatum fuit pro nova talis Indulgentiæ conceſſione, adeoque eo ipſo ex parte Oratorum dubitatum eſt de eorum valore anno 1718. Menſ. Februar. n. 4., & alias poſtea abſolute ſemper denegata fuit huiuſcemodi Indulgentiarum confirmatio. Idcirco huiuſmodi Indulgentiarum valor ad minimum dubius eſt, & ob hanc ipſam dubietatem non amplius licet eas promulgare per Decretum *de Indulgentiis dubiis*.

Urbanus VIII. &c. alias ſ. r. Gregorius XV. ut ſubnaſcentibus iugiter variis difficultatibus, & abuſibus ex Privilegiis a Sede Apoſtolica vivæ vocis oraculo ſæpenumero conceſſis obviam iret, Conſtitutionem edidit tenoris ſequentis ... *Romanus Pontifex &c. Cum autem experientia rerum Magiſtra compertum ſit, conceſſiones, & gratias vivæ vocis oraculo etiam a S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipſorum manu firmatas, ſæpe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in Diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentum executioni demandari; idcirco his, & aliis malis occurrere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia omnia, & ſingula privilegia, facultates, licentias, & gratias quaſcumque per Summos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac per nos vivæ vocis oraculo, & S. R. E. Cardinalium quorumcumque manu firmatas, quibuſcumque Generalibus, Superioribus, & Perſonis cuiuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatibus ſive Sæcularibus, ſive Regularibus, ſive ipſis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Societati Ieſu, aut eius Clericis, vel Presbyteris, aliiſque Perſonis prædictis, quacumque de cauſa &c. illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes revocamus &c. etiamſi pro illorum derogatione*

*de*

*de illis expreſſa mentio habenda foret &c. Romæ* 30. *Decembr.* 1631.

Notandum 1. Quando in Bulla Indulgentiaria habetur hæc clauſula, ut numquam poſſit revocari, niſi in Bulla revocatoria fiat expreſſa mentio omnium articulorum, quibus hæ Indulgentiæ conſtant, per revocationem generalem non cenſebitur revocata v. g. his verbis; *Revocamus quaſcumque Indulgentias a Nobis, vel a Prædeceſſoribus noſtris conceſſas*, ſed ad eius revocationem requiritur, & ſufficit, ſi in Bulla revocatoria habeantur iſta verba, vel ſimilia; *Revocamus omnes Indulgentias, etiam illas, quarum de verbo ad verbum oporteret facere expreſſam mentionem*. Ita communiter. Cenſet tamen Amort, inſpiciendam eſſe intentionem Summi Pontificis, & motiva, ut ſi merito timeatur, eum in Bulla revocatoria voluiſſe reſpicere etiam ad Indulgentias alioquin exceptas; eo ipſo tales Indulgentiæ habendæ ſunt pro revocatis, aut certe dubiis; adeoque non ſunt amplius promulgandæ ob Decretum *de Indulgentiis dubiis non promulgandis*.

Notandum 2. eodem modo diſcurrendum eſſe de Indulgentiis conceſſis pro Defunctis, & in Articulo mortis, licet Gobat cum aliquibus aliis cenſeat haſce Indulgentias per clauſulam hanc, vel ſimilem, *Revocamus omnes Indulgentias, quibuſcumque Ordinibus, & perſonis Regularibus, aut Sæcularibus quovis modo conceſſas, confirmatas, innovatas* non revocari. Advertit tamen Recentior, tunc inſpiciendam eſſe mentem Summi Pontificis, & de illa ſumendam coniecturam ex circumſtantiis, puta, ſi Papa in Bulla revocatoria alias largiretur Indulgentias pro articulo mortis, prout factum eſt in Bulla revocatoria Pauli V., vel ſi concederet alias pro Defunctis; quia tunc, ait, quod non dubitaret priores revocatas eſſe. Idem dicendum circa Altaria privilegiata. Cæterum univerſim in re huiuſmodi attendenda eſt illa regula Criticæ de interpretatione; *Propoſitio univerſalis* ( v. g. revocatoria ) *eam habet univerſalitatem, ad quam pronum erat loquenti reſpicere*.

Notandum 3. Indulgentia haberi poteſt pro authentica, quando etiam habeatur ſolummodo *copia* authenticæ conceſſionis in forma factæ; & hoc patet ex Reſponſione Sac. Congregationis factæ an. 1711. Menſ. Februar. n. 2. *Copia* tamen non eſt authentica, quam non conſtet ſumptam ex Originali.

Paulus V. ſua Conſtitut. quæ incipit, *Romanus Pontifex* data die 23. Maii 1606. revocavit Indulgentias omnes per ſuos Prædeceſſores Summos Pontifices conceſſas quibuſlibet Regularibus cuiuſvis Ordinis, aliaſve de novo conceſſit.

Notandum, quod non obſtante dicta Conſtitutione Pauli V. poſſunt Regulares conſequi Indulgentias omnes, quas conſequi poſſunt ſæculares; ſic communiſſime DD.; cum Regulares non debeant eſſe deterioris conditionis quam ſæculares; tum quia, generatim loquendo, non ſunt revocatæ niſi Indulgentiæ, quæ directe conceſſæ erant Regularibus, ut conſtat ex verbis ipſius Conſtitutionis Pauli V., cum ibi dicat Pontifex, a ſe revocari Indulgentias *quibuſcumque Ordinibus, & inſtitutis Regularibus, & quibuslibet Regularibus perſonis conceſſas*. Indulgentiæ vero revocatæ a Paulo V. ipſis Regularibus conceſſæ, non cenſendæ ſunt hodie revalidatæ, ut patet ex propoſitione 37. inter damnatas ab Alexandro VII. die 18. Martii 1666. ubi ſic; *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V., hodie ſunt revalidatæ*.

Item S. Congregatio Indulgentiarum edidit duo ſummaria impreſſa Indulgentiarum apocripharum, ſive quæ revocatæ erant ab Apoſtolica Sede, unum quorum impreſſum fuerat Papiæ per Carolum Ioſephum Aſtorinum ann. 1712, continens indulgentiarum ſeriem, ac favorum privilegiorumque, quæ dicebantur conceſſa Ordini Tertiariorum, ac Tertiariarum S. Franciſci; alterum typis mandatum Ulyſipone ab Antonio Gaeebch de Melo, quod inſcriptum erat *Summario del teſoro Celeſte di indulgenze, facoltà, e privilegi* &c.

## §. XLVIII.

### *De loco, quem habeat probabilitas in materia Indulgentiarum.*

Certum eſt, quod prætermittens conditionem aliquam, modum, vel partem operis præſcripti, quam iuxta opinionem probabilem, aut etiam probabiliorem credebat non eſſe neceſſariam, non lucratur Indulgentiam, ſi illa conditio, modus, aut pars operis præſcripti revera in mente concedentis requiſita ſit. Sic communiter; & ratio eſt; quia opinio probabilis, aut etiam probabilior, non poteſt facere, ut actualiter conceſſum fuerit, quod actu conceſſum non eſt, quod tamen ad valorem Indulgentiarum, quæ ſe habent per modum abſolu-

Digitized by Google

tionis, abſolute requiritur, cum ad abſolutionem validam non ſufficiat voluntas abſolvendi præſumpta, ſed requiratur actualis. Nec obſtat, quod Sacerdos errore communi cum titulo colorato habitus pro vero Parocho valide abſolvat; quia iuriſdictio ſuppleri poteſt per voluntatem præſumptam; voluntas autem abſolvendi ſuppleri nequit per voluntatem præſumptam. Nec obſtat inſuper, quod Tannerus teſte Gobat n. 712. aſſeruerit, ſe audiviſſe ex ore viri digniſſimi, Urbanum VIII. aliquando interrogatum, generatim de interpretatione verborum Indulgentias proponentium, reſpondiſſe: *Suam, ſediſque Apoſtolicæ mentem hanc eſſe, ac voluntatem, ut eæ valeant eo modo, quo prudentes, pii, doctique Theologi exiſtiment valere*; quia ſicuti non decet voluntatem Teſtatoris valere, qui vult relinquere confectionem Teſtamenti voluntati alienæ; ita non decet, ut Pontifex relinquat valorem Indulgentiarum, ac reſpective conceſſionem ad hanc, vel illam circumſtantiam variæ ſemper opinioni Theologorum; adeoque ſenſus ſemper intendibilis reſponſi Pontificii ſolum poteſt eſſe hic, quod Urbanus VIII. dicat, ſuam, & ſummorum Pontificum actualem voluntatem ſaltem implicitam ex legibus prudentiæ œconomicæ reſpicere ad eaſdem conditiones, modos, circumſtantias, tamquam requiſita eſſentialia, ad quas plerique Theologi idonei cenſuerint fuiſſe a Pontifice reſpiciendum voluntate legali, *iuxta rationem melioris debuit velle*, cuius voluntatis ſignum eſt iudicium prudentum Theologorum, ideſt idoneorum in unam ſententiam conſpirantium.

Secundo non licet publicare, ſeu promulgare Indulgentias dubias, etiamſi probabiles, aut etiam probabiliores; quia Eccleſia non habet rationem ſufficientem, aut neceſſitatem proponendi populo Indulgentias dubias, ubi labor ex parte Fidelium eſſet certus, & fructus incertus, maxime hoc tempore, quo tanta eſt Indulgentiarum certarum copia. Nec obeſt, quod Eccleſia in aliis materiis, v. g. cultu Reliquiarum, aliiſque actibus religionis publicis, ſequatur probabilitatem; quia ibi datur idem fructus, ac meritum etiam in ſuppoſitione falſa, non ſecus ac in vera; cum cultus v. g. ſit relativus ad Deum eumdem, etiamſi Reliquia ſit falſa.

Quando Indulgentia, quæ habebatur pro certa, incipit fieri dubia, datur obligatio inquirendi apud Sac. Congregationem certam loco dubiæ, aut abſtinendi ab ulteriori promulgatione: Quia non decet, Populum ſollicitare ad lucrandas Indulgentias dubias, ne quidem ſi moneatur de dubietate, cum id Religioni ſit parvum honorificum; & obſtat Decretum *de non promulgandis Indulgentiis dubiis*, quod Decretum cum ſit favorabile honeſtati noſtræ Religionis, debet eſſe amplæ interpretationis, ideoque extendendum ad omnes Indulgentias dubias, etiam eas, quæ ſunt actualis poſſeſſionis. Neque obſtat, quod ſit favorabilior cauſſa poſſidentis; quia id verum eſt, quando ex parte poſſidentis agitur de vitando damno tertii, non vero quando agitur de lucro captando, & quidem cum dedecore, ac damno boni, aut honoris publici.

# TRACTATUS
# DE CENSURIS.

## CAPUT I.

### *De Cenſuris in genere.*

### §. I.

### *De nomine, & natura Cenſuræ.*

Quid nomen Cenſuræ.

CEnſuræ nomen multipliciter uſurpatur. Sumitur enim quandoque pro quovis iudicio de re aliqua, quando notatur quod in ea laude dignum ſit, quod reprehenſione, ſeu vituperio, iuxta illud Ovidii Faſtor. 6. *Sic agit cenſura, & ſic exempla parantur*. Cenſura olim nomen fuit dignitatis, & officii, quo *Cenſor* ille dicebatur, cuius erat, præcipue apud Romanos, inſpicere mores populi, corrigere, reprehendere, ac mulctare; quare de Catone, qui munus hoc exercuit, ſcripſit Plinius l. 14. cap. 4. *Ille primus triumpho, & cenſura ſuper cæteros inſignis*. Inde nomen cenſuræ derivatum eſt ad ſignificandam ipſam Catonis

Digitized by Google

nis ſententiam, qua diſcolos frenabat: & hæc ſententia accipi poteſt active ex parte iudicis pro ipſa inflictione pœnæ, & paſſive pro ipſo damno, & incommodo, quod ex tali punitione, ac ſententia in reo reſultat; & in hoc ſecundo ſenſu ſumitur ab Eccleſia vocabulum cenſuræ, videlicet prout ſignificat correctionem, ſeu pro illa pœna, ſeu privatione ſpiritualium bonorum, qua per ſententiam alicuius ſui Iudicis, delinquentes, contumaceſque ſuos filios corrigit, & caſtigat. Unde

Definitio Cenſuræ. Cenſura iuxta Theologorum ſtylum definiri poteſt, ſeu potius deſcribi; *Pœna eccleſiaſtica ſpiritualis, ac medicinalis fori exterioris ob gravem culpam cum contumacia, ab eccleſiaſtica poteſtate illata ad tempus fideli baptizato, qua immediate privatur uſu præcipue aliquorum ſpiritualium bonorum communium diſpenſationi Eccleſiæ commiſſorum, donec a contumacia recedat.*

Dicitur 1. *pœna*; ut diſtinguatur ab Irregularitate, quæ ex ſua ratione generica non eſt pœna, cum omnis pœna ſupponat culpam, & tamen plures Irregularitates contrahuntur ex ſolo defectu corporis, vel animi, ſine ulla quavis culpa: Cenſura vero ſemper ſupponit culpam, ac ideo dicitur pœna, ut ſignificetur non inferendam eſſe niſi propter culpam; qua proinde deficiente nulla cenſura poteſt ligare fideles; dicitur enim cap. 2. *de conſtit. rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*; & in hoc convenit cenſura cum aliis rebus pœnalibus; differt vero a peccato mortali, quia licet per illud privetur homo gratia & charitate, & ab Euchariſtia, aliorumque Sacramentorum participatione repellatur, non tamen eſt per modum pœnæ, ſed culpæ, & ideo non eſt cenſura. Quocirca errat Gabriel, dum ait in 4. diſt. 18. q. 2. per quodcumque peccatum mortale peccatorem incurrere Cenſuram, nimirum excommunicationem minorem, & quod privetur per illud gratia, & virtutibus infuſis, uſuque paſſivo Sacramentorum; quia non quæcumque indignitas ad recipienda Sacramenta eſt Cenſura, ſed quæ per pœnam Eccleſiaſticam, ab Eccleſiaſtica poteſtate illatam, incurritur. Idcirco dicitur 2. *pœna Eccleſiaſtica*, quia infligi nequit niſi a poteſtate Eccleſiaſtica, & quidem ex iure divino iuxta illud Matthæi 16. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram*; & 18., *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*; hoc eſt a fidelium communione ſegregatus, ut hic locus communiter explicatur. Eſt enim Cenſura privatio bonorum ſpiritualium, quæ laici non habent in ſua poteſtate, nec proinde auferre poſſunt, cap. *Iudicatum* 5. diſtinc. 89. cap. *Decernimus* 2. de *Iudic.* Dicitur 3. *ſpiritualis*, quia differt Cenſura Eccleſiaſtica a pœnis exterioribus, puta carceris, exilii &c., quas decernit & infligit civilis ſæcularis poteſtas. Dicitur 4. *Medicinalis* ex cap. 1. *de ſentent. Excommunicat.* in 6., quia Cenſura Eccleſiaſtica non eſt pœna vindicativa delicti iam patrati, ſed potius eſt pœna medicinalis intendens futuram correctionem chriſtiani delinquentis, ideſt inobedientis Eccleſiaſticæ poteſtati aliquid ſub Cenſura iubentis, aut prohibentis; fertur enim ad avertendum, revocandumque hominem a peccato, ideſt ad corripiendum delinquentem obſtinatum in ſua culpa. Quocirca Cenſura ex Eccleſiæ intentione non eſt perpetua, ſed tolli debet a Superiore cum reus ſe emendavit, & ſatisfecit. Hinc diſtinguitur Cenſura a Depoſitione, & Degradatione, quæ cum ſint in meram vindictam, infliguntur pro ſemper. Per depoſitionem quippe Clericus in perpetuum privatur omni Beneficio, & officio clericali ſine ulla ſpe veniæ, etiamſi ad meliorem frugem ſe recipiat, & ſatisfactionem afferat. Per Degradationem vero privatur privilegio clericali, ac redigitur ad Laicorum Ordinem. Dicitur 5. *Fori exterioris*; quia huiuſmodi pœna imponi debet ab eo, qui iuriſdictionem habet in foro iudiciali, & contentioſo. Unde pœnæ, quæ a Confeſſario in foro conſcientiæ imponuntur, non habent rationem cenſuræ. Dicitur 6. *Ob gravem culpam*; quia, ut iam diximus, cum ſit pœna, ſupponit culpam, alias eſſet iniuſta, ad differentiam tum Irregularitatis, quæ cum non ſit pœna contrahitur nonnumquam etiam ob inculpabilem defectum, ut notavimus, tum ceſſationis a divinis officiis, a quibus abſtinere debent etiam inſontes, non in pœnam, ſed in ſignum doloris ob iniuriam Eccleſiæ illatam.

Nec valet hic dicere, Ceſſationem a divinis eſſe interdictum locale, quod eſt cenſura; quia ceſſatio a Divinis indici poteſt ab inferiore adverſus ſuperiorem per modum iuſtæ defenſionis ex Cap. *Quamvis de Offic. Ordinarii* in 6. ubi Capitulum Cathedrale Eccleſiæ indicere poteſt ceſſationem a Divinis contra perſonam ipſum iniuſte gravantem, cuiuſcumque illa ſit dignitatis, & præeminentiæ; Cenſura autem ferri non poteſt niſi a Superiore in inferiorem.

Item

Digitized by Google

Item quia violans cenſuram incurrit irregularitatem, quam e contra non incurrit; qui violat ceſſationem a Divinis, licet peccet, & ſi ſit Regularis incurrat pœnam excommunicationis ex Clement. *Ex frequentibus*.

Dicitur *ob gravem culpam*; quia iniuſtum eſſet, ut ſupra dixi, imponere ei, qui leviter tantum peccavit, gravem pœnam, ſicuti eſt Cenſura totalis, & completa. Dico *totalis*; quia ſunt aliquæ cenſuræ partiales, ut excommunicatio minor, ſuſpenſio ad breve tempus, & ab aliquo tantum officio non neceſſario, quæ non neceſſario ſupponunt culpam gravem vel propriam, vel alienam. Propria quidem requiritur ad Excommunicationem, quæ eſt omnium cenſurarum graviſſima; aliena vero ſufficit ad Interdictum, & Suſpenſionem. Quocirca excommunicatio ferenda non eſt in communitatem, ſed in privatas perſonas ex cap. *Romana Eccleſia* tit. *de ſententia excommunicationis* in 6. E contra vero Interdictum, & Suſpenſio ferri poſſunt in Collegium propter gravia crimina ibi commiſſa. Hic tamen obſervandum, quod ut grave peccatum ſit materia Cenſuræ, neceſſe eſt, ut actus ſit tum externus ex cap. *Erubeſcant* diſt. 32., tum completus, puta ſimonia ex utraque parte completa, niſi aliud in lege exprimatur, ut communiter Theologi, cum lex aliquando pœnam extendat ad actus ultimos præcedentes, ad mandantes, & conſulentes, etiamſi non ſequatur ultimus actus; Unde in Bulla Pii V. excommunicantur Simoniaci confidentiarii; item per Conſtit. Clement. VIII. provocantes ad Duellum, & acceptantes, tametſi Duellum non ſequatur. Dicitur 7. *cum contumacia*, ideſt cum præcepti, & pœnæ contemptu, ut ex cap. conſtit. *de ſent. excommunicat.* in 6., ubi Gregorius X. in Concil. Lugdunenſi decernit, irritam eſſe excommunicationem, niſi præcedat trina monitio. Dicitur 8. *ab Eccleſiaſtica poteſtate illata*, cum enim Cenſura ſit pœna ſpiritualis privans ſpiritualibus bonis, non poteſt ferri a poteſtate ſæculari, ut antea iam notavimus, apud quam non ſunt ſpiritualia bona, ac proinde hæc non poteſt ipſis ſpoliare. Dicitur 9. *ad tempus*; cum enim Cenſura ſit in remedium, non in vindictam, non debet eſſe perpetua, ſicuti depoſitio, & degradatio: Dicitur 10. *Fideli baptizato*; quia Cenſura ut pœna ab Eccleſia inducta, illos tantum ligare poteſt, qui eiuſdem ſubiacent iuriſdictioni, cuiuſmodi ſunt Fideles baptizati, reſpectu quorum tantummodo habet Eccleſia ſpiritualem iuriſdictionem; *Quid enim mihi* ( ait Apoſtolus 1. Corinth. 5. ) *de iis, qui foris ſunt iudicare?* Immo ipſi baptizati non ſubiiciuntur cenſuris, niſi ſint adulti, & ratione utantur, alioquin non eſſent capaces peccati, ac ideo nec Cenſuræ, quæ neceſſario, ut diximus, culpam præſupponit. Dicitur 11. *qua immediate privatur uſu præcipue aliquorum ſpiritualium bonorum communium*, ut intelligatur, Cenſuram non ſolum infligi per modum privationis, ſed etiam privare illorum tantummodo bonorum ſpiritualium, quæ immediate adminiſtrat Eccleſia, non aliorum; non enim poſſunt puniri peccatores per collationem alicuius pœnæ ſpiritualis, quæ in hac vita vix inveniri poteſt, per quam homines punirentur. Dicitur *aliquorum bonorum ſpiritualium*; quia non privat uſu omnium. Sunt enim in Eccleſia quædam bona, quæ a Paſtorum miniſterio pendent; alia, quæ a Chriſto immediate conferuntur. Unde pro faciliori huius rei intelligentia:

Adverte, quod ſicuti in corpore humano triplicis generis ſunt bona 1. ſpiritus vitales, & animales, qui immediate fluunt a capite. 2. Exterior membrorum, ac totius corporis apta gubernatio, quæ eſt quidem a capite, ſed mediantibus organis. 3. Ipſorum membrorum inter ſe communio, quia mutuo ſe iuvant ut 1. Corint. 12. *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*. Simili modo ſunt in Eccleſia aliqua bona, quæ Chriſtus tamquam caput per ſe ipſum influit, nempe dona gratiarum, ac virtutum; alia, quæ nonniſi per miniſtros communicat, ut Sacramenta, beneficia &c.; & alia tandem, quæ exurgunt ex communi membrorum unione, & compage, ut ſuffragia orationum, & mutua ſubſidia ſocietatis fidelium in civilibus: bona primi generis, ut gratia ſanctificans, & actualis fides, ſpes, charitas, aliæque virtutes, & dona, quæ cum gratia infunduntur, quæ ſunt privata, & propria recipientis, non auferuntur niſi per peccatum, quod ſeparat a Chriſto. Hinc Cenſura excommunicationis non impedit, quominus excommunicatus auxilia ſupernaturalia a Chriſto recipiat, quibus excitatur, ac movetur ad perfectam contritionem, quam gratia ſanctificans ſtatim ſubſequitur. Cenſura igitur non privat niſi bonis ſecundi, & tertii generis, quorum adminiſtratio ad Eccleſiam pertinet, quod exprimunt ſubſequentia verba definitionis, *diſpenſationi Eccleſiæ commiſſorum*. Verum cum ſint quæ- Quibus bonis privet cenſura.

dam

dam bona temporalia, ſeu corporalia, quæ ad finem ſpiritualem ordinantur, privat ſpiritualibus directe, temporalibus, & civilibus indirecte, quatenus eius iuriſdictio, quæ directe eſt ſolummodo circa res ſpirituales, & Eccleſiaſticas, indirecte extenditur ad res temporales, & civiles ſecundum quod ad finem ſpiritualem conducunt; ita ſecundum quod ad ſupernaturale eorum bonum conveniens iudicat, poteſt privare fideles corporalibus eorum bonis, ut infra videbimus. Dicitur tandem *donec a contumacia recedat:* Nam licet ad aliorum terrorem multoties cenſura feratur, ut quando fertur contra eos, de quorum correctione nulla habetur ſpes, iuxta illud Proverb. 21. *mulctato peſtilente, ſapientior erit parvulus*; præcipue tamen reſpicit Eccleſia in cenſuris infligendis, ut per eas hominum contumaciam contundat, eoſque ad obſequium efficacius revocet, ideſt eas infert, ut delinquens emendetur, & ad meliorem frugem revertatur, idcirco ſtatim ac tollitur contumacia, & ſequitur emendatio, datur abſolutio.

### §. II.

*De numero, ſeu diviſione Cenſurarum.*

Non conveniunt Theologi in aſſignando, ac ſtabiliendo numero Cenſurarum. Alii enim, ut Guttier, S. Thomas, aliive, contendunt, ſpecies Cenſurarum non eſſe illas tres tantummodo, quæ communiter circumferuntur, ſed ſeptem, nimirum Excommunicationem, Suſpenſionem, Interdictum, Ceſſationem a Divinis, Depoſitionem, Degradationem, & Irregularitatem ex delicto. Alii, ut Sotus, Bannez, Covarruvias, volunt eſſe quinque, Excommunicationem, Suſpenſionem, Interdictum, Ceſſationem a Divinis, & Irregularitatem ex delicto; unde excludunt a ratione Cenſuræ Depoſitionem, & Degradationem. Alii tandem & verius, ac communius cenſent tres tantum eſſe Cenſurarum ſpecies, ſcilicet Excommunicationem, Suſpenſionem, & Interdictum; & hoc confirmant ex Cap. *Quærenti 20. de verbor. ſignificatione*, ubi ſic docet Innocentius III. qui interrogatus quid intelligendum ſit in Bullis Pontificum nomine cenſuræ, reſpondit in eodem capite, quod per eam clauſulam ſolitam apponi in litteris Pontificiis, *non ſolum Interdicti, ſed ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententia valeat intelligi*. Unde ſi aliæ eſſent cenſuræ præter has tres ibi ab Innocentio expoſitas, ipſius Innocentii reſponſio mutila eſſet, & manca, (non ſecus ac ſi quis conſultus quid nomine Sacramenti intelligatur in iure, reſponderet, eo vocabulo intelligi Baptiſmum, Euchariſtiam, & Pœnitentiam, quæ reſponſio plane imperfecta foret inſufficiens, & incongrua, cum præter iſta ſint alia quatuor Sacramenta) Quia reſponſio Pontificis ad quæſitum eſt doctrinalis, & dogmatica; Propoſitio autem dogmatica, & doctrinalis in iure poſita æquivalet univerſali. Unde cum tres tantum Cenſuræ ſpecies notet Pontifex in ſua reſponſione, idem eſt ac ſi diceret: omnis cenſura in hiſce tribus continetur. Inſuper in iure quando ſermo habetur de cenſuris, ſemper enumerantur tres illæ recenſitæ, Suſpenſio nempe, Interdictum, & Excommunicatio, abſque eo quod ulla fiat mentio irregularitatis, depoſitionis, degradationis, ceſſationis a Divinis Cap. 1. *His qui*, Cap. *Statutum de ſent. excommunicationis in 6.* Præterquam quod cenſura eſt pœna, cum cenſuræ ferantur in contumaces ut reſipiſcant, & ad Eccleſiæ obſequium revertantur, ac ideo non ſunt perpetuæ; idcirco nomen cenſuræ non convenit niſi tribus ſupra relatis ex cit. cap. *Quærenti* 20. Innocentii III., & minime aliis, quas contrariæ ſententiæ recenſent. Nam aliæ vel non ſunt pœnæ contra contumaces ad eorum correctionem, ut irregularitas, quam incurrunt etiam inſontes, & ceſſatio a divinis, quæ ſi diſtinguatur ab interdicto non eſt proprie pœna, ſiquidem tam pro nocentibus datur quam pro innocentibus, omnes enim propter illam debent ſe a divinis abſtinere in ſignum mœroris Eccleſiæ propter deſpectum & inobedientiam ſubditorum: Et ſi etiam eſſet pœna, non tamen eſſet cenſura, & ideo qui ceſſationem a divinis violaret, ſecundum Navarrum cap. 27. n. 188., Silveſtr. verbo *ceſſatio a divinis*, non incurreret irregularitatem. Vel ſi aliæ ſunt pœnæ, non ſunt tantum medicina reorum, ut per eas delinquentes reſipiſcant, & ut ad debitum Eccleſiæ obſequium reducantur, ſed tantum in reorum vindictam, aliorumque terrorem, ut ſunt depoſitio, & degradatio: Etenim hæ ſunt quædam pœnæ contra incorrigibiles, quos Eccleſiaſtica cenſura non emendavit, perpetuo inhabilitantes peccatorem ex natura ſua ad uſum rerum ſpiritualium. Quare huiuſmodi pœnæ non ſunt temporaneæ, ſicuti tres ſupramemoratæ, donec ſcilicet contumaces convertantur, ſed perpetuæ; non enim auferuntur poſt reſipiſcentiam; ita ut quando depoſitio eſt tempora-

nea,

Digitized by Google

nea, non eſt vera depoſitio, ſed ſuſpenſio. Et graviter confirmatur hæc ſententia a ſtylo Curiæ Romanæ, qui talis eſt, ut cui datur facultas abſolvendi a cenſuris, ei non cenſetur conceſſa facultas diſpenſandi ſuper irregularitatem, depoſitionem, & degradationem, ut notat cum aliis Habertus. Igitur cum ſtylus Romanæ Curiæ ius faciat, ut colligunt Canoniſtæ ex cap. 6. *de crimine falſi*, ſequitur, irregularitatem non eſſe cenſuram. Unde in hoc etiam differunt recenſitæ cenſuræ ab Irregularitate & aliis, quas cenſuras volunt adverſarii, quod cenſuræ tollantur per abſolutionem, aliæ vero per diſpenſationem; ſive relaxationem legis, quæ ex vi ſua petit perpetuitatem. Et hoc patet ex pluribus facultatibus, ſeu privilegiis Ordinum Regularium, in quibus 1. conceditur facultas abſolvendi a cenſuris, poſtea diſpenſandi in irregularitate ex delicto.

Dividitur etiam cenſura ex parte cauſſæ efficientis, in eam quæ a iure eſt, & in eam quæ eſt ab homine, tametſi omnis cenſura ab homine iuriſdictionem habente Eccleſiaſticam feratur; nihilominus ſupervacanea cenſeri non debet hæc diſtinctio, ſeu diviſio cenſuræ a iure, & ab homine; quia cenſura a iure ea intelligitur, & dicitur, quæ fertur a Superiore per legem, vel ſtatutum perpetuum; unde hi ſolum, qui legem, ac ſtatuta condere poſſunt, ut eſt Summus Pontifex, Concilia Generalia pro tota Eccleſia, Epiſcopus in ſua Diœceſi, cenſuras a iure imponere poſſunt. Quocirca Cenſuræ a iure continentur in Canonibus, decretis Conciliorum, vel ſtatutis Epiſcoporum. Cenſura vero ab homine ea eſt, quam ferre poteſt quilibet particularis Superior, qui iuriſdictionem habet Eccleſiaſticam in foro exteriori per præceptum tranſitorium, aut ſententiam iudiciariam.

Cenſura a iure non ceſſat morte Legiſlatoris a quo lata fuit, ſed ſemper durat, ſicuti lex & ſtatutum, niſi per ſucceſſorem revocetur. Cenſura vero ab homine expirat morte, aut amotione Superioris, qui eam tulit; quia valor cenſuræ pendet a poteſtate ferentis: hac igitur ablata, vel ſuſpenſa, etiam cenſura vel aufertur, vel ſuſpenditur. Hoc tamen intellige, dummodo forſan ante mortem, vel amotionem Superioris, puta tranſitum Epiſcopi ad alium Epiſcopatum, non fuerit contracta quia tunc ſemper durat uſque dum abſolutio obtineatur, ex iure communi decernente, cenſuram ſemel incurſam, uſque ad abſolutionem durare.

Item ex parte ſubiecti dividitur cenſura in generalem & particularem. Generalis eſt illa, quæ fertur in omnes, & hæc ſemper fertur ſub conditione peccati futuri, ut impediatur. Particularis vero eſt illa, quæ fertur in particulares perſonas; ut ſi Epiſcopus aliquem, vel aliquos excommunicet uſque dum ablata reſtituant, vel a peccato recedant, & hæc fertur ob delictum præteritum, ut emendetur, vel pro illo fiat ſatisfactio: poteſt imponi aliquando ſub conditione v. g. niſi reſtituatur, aliquando abſolute. Sic Salmantic. cum aliis multis.

Dividitur inſuper ex parte formæ in eam quæ eſt *latæ ſententiæ*, quæ ipſo facto ligat ante ſententiam Iudicis, ideſt quæ contrahitur ipſo facto, ſeu ſola culpæ admiſſione, ſine ulla iudicis ſententia; & in eam, quæ eſt *ſententiæ ferendæ*, quæ non contrahitur niſi accedente iudicis ſententia, ideſt non contrahitur niſi poſtquam per iudicis ſententiam declaratur, me incidiſſe in caſum, cui comminata eſt cenſura, ac ideo hæc cenſura vocatur comminatoria. Harum autem differentia, ſcilicet qualis harum ſit, dignoſcenda eſt ex verbis quibus fertur cenſura. Cenſura enim tunc eſt latæ ſententiæ, quando adhibeantur; *ipſo facto*, *ipſo iure*, *ex nunc*, *ſtatim*, *illico*, *prorſus*, *continuo*, *confeſtim*, *mox*, *protinus* &c. *excommunicetur*, *vel ſuſpendatur*. Vel ſi feratur per verba de præſenti, aut de præterito indicativi modi activi, vel paſſivi, v. g. ſi dicatur, *excommunicamus*, vel *excommunicatur*, *ſuſpenditur*, vel præteriti temporis v. g. *eſſe excommunicatus*, *ſuſpenſus*, *vel volumus eſſe excommunicatum*, *ſuſpenſum*. Itidem ſi verba ſint imperativi modi, nec dirigantur ad Iudicem, nec actionem eius exigant, ut *Subiaceat excommunicationi*, *incidat in excommunicationem*, *maneat ſuſpenſus*, *interdictus*, *habeatur pro excommunicato*, *ſit excommunicatus*, *ſuſpenſus*, *anathema ſit* &c. Hæc enim forma anathematizandi frequens eſt in Conciliis adverſus Hæreticos, & præſertim in Tridentino. Certum eſt autem voluiſſe Concilia ſub illa forma damnare, & anathematizare. Tunc vero Cenſura eſt ſolummodo ferendæ ſententiæ, ſi feratur per verba, quæ iudicis actionem requirant, vel ſignificent, *ut excommunicetur*, *ſuſpendatur*, *ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur*, *decernimus excommunicandum*, *ſuſpendendum* &c. Item ſi verbis de futuro explicetur; *excommunicabitur*, *ſuſpendetur*, vel ſi verba ſint minatoria, ut *ſub pœna excommunicationis*, *ſuſpenſionis* &c.; niſi tamen ex adiunctis aliud colligatur, vel ex

ex aliquibus verbis additis, ut ſi dicatur *ſub pœna excommunicationis ſtatim incurrenda*, vel *cui ſtatim, confeſtim ſubiaceat*. Quod ſi dubium ſit, an uno, vel alio modo cenſura feratur, intelligendum eſt non de cenſura *latæ ſententiæ*, ſed *ferendæ*; quia in rebus pœnalibus, uti eſt cenſura, dubium benigne eſt interpretandum L. *in rebus* ff. *de Regul. iur. in 6.* Regul. 49.; *in pœnis benignior eſt interpretatio facienda*, & cap. *odia* cap. *in pœnis* eodem titul. in 6.

Dividitur pariter Cenſura in *iuſtam*, & *iniuſtam*, *validam*, & *invalidam*, ſeu nullam. Hæc diviſio reſpicit cenſuras ſolummodo ab homine, quia, ut notant Canoniſtæ, Cenſura a iure, ſeu a Canone ſemper iuſta eſt, utpote quæ ſit vera lex; unde communiter receptum eſt illud axioma; *A pœna iuris non appellatur*. Verum non ita eſt de cenſura ab homine, quæ tamen (ſed hoc caute penſandum eſt, cum multi hic decipiantur) aliquando iuſta eſſe poteſt, & ſimul nulla, aliquando iniuſta & tamen valida, ut in expoſitione patebit. Cenſura iuſta ea eſt, quæ undique legitime lata eſt, ut nihil in inferente reprehendi queat. Huiuſmodi eſt Cenſura omnis, quæ 1. fertur ab eo, qui habet poteſtatem cenſuras ferendi; 2. fertur in perſonam ſubditam; 3. ex cauſſa ſufficienti probata; 4. ſervato iuris ordine ſubſtantiali, & accidentali. Eiuſmodi cenſura ſemper valida eſt in foro exteriori, ſed quandoquidem poteſt eſſe nulla, & invalida coram Deo, ut ſi feratur in eum, qui iuridice convictus fuit de crimine, quod reapſe non commiſit. Cenſura iniuſta eſt ea, quæ non ex omni parte eſt legitime lata, quia ei deſit aliqua ex quatuor recenſitis conditionibus, & hæc duplex eſt, iniuſta valida, & ſervanda; & iniuſta invalida ſeu irrita, & contemnenda. Iniuſta cenſura & valida ea eſt, cui deeſt aliquid accidentale, cuiuſmodi eſt ea, quæ fertur non ex amore iuſtitiæ, ſed ex odio, invidia, privata vindicta, vel quæ fertur ab homine, accidentario iuris ordine ſine neceſſitate prætermiſſo, puta ſine trina monitione canonica, ſine ſcriptura, vel expreſſione cauſſæ, ut præſcribit Concilium Lugdunenſe, & refertur cap. *Cum medicinalis de ſententia excommunicationis* in 6., vel reus tantam pœnam non meretur, dum puta excommunicatur, quando ſufficeret eum ſuſpendi; & tamen valida eſt, & ligat, etiam in conſcientia, ſi poſt unam monitionem a legitimo Superiore cum ſufficienti cauſſa, nempe ob crimen verum feratur; quia tunc nihil eſſentiale deeſt ad eius valorem, & accidentalis defectus non tollit ſubſtantiam rei, nec proinde primarium eius effectum. Immo rata eſt, ſeu valida cenſura quoad prohibitionem, ac ſervanda, tametſi ob falſum crimen feratur, quod tamen in iudicio legitime probatum fuit, & opus eſt abſolutione. Unde utraque cenſura, licet iniuſta, timenda eſt; quia cenſura quando iniuſta eſt ſolummodo ob defectum accidentalem, ut ait D. Thom. in 4. diſt. 18. art. 1. vel ex parte excommunicantis, qui v. g. ex ira, vel odio excommunicat, vel quia accidentales formalitates omiſit, nihilominus habet effectum ſuum, & vere ligat. Et de hac cenſura intelligendus eſt D. Gregorius Magnus homil. 6. in Evangelium, in qua ſic habet. *Sententia Paſtoris ſive iuſta ſive iniuſta timenda eſt*: Unde ait Sayrus l. 1. cap. 17. n. 5. quod qui in tali ſtatu celebrat *pœnas canonum incurrit, & irregularis efficitur, ut communis omnium conſenſus teſtatur, nec de hac re dubium eſſe poteſt*.

Cenſura iniuſta, & ſimul invalida, eſt irrita ac vere nulla, aut evidenter nulla, quando vel ei deeſt aliquid eſſentiale ſive ex parte iudicis qui caret iuriſdictione, vel eam habet impeditam, aut cenſura, qua ſit innodatus, vel privilegio rei, aut eius legitima appellatione; ſive ex parte ſubiecti, cuius culpa vel evidenter nulla ſit, vel non ſufficienter probata; ſive ex parte iuris, cuius ordo ſubſtantialis omiſſus fuerit, puta ſi nulla fuiſſet præmiſſa monitio &c.

Cenſura iniuſta defectu cauſſæ ſufficientis ex parte ſubiecti, ideſt excommunicati, quæ ſic iniuſta eſt, ut vere ſit nulla, aut eſt evidenter nulla, ut quando lata eſt poſt appellationem legitimam, vel culpa eſt evidenter nulla, vel non ſufficienter probata; talis cenſura non ligat coram Deo, nec coram hominibus; quia nullitas eius a nemine in dubium revocari poteſt, utpote vel iam demonſtrata ab accuſato, vel aliunde notoria; unde tunc nulla abſolutione opus eſt, ut docet Tournel. cum Auct. collat Andegav. iuxta illud Gelaſii cap. 46. 11. q. 3. *Apud Deum, & Eccleſiam eius neminem poteſt iniqua gravare ſententia; ita ergo ea ſe non abſolvi deſideret, qua ſe nullatenus perſpicit obligatum*. Verum ſi hæc cenſura, licet a parte rei nulla, non eſt tamen evidenter nulla, tunc is in quem lata fuit, tenetur ſub peccato quærere alia iuris remedia, ideſt aut appellare, aut ad Superiorem recurrere, alias peccat, non præciſe quia

non paret ſententiæ invalidæ, ſed quia non paret Eccleſiæ, quæ præcipit, ut ſic cenſuratus utatur remediis a iure præſcriptis. Sic Sayrus. Si autem remedia invenire nequeat, quia ſecundum allegata & probata reus probatur, tunc ſecundum D. Thomam cit. humiliter ſuſtinere debet cenſuram, *ut humilitatis meritum* ( ait S. D. ) *compenſet excommunicationis damnum*, & cavere debet, ne elatiori ſpiritu inſurgat in Superiores; quia iuxta S. Bonaventuram l. 4. p. 2. dub. 1. *Non eſt ſubditorum diſcutere ſententias majorum; & ſi contemnunt*, etiam iniuſtas, *graviter peccant*. Item tenetur is ſaltem in foro exteriori abſtinere ab iis omnibus, quæ vere excommunicatis vetita ſunt, alias, ut docet Cabaſſutius, *vere ac juſte puniri poſſet etiam apud Deum propter peccatum ſcandali*, quod publicum faceret reſiſtendo ſuperioribus, quorum iudicium vel ut iuſtum habetur, vel eius iniuſtitia iuridice convicta non eſt.

Utrum vero is, contra quem cenſura materialiter iniuſta lata eſt, privatim, aut coram iis, quibus manifeſta eſt eius innocentia, ſecluſo ſcandalo functiones ſuas obire, ideſt Miſſam celebrare, atque cum eadem præcautione Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare valeat, controvertitur inter Theologos. Sed verior, at communior ſententia eſt contra Duzin, P. Antoine alioſve Theologos, & Canoniſtas, & hanc tenet Suarez, Sayrus, Bonacina, Cabaſſut., Habert., videlicet poſſe: quorum ratio eſt; quia talis condemnatus, vere, & proprie coram Deo innocens eſt, idcirco coram Deo eſt in eo ſtatu, ac ſi per errorem, aut malitiam notatus non fuiſſet apud homines. Item quia non magis tenetur, ſeu ligatur talis homo ſententia contra ſe lata, quam teneatur quis ſolvere alteri pecuniam, quam de facto, & in rei veritate ipſi non debet, quamvis ex falſorum teſtium depoſitione ad talem ſolutionem in iudicio condemnatus fuerit. Unde ſi hic non tenetur, nec ille plane. Unde, ut ex Cabaſſutio, tota obligatio exurgens conſcientiæ ex occaſione talis cenſuræ, verſatur per accidens in fuga ſcandali, & contemptus Eccleſiæ, punibili a Deo & ab hominibus, ex quo tamen per ſe non exurgunt canonicæ pœnæ v. g. irregularitas; quia deeſt ſecundum rei veritatem canonicum fundamentum, nimirum iuſta cenſuræ cauſſa. Quare ut ſentiunt P. Antoine, ac auctor ſupplementi moralis Tournelei, homo gravatus tali iniuſta cenſura, non privatur participatione communium Eccleſiæ ſuffragiorum, & orationum: Non enim eſt veriſimile Deum dediſſe Eccleſiæ poteſtatem hanc, quæ eſſet in deſtructionem, non in ædificationem, privandi inſontes communibus Eccleſiæ ſpiritualibus bonis. Immo nec etiam ipſa Eccleſia hoc intendit, cum nec ad bonum commune, nec ad bonum illius, qui condemnatur, utile ſit.

Sed tamen talis revera privatur receptione, & adminiſtratione Sacramentorum, executione Ordinis, & externa communione cum Fidelibus; quia hæc omnia ei per ſententiam legitimam, & iuſtam ex parte actionis, ſeu iudicii, prohibentur, cui ſententiæ legitimæ parere tenetur in foro conſcientiæ, & debet hoc incommodum pati propter bonum commune poſtulans executionem ordinis, ſeu ſententiæ legitimæ, & obedientiam Superiori iuſte, ac legitime præcipienti. Et hæc prohibitio non habet tunc rationem pœnæ proprie dictæ, quæ eſt incommodum propter bonum commune inflictum: unde etiam tunc erit cenſura ſtricte dicta, ſed late ſumpta pro prohibitione legitima, atque obligante.

Nota 1. quod ſicuti cenſura evidenter & publice invalida contemni poteſt; ita ſi probabiliter tantum ſit invalida; in dubio ipſius iuſtitiæ ſervanda eſt in foro conſcientiæ, donec a Superiore declaretur irrita, vel tollatur; quia in dubio favendum eſt, & parendum Superiori habenti ius ferendi cenſuras.

Nota 2. Dubitans num cenſuram aliquam contraxerit, tenetur ſe gerere tanquam ſi cenſura affectus eſſet, donec dubium prudenter depoſuerit, aut ab ea abſolutus fuerit; quia in dubio pars tutior eligenda eſt, & alioquin talis ſe exponeret periculo peccandi violando cenſuram.

Dividitur tandem cenſura in reſervatam, & non reſervatam, gravem, & minus gravem; de quibus infra.

## §. III.

### *De Cauſſa efficiente Cenſuram*.

Sub titulo cauſſæ efficientis cenſuram differendum occurrit non ſolum de eo, qui cenſuras fert, ſeu decernit, ſed de ipſarum quoque auctore, ſeu inſtitutore; idcirco, ut recto ordine procedatur, primo agemus de auctore cenſurarum, videndo num Chriſtus Dominus eas inſtituerit, an facultatem eas inſtituendi Eccleſiæ conceſſerit; & poſtea de poteſtate eas ferente.

Chriſtus Dominus revera nullam inſtituit cen-

cenſuram; quocirca nulla cenſura nec eſt, nec dici poteſt de iure divino: & hoc communiter tenent DD. Nam inſtituere cenſuras eſt præſcribere in particulari modum, ſeu ordinem ferendi talem pœnam, ſeu determinare, quando, & quibus bonis privari debeant hi, aut illi peccatores per cenſuras; Chriſtus autem numquam quid huiuſmodi ſtatuit, aut determinavit, cum nullus aſſignari queat locus in divina Scriptura, ubi id eum egiſſe referatur. Et hoc probatur etiam ex eo, quia nihil habeatur in Cenſuris, quod Eccleſia ſua poteſtate mutare nequeat, cum in hodierna praxi multa a vetuſto uſu immutata ſint. Igitur minime dici poſſunt cenſuræ a Chriſto inſtitutæ, ac determinatæ, dum ea quæ iure divino ſunt inſtituta, vel prorſus, vel nonniſi raro, & in caſu valde ſingulari, ut notat Suarez diſp. 2. ſect. 1. variari poſſunt.

Nec dici poteſt, Chriſtum Dominum inſtituiſſe excommunicationem illis verbis; *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*, quaſi hic virtualiter præcipiat Eccleſiæ Paſtoribus, ut contumaces foris expellant, & a fidelium communione ſeiungant. Nam ſi Chriſtus ibi vetam inſtituiſſet excommunicationem, omnes omnino, qui Eccleſiæ mandatis non obtemperant, iure divino eſſent excommunicati, quod manifeſte patet eſſe valde abſurdum. Verius quidem dici poteſt, ex his quæ ſequuntur in eodem capite, nempe *quidquid ligaveris ſuper terram* &c., Chriſtum his verbis innuiſſe potius ſe conferre Eccleſiæ facultatem inſtituendi cenſuras, quam eas inſtituere. Igitur neutiquam Chriſtus Dominus cenſuras conſtituit. Nec ſuffragantur contrariæ ſententiæ teſtimonium D. Pauli ad Titum cap. 3. cuius verba hæc ſunt: *Hæreticum hominem poſt primam, & ſecundam correctionem devita*; & S. Ioannis in ſecunda ſua Epiſtola, ubi ait; *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec Ave ei dixeritis*: quaſi hi duo textus contineant excommunicationem, ac proinde talis excommunicatio utpote derivata ab Apoſtolis ſit de iure divino. Nam citati textus intelligi poſſunt, & debent de naturali obligatione vitandi eos, qui poſſunt damni occaſionem nobis afferre, cuiuſmodi ſunt præcipuo modo Hæretici, quorum converſatio valde periculoſa eſt, eo quod eorum ſermo, ſicuti notat Apoſt. 2. ad Timot. 2. *Ut cancer ſerpit*. Quamobrem idem Apoſtolus 1. Corinth: 5. non minus acriter iubet, ut a Chriſtiano vitetur quiſquis eſt *fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus*, & cum eiuſmodi nec cibum ſumere permittit. Verum nemo plane dixerit, peccatores pene omnes excommunicatos fuiſſe a D. Paulo. Senſus idem eſt etiam auctoritatis S. Ioannis, ut conſtat ex verbis ipſis, quæ allatum textum ſubſequuntur; *Qui enim dicit illi, Ave, communicat operibus eius malignis*, vel quia videtur iis conſentire, vel quia confirmat in ſuo errore male ſentienties; & eſto etiam quod allati textus loquerentur de excommunicatione, ſeu cenſura, ex hoc tamen inferri non poſſet eſſe iuris divini; quia cum multa fecerint Apoſtoli, ut Prælati, & Iudices, quæ Chriſtus per ſe, & ſpeciatim non inſtituerat, hinc ſequitur, non omne quod eſt inſtitutionis apoſtolicæ, ideo eſſe etiam inſtitutionis divinæ.

Dari in Eccleſia poteſtatem inſtituendi, & ferendi excommunicationem aliaſque cenſuras, puniendo fideles ſpiritualium bonorum privatione, eſt de fide contra Albanenſes, Wiclephum, Hus, Lutherum: Et hoc conſtat tum ex definitione Concilii Conſtantienſis ſeſſ. 8. err. 3. & ſeſſ. 19. error. 19., tum ex Bulla Martini V., quibus damnatus fuit error catholicæ doctrinæ contrarius in prioribus ſectariis; tum ex iudicio Leonis X., qui eumdem errorem noviſſime proſcripſit contra poſtremum, ideſt Lutherum in damnatione variarum eiuſdem propoſitionum, quarum 18. hunc continebat errorem; tum ex uſu perpetuo totius Eccleſiæ. Error tamen recentiorum Novatorum, ut Lutheri, & Calvini, non verſatur circa Eccleſiæ poteſtatem ferendi cenſuras, ſed circa cenſurarum effectum. Ultro enim hi concedunt poſſe Eccleſiam excommunicare ſuos perduelles, privando eos bonis tantummodo politicis exterioribus ſeu temporalibus, non vero bonis ſpiritualibus, & interna ſuffragiorum communicatione. Contra quos ſit:

Veritatem catholicam de poteſtate Eccleſiæ inſtituendi, & ferendi cenſuras privantes ſpiritualibus bonis, ac interna Eccleſiæ ſpiritualium ſuffragiorum communicatione, manifeſtiſſime probant Chriſti verba Matth. 16. & 18. in primo quorum habetur: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis*, & in altero, *Amen dico vobis quæcumque alligaveritis* &c., & poſt verba prioris capitis ſubiungit; *Quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus*: Ubi duplicem poteſtatem ligan-

di, atque ſolvendi Eccleſiæ a Chriſto traditam agnoſcunt Patres & Doctores, unam in foro externo & pœnitentiali, ubi agitur cauſſa Deum inter & hominem, & quæ internum animæ bonum reſpicit; aliam in foro externo contentioſo & publico, in qua cauſſa hominis ad hominem tractatur, quæ data eſt ad externam Eccleſiæ gubernationem, ad quam pertinet poteſtas ferendi cenſuras, quæ indicatur per illa verba: *Sit tibi tamquam Ethnicus & Publicanus*, ideſt ab omni ſegregatus Fidelium communicatione, & ab omni communium ſuffragiorum participatione, non ſecus ac Ethnicus ſemotus eſt ab omni communicatione cum Chriſtianis. Unde ait S. Chryſoſtomus hom. 4. in Epiſt. ad Hebræos, & refertur in cap. *Nemo contemnat* 11. q. 3. *Nemo contemnat eccleſiaſtica vincula: non enim homo eſt, qui ligat, ſed Chriſtus, qui nobis hanc poteſtatem dedit*. Et hoc confirmat etiam illud D. Pauli 1. Corinth. 5. ubi de inceſtuoſo, qui novercam, uxorem ſcilicet patris, cognoverat, ait: *Iudicavi tradere huiuſmodi ſathanæ in interitum carnis, ut ſpiritus eius ſalvus fiat*; quod communiter intelligitur cum D. Thom. ſect. 1. in cap. 1. ad Corinth. de excommunicatione, per quam traditur homo ſathanæ, quia deſtituitur communibus Eccleſiæ ſuffragiis, ac extra Eccleſiam extractus ſubiicitur dominio ſathanæ, ac proinde gravioribus eiuſdem tentationibus exponitur, ut docet D. Auguſt. ſerm. 62. *de verbis Apoſtoli*.

Et hoc probat etiam ratio ipſa: Nam quælibet Reſpublica recte ordinata facultatem habet non ſolum dirigendi ſubditos per leges, ſed etiam puniendi delinquentes, maximeque rebelles; cum ad rectam, ordinatamque gubernationem directiva poteſtas non ſufficiat, niſi ſimul concurrat coercitiva Igitur Eccleſia quoque poteſtatem habet frenandi ſubditos per cenſuras ſeu pœnas. Idcirco Cenſuræ appellantur in Iure *Enſis & Gladius Eccleſiæ*, & in Trident. ſeſſ. 25. cap. 3. *de Refor. Nervus eccleſiaſticæ diſciplinæ*. Et confirmatur ſententia ex eo, quod Eccleſia habet plenam adminiſtrationem Sacramentorum, ſacrificiorum, ac ſpiritualium ſuffragiorum, ut 1. Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Igitur ſicut Reſpublica bene ordinata poteſtatem habet privandi rebelles ſubditos communibus bonis, quorum diſtributio ad ipſam pertinet, ſic poteſtatem habet Eccleſia privandi contumaces Fideles ſpiritualibus bonis, quorum eſt ipſa diſpenſatrix.

Sed obiiciunt Sectarii: In ſpiritualibus bonis nemo læditur niſi a ſeipſo: ergo Eccleſia non habet poteſtatem privandi Fideles bonis ſpiritualibus. Item: excommunicatio pertinet ad iuriſdictionem fori exterioris; igitur non poteſt privare hominem in foro interiori, ac ideo nequit privare ipſius animam bonis ſpiritualibus. Reſp. ad primum, conſtare ex antea dictis, verum eſſe quod nemo privari poſſit ſeu lædi in ſpiritualibus bonis propriis, gratia ſcilicet, charitate, merito &c. niſi a ſeipſo: bonis tamen ſpiritualibus communibus ibi expoſitis privari poteſt ab Eccleſia, apud quam ſtat illorum plena adminiſtratio. Unde ſequitur pro reſponſione ad alterum, nempe quod cum Sacramenta, ſuffragia, ac beneficia, quorum adminiſtratio eſt apud Eccleſiam, licet bona ſint fori exterioris, ſimul tamen ſpectant ad animam, in qua ſpirituale bonum operantur; hinc per iuriſdictionem fori exterioris Eccleſia privare poteſt rebelles Chriſtianos eorumdem bonorum communicatione, ideſt Sacramentorum, communiumve ſuffragiorum receptione.

Nec dici poteſt repugnare Eccleſiæ talem poteſtatem, quæ eſt in deſtructionem, non in ædificationem, dum privata anima per cenſuras ſpiritualibus bonis aperte exponeretur incurſionibus diaboli cum gravi periculo ipſius ruinæ, utpote quæ talibus præſidiis ſpoliata nonniſi difficillime tam valido hoſti obſiſtere valeret: Quia non cederet in deſtructionem Fidelium hæc poteſtas, cum tali pœna coerceantur in contumaci eorum protervia contra Eccleſiæ mandata, ne in deteriora labantur, ſed fracta tali fulmine eorum contumacia reſipiſcant, & ſic, ut de excommunicatione lata contra inceſtuoſum ait D. Paulus, ſpiritus eorum ſalvi fiant.

Qui poſſunt inſtituere Cenſuras.

Cenſuras autem inſtituere eſſe pœnes ſolum Romanum Pontificem & Concilia Generalia, eſt communis Doctorum, ut habetur ex D. Grandin p. 8. quia, ut recte notat hic Suarez diſp. 2. ſect. 2. & alii, cum cenſuræ ſint veluti generales quidam ritus, cæremoniæ, & eccleſiaſticæ pœnæ neceſſariæ ad univerſam Eccleſiæ gubernationem, quibus uti debent omnes ac ſinguli eiuſdem Eccleſiæ Paſtores contra perduelles ſubditos; ſic illi ſolum, nempe ſummus Pontifex & Generalia Concilia eas ſtatuere, variare ac extendere valent, qui reſpectu totius Eccleſiæ ſupremam & abſolutam habent poteſtatem, non ſecus ac in politi-

cis

cis leges in toto Regno obligantes condi nequeunt niſi a ſolo Rege. Et hoc patet ex ipſa Eccleſiæ Dei conditione, nempe quod cum ſit acies ordinata caſtrorum, nulla in ipſa eſſe debet confuſio, quæ profectò, & gravis occurreret, ſi ſinguli Paſtores novas pro libitu ſuo inſtituere poſſent cenſuras, dum ex nullo iure illæ cognoſci, nec quidquam certi de his ſtatui poſſet; quia in tali caſu non tres tantum, ſed innumeræ eſſent cenſurarum ſpecies. Hinc colligitur, quare Epiſcopus aliquem ſuum ſubditum excommunicans, poſſit interdicere eius conſortium omnibus Fidelibus, qui ſibi ſubditi non ſint, & ille excommunicatus nequeat extra ſui Epiſcopi territorium cum Fidelibus alterius Diœceſis communicare; quia nempe non ipſe Epiſcopus cenſuras inſtituit, nec earum effectus determinavit; ſed ſummus Pontifex univerſalis in Eccleſia Legiſlator, qui generali poteſtate, qua pollet, ſtatuit, excommunicationem ab aliquo Superiore latam ad hos effectus ſe extendere.

## §. IV.

*De iis qui poſſunt ferre cenſuras, & de modo quo poteſtas acquiratur cenſuras ferendi.*

Antequam circa rem hanc quidquam ſtatuatur, pro clariori materiæ elucidatione, Nota, poteſtatem ligandi & ſolvendi, a qua dimanat facultas ferendi cenſuras, duplicem eſſe, aliam Ordinis, aliam Iuriſdictionis. Poteſtas Ordinis eſt poteſtas, quæ reſpicit Sacramenta conficienda vel miniſtranda, & pro præſenti remittendi peccata, quæ Sacerdoti in ſua ordinatione confertur incomplete & in actu primo. Dico *incomplete*, quia in Ordine conferendo non ſtatim ſemper ſubditi conferuntur ſeu aſſignantur, in quos exercere valeat poteſtatem, quæ in Ordinatione Sacerdoti confertur. Poteſtas Iuriſdictionis eſt poteſtas reſpiciens iudicia, quæ actu & de facto exerceri poteſt in aliquos, qui actu & de facto ſubditi ſunt. Poteſtas autem iuriſdictionis pariter duplex eſt, alia *fori interni & conſcientiæ*, quæ primario verſatur circa peccata ſolvenda vel retinenda quoad culpam in tribunali Pœnitentiæ; alia *fori externi*; & hæc ſimiliter vel verſatur circa liberales favores ſeu gratioſas conceſſiones, nempe circa diſpenſationes, abſolutiones, rehabilitationes, reſtitutiones in integrum, collationes ac proviſiones beneficiorum, & vocatur *gratioſa ſeu voluntaria*; & ab hac relaxantur *Reſcripta*, quæ dicuntur *gratiæ*; vel exercetur in invitos aut inter partes contradicentes, ſeu, ut inquiunt, in iudicio contradictorio, & vocatur *contentioſa ſeu in foro contentioſo*; & ab hac emanant *Reſcripta* quæ vocantur *iuſtitiæ*. Utraque autem iuriſdictio, *gratioſa* ſcilicet & *contentioſa*, vel eſt ordinaria, quæ nempe alicui competit ratione officii ſeu muneris, in quo eſt conſtitutus, & ab eo proprio nomine exercetur: Huiuſcemodi eſt iuriſdictio Papæ, Legati, Epiſcopi, vel Vicarii Generalis, qui una eſt cum Epiſcopo perſona; vel *delegata*, & eſt ea, quæ confertur alicui ab eo, qui habet iuriſdictionem ordinariam; vel *ſubdelegata*, quæ committitur alicui ab habente iuriſdictionem delegatam cum facultate ſubdelegandi. Iuriſdictio tandem ſive ordinaria ſive delegata, vel eſt in aliquo de lege, ſeu de iure communi, ſcilicet ſecundum quod fieri ſolet; vel eſt in aliquo de lege, ſeu de iure ſpeciali, ideſt ſecundum ſpeciale privilegium & abſolutam Eccleſiæ, vel Summi Pontificis poteſtatem. His præmiſſis ſit:

Poteſtas ferendi cenſuras, quæ *ordinaria* dicitur, & qui illa fungitur, *iudex ordinarius*, cum acquiratur ratione muneris, dignitatis, vel officii, de iure communi reſidet ac invenitur in illis tantum, qui habent Eccleſiaſticam iuriſdictionem in foro exteriori, qua non ſolum dirigere, ſed etiam coercere poſſunt eos, qui ſibi ſubduntur, ad quod præcipue ordinata eſt talis eccleſiaſtica iuriſdictio, ac ideo iure ordinario in primis ſtat, & reperitur in Summo Pontifice reſpectu omnium Fidelium, utpote qui eſt Ordinarius ſuper totius orbis Chriſtianos, & non ſolum ut univerſalis Eccleſiæ caput ac primus moderator, cenſuras ferre poteſt ſuper quemcumque Fidelem, ſed etiam, ut iam antea vidimus, earum numerum, formam, & effectum determinare, illas variare & immutare, quod alii Præſules facere nequeunt. 2. Poteſtatem hanc habent Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi omnes relative ad ſubditos ſuæ Diœceſis. Idcirco illam non habent Epiſcopi Titulares vulgo *in partibus*, utpote qui non habeant Diœceſim ſeu proprias oves, ac iuriſdictionem in foro contentioſo, cum hæc facultas conſequatur munus Paſtorale, non præciſe conſecrationem. Hinc licet Epiſcopus vel Archiepiſcopus non ſit conſecratus, dummodo ſit confirmatus, fungitur hac poteſtate, quia poteſtas hæc non eſt Ordinis, ſed iuriſdictionis, quam etiam ſimplex Cleri-

ricus exercere poteſt, & hanc accipiunt Epiſcopi per confirmationem.

Nota 1. quod hanc poteſtatem habent Epiſcopi immediate ex iure divino, tametſi mediante electione & confirmatione Papæ, ac ideo non poteſt Pontifex privare Epiſcopos huiuſmodi poteſtate.

Nota 2. quod Archiepiſcopi non habent poteſtatem hanc niſi reſpectu ſubditorum propriæ Diœceſis, non vero reſpectu ſuorum Suffraganeorum, niſi tempore quo eos viſitant, vel quando cauſſa devoluta eſt per appellationem ad eorum tribunal cap. *Venerabilib. de ſentent. excommun. n 6.*

Nota 3. Huiuſmodi poteſtatem tenent Legati a Latere in Provincia ſuæ Legationis, utpote qui in illa ordinariam habent iuriſdictionem cap. *Legatis de officio Legati* in *6.*

4. Vicarius Epiſcopi vel Archiepiſcopi, qui dicitur *Proviſor Generalis*, ut Gloſſ. in cap. *Licet de offic. Vicarii* in. *6.* Nam Vicarius facit cum Epiſcopo unicum tribunal. Unde mortuo Epiſcopo, ſuſpenſo, vel excommunicato ceſſat talis poteſtas, vel ſi ab illo revocetur, & talis revocatio ad Vicarii notitiam pervenerit.

5. Cardinales in propriis Eccleſiis ſuorum Titulorum, ubi iuriſdictionem habent Epiſcopalem cap. *Iis quæ de maiorit. & obedient.*

6. Abbates Exempti, Mitræ, Baculi, & annuli uſum habentes, etſi non ſint benedicti.

7. Talem habent poteſtatem etiam Prælati, omnes Regulares, ut ſunt Generales, Provinciales, Præpoſiti, Rectores, Priores, Guardiani, ſive hoc habeant ex privilegio perpetuo annexo eorum muneri, ſive ex natura rei, hoc ipſo quod per dignitatem ſuam habeant iuriſdictioem ordinariam. Hoc tamen intelligendum eſt de iure communi. De facto enim, inquiunt Salmantic. attendenda eſt Religionum conſuetudo, ac videndum quid per ſpeciales leges in illis determinatum ſit.

8. Hac pollent poteſtate Concilia Generalia legitima, nempe ex licentia ſive conſenſu Summi Pontificis congregata, necnon Provincialia; hæc dumtaxat particulariter in ſua Provincia, illa univerſaliter in tota Eccleſia c. *Grave nimis de Præben.* c. 1. *de iudiciis*. Idemq; e proportionaliter dicendum de Synodo Diœceſana.

9. Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Sede vacante; quia tunc ſuccedit loco Epiſcopi defuncti cap. *Cum olim de maioritat. & obedient.* vel ſi captivus alicubi detineretur; quia in tali caſu eſt civiliter mortuus cap. Si *Epiſcopus de ſupplend. negligent. Prælator.* Similiter Vicarius Capitularis, ideſt Vicarius electus a Capitulo Sede vacante iuxta Trident. ſeſſ. 24. cap. 16. *de reformat.* Hi omnes utpote ordinarii iudices iuriſdictionem ſuam aliis committere, aut delegare poſſunt, toto tit. *de offic. Ordinarii*, & cap. *Cum Epiſcopus de offic. Ordinarii* in *6.* cum virtus poteſtatis ordinariæ hæc ſit, ut poſſit alteri delegari Leg. *More ff. de iuriſdictione omnium iudicum.*

Parochus vero de iure ordinario non habet huiuſcemodi poteſtatem, & eſt communis apud omnes DD. Nam poteſtas ferendi cenſuras ſpectat ad iuriſdictionem fori exterioris contentioſi: quia non feruntur ſine cognitione cauſſæ, & feruntur etiam in invitum; quocirca ad eas ferendas requiritur ſtrepitus iudicialis. Cum autem ſimplices Parochi ſeu Curati, de iure communi non habeant niſi poteſtatem in foro interno ſeu conſcientiæ ad cognoſcendas cauſſas hominis ad hominem; igitur non habent facultatem ferendi cenſuras; quia hæc tantummodo neceſſaria eſt ad corrigendos, coercendoſque ſubditos in foro exteriori. Sic tenent ac docent S. Thomas, S. Bonaventura, Halenſis cum aliis, quos refert Sayr. l. 1. cap. 6. n. 21. Et hoc confirmat Concilium Trid. quod ſeſſ. 25. cap. 3. *de reformat.* declarat, excommunicationem pro furtis ad ſolos Epiſcopos pertinere, ex quo prorſus corruit eorum opinio, qui volebant ſaltem in tali caſu a Parochis etiam ferri poſſe. An vero habuerint aliquando Parochi talem poteſtatem controvertitur inter DD. Aliqui affirmative ſentiunt, ut inter eos Auct. *Theoriæ & praxis Sacrament.* cap. 2. quod deducit ex cap. *Nemo Epiſcop.* 11. cauſ. 2. q. 1. & cap. 3. *de offici. iudic. Ordin.* ubi loquitur Alexander III. *de ſentent. excommun. & interdicti: quidquid Plebanus in Clericos vel Laicos Parochianos ſuos rationabiliter ferre potuit*. Alii vero cenſent ex hiſce textibus nihil poſſe colligi; quia in his agitur de Plebanis, qui vel non uni ſoli Parochiæ, ſed multis aliis præeſſent Eccleſiis; ideoque plus habere poterant auctoritatis, quam ſimplices Curati; vel ex ſpeciali conceſſione ius ferendi cenſuras conſecuti fuerant. Quidquid tamen ſit, fatetur idem Auctor, Parochos ab huiuſmodi poteſtate (ſi aliquando habuerint) excidiſſe.

Acquiritur ſecundo hæc poteſtas ferendi cen-

cenſuras per *delegationem* , & dicitur *delegata* , ac ideo qui hanc exercent , ex ea appellantur *Iudices delegati* , videlicet hanc poteſtatem hi habent , ipſiuſque iudicia exercent ex commiſſione ſeu conceſſione illius , qui habet huiuſcemodi poteſtatem ordinariam . Huiuſmodi autem iudices delegati non poſſunt hanc facultatem ab ordinario iudice ſibi commiſſam alteri ſubdelegare , iuxta illud : *delegatus non poteſt delegare*; & ſic habetur toto tit. *de offic. delegat.* niſi a delegante hoc ſpecialiter ſibi fuerit commiſſum ; quod præcipue contingit quando Ordinarius aliquem univerſaliter ad omnes caſus ſui officii delegat , non ſecus ac Parochus diſcedens abfuturus per aliquot dies a ſua Parochia , delegat ſuum Vicarium ſeu Capellanum ad omnes caſus Parochialis muneris ; qua generali delegatione Vicarius ſeu Capellanus non ad omnes tamen , ſed ad aliquem Parochialem actum alterum delegare poteſt , ſeu delegatam ſibi poteſtatem alteri committere, puta ad aſſiſtendum contractui Matrimonii &c. Poteſt enim delegatus ſubdelegare ex generali privilegio, aut particulari conceſſione; uti iuriſdictio delegata a Summo Pontifice poteſt ſubdelegari , & hæc quoad omnes caſus , qui pendent a iuriſdictione delegata cap. 3. *de offic. delegat.* ex vi privilegii generaliter conceſſi a Sede Apoſtolica Delegatis Summi Pontificis . Poteſtas autem delegata ſemper dependet a delegatione ; & morte naturali , vel etiam civili , ut eſt captivitas, ſuſpenſione aut aſſumptione delegantis ceſſat cap. *Gratum de offic. iudicis delegati* , cap. *Licet* eod. tit. Excipitur tamen Concilium S. Inquiſitionis , quod cum habeat iuriſdictionem delegatam a Papa cap *per hoc de hæretic.* in 6. non expirat eius facultas morte Pontificis cap. *Ne aliqui* eod. tit. Item excipitur quando eadem cauſſa a iudice delegato inchoata fuit per legitimam citationem , quia tunc poteſt eam proſequi reſpectu illorum tantum , quorum cauſſam ante mortem delegantis cognoſcere cœperat , cap. *Gratum de offic. delegat.* Expirat pariter delegatio facta delegato revocatione a delegante , ita ut ex quo notitia revocationis pervenit ad delegatum, non amplius valet cenſura ſi ab eo feratur , quia caret iuriſdictione .

Tertio acquiritur facultas ferendi cenſuras per conſuetudinem legitime introductam , & præſcriptam ab iis qui aliqua ratione præſunt , ut populis Parochi , Præpoſitus Canonicis ; quia ſcilicet per conſuetudinem legitime præſcriptam inducitur obligatio. Sic per eamdem iuriſdictio acquiritur cap. *Dudum* 2. *de elect.* cap. *Roman. de ſentent. excommunic.* in 6. Unde olim Archidiaconi quidam per ſe aut per Officiales ſuos cenſuras ferebant , ut patet ex cap. 5. & 7. *de ſent. excommun.* in 6. Ad huius conſuetudinis vero præſcriptionem requiritur tempus 40. annorum cum titulo colorato, ut patet ex cap. 15. *de præſcript.* ſine titulo autem tempus immemoriale iuxta cap. hoc tit. in 6. Qui autem illam concedit , eſt Summus Pontifex , qui ex iuſta cauſſa voluit conſuetudinem vim legis habere , & hanc poteſtatem illi conferre . Notandum tamen , quod qui ex conſuetudine facultatem adeptus eſt ferendi unam cenſuram , non ex hoc aliam ferre poteſt ; quia conſuetudo faciendi unum non dat facultatem ad aliud diſtinctum , maxime ſi cum eo non habeat neceſſariam connexionem . Ita Suar. Sayr. Bonac.

Quarto acquiritur ex privilegio , quale olim conceſſum fuit Canonicis Carnotenſibus , ut nemini liceret , quos excommunicatione vel interdicto ferirent , abſque præmiſſa ab iiſdem congrua ſatisfactione abſolvere cap. 23. *de verbor. ſignificat.*

Quinto acquiritur huiuſcemodi facultas per titulum præſumptum iunctum communi errori ſeu publicæ æſtimationi ; quia ad evitanda incommoda omnia , quæ ſequerentur , ſi detecto errore omnia illius acta eſſent reſcindenda , vult Pontifex ad communem Eccleſiæ utilitatem concedere illi facultatem excommunicandi, aliaſve cenſuras ferendi , exercendique actus alios ſuæ iuriſdictionis c. *Infamis* 3. q. 7. conformiter ad ius civile in Leg. *Barbarius de offic. Prætor.* Ita Salmantic. hic .

Ad hoc ut quis de lege communi poteſtatem ferendi cenſuras ordinariam aut delegatam habeat , ſufficit & requiritur ut ſit rationis compos , viator , & Clericus ; quia ferre cenſuras eſt actus iuriſdictionis ſpiritualis & fori externi . Ad hoc autem ut talis actus legitime exerceri queat , ſufficiunt ac requiruntur ſupradictæ conditiones . Quilibet enim Clericus capax eſt iuriſdictionis Eccleſiaſticæ , quæ forte Apoſtolis Matthæi 18. conceſſa fuit , quando nondum erant Sacerdotes . Verum cum hæc facultas iure ſolum Pontificio requirat Clericatum , neutiquam divino , cum non conſtet Clericatum Chriſtum inſtituiſſe , nec proinde requiſitum fuiſſe , nec iure eodem divino requiritur Sacerdotium , cum ubique



Digitized by Google

etiam a non Sacerdotibus ferantur cenſuræ ; ſequitur , facultatem hanc poſſe Papam ex ſpeciali privilegio concedere Laico ; cum Papa in Iure canonico , utpote humano , diſpenſare valeat . Dixi *Papam*, quia Epiſcopi , utpote ſubjecti iuri canonico , ipſi derogare nequeunt ; & ideo Laicum in Vicarium aſſumere prohibentur c. 22. 16. q. 7.

Circca Abbatiſſas ſeu Moniales , num ipſis communicari poſſit facultas hæc , ideſt ferendi cenſuras , quidquid ſit de iure extraordinario , quo volunt aliqui eiuſmodi poteſtatem conceſſam fuiſſe a Clemente VIII. Abbatiſſæ Fontis Ebraldi , de iure ordinario & communi ſecundum D. Grandin indecens & inconveniens videtur , quod cenſurarum diſpoſitio Mulieribus committatur.

## §. V.

### *De conditionibus requiſitis ad cenſuras ferendas .*

Ex conditionibus ad cenſuram aliæ requiruntur ut ſit licita , aliæ ut ſit valida ; item aliæ quæ ſe tenent ex parte ferentis cenſuras ; aliæ ex parte tum cauſſæ , pro qua fertur , tum illius , in quem fertur ; aliæ reſpectu formalitatum ſervandarum in ferenda cenſura . De his ſingillatim ſucceſſive tractabitur ; & 1. de conditionibus ex parte eam ferentis.

*Quænam requirantur conditiones, ut cenſuræ ſint licitæ.*

Ad hoc ut quis licite , convenienterque cenſuram ferat , quatuor requiruntur , 1. ut liber ſit ab omni pravo affectu ; quia iniuſta eſt cenſura lata , non intuitu rectæ diſciplinæ , ſed ex odio & animo vindictæ. 2. Ut liber ſit ab omni impedimento, quod tametſi cenſuram non irritet , facit tamen ut licite non feratur. Sic excommunicatus occultus negligens abſolutionem , dum per ipſum ſtat ut abſolvatur , illicite fert cenſuram , & mortaliter peccat , niſi forte eam ferat in favorem ſubditi , qui iure poſtulat ut aliquis excommunicetur , modo tamen operetur ut abſolutionem accipiat. 3. Ut ſervet formalitates, quæ licet eſſentiales non ſint, iure tamen præſcribuntur, ut de his infra . 4. Ut in peccatum non ita grave graviorem cenſuram non irroget ; nam multa in rigore licent , quæ tamen non expediunt : non enim ſemper morte plectendi ſunt qui eam merentur.

*Quænam, ut ſint validæ.*

2. Ut valide cenſura feratur , quatuor præcipue concurrere debent, nempe libera iuriſdictio, perſonarum diſtinctio, ut cenſura non feratur in propriam perſonam , nec in propria cauſſa , intentio cenſuram ferendi.

1. Igitur requiritur ut qui fert cenſuram habeat Eccleſiaſticam iuriſdictionem in foro exteriori , cum cenſura , ut iam vidimus , ſit actus iuriſdictionis fori exterioris contentioſi . Et hanc liberam habere debet, ideſt non impeditam ſeu ligatam ; quia iuriſdictio impedita quoad valorem ipſius exercitii , æquivalet privationi iuriſdictionis. Impeditur autem & ligatur iuriſdictio 1. appellatione legitima, de qua infra. 2. voluntate Superioris , a qua dependet extenſio iuriſdictionis ab ipſo alicui communicatæ . Unde in locis , ubi ſunt Inquiſitores, hi cenſuras ferre nequeunt in Epiſcopos ; quia cum tali reſtrictione eis contulit Pontifex iuriſdictionem ex cap. 16. *de hæretic.* in 6. 3. Captivitate Epiſcopi ab hoſtibus detenti , in quo caſu non Archiepiſcopus, ſed Capitulum , non ſecus ac ſi Sedes per mortem vacaret, iuriſdictionem habet ex cap. *de ſupplend. negligent. Prælat.* in 6. 4. Excommunicatione maiori eiuſdem Epiſcopi , ( cum minor non tollat iuriſdictionem ) & tunc nullæ ſunt cenſuræ eius delegati , aut ſubdelegati ; nam hi , niſi res , ut antea notavimus, iam incœpta ſit, iuriſdictione ſpoliantur ſicut ille, a quo eam acceperant.

Gravis tamen hic exurgit difficultas , num ſcilicet ut quis excidat a iuriſdictione, ſufficiat excommunicatio occulta & tolerata ; & negant quamplurimi contra multos , quos citat Sayrus : Aſſerunt enim, cenſuras latas ab excommunicato etiam publico validas eſſe , dummodo non ſit denunciatus ; & hæc ſententia fundatur in Extravag. Martini V. *Ad evitanda ſcandala*, de qua alibi ; & nunc eſt fere communis apud Theologos.

2. Ad hoc ut valide cenſura feratur , requiritur diſtinctio perſonarum Superioris ad inferiorem. Cum enim poteſtas ferendi cenſuras ſit poteſtas iuriſdictionis , ut iam vidimus, fori exterioris contentioſi , cuius actus ſe habet per modum iudicii ſententiæ coactivæ , procul dubio non ſolum exerceri nequit niſi inter perſonas ad invicem diſtinctas , ſed requiritur inſuper quod habeatur inter illas relatio Superioris & inferioris : Iudicium enim coactivum , ſeu punitio exerceri nequit niſi a Superiore in ſubditum, ac proinde minime contra ſe ipſum, nec contra æqualem , & multo minus contra Superiorem.

Hinc

Hinc ſequitur 1. non eſſe poteſtatem in Eccleſia, qua excommunicari poſſit aut ſuſpendi Summus Pontifex, ſalva eius contumacia in hæreſi, qua deſineret nedum eſſe caput, ſed etiam membrum Eccleſiæ (quem caſum tamen cenſeo mere ſpeculativum, & in Summo Pontifice fere impoſſibilem) quia non eſt in ea Superior authoritas, qua quis virtute propria, aut per delegationem poſſit contra eum ſententiam coactivam proferre, excepta, ut dicebam, ipſius contumacia in hæreſi; nam tunc congregato Generali Concilio in ipſum procedere poſſet, ut docent Theologi. 2. Sequitur, Epiſcopum non incurrere excommunicationem, quam ipſe tuliſſet, puta in fures, licet ipſe reus fieret furti; quia reſpectu ſui ipſius non poteſt exercere iuriſdictionem coactivam. Poteſt tamen a iure excommunicari occaſione excommunicationis a ſe latæ, ſi communicaret cum excommunicato, excommunicatione tamen minori ſtatuta a iure contra communicantes cum excommunicato. Ita Diana cit. hic a Salmantic. Colligitur 3. quod ſi duo Vicarii vel Proviſores ab eodem Epiſcopo aſſignentur, unus cenſuram in alterum ferre non valet, v. g. excommunicare, ſuſpendere; vel unus Epiſcopus alium Epiſcopum, quia par in parem imperium ſeu iuriſdictionem non habet.

Sed obiices 1. Quod poteſt Epiſcopus vel Pontifex concedere ſibi Indulgentiam iuxta D. Thomam in 4. diſt. 2. q. 1. art. 4. q. 4., alias eſſent deterioris conditionis quam alii, ſi dum aliis Indulgentias concedere valent, non poſſent ſibi; & tamen Indulgentiarum conceſſio eſt actus iuriſdictionis. Igitur cum ligatio per cenſuras ſit actus iuriſdictionis, poteſt illum in ſeipſum exercere. 2. Diſpenſatio eſt actus iuriſdictionis; & qui poteſtatem habet ordinariam, vel delegatam diſpenſandi cum alio in votis & in legibus, etiam ſecum diſpenſare poteſt, ut docent cum Sanchez alii Theologi. 3. Poteſt aliquis per commiſſionem abſolvere ſibi æqualem vel Superiorem, ut patet in Confeſſario quem ſibi eligit Papa; & in cap. *Finali de pœnitentiis & remiſſionibus* conceditur facultas Epiſcopo & Prælatis exemptis eligendi Confeſſorem, qui eos abſolvat a caſibus ſibi reſervatis; igitur ſimiliter poteſt delegare alteri facultatem ad ferendam contra ſe cenſuram, ſi in tale crimen incidat.

Reſp. ad 1. ex D. Thoma loco paulo ante cit. quod excommunicatio profertur per modum ſententiæ, quam nullus in ſe ipſum ferre poteſt, *eo quod in iudicio nemo poſſit eſſe iudex, & reus*. Indulgentia autem non per modum ſententiæ datur, ſed per modum diſpenſationis cuiuſdam, quam homo facere poteſt ad ſeipſum. Verum nota hic ex D. Thom. in corpore ibidem, Epiſcopum, vel Pontificem dupliciter poſſe conſiderari quod Indulgentiam ſibi ipſi concedat: 1. directe & immediate: ſed quia vix dari poſſet iuſta cauſſa ut ſecum in hoc diſpenſet immediate, & ſine iuſta cauſſa diſpenſatio non valeat, raro ſibi poterit Indulgentias immediate concedere, tametſi Suarez & alii hoc poſſe abſolute concedant. 2. indirecte & mediate, ſcilicet concedendo Indulgentias illi, qui tali die ieiunaverit, & ipſe poteſt ſibi lucrari ieiunando, & tali modo D. Thom. cum aliis dicit eos poſſe ſibi Indulgentias impartiri. Salmant. Ad 2. reſp. poſſe qui habet facultatem diſpenſandi cum aliis, ſecum quoque in votis vel legibus diſpenſare. Sic S. Thomas loco laudato in corpore. Alias Summus Pontifex eſſet deterioris conditionis quam alii, quia non poſſet ab ullo in votis diſpenſari. Sed hoc ideo eſt, quia actus diſpenſationis non eſt actus iuriſdictionis contentioſæ, quæ teſtium & probationes & citationes exigat, & ſic perſonarum non petit diſtinctionem, ſed ſolum prudens iudicium, quod examinet ſi adſit iuſta cauſſa diſpenſandi, quod unuſquiſque ex ſe ipſo facere poteſt. Nec eſt actus iuriſdictionis punitivæ aut coactivæ, quem non poteſt aliquis in ſe ipſo exercere, ſed iuriſdictionis voluntariæ, in qua poteſt idem eſſe Superior & inferior, ſeu ſubditus ſui ipſius. Ad 3. tandem reſpond. cum D. Thoma, abſolutionem & ligationem *in foro confeſſionis eſſe quoad Deum tantum, apud quem alius alio Superior, redditur inferior per peccatum. Excommunicatio vero eſt in iudicio exteriori, in quo aliquis non amittit ſuperioritatem ex eo quod peccat*. Unde non eſt ſimilis ratio de utroque foro. Infertur ex dictis, neminem poſſe in propria cauſſa ferre ſententiam, tum quia nemo eſſe poteſt iudex in propria cauſſa, cum nemo poſſit eſſe ſibi ſubditus, & ſic non poteſt eſſe actor & iudex; tum quia eſt contra ius naturæ, eumdem eſſe actorem & iudicem, quia magnam iniuriam alteri parti irrogaret. L. *unica* cap. *ne quis in ſua cauſſa*. Unde ſequitur.

3. Ad validitatem cenſuræ non ſolum neceſſe eſt ut non feratur in propriam perſonam, ſed nequidem in propria cauſſa. Et 1. quia a ſacris Regulis id vetitum eſt,

ut dicitur cap. 7. XXIII. q. 4. 2. *quia nullus unquam poteſt accuſator ſimul eſſe & iudex vel teſtis*; & omnia ſimul eſſent, ſi in propria cauſſa iudicium ferri poſſet : & equidem magna hic eſſet inæqualitas, magnaque alii afficerentur iniuria, ſi quis pro ſe contra alterum ſtatueret quidquid vellet. Notat hic tamen Suarez cum aliis, licitum eſſe quandoque uti in propria cauſſa cenſuris 1. ſi id fiat per modum defenſionis in eum, qui violentiam infert, quia vim vi repellere licet. 2. Ubi cauſſa tam publica eſt & manifeſta, ut nec negari poſſit, nec ullo indigeat examine.

4. Ut cenſura ſit valida requiritur intentio eam ferendi, ſcilicet quod revera cenſuram ferre velit, ideſt velit eum ligare, in quem fert cenſuram; quia actiones ſuam efficaciam deſumunt ab intentione agentis cap. *Cum voluntate de ſentent. excommunic.* Cum autem cenſura ſit lex, mandatum, ſeu ſententia; hæc plane nullam habet vim obligandi, niſi legiſlator mandans ſeu iubens intendat ac velit obligare. Hinc ſequitur 1. quod ſi Prælatus ferat cenſuram animo terrorem incutiendi, minime vero ligandi, vel aliquem inter eos, quos ferit cenſura, velit eximere, in neutro nec iſte nec alii relative ad primum caſum cenſuram incurrunt, ſi contra illius Prælati præceptum, quod ſub hac pœna indixit, operentur. 2. Quod qui excommunicatur ad inſtantiam partis, ligatus manet excommunicatione ſolummodo iuxta intentionem partis. Verum quoad intentionem Superioris duo notanda ſunt cum Suarez. 1. Eum qui uſus eſt verbis, quæ ſatis expreſſe cenſuræ impoſitionem denotant, præſumitur ſufficientem habuiſſe intentionem, niſi ex materia, aliiſve coniecturis prudenter iudicari poſſit eum comminari tantum voluiſſe & terrere. 2. Speciem hanc fictionis, qua utuntur Prælati quidam, qui terrere volunt, non autem cenſuras ferre, omnino in praxi fugiendam eſſe, dum fieri poteſt ea occaſione ſimpliciores aliquos ex conſcientia erronea graviter peccare : ex oppoſito vero qui ſe perſpicaciores præſumunt, veras interdum cenſuras contemnere.

Controvertitur hic inter Theologos, an ad validitatem cenſurarum requiratur ut libere ferantur; nec quæſtio eſt iam de libertate phyſica, cum de hac nemo ambigat, & conſtat ex cap. *Cum voluntate de ſentent. excommunic.* ſed de libertate morali ſeu a coactione. Negant aliqui cum Sayro lib. 1. cap. 16. n. 9. cenſuram per vim, & metum extortam validam eſſe; ſed verior & communior eſt eorum ſententia, qui contendunt validam eſſe cenſuram, etiamſi coacte, vi ſcilicet ac metu lata fuerit. Nam actus ex metu gravi factus naturali iure validus eſt, cum ſit ſimpliciter voluntarius; & cum nullum detur ius poſitivum a quo irritari poſſit, talis actus non irritat cenſuras latas a iudice per vim & metum coacto, idcirco validus remanet. Dico *non dari ius ullum poſitivum irritans cenſuras tali modo latas*; quia ſi effingi poſſet aliquod, maxime eſſet cap. *unicum de vi & metu* &c. in 6. ubi invalida declaratur abſolutio per vim & metum extorta, ac proinde idem concludi poſſet etiam de cenſuris, quas ita ferri contingeret, cum iura ligandi & ſolvendi paria ſint, & cap. 51. *de pœnit.* diſt. 1. Verum ratio, quæ iam unica eſt, qua adverſarii, Sayrus ſcilicet, Hugolinus, Corneius, & aliqui alii nituntur, nihil ſolide concludit: 1. quia valde gravis cauſſa movit Eccleſiam ad irritandas abſolutiones coacte collatas, & præcipue quia hoc favet Eccleſiaſticæ poteſtati, quæ enervaretur, ſi alias per metum cogi poſſent iudices Eccleſiaſtici cenſuras iuſte latas auferre, quod tamen non contingit, immo magis roboratur in caſu quo per metum cogatur iudex Eccleſiaſticus iuſtam ferre cenſuram; non ſecus ac non debilitatur poteſtas iudicis civilis ex eo quod cogatur iuſtam proferre ſententiam. Unde quamvis iura ligandi & ſolvendi ſint paria, non currit tamen pro utroque eadem ratio, quia hæc duo iura, dum ob aliquas circumſtantias validæ urgent rationes, cuiuſmodi ſunt paulo ante allatæ, poſſunt a iure ſeparari. Sic cap. *Tua nos de ſent. excomm.* incendiarius qui nominatim excommunicari poteſt ab Epiſcopo; ſic nominatim excommunicatus abſolvi nequit niſi a Summo Pontifice, ut ſentiunt Suarez diſp. 2. ſect. 15. Et Salmanticen. hic n. 60. Et quamvis, aiunt Salmant. cit. iura magis ad abſolvendum, quam ad ligandum per ſe propendant, per accidens tamen ob rationes ad commune bonum conducentes, in aliquo caſu, ut in præſenti contingit, oppoſitum ſtatuere poſſunt.

## §. VI.

*De cauſſis, ob quas fieri poſſunt Cenſuræ.*

Neminem latet, ut valide ac licite a Superiore Cenſura ferri poſſit, cauſſam aliquam concurrere debere; ita ut ſi nulla ex-

trin-

trinſeca rationabili cauſſa impellente, ſolum pro arbitratu ſuo cenſuras ferret Superior, abuteretur poteſtate ſibi tradita in ædificationem, non in deſtructionem, ac exinde graviter peccaret, & invalida eſſet cenſura, non ſecus ac in cauſſa fori civilis inanis eſſet ſententia, quam pro ſolo ſuo arbitrio proferret Magiſtratus contra innocentem. Igitur ad cenſuram valide ac licite ferendam ſua requiritur cauſſa. Cauſſa vero materialis cenſuræ duplex eſt, proxima, nempe peccatum, & eſt unica ratio cur feratur cenſura; & remota, quæ eſt perſona ipſa, quæ ſubiecta eſt cenſuræ. Remiſſo de hac dicere inferius, nunc de priori ſermo erit, varia quæ ad illius validitatem ſpectant, illuſtrando. Unde ſit.

Requiritur ad cenſuram contrahendam 1. culpa gravis.

Ex communi Doctorum non contrahitur cenſura ſaltem totalis niſi ob culpam mortalem, externam, completam, contumaciter commiſſam contra Eccleſiæ præceptum. Quare patet, quod ad hoc ut valide ac licite feratur cenſura, requiritur ex parte ſubiecti, in quem illa ferenda ſit, culpa aliqua, quæ menſurata ſeu proportionata ſit cenſuræ, quæ fertur. Cum enim cenſura ſit pœna, nonniſi ob culpam imponenda eſt, & iuxta ipſius gravitatem; quia homo ius non habet puniendi innocentem, & pœna proportionem habere debet cum culpa, ipſique correſpondere, non ſecus ac remedia menſurantur cum morbis; idcirco pro maiori cenſura maior etiam culpa requiritur; unde culpa quæ ſatis eſt pro ſuſpenſione & interdicto, non ſufficit pro excommunicatione, quæ maior eſt omni cenſura: æqua enim ratio poſtulat, ut difficiliora remedia gravioribus tantummodo morbis applicentur, ideſt ne pro culpa leviori graviſſima pœna imponatur. Unde can. 41. xi. q. 3. habet: *Anathema, quod eſt æternæ mortis damnatio, nonniſi pro mortali debet imponi crimine, & illi qui aliter non potuerit corrigi.* Quare monet Concilium Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. *de Refor.* præcipue excommunicationis gladium cum magna cautela eſſe adhibendum.

Dixi *totalis*, cum ſecundum multos cenſura partialis, aut ſuſpenſio ab aliquo actu officii ad breve tempus, & excommunicatio minor non neceſſario gravem culpam ſupponant. Unde nota hic cum Salmant. n. 124. etiam ſuſpenſionem & interdictum non aliter ac excommunicationem dividi in maiorem & minorem, & hæ cenſuræ communiter latæ ſemper ſunt maiores, ut ſuſpenſio ab officio & beneficio, & privatio in interdicto ad multum tempus cuiuſcumque ſpiritualium externorum bonorum uſus: ſi tamen ſuſpenſio ſit ad breve tempus & etiam interdictum ad breve tempus, & alicuius perſonæ particularis, privans tantum aliquo uſu, tunc ſunt minores, & hæ poſſunt inferri etiam pro culpa veniali.

Hinc colliges 1. cum Suarez & aliis, invalidam eſſe excommunicationem maiorem, ſuſpenſionem maiorem, interdictum grave, ſi pro cauſſa levi, puta pro mendacio iocoſo, aut verbo otioſo ferantur, cum levis ſeu venialis culpa incapax ſit iure naturali tam gravis pœnæ. Colliges 2. non poſſe Superiores pro re, quæ tum in ſe, tum inſpectis circumſtantiis levis eſt, præcipere aut vetare ſub pœna gravis cenſuræ: ſecus vero ſi res ſit quidem in ſe levis, ratione autem circumſtantiarum, puta ratione ſcandali, ratione periculi, culpa levis aut res etiam indifferens aperiat viam ad culpam graviorem. Et hac de cauſa ingredi popinas, nutrire comam, ſimiliave de ſe indifferentia Epiſcopi ſub gravi ſuis Clericis vetant, quia hæc omittere multum conducit ad Regularem ſtatum, ac Clericalem decentiam, qui eſt finis ab Epiſcopo intentus. Difficilius enim qui ſæcularia evitant, ut ſunt eiuſmodi, ad culpam trahuntur. Quocirca quotieſcumque a iure, vel ab homine aliquid præcipitur aut vetatur ſub pœna gravioris cenſuræ, ſupponendum eſt, Legislatorem ſeu Superiorem illud præcipere vel vetare cum obligatione ad mortale, licet alias res ea de ſe mala non ſit. Nam qui aliquid efficaciter vult, & illud cenſetur velle, ſine quo fieri nequit id, quod vult, ac proinde peccat mortaliter faciens aliquid ſub pœna cenſuræ vetitum, ſive hæc ipſo facto incurrenda ſit, ſive hæc lex tantum comminatoria contineat hanc clauſulam, *ut a iudice applicari poſſit ſine ulla nova monitione;* cum in tali caſu præceptum ipſum gerat vices monitionis, ut infra dicetur. Secus vero res ſe habet, quando cenſura ſic exprimatur, ut infligi nequeat ſine prævia monitione. Quidquid dicant aliqui, certe probabilius videtur, & in praxi tenendum, legem etiam in hoc caſu obligare ſub mortali; quod enim legislator indicat graviter conducere ad bonum commune, grave cenſeri debet.

2. Peccatum externum.

Item requiritur ut culpa ſit externa, & hæc eſt communior ac probabilior Doctorum ſententia. Rectum enim regimen Eccleſiæ ſaltem ordinarium exigit, ut nulla cenſura feratur propter ſolam internam pravam

Digitized by Google

vam operantis voluntatem. Nam ea tantum peccata ſubiici poſſunt cenſuris, de quibus Eccleſia iudicare poteſt, & hæc minime ſunt interna, ut declaravit Innocentius III. cap. *Tua nos* 34. *de ſimonia*. *Nobis* ( ibi ait Pontifex ) *datum eſt de manifeſtis tantummodo iudicare; de internis vero iudicet qui ſcrutator eſt cordium, & cognitor ſecretorum*. Nam Eccleſiæ poteſtas ſpiritualis tendet in hominibus, qui nonniſi humano modo, ideſt ſenſibili poſſunt ac debent operari, & ſic non poteſt habere uſum niſi circa res exteriores & ſenſibiles. Et hoc videmus in ipſis Sacramentis, quæ nonniſi ad ſenſibilia ordinantur, & per ſenſibilia conficiuntur, licet poteſtas illa conficiendi ſit ſpiritualis. Unde non ſolum cenſura lata ab homine, ſed etiam a iure, pro actu pure interno, eſt nulla; quia Eccleſia habet quidem poteſtatem directivam in actus internos, nullam vero habet inipſos iuriſdictionem coactivam, quia illi actus ſunt extra obiectum poteſtatis vindicativæ, cum ad puniendum crimen neceſſe ſit ut iudici crimen innoteſcat, quod fieri nequit in actibus internis, qui humanæ prorſus ſunt abſconditi cognitioni, & divinæ tantummodo innoteſcunt.

Hinc ſequitur, non incurri excommunicationem ob hæreſim pure mentalem, niſi exterius verbo vel alio ſigno exprimatur. Immo ille quoque qui extrinſece actum hæretici vel infidelis exerceat abſque interiori mentis aſſenſu, vel errore, ut ſi quis ex metu inductus thus daret idolo, vel aliquod Fidei dogma materialiter negaret ſine interiori animo & aſſenſu, hic plane non incurreret in foro conſcientiæ & coram Deo excommunicationem latam contra hæreticos, tamen in foro exteriori iudicaretur excommunicatus; quia excommunicatio lata contra hæreticos vere ac proprie non comprehendit niſi vere ac proprie hæreticos, cum ad hæreſim formaliter talem error in intellectu requiratur. Et idem dicito de quocumque ſimili caſu, ideſt de actione tantum externa contra præceptum abſque ullo actu interiori, dummodo actus internus non pertineat ad ſubſtantiam præcepti, ut ſi quis diſtractus Officium recitaret, & recitatio præcepta eſſet ſub pœna excommunicationis, quia hic non poneret ſubſtantiam præcepti, quæ complectitur & recitationem Officii, & attentionem in illius recitatione, ſine qua non habetur cultus Dei, quem intendit Eccleſia ei reddi in Horarum divinarum recitatione. Et ut res clarius intelligatur, & fundamentum habeatur ad ſolvenda obiecta, quæ opponi poſſunt.

Nota, quod licet Eccleſia præcipere nequeat actum pure interiorem, poteſt tamen eum præcipere vel vetare quando coniunctus ſit cum exteriori tamquam cauſſa cum effectu, vel effectus cum cauſſa, vel tamquam modus neceſſarius rei, quæ præcipitur; quia ita, qui erat in ſe inſenſibilis, fit ſenſibilis per accidens, ut accidit in confeſſione, ac in votorum diſpenſatione, in prima quarum actus interiores abſolvuntur ſecundum quod per confeſſionem manifeſtantur, & fiunt per illam ſenſibiles, & vota diſpenſat Eccleſia quatenus per eorum manifeſtationem ipſi fiunt ſenſibilia. Sic punit Eccleſia Simoniam mentalem, non illam quæ tantum in interiori habetur, & ſic in cap. *Finali de ſimonia* dicitur, quod donatio procedens ex animo ſimoniaco, ſi non probatur exterius, ab Eccleſia non punitur. Item in Concilio Tolet. 1. *In confeſſione Fidei* ( dicitur ) *qui dixerit aut crediderit mundum hunc non eſſe ab omnipotenti Deo factum, anathema ſit*. Ubi ly *aut* non ſumitur diſiunctive, ſed copulative, non ſecus ac ſi dicat: *Qui credendo dixerit, vel dicendo crediderit*. Nec ſatis eſt ad incurrendam cenſuram, quod actus exterior procedat ab interiori pravo, ſed debet eſſe plene illius ſignificativus: ita ut ſi quis v. g. mente aſſentiens hæreſi, ac de illa cogitans percutiat tabulam aut femur dicens: *Ita eſt*, non incurreret excommunicationem contra hæreticos, quia talis actus non eſt plene interioris hæreſis ſignificativus; quia ſi quis huic actui præſens adeſſet, minime intelligeret ſeu cognoſceret eum in talem hæreſim incidiſſe, ſicut requiritur ut hæreſis fiat exterius manifeſta, & excommunicatione puniatur.

Requiritur inſuper ad cenſuram incurrendam, quod actus mortalis culpæ ſit completus, ac perfectus in ſua ſpecie morali, & habeat eam malitiam, quæ ſub cenſura prohibetur; quia lex humana non operatur, ſeu non obligat ultra voluntatem ſeu intentionem Superioris, quæ iam ex ipſis verbis legis eam exprimentibus conſtare ſolet; & quia in odioſis verba ſtricte ſunt interpretanda, ac in favorabilibus amplianda iuxta illud: *odia ſunt reſtringenda, favores ampliandi*. Igitur lex cenſuram continens utpote pœnalis, cum ſit odioſa, ſecundum verborum proprietatem debet interpretari. Idcirco, niſi aliud per legem exprimatur,

de

Digitized by Google

de actu ex genere ſuo completo exponenda eſt. Unde ſi ſtuprum vel homicidium ſub pœna excommunicationis prohibeantur, illam non incurret qui tactus vel oſcula impudica habuit cum conſanguinea, vel homicidium per impedimentum perficere non potuit.

Dixi, *niſi aliud per legem exprimatur*; quia ſi per illam exprimatur etiam affectum ſe punire velle, & conatum, tunc non requiritur actus ex genere ſuo completus. Nam cap. 1. *de homicidio* in 6. mandans aliquem occidere per ſicarios, etiam morte non ſecuta incurrit excommunicationem.

Inſuper cenſura lata a iure vel ab homine contra facientes aliquod opus malum, non comprehendit mandantes, conſulentes, aliove quovis modo ad tale crimen concurrentes ſeu cooperantes, niſi implicite vel explicite in tali lege includantur ſeu nominentur; ita communiter ſentiunt DD. quia lex pœnalis, ut odioſa, non extenditur ultra verborum proprietatem. In dubio autem, an mandantes, conſulentes, approbantes &c. comprehendantur, vel non, ſub præcepto: Dicendum non comprehendi, ob alias allatam rationem, de pœnis utpote odioſis reſtringendis, ac benigniore parte amplectenda.

Reſolvuntur quidam caſus. Inquirunt hic DD. num incurrant cenſuram mandans & conſulens, quando prudenter & probabiliter conſtet non concurriſſe ullo modo ad opus, (qualiter ſe haberet mandans & conſulens ſimpliciter iam determinatum ac paratum opus exequi, puta occiſionem) nec ullo modo eius auxiſſe voluntatem; & communiter ſuſtinent hos non incurrere cenſuram latam contra mandantes, & conſulentes homicidium; quia in caſu noſtro mandans ac conſulens non influunt in opus ſub cenſura prohibitum, ut ſupponitur, idcirco cenſuram incurrere non debent. Et ex hoc ſequitur, quod in caſu, quod mandatum aut conſilium fuerit bonum, etiamſi opus ſub cenſura prohibitum ex illo ſequatur, non incurrunt mandans & conſulens in tali caſu cenſuram; ut ſi paratus occidere Clericum conſuleretur, ut contentus eſſet eum tantum percutere, & ſimilia: quia bonum præbetur conſilium, & qui opus bonum conſulit, non peccat. Salmant. dicentes, quod conſulens minus malum ei qui determinatus erat, & plene diſpoſitus ac paratus deterius ac maius exequi, cum reatum culpæ non incurrat, nec cenſuram incurret. Itidem mandans ac conſulens homicidium, vel Clerici percuſſionem, ſi vere & ex animo revocavit voluntatem, & mandatario illam revocationem efficaciter propoſuerit, efficiendo ex parte ſua id omne quod potuit ut eum a mandati executione retraheret, & modis omnibus illum ſolicitaverit, ſi mandatarius occiſionem vel Clerici percuſſionem exequatur, credendum eſt ex propria ſua malitia hoc feciſſe; & ſic non incurreret excommunicationem, qui illud conſilium ac mandatum dedit; ſicuti ſuſtinent quampluri imi contra aliquos, & videtur probabilior: quia Eccleſia non intendit, immo non poteſt cenſuris ligare niſi rebelles & contumaces, quales non eſt cenſendus qui conſilium ſeu mandatum efficaciter & omni meliori modo ac ſolicitudine revocare curavit; & quod dicitur de cenſura; id intellige de irregularitate, quæ ex delicto incurritur (non ob defectum lenitatis & manſuetudinis) quæ in caſu noſtro minime incurri poteſt quando mandans quis influxerit aliquo modo phyſice in effectum, non tamen moraliter; quia tametſi illa voluntas phyſice perſeveret in mandatario, & cauſa fuerit aliquo modo occiſionis, non tamen perſeverat moraliter, ſecundum quod eſt effectus conſilii aut mandati: Quia cum conſilium & mandatum ſit reſpectu cauſſæ voluntariæ & liberæ, non neceſſariæ, ceſſare poteſt, & ceſſat, præcipue quando revocatio nota fit mandatario, licet phyſice perſeveret in effectu.

Nota, quod magnum eſt diſcrimen inter mandantem & conſulentem in ordine ad effectum productum: quia mandans (& ſic dicito de rogante, petente, ac promittente, qui omnes ſub mandantis nomine includuntur) ſolum in gratiam ſui vult illud tale crimen patrari, ac voluntatem faciendi in mandatario movet ac veluti generat per ſolum imperium & auctoritatem, unde mandato efficaciter revocato & tali revocatione mandatario facta cognita, mandans ad nihil amplius tenetur ex iuſtitia, niſi admonere offendendum ut ſe caveat, ſed ex ſola charitate, ſi adhuc timeat mandatarium ex ſua malitia executurum mandatum. Conſulens vero, qui voluntatem in alio poſuit occidendi, ſeu illum edocuit rationibus movendo; licet ab ea notitia & ſcientia modo rationibus contrariis eum urgeat, quæ forte non ita erunt validæ ad perſuadendam ceſſationem a crimine, ſicuti fuerunt oppoſitæ ab ipſo adductæ ad inſinuandum criminis actum; niſi omnino conſtet alium rationibus primo ei propoſitis minime moveri, ſed aliis a ſe inventis, ſi timeat illum

exe-

executurum opus quod ipſi conſuluit, tenebitur ex iuſtitia monere lædendum, ut ſe caveat, vel in particulari a tali homine, vel in generali, dicendo, ei inſidias parari, ac opportere ut caute & circumſpecte ſe gerat: & ſi ſecus fecerit cum poſſit, debitum incurret reſtitutionis, & cenſuram pro tali actu latam; cum modis omnibus, quibus potuit, damnum alterius, in quod aliquo modo influxit, non evitaverit.

3. Contumacia. Item requiritur ad validitatem cenſuræ ut grave peccatum commiſſum ſit contra præceptum eccleſiaſticum, ſeu ſpecialiter ab Eccleſia prohibitum cum comminatione cenſuræ, & cum aliqua contumacia. Unde non poteſt imponi pro peccato contra ius divinum & naturale, ſi ſpecialiter non ſit ab Eccleſia vetitum: nam cenſuræ inſtitutæ ſunt ad medendam contumaciam & inobedientiam contra Eccleſiam, iuxta illud Matthæi 18. *Quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi &c.* Non eſt autem contumax & inobediens Eccleſiæ, niſi qui mandata ipſius contemnit, aut admonitus frangit, ut advertit D. Thomas in 4. diſt. 18. & alibi, & Suarez ſect. 5. n. 6. & alii. Ad hanc autem inobedientiam ſeu contumaciam ſufficit contemptus virtualis & interpretativus auctoritatis Eccleſiæ ſub pœna præcipientis, qualem habere cenſetur, qui ſciens præceptum Eccleſiæ annexam habens cenſuram tranſgreditur.

Tandem requiritur ad incurrendam excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum perſonale, ut culpa gravis commiſſa cum contumacia contra præceptum Eccleſiaſticum, cui annexa eſt cenſura, propria ſit, non aliena, quidquid ſit de ſuſpenſione & interdicto generali, quod ſupponitur tangere poſſe innocentes cap. *Si ſentent. de ſent. excomm. in 6.* non ut pœna illorum, ſed ut pœna acerbior delinquentium.

## §. VII.

### *De ſubiecto Cenſuræ.*

Nemo plane ambigit, ſubiectum cenſuris obnoxium eſſe non poſſe niſi ſolum hominem, ſive maſculus ſit, ſive fœmina, cum finis cenſuræ ſit retrahere a contumacia Eccleſiaſticis mandatis inobedientes, quod certe niſi in homine fieri nequit. Bruta enim & reliquæ irrationales creaturæ non ſunt capaces cenſuræ: nam quamvis locale interdictum ſit in locum, non eſt tamen in pœnam iſtius loci, qui ſcilicet incapax eſt culpæ, ſed in pœnam delictorum hominum eiuſdem loci incolarum cap. *Si civitas de ſent. excomm.* in 6. Unde quando etiam animalia noxia & loca devaſtantia anathematizantur, hoc proprie non eſt cenſura, quæ non fertur niſi ob peccatum, ſed ſunt Eccleſiæ preces, quibus fugantur. Unde ſuperſtitioſa iudicatur conſuetudo ſeu corruptela, quæ aliquibus in locis viget, præcipiendi locuſtis aut bruchis, ut ſub pœna excommunicationis a tali termino egrediantur. Verum cum non quilibet homo ſit ſubiectum aptum ut cenſura feriatur; idcirco exponendæ ſunt conditiones requiſitæ, ut quis ligari queat cenſura, nempe quod ſit ſubditus, baptizatus, rationis compos, & determinata perſona.

Et quoad primum, certum eſt, quod cenſura ferri nequit niſi in perſonam, quæ ſubdita ſit ligantis iuriſdictioni coercitivæ; quia iuriſdictio exerceri nequit niſi in ſubditos; ſubiectio enim & iuriſdictio ſunt correlativa. Unde diximus antea, ferri non poſſe in Superiorem, in æqualem, & in ſeipſum. Quocirca illatum fuit, Summum Pontificem, quia non habet ſuper ſe Superiorem, a nemine poſſe excommunicari, excepto ſi laberetur in hæreſim, per Concilium Generale, quia in tali caſu cum deſinat eſſe Eccleſiæ caput, poteſt Concilium ex virtute ſpeciali, quam Chriſtus contulit Eccleſiæ, quam Concilium Generale repræſentat, ipſum excommunicare.

Non levis hic verſatur difficultas, num homo, ut vere dici poſſit Eccleſiæ ſubditus, ac ideo capax ſubiacendi cenſuris, debeat eſſe viator. Dubitatur enim, num mortui poſſint excommunicari: Nam ſi quis decedit excommunicatione innodatus ex hac vita, ideſt antequam abſolutionem accipiat, remaneret excommunicatus; & ſic mortui poſſunt abſolvi, & multoties abſolvuntur ut cap. *Nobis* 2. cap. *Sacris de ſent. excomm.* & cap. *Sane* 24. q. 2. dicitur, hæreticos poſt mortem eſſe anathematizandos. Item ſi quis mandavit alicui ut occideret Clericum, & antequam occiſio Clerici ſequatur, mandans moriatur non revocato mandato, ita ut ſequeretur poſt illius mortem occiſio Clerici, mandans etiam mortuus ſubiaceret excommunicationi. Unde videtur, quod etiam poſt mortem poſſit aliquis excommunicari; idcirco ad incurrendam cenſuram non eſt neceſſe ut homines ſint viatores. Hoc tamen non obſtante verior ac communior ſententia eſt, ad incurrendam cenſuram ſtatum requiri viatorum, ſuper quos tantummodo Chriſtus Ecele-

cleſiæ ſuæ iuriſdictionem contulit iuxta illud Matth. 18. *Quæcumque ligaveritis ſuper terram*. Mortui vero homines non amplius degunt ſuper terram. Immo per mortem diſſolvitur talis homo, ut amplius non ſubſiſtat, ſed ſolummodo ipſius partes, corpus ſcilicet, quod utpote inanimatum incapax eſt ſubiectionis, & anima quæ ut mere ſpiritualis immunis eſt a iuriſdictione Eccleſiæ, quæ utpote ſenſibilis in ſola ſenſibilia poteſt exerceri; tum etiam quia anima vel eſt in Purgatorio, vel in Cœlo, & ſic incapax contumaciæ, ac ideo incurrendi cenſuram, vel in inferno, ubi ei inutilis eſt cenſura, quia ibi incapax eſt curationis ac emendationis, & ſic pœnæ medicinalis.

Nihil autem concludunt momenta ſupra allata de excommunicatione, qua innodari poſſunt mortui; quia hac pœna ligari poſſunt defuncti ſumpta excommunicatione improprie tantum & indirecte, quatenus iſta non tam afficit aliquid in ſe, quam aliquid aliis circa ipſum præſcribat, non vero proprie & directe accepta hac pœna in proprio ſuo ſenſu, nempe prout afficit hominem Chriſtianum per ſe, & interiori ac exteriori Eccleſiæ privat communione, ideſt bonis ſpiritualibus; & hoc modo nequit Eccleſia excommunicare infideles & mortuos, utpote ſibi non ſubditos. Itaque mortui indirecte & improprie excommunicari poſſunt, quia poteſt Eccleſia viventibus præcipere, ut pro mortuis non orent, aut illis eccleſiaſticam ſepulturam denegent; quia comperit Eccleſia, eos, dum viverent, propter hæreſim, aliudve delictum, cui annexa erat cenſura, iam a fidelium communione eſſe excluſos; quo ſenſu non decernit Eccleſia excommunicationem, ſed eam, quæ contracta erat, denunciat. Hinc patet, abſolutionem non concedi mortuis niſi indirecte, quatenus ſinit Eccleſia, ut, cum de eorum pœnitentia conſtet, precibus iuvari poſſint, ut ex cap. 28. *de ſent. excomm.* alias longius in Purgatorio detinerentur, eo quod in extremo vitæ halitu tanti ſceleris pœnitendo veniam conſequi potuerint.

In caſu vero allato de eo, qui mandavit occidi Clericum, & morte præventus Clerici occiſio ſecuta ſit poſt eius mortem, hic excommunicationem ob tale facinus a ſe mandatum non incurrit, quia iam non eſt ſubiectus Eccleſiæ, quæ ſubiectio requiritur, ut actualiter incurratur excommunicatio. Ita Corneius cum aliis cit. a Salmantic. . : .

Subditus vero non poteſt ligari cenſura a Superiore, niſi quatenus ſubeſt eius iuriſdictioni, ideſt verſatur intra fines ipſius Diœceſis ſeu Territorii. Unde ſubditus, qui in proprio Epiſcopi ſui territorio deliquit, cenſuris ligari poteſt, etiamſi in alienum Territorium fugerit. Ita communiter. Alias ſi homo ille plecti non poſſet niſi in Territorio, in quo peccavit, crimen eius impunitum remaneret, cum in alieno Territorio, ad quod confugit, nil admiſerit quod cenſura puniri queat, ut ſupponitur. Igitur talis homo etiam in alieno Territorio puniri poteſt ſive per cenſuram latam ab homine, in quo caſu iudex loci delicti, requirere debet a iudice loci, in quem delinquens confugit, ut vel ipſe eum citet, vel remittat, adeo ut tandem puniatur, ſi comparere nolit; ſive per cenſuram a iure. Unde ſi ipſo facto Mediolani incurreretur excommunicatio ab homicida, qui aliquo mortaliter vulnerato, in Diœceſim Bergomenſem ſe reciperet, eo inſtanti quo ex vulnere mors ſequeretur, cenſuram incurreret. Et hoc quoque dicendum, ſi lethaliter vulneratus Mediolani traducatur in aliam Diœceſim, ibique moriatur; quia homicidium, ſi non quoad effectum, quoad actionem tamen externam conſummatum eſt ubi ſub cenſura erat vetitum. Verum quidem eſt, ad cenſuram requiri effectum; ſed quod hic vel illic ponatur, plane accidentarium eſt. Hinc ob rationem eamdem, qui lethaliter vulneravit in Eccleſia, contrahit cenſuram latam contra occidentes in Eccleſia, tametſi vulneratus, in domo ſua moreretur. Ita Suarez, Bonacina, qui ex hoc inferunt, quod qui poſitus in Eccleſia exploſo tormento bellico occidit hominem extra Eccleſiam, non incurrit cenſuram contra occidentes aliquem in Eccleſia, quam bene incurreret, ſi cum ſit extra Eccleſiam, eum occideret qui erat in Eccleſia; quia delictum prioris conſummatur extra, poſterioris vero in Eccleſia. Et ſic in aliis huiuſcemodi caſibus.

Non levis difficultas verſatur inter DD. circa eum, qui inchoato crimine in loco, ubi contra ipſum eſt cenſura, in alio compleat, qui non ſubiacet cenſuræ: puta ſi quis virginem rapiat Venetiis, & Patavii eam violet, ubi fingamus ullam contra ſtuprum non eſſe cenſuram: Et in hoc caſu ſtando hactenus expoſitis videntur melius, probabiliuſque ſentire ii, qui contra Sayrum ſuſtinent, hunc cenſuram non incurrere; quia cenſura non eſt lata contra utcumque in materia hac delinquentes, ſed

con-

contra verum ſtuprum patrantes. Poterit quidem hic puniri ab Antiſtite Veneto aliis pœnis ob ratum commiſſum in ſua Diœceſi, ſed minime incidit in cenſuram, quæ contra ſolos raptores viget in Veneta Diœceſi. Unde ſubditi, qui extra ditionem proprii Epiſcopi incidunt in crimina, quæ in ſua Diœceſi cenſuræ pœna plectuntur, iiſdem cenſuris non ſubiacent, ut patet ex cap. 2. *de conſtitut.* in 6. ubi ad tollendam omnem difficultatem, quæ circa hoc occurrere poſſet, ita definit Bonifacius VIII. *ſtatuto Epiſcopi, quo in omnes, qui furtum commiſerint, ſententia excommunicationis promulgatur, ſubditi eius furtum extra ipſius Diœceſim committentes, minime ligari noſcuntur, cum extra Territorium iuſdicenti non paretur impune*: Ita ut vi huius declarationis, ſubditi patrantes extra fines ſuæ Diœceſis crimen quod in illa vetitum eſt ſub pœna cenſuræ, etiamſi ibidem per ſuum ſtatutum eoſdem ligare intenderet Epiſcopus, minime ea ligantur ob defectum ſubiectionis. Et ratio eſt, quia nemo poteſt ob idem delictum bis puniri; quod contingeret ſi Epiſcopus ſuæ Diœceſis poſſet illum mulctare ob culpam extra illam commiſſam; dum propter eamdem culpam poſſet puniri ab Epiſcopo Diœceſis ubi deliquit; quia regulariter *forum quis ſortitur ratione delicti*.

Sed dices: Epiſcopus, puta Veronenſis, non definit eſſe Paſtor illius, qui in Diœceſi Vicentina deliquit, ita ut ibi poſſit de tali culpa abſolvere; idcirco non videtur implicare quod poſſit ibi etiam eum punire. Reſp. latam eſſe diſparitatem inter abſolutionem, quæ datur in foro interno ſeu conſcientiæ; nam ius non ſubtrahit Paſtori pro foro conſcientiæ ovem alibi ad tempus aliquod commorantem; & cenſuram quæ pertinet ad forum externum, circa quod hæc habetur regula a iure ſtatuta, ut qui alibi deliquit, ibidem in exteriori foro plectatur; alias ſequeretur iuriſdictionum perturbatio. Unde ſi abſolutio danda eſſet in foro exteriori, ea in aliena Diœceſi ab alieno Epiſcopo dari non poſſet.

Quid circa Religioſos Ordinum. Hoc tamen minime ſuffragatur Religioſis Ordinum, ut ubicumque ſtatuta ſuorum Superiorum violent, cenſuris ab his latis non ſubiaceant; nam quamvis Religioſi quoad miſſionem limitibus circumſcribantur, non circumſcribuntur tamen quoad localem amplitudinem iuriſdictionis, quæ pro territorio habet totum mundum, aut ſaltem iuriſdictionem, quæ non exercetur ratione loci, ſed perſonarum, quas proinde ubicumque inſequi & urgere valent. Similiter non ſuffragatur Beneficiatis non reſidentibus, aut renuentibus, dum a ſuo Epiſcopo vocantur, Synodo intereſſe; ita ut in aliena Diœceſi, ubi interim degunt, cenſuris contra abſentes latis ligentur, quia ſunt in proprio territorio fictione iuris, ſecundum quod quis peccare cenſetur eo in loco, ubi tacere omittit id quod tenetur facere ex L. 121. ff. *de Regulis iuris*. Minime pariter ſuffragatur iis, qui contra Epiſcopi ſtatutum frumentum exportant extra Diœceſim, quod idem eſt ac in locum exemptum; quia hæc deportatio, prout periculoſa proprio Territorio, ſaltem fictione iuris in eodem perficitur. Quocirca cenſuram contraheret qui contra Prælati legem accederet ad Monaſteria exempta, quia acceſſio fit, & conſummatur in proprio Epiſcopi territorio. Si autem cenſura lata eſſet tantummodo contra eos, qui loquerentur cum Monialibus, illa non ligarentur, qui cum ipſis in proprio earum Monaſterio loquerentur. Sic Nuglinus, Avila, Bonacina. Tandem non ſuffragaretur ne cenſuram incurrerent conditionalem latam ob delictum præteritum, Idcirco ſi excommunicentur qui bona alicuius furati ſunt, niſi intra menſem ea reſtituant, excommunicabuntur, tametſi ante elapſum terminum exierint e Territorio. Ita Auct. *Suppl. Moral. Tournel.*

Gravior tamen difficultas eſt, num cenſura quæ lata ſit in aliquem ſubditum per modum ſententiæ, e. g. ſi intimetur Ioanni excommunicatio ſi furetur, ſi comam nutriat, ſi popinas adeat, eum liget ſi in alieno territorio delinquat. Diſcrepant circa hoc DD. Suarez cum Sayro, ac Bonac. partem ſuſtinet affirmativam; quia 1. aiunt ipſi, ſtatutum reſpicit territorium, ut ordo & pax in eo ſerventur; quocirca non afficit perſonas, niſi quatenus ratione territorii ſubditæ ſunt ac in eo morantur. Sententia autem attendit privatum perſonæ bonum; idcirco vim habere poteſt independenter a territorio. 2. Superior agere poteſt cenſura in ſuos ſubditos, & hi tales manent, ideſt ſubiecti perſonaliter, etiam extra territorium ſui Superioris: Igitur ſuis cenſuris ibi quoque ſunt obnoxii. Oppoſita tamen opinio eſt probabilior, & hanc ſuſtinent Coninch. Avila, D. Grandin citati ab Auctore *Supplementi Moralis Tournelii*, quam probant ex ſupra cit. cap. 2. *de conſtitut.* 16. Bonifacii VIII. ubi: *Cum*, inquit, *ſtatuto Epiſcopi excommunicantur fures, eos*

non

*non percelli*, *qui extra ipſius territorium ſeu Diœceſim furantur*; non affert pro ratione ſtatutum reſpicere tertitorium, non.perſonas, ſed unice quod *extra territorium iuſdicenti non paretur impune*. Epiſcopus autem ſive ſtatutum ferat, aut ſententiam contta abſentem in aliena Diœceſi, ideſt contra eum, qui incola eſt extra ſuum tettitorium, ibique delinquit, iam vere ius dicit extra ſuum territorium. Igitur ſubditum ſuum extra proprium territorium ſi peccet, pœna cenſuræ ferire nequit. Nam ſicuti cenſura per modum ſtatuti ita reſpicit tettitorium, ut perſonatum conditionem non excipiat; ac ideo nec delinquens ubique cenſura ligari poteſt; ita lata per ſententiam ſie ptimo reſpicit perſonam, ut non excludat ptoprium tertitotium, ac proinde nec ſubditam perſonam ubicumque peccet, ligate queat. Hinc colligit Coninch. falſo aliquos aſſerere, quod poſſit Epiſcopus præcipere ſuis Clericis, ne Sacrum celebrent in aliena Diœceſi; nam hoc, ait, invalide faceret, niſi forte quatenus ex iuſta eauſa his præcipere poſſet, ne e Diœceſi egrederentur, quo in caſu proprie non peccarent alibi Sacrum celebrando, ſed exeundo ex Diœceſi. Quod ſi forte ex tali celebratione Miſſarum in altera Diœceſi contingeret, ut propria Diœceſis Miſſas non haberet, in tali caſu, ut vult Auſt. *Suppl. Moral. Tournel.* Sacerdotes illi cenſuris ſubiacerent, quia iuris fictione in propria Diœceſi delinquerent: Tandem idem Coninch. obſervat, quod Clericus, qui legatione aliqua Epiſcopi nomine fungeretur, ſubiectus tunc eſſet ſpecialiter & perſonaliter ſuo Epiſcopo, eo quod eius actiones tunc cederent in honorem aut dedecus proprii Epiſcopi. Unde colligit, eum in loco legationis cenſura ligari poſſe ab eodem ſuo Epiſcopo.

Extraneus, qui in alieno territotio delinquit contra ius naturale aut commune, ſubiici poteſt cenſuræ niſi ſatisfecerit; & eſt communis; quia ex cap. *ultimo de foro competenti* ſortitur forum ratione delicti. Igitur quamdiu manet in illa Diœceſi, legitime citari poteſt ab Epiſcopo loci eiuſdem, & compelli, ut parti læſæ ſatisfaciat, & ſi contumax ſit, etiam excommunicatione puniri. Ita Pirhing. Barboſa cum aliis. Si tamen ille extraneus exeat e territorio antequam citatione præveniatur, cenſent cum Avila Salmanticenſes, eum cenſuris ſubiici non poſſe. Nam hæc (dicunt) intercedit differentia inter ſubditum domicilii & delicti, quod ſubditus domicilii utpote abſolute ſubditus, ubicumque commoretur, puniri queat a ſuo Paſtore, alter vero ut ſubditus ſolum ſecundum quid, niſi remanens in loco delicti; niſi iudex loci ad quem acceſſit, eum ad preces Iudicis loci delicti citaverit, aut remiſerit, ut facere tenetur.

Exttanei, & vagi etiam ettantes ligari poſſunt cenſura lata per ſtatutum, tametſi ingreſſi non ſint niſi poſtquam lata fuit cenſura; ita plurimi contra alios: Quia ſi extranei tenentur legibus locorum in quibus vivunt, ut dicitur in tractatu *de legibus*, videntur obnoxii etiam cenſuris, quæ violationi legum eorumdem ſunt annexæ, licet ob ipſarum legum ignorantiam faciljus quam incolæ iudicari poſſint immunes a cenſura. Quia, ut recte dicit Suarez, ſtatutum & conſtitutio primo & per ſe datur pro ipſo territorio, ut ſcilicet qui in eo degunt, tali modo & ordine ſe gerant. Quocirca ne talis ordo & pax territorii turbetur, operæ pretium eſt, ut etiam exteros ipſos peregrinantes ſtatutum ligare debeat; & ſic hi tenentur aliis illius territorii ſe conformare. Unde quod huic ſtatuto ſubditi ſint, non oritur ex delicto, ſed ex actuali exiſtentia & converſatione in tali territorio, & ex quadam naturali obligatione quam contrahit qui aliquo in loco moratur, ut moribus illius loci ſe conformet, donec ibidem remanet: ita ut ſi ſtatutum obligaret ſub culpa, illud violando peccaret, ac ideo ſi ei annexa ſit cenſura, eam quoque incurreret; niſi conſtaret nolle Superiorem eidem extraneos ſubiicere, qui animum non habent ibi commorandi ſex aut amplius menſes, quia cum cenſuræ non obligent ultra intentionem eas ferentis, dicendum eſt, extraneos, qui parum temporis ibi ſunt moraturi, his cenſuris non ſubiacere.

Si cenſura feratur per modum ſententiæ v. g. *ſit ipſo facto excommunicatus qui notitiam habet talis furti*, *niſi revelet*, non ligat eos, qui necdum erant in territotio tempore quo lata fuit: Quia talis ſententia fertur per modum præcepti tranſeuntis, quod non cadit niſi in eos qui actu præſentes ſunt. Quare docent Canoniſtæ, ſententiam *vires ſumere in continenti*, hoc eſt ſimul & ſemel imponere quidquid poteſt obligationis. Quoad extraneos vero, qui iam extabant in territorio quando lata eſt talis ſententia, ſi ibi erat non tranſeuntes, ſed animo commorandi per aliquod tempus, ei ſubiacent. Ita D. Grandin.

Num vero Epiſcopus, dum extat extra ſuam Diœceſim, poſſit ligare ſubditum cen-

ſu-

ſura lata per ſententiam: Difficultatem hanc ſolvunt ſacri Canones, qui interdicunt, ne quis Epiſcopus iuriſdictionem in Diœceſi exerceat aliena. Ita habetur Clement. *Quamvis de foro competenti*: Nam ad ferendam ſententiam requiritur cauſſæ cognitio, quæ haberi non poteſt ſine tribunali, & nemo extra ſuam ditionem ſedere poteſt pro tribunali, cum iuriſdictio cohæreat loco; ita ut iudex extra locum rationе iuriſdictionis contentioſæ redigatur ad inſtar privati, ut ex L. *finali cap. de offic.* Excipe tamen ſi conſentiat Epiſcopus loci alieni; & ſi partes contendentes conſentiant, quia inviti trahi nequeunt extra proprium territorium. Item ſi Epiſcopus expulſus ſit e ſua Diœceſi, quia ſententiam ferre poteſt in Civitatibus vel inſignibus locis ſuæ Eccleſiæ & propinquioribus, petita tamen licentia ab Ordinario loci, in quo exiſtit; & licet eam non obtineat, adhuc poteſt in tali caſu procedere, prout habetur cit. cap. vel tandem ſi agatur de crimine notorio, quia notoria non exigunt cauſſæ cognitionem.

Excepti a cen. ſura. Nota. Imperator, Rex, eorumque uxores & filii privilegio gaudent, ut non ſubiaceant cenſuris latis ab Epiſcopo, ſed ſolum a Summo Pontifice. Hocque idem privilegium habent ii, qui in proprios ac peculiares Romanæ Eccleſiæ filios ſunt recepti.

Secunda conditio, quæ requiritur ex parte ſubiecti, ut valide feratur in ipſum cenſura, eſt, quod ſit homo baptizatus. Hinc Eccleſia excommunicare nequit cathecumenos, idololatras, ſaracenos, alioſve infideles non baptizatos, quia in illos non habet iuriſdictionem iuxta illud Apoſt. 1. Corinth. 5. *Quid mihi de iis qui foris ſunt, judicare?* Poteſt tamen indirecte, interdicendo Fidelibus, ne cum ipſis communicent. De hæreticis vero, ſchiſmaticis, apoſtatis nullum eſt dubium quod ferre poſſit in iſtos cenſuras, utpote qui per Baptiſmum, cui initiati ſunt, velint nolint ſunt iuriſdictioni Eccleſiæ ſubiecti cap. *de Iudæis* diſt. 45.

Tertia conditio eſt, quod ſubiectum cenſura feriendum ſit rationis capax. Idcirco pueri, perpetuo amentes ligari nequeunt cenſuris, & ſic pueri tempore interdicti ( quidquid in contrarium dicant aliqui ) ſecundum veriorem, utpote non comprehenſi in interdicto locali, ut pœnæ ſeu cenſuræ incapaces, ideſt iuriſdictionis exercitæ circa eos, non ſunt excludendi a divinis officiis, & ita ſuſtinent Suarez, Corneius, Avila cum multis aliis. Qui vero ad tempus tantummodo ſunt rationis impotes, ut dormientes, ebrii, & ad tempus amentes, ſi cum dederunt cauſſam cenſuræ, uſu rationis carebant, ligari nequeunt cenſuris: Poſſent quidem ſi eodem rationis uſu tunc caluiſſent, quia requiritur libertas, quando apponitur cauſſa voluntaria. Ille autem qui mandatum dedit aut conſilium occidendi Clericum, incidit in excommunicationem, etiamſi incideret in amentiam antequam revocet mandatum, aut conſilium, & tunc, nempe tempore amentiæ, ſecutus eſt effectus; tamen ſi talis amentia eſſet perpetua, abſolvendus eſſet, licet ſigna non daret pœnitentiæ; quia cum cenſura ſit medicinalis pœna ad correctionem, incapax correctionis eſt abſolvendus, ut docent Suarez, Corneius, Coninch. cit. a Salmantic.

Impuberes ligari poſſunt cenſura a iure vel ab homine, nec ſolum per modum præcepti lata, ut volunt aliqui, ſed etiam per modum ſententiæ generalis vel particularis, ut verius alii dicunt; eo quia tametſi Ordinem iudicialem ignorent, quod eſt ratio quare contraria ſententia a cenſura tali modo lata eos excuſat, poſſunt tamen ab alio inſtrui, & per procuratorem aut tutorem ſe defendere. Sic ſuſtinent Suarez, Coninch cit. a Salmant. Non ligantur hi tamen de facto a cenſuris ſive a iure ſive ab homine latis, niſi exprimantur; quia, ut notant Suarez, Sotus, Azorius & alii, credendum eſt, quod licet Eccleſia poſſit in hos ferre cenſuras, fecit tamen quod convenientius eſt facere, ſicuti eſt non punire impuberes cenſura, qui virgis potius quam cenſuris ſunt corrigendi.

Requiritur tandem, quod perſona cenſura ferienda ſit determinata. Unde Communitas, Collegium, aut Civitas excommunicari nequeunt, ut expreſſe in cap. *Romana de ſentent. excommunic.* in 6. Quia non eſt credibile totam Communitatem deliquiſſe, ſed forte aliquos eſſe innocentes, nec eſt Dei aut Eccleſiæ iudicium condemnare iuſtum cum impio. Sic docent D. Thom. in addit. q. 22. art. 5. & alii. Immo nulla erit pariter cenſura ſi feratur in aliquem ex Communitate, qui tale delictum commiſit, non determinando perſonam ream; quia tunc eſt ſententia incerta, & indefinita, quæ nullum parit effectum, non ſecus ac nihil efficeret, qui ex pluribus hoſtiis ſibi propoſitis unam conſecrare vellet, aliquam non determinando; quia conſecrationis verba debent ferri in determinatam materiam.

Ali-

Digitized by Google

Aliter vero dicendum, addunt hic Salmaticenſes, de cenſuris latis per modum præcepti aut ſtatuti; quia hæ totam Communitatem comprehendere poſſunt; puta ſi Prælatus ſub pœna excommunicationis huic Communitati aliquid præciperet, omnes tranſgreſſores illius præcepti eam contraherent, & ita non Communitatem, ſed particulares talis cenſura reſpiceret; cum ex oppoſito cenſura lata per modum ſententiæ in Communitatem, ipſam immediate reſpicit Communitatem, in qua fortaſſe plures erunt innocentes, qui æquum non eſt quod pro aliorum culpa mulctentur.

Nec officit, quod tota Communitas per delictum alicuius particularis ſuſpendatur aut interdicatur, quia ut reſpondet S. Thom. in addit. q. 22. art. 5. ad 2. ſuſpenſio & interdictum non ſunt tanta pœna quanta excommunicatio, cum ſuſpenſi non fraudentur Eccleſiæ ſuffragiis ut excommunicati. Hinc aliquis etiam ſine peccato proprio ſuſpenditur, ſicut & totum Regnum ponitur ſub interdicto ob peccatum Regis, & ideo non eſt idem de excommunicatione.

Varia notanda.

Nota 1. quod cenſura excommunicationis lata a Pontifice, vel ab alio Superiore contra Communitatem abſque præcedenti examine, quo inquiſitum fuerit, quænam perſonæ illius Communitatis deliquerint, eſt non ſolum illicita, ſed ſimul invalida, ac proinde non comprehendit nec ipſos delinquentes; quia huiuſcemodi ſententia continet intolerabilem errorem contra ius divinum & naturale, utpote quæ indiſtincte feratur contra reos & innocentes, qui eam nullam idcirco reddit. Quod ſi facto debito examine omnes illius Communitatis culpati reperiantur, licite & valide poſſunt a Summo Pontifice excommunicari; quia non erit iure naturæ illicita, ſed ſolum iure Eccleſiaſtico, quod ubſervare non tenetur Pontifex. Eſſet tamen illicita talis ſententia, licet valida, ſi ab alio Superiore feratur contra integram Communitatem, quia vetita eſt a iure Canonico cap. citato *Romana*, ubi præſcribitur eis forma ferendi talem ſententiam. Quare ut Superior licite & valide in totam Communitatem excommunicationem ferre poſſit, non debet per unam ſententiam omnes ſimul excommunicare, quos reos reperit, ſed vel per plures ſententias ſingulos quos reperiret deliquiſſe, vel per unam pluribus æquivalentem, ut ſi dicat *excommunico Petrum & Paulum* &c. vel omnes Magnates & reliquos virtualiter recenſendo, ut ſi dicat *excommunico Præpoſitum, Decanum, Archidiaconum, & alios huius Communitatis*.

Nota 2. eumdem hominem incurrere poſſe plures cenſuras, ſive eiuſdem, ſive diverſæ ſpeciei, ita ut quamvis abſolvatur ab una cenſura, altera innodatus remanebit, donec ab illa abſolvatur: quia cum incurratur cenſura ob violationem legis, proculdubio quoties legis tranſgreſſiones multiplicantur, multiplicatur & cenſura; multiplicatis enim cauſſis, effectus multiplicantur. Unde qui Clericum ſæpius percutit cum interruptione morali, aut percutit Clericum, & incidit in hæreſim, cum in utroque caſu multiplices ponat cauſſas cenſuræ, multiplices ſequuntur effectus, ideoque multiplices cenſuræ in primo caſu quoad numerum, in altero quoad ſpeciem; quia unicuique tranſgreſſioni completæ alligatur ſua cenſura. Igitur cum multiplicantur tranſgreſſiones, multiplicantur cenſuræ. Multiplicantur vero tranſgreſſiones vel ſpecifice, vel numerice.

Diximus *cum morali interruptione*, quia ſi percuſſio fiat ſæpius, ſed ſucceſſive ſine interuptione morali, unica incurritur cenſura. Percuſſio enim, non ſecus ac furtum, cum certam definitam extenſionem non habeat, non cenletur moraliter uno aut altero actu perfici, ſed tamdiu eadem numero reputatur, donec moraliter ceſſet ſeu diſcontinuetur. Contra vero qui ſæpius etiam ſine intermiſſione fornicatur cum eadem, plures contraheret cenſuras, quia fornicatio terminum habet definitum, in quo conſummatur, & qui proinde pluries poni nequit, quin plura numero peccata ponantur. Hinc licet percutiens Sacerdotem, qui ſimul Diaconus eſt & Subdiaconus, unam tantum incurrat cenſuram, quia unam tantum irreverentiam committit contra ſtatum clericalem, maiorem quidem in Sacerdote, ſed non diverſæ ſpeciei ac ſi in Clerico, duas tamen cenſuras contraheret, ſi Sacerdos quem percutit, eſſet etiam Monachus, quia tunc duas violaret leges, aliam quidem quæ præcipit reverentiam debitam ſtatui Clericali, aliam quæ præcipit reverentiam ſtatui Monachali: Religioſi enim conditio plane diverſa eſt a conditione Clericali, cum alia ſit conſecratio Monachi, alia Sacerdotis ſæcularis.

Nota 3. Qui facit actum pluries vetitum vel ab eodem vel a pluribus Superioribus eamdem habentibus poteſtatem, non plures incurrit cenſuras; ſic cum Sayro Suarez, Bonacina, & alii communiter: Quia cenſu-

ræ non multiplicantur, niſi multiplicetur contumacia, quæ iam non multiplicatur, niſi multiplicentur actus vel leges: leges autem non multiplicantur, niſi nova imponantur iura: idem autem Superior vel plures Superiores Ordinis eiuſdem non imponunt nova iura, ſed unam eamdemque legem conſtituere cenſentur. Igitur per unicam eius tranſgreſſionem non multiplicantur peccata, nec cenſuræ ſi lex lata ſit ſub cenſura. Unde qui peccat contra legem ſæpius latam ab eodem aut a diverſis Pontificibus renovatam, v. g. non ferendi arma ad inimicos, unicam contrahit cenſuram; quia licet lex ſit materialiter diverſa, formaliter tamen unum ſunt, quatenus ſunt moraliter una eademque auctoritas.

## §. VIII.

### *De forma ferendi cenſuras, ac de ſolemnitate ad eas requiſita.*

Nomine formæ in cenſuris intelliguntur ritus, ſeu quædam formalitates, quibus uti ſolet Eccleſia, & ſervari debent in ferendis cenſuris, & habent ſuum ordinem, ut quædam cenſuram præcedant, ut monitiones, eam comitentur aliæ, & ſunt ſigna quæ cenſuram exprimunt, aliæ ſequantur, ut denunciatio; de ſingulis quarum ſeorſim tractabitur.

Quid ſignificet nomen monitionis. Monitionis nomen hic ſumitur pro declaratione ſeu intimatione, qua Superior denunciat, quod qui tali legi aut ſententiæ non obedierit, talem pœnam incurrat, vel incurrere mereatur. Verum pro faciliori agendorum captu ſupponendum 1. latum eſſe diſcrimen inter excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum: Nam excommunicatio numquam ferri poteſt niſi per modum cenſuræ, idcirco per modum pœnæ medicinalis, & nonniſi propter delinquentis contumaciam, ac nunquam per modum pœnæ præciſe talis in punitionem præteriti delicti ordinatæ. Suſpenſio vero, & interdictum perſonale ferri poſſunt, & aliquando feruntur per modum cenſuræ, quarum proinde violatio inducit irregularitatem, & per modum pœnæ pure talis, & tunc non petunt contumaciam, cum ſimplex pœna non tantum ordinetur ad reſipiſcentiam peccatoris, ſed etiam & præcipue ad punitionem peccati; & ſic infligitur pro delicto abſolute præterito, ut patet ex iudiciis humanis; & ſic habetur de ſuſpenſione in cap. *Tam litteris* 33. *de teſtib. & atteſtationib.* cap. *Cum in cunctis* 7. *de elect.*. de interdicto cap. *ſacro* 48. *de ſent. excomm.* cap. 1. eod. tit. in 6. Et ratio diſcriminis deducitur ex gravitate excommunicationis, quæ ultimum eſt remedium, quo uti valeat Eccleſia, utpote quæ pluribus bonis privet ſpiritualibus; idcirco æquum non eſt ut feratur niſi in contumaces nolentes Eccleſiam audire, dum pœna cenſuræ inobedientes minatur. Idemque dicendum de interdicto univerſali, quod plurimos tangit innocentes, & ſic nonniſi ob contumaciam & duritiam eſt ferendum, quod non currit in ſuſpenſione, & in particulari interdicto.

Supponendum 2. nullam monitionem neceſſariam eſſe diſtinctam a præcepto in cenſuris, quæ ipſo facto, ideſt latæ ſententiæ a iure feruntur, ſive tale præceptum detur per modum ſtatuti generalis, ſive per modum particularis præcepti pro peccatis futuris. Ut ſi Prælatus præcipiat ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſuo ſubdito, ne in talem domum ingrediatur; Quia ius ipſum ſatis admonet, ita ut qui talem cenſuram incurrit, conqueri nequit ſe non fuiſſe admonitum, cum lex ſemper loquatur, & præceptum ipſum, donec vigeat, ſemper admoneat ſubditum, ne præceptum violet. In his igitur caſibus nulla monitione a lege diſtincta opus eſt, niſi lex novam monitionem præſcribat, ut in Clement. unic. *de ſtatu Monach.* excommunicantur ipſo facto qui viſitationes impediunt, niſi moniti reſipiſcant.

Supponendum 3. Monitionem triplicem ſtatui a Doctoribus: Alia, quam facit ipſa lex, vel ſtatutum, quæ vocatur a quibuſdam *ſolemnis*. Alia, quæ fit ab homine, qua ſcilicet reus per ſententiam Superioris auctoritate perſonaliter ſeu determinate ſeu indeterminate, ut in Monitoriis, admonetur ut a culpa ſe retrahat, aut ſatisfaciat niſi cenſuram incurrere velit; vel fit ſervatis iuris formalitatibus, cum nempe vel eſt trina, vel una pro tribus, & hæc dicitur *canonica*; vel fit omiſſis iiſdem ſolemnitatibus, & tunc dicitur *non canonica*.

Nota, totam difficultatis vim, quæ circa rem hanc exurgere poteſt, ad duo reduci capita; primum nempe, an cenſura, quæ fertur per modum ſententiæ pro delicto præterito, decerni poſſit incurrenda ipſo facto, abſque eo quod ulla præcedat admonitio; quod idem eſt ac inquirere, num cenſura ferri queat contra non contumacem, vel an ferri poſſit pro crimine præterito ſine ullo reſpectu ad futurum. Alterum eſt, utrum cum lex non infert cenſuram ipſo facto, ſed mi-

minatur, cenſura infligi queat ſine nova præcedenti monitione. His poſitis ſit.

Ad ferendam cenſuram pro delictis præteritis eſſentialiter requiritur monitio, non tamen canonica. Eſt communior contra Caietanum. Et quoad primam partem, certum eſt, ritum illum ſervandum eſſe in ferendis cenſuris, qui præcipitur, aut ſaltem graviter inſinuatur in ſacra Scriptura; qui ritus eſt monitionum praxis; quia Matth. 18. Chriſtus ait: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus*; & Apoſt. ad Titum 3. inquit: *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita*. Unde ex his patet, devitandos eſſe tamquam ethnicos, qui ab Eccleſia moniti parere renuunt. Et huiuſmodi præceptum iam antiquitus cognovit Eccleſia, ut conſtat ex can. Concilii Rothomag. cuius verba relata ſunt a Gratiano.

Et hoc ipſa ratio confirmat. Cenſura enim ferri nequit niſi in eum, qui ob contumaciam aliter mederi nequit. Contumax autem non eſt, qui non eſt admonitus, & qui forte ſi admonitus eſſet, reſipuiſſet. Igitur ſine prævia admonitione Eccleſia nequidem de plenitudine poteſtatis ferre poteſt cenſuram pro peccatis præteritis ſine præcedenti monitione, ut docent quamplurimi ex Doctoribus. Et hoc comprobat doctrina Concilii Meldenſis ubi dicitur: *Anathema eſt æternæ mortis damnatio, & nonniſi pro mortali imponi debet crimine, & illi qui aliter non potuerit corrigi*. Non poteſt autem dici inemendabilis, qui de ſuo crimine ab Eccleſia non fuerit admonitus, nec ſine monitione omnia adhibita ſunt remedia ad eius emendationem, ut ob eorum inutilitatem revera iudicari & dici poſſit inemendabilis, cum ſine monitione non contingat eum ſic Eccleſiam contemnere, ut illam audire renuat. Unde ſequitur, quod in ferendo interdicto neceſſe non ſit totam monere Civitatem, ſed illum tantummodo qui eſt cauſſa cur interdictum infertur. Et vere, cenſura eſt pœna medicinalis per ſe directa ad retrahendum hominem a ſtatu peccati, ex quo eſſentialiter diſcrepat ab aliis pœnis, quæ meram habent rationem vindictæ, & ideo iis etiam imponuntur, quos peccati ſui pœnitet. Unde nulla cenſura caret ſpe abſolutionis ſtatim ac reus reſipiſcat: quomodo igitur valida eſſe poterit cenſura ſine prævia monitione? Nemo enim non videt, quod tunc iam non eſſet pœna medicinalis ad reſipiſcentiam peccatoris, ſed mera pœna ſicut aliæ principaliter ad vindictam, & ſolum per accidens tenderet ad eruendum hominem e ſtatu ſuo, cum infligeretur in eum quoque, qui iam ſe emendaſſet, neque iam eſſet contumax.

Quoad alteram vero partem, nempe quod monitio præmittenda cenſuræ imponendæ pro delictis præteritis non requiratur quod ſit canonica, patet ex ipſius monitionis conditione. Nam licet monitio canonica ea ſit, quæ ſit tribus vicibus diſtinctis, vel una ſaltem, ſed quæ expreſſe quod pro tribus vicibus valitura ſit, & hæc neceſſaria ſit ut cenſura iuſte & licite feratur, non tamen eſt neceſſaria ut feratur valide. Unde cenſura quæ aliter ſit, ſæpius dicitur quidem iniuſta, nullibi vero invalida, ut cap. *Romana Eccleſia 5. de ſentent. excommunic. Nec in ſpecie, nec in genere* (ait Innocentius IV.) *pro culpis & offenſis præteritis excommunicationum ſententias abſque competenti monitione præmiſſa promulgent; & ſi contra præſumpſerint, iniuſtas noverint illas eſſe*. Non dixit Pontifex *nullas*, ut communiter reflectunt hic Canoniſtæ. Porro monitio competens idem eſt cum canonica: canonica vero, ut vidimus antea, eſt trina monitio, ſicut ex iure notat Suarez. Dicitur quidem alibi, ſcilicet cap. 48. eod. titulo, talis ſententia iuſta, ſed prout iuſtum importat æqualitatem pœnæ cum culpa, & opponitur *invalido*, non vero prout opponitur *illicito*. Hinc in eod. cap. *Iudex*, (& hoc notandum): *Qui excommunicat non præmiſſa illa competenti admonitione, ſcire debet, ingreſſum Eccleſiæ per menſem ſibi interdictum*. Ex cuius pœnæ gravitate inferunt Soto & Navarrus, Iudicem hunc mortaliter delinquere, etiamſi reus cederet iuri canonicæ monitionis; quia illud inſtitutum eſt in commodum publicum, non tantummodo in privatum ex c. *Contingit* 45. eod. tit. Iuri autem publico actis privatorum derogari nequit L. *Ius publicum* 38. ff. *de Pactis*.

Verum invalida eſſe poteſt cenſura defectu canonicæ monitionis, ſi a iure ita conſtitutum ſit. Sic ex Decreto Bonifacii VIII. cap. 43. eod. tit. in 6. *Nullæ ſunt ſententiæ maioris excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, latæ contra participantes, excommunicatis ea participatione, quæ ſolam minorem excommunicationem inducit, ſi decernantur monitione canonica non præmiſſa*. Hæc tamen exceptio, quæ in caſibus ſolum a iure expreſſis locum habet, generalem non firmat regulam. Exceptio facienda.

Duo tamen hic addi oportet, 1. Excommu-

municationem latam ab uno Epiſcopo contra illos, qui communicaſſent cum eo, quem alius Epiſcopus excommunicavit, non fore invalidam; quia decretum Innocentii IV. c. *Statuimus* 3. eod. tit. in 6. quod innovatum fuit a Bonifacio VIII. non præcipit monitionem canonicam niſi eidem Iudici, a quo excommunicati ſunt illi, cum quibus alii communicando excommunicationem incurrunt. 2 Invalidam fore cenſuram a delegato latam ſine monitione canonica, ſi delegans eamdem monitionem fieri imperavit, quia delegatus nihil poteſt ultra intentionem delegantis.

Quoad leges vero comminatorias, ideſt leges, vel præcepta quæ dantur ſub pœna cenſuræ, num præcedere debeat monitio antequam cenſura a Iudice feratur, diſtinguendum eſt inter comminationes quæ fiunt ab homine, dum legem imponit ſub pœna cenſuræ, & comminationes quæ fiunt a iure. Si enim Superior præceptum indicet ſub pœna ferendæ cenſuræ, probabilius videtur monitionem minime neceſſariam eſſe, ut de facto contra tranſgreſſorem cenſura feratur; quia ibi non requiritur nova monitio, ubi hæc ſufficiens reperitur ex parte iudicis, & contumacia ex parte delinquentis, quod contingit ubi lex præcedit quæ cenſuram minatur. Reperitur quidem ſufficiens monitio ex parte Superioris; & quia ſufficienter admonitus eſt qui legem ac pœnam lege ſtatutam cognoſcit; & quia ſecunda monitio nil operari poteſt quod abunde non præſtiterit prima & continua legis comminatoriæ monitio, nec plus efficere poteſt Superior nova monitione, cum iam ſatis per legem a ſe latam ſe declaraverit. Reperitur ſufficiens contumacia in delinquente; nam ſatis contumax eſt, qui a lege continuo monitus eidem non obtemperat. Quod ſi ius comminetur cenſuram, tunc pariter, ſicuti ſuſtinent Caietanus, Suarez, Corneius, aliive, & eſt probabilior ſecundum Salmant. requiritur ut præcedat monitio. Quia cenſura infligitur propter inobedientiam præcepti illam ferentis. Verum licet in caſu noſtro delinquens inobediens ſit iuri cenſuram comminanti, non eſt inobediens tamen iudici illam ferenti: igitur niſi ab ipſo moneatur, & poſt monitionem delinquat, non poterit ipſo facto excommunicari. Cenſura enim non petit quamcumque monitionem, ſed quæ proportionem habeat cum eadem cenſura. Igitur ſicut cenſura lata a iure petit monitionem a iure; ita cenſura lata ab homine, monitionem petit ab homine. Unde cum in præſenti cenſura feratur ab homine, non ſufficit monitio, quæ fertur a iure, niſi quando ius ſub pœna latæ ſententiæ monet. Idcirco in cap. *Reprehenſibilis de appellationibus* ſolum excipitur ab onere denunciationis, quando cenſura ab ipſo iure lata eſt. Ita cit. DD.

Verum ad uberiorem rei intelligentiam circa haſce concluſiones nota 1. quod quamvis præceſſerit lex, quæ excommunicare minatur, iudex licite poteſt eam decernere abſque prævia monitione, melius tamen eſt, ſi unam ſaltem monitionem præmittat, cum hæc agendi ratio magis conſona ſit charitati. Ita cum aliis ſentiunt Covaruv. Avila citati hic a Salmanticenſib. Nota 2. quod licet tunc monitio abſolute omitti poſſit, tamen neceſſaria eſt trina delinquentis citatio, cui ſimul concedendum eſt aliquid temporis, ut ſe defendere valeat; quia puniri nequit niſi qui crimen confeſſus ſit, aut conſiteri recuſans fuerit convictus. Sic colligitur ex cap. 12. caſ. 2. q. 1. & cap. *Presbyt.* 21. xv. q. 5. Et hoc ita verum eſt, ut qui excommunicationem incurrit, ipſo facto declarari nequeat a Iudice excommunicatus, niſi poſt citationem; alias declaratio ſecundum multos DD. nulla foret, ut notat Avila, qui tamen negat, hanc citationem neceſſariam eſſe quando crimen notorium eſt; & ſi reus præſcripto ſibi tempore non compareat, damnari poteſt ut contumax. Delictum autem quoad præſens duplex eſſe poteſt, notorium nempe notorietate ipſius delicti, quia nimirum notorium eſt & publicum v. g. Petrum tale crimen commiſiſſe; & notorietate contumaciæ, quia videlicet eſt notorium, ſeu communiter maniſeſtum, ipſum Petrum poſt monitionem futurum pertinacem, ſi in publico & coram omnibus aſſeveranter & ſub iuramento dixiſſet, ſe non obtemperaturum, quantumcumque admoneatur. Notantur aliqua.

Nota 3. quod licet iudex omittat citationem, non tamen ſubiacet pœnis impoſitis contra eos, qui canonicam monitionem omittunt, quia pœnæ non ſunt amplianдæ. Sic Auct. *Supplem. Moral. Tournel.* cum Avila.

Nota 4. neceſſitatem faciendi monitiones antequam ferantur cenſuræ pro peccato præterito, currere ſeu locum habere 1. in Superioribus Religioſorum reſpectu ſuorum inferiorum. 2. in iis qui non ferunt cenſuram niſi ad ſui defenſionem. 3. Licet cenſura ob idem delictum eſſet imponenda, in eum v. g. qui iam abſolutus eſt, ſed male,

ſive

Digitized by Google

ſive abſolutio impartita fuerit abſolute, puta, quia deceptus Superior, credidit eum pœnitere criminis, qui perſeverabat in crimine; ſive conditionate, puta ſub pœna reincidentiæ in cenſuram. Nullum enim eſt decretum eximens in his caſibus Superiorem ab onere monitionis. In tertio autem caſu, in quo diximus locum habere monitionem, ſi abſolutio a cenſura fuerit abſoluta, nova requiritur monitio, cum nova ſtatuenda ſit cenſura. Quod ſi fuerit conditionata, tunc neceſſitas ipſa implendæ conditionis vel denuo ſubeundæ cenſuræ, ſe habet ut perpetua quædam monitio. Si autem contingat quod Superior iterum ſubmittere debeat cenſuræ eum, quem abſolute a cenſura abſolverat, non opus eſt ut admonitio fiat perſonaliter, ſed ſufficit ut fiat ad domum excommunicandi, ut iuxta novas Rotæ deciſiones notat Gibalinus. 4. Neceſſaria eſt monitio, cum reus, antequam ei monitio fieret, declaravit coram iudice, ſe nunquam obediturum; quia etiam ſecluſa monitione hic eſſet reus contumax contra ſuum Superiorem, non contra cenſuram; tum quia præſumi debet, reum, ſi competenter admonitus fuerit, tandem obtemperaturum; & ſaltem utilis erit talis monitio, ut appareat quod talis cenſura feratur in vere contumacem. 5. Nec iteratio cenſuræ eximit a debito monitionis.

Hinc qui iam excommunicatus eſt a iure propter Clerici percuſſionem, nequit denuo propter idem ſcelus ab homine cenſura percuti, niſi prius admoneatur. Duplex enim pœna duplicem ſupponit culpam, & duplici cenſuræ duplex reſpondere debet contumacia. Unde cum in caſu propoſito multiplicetur pœna, igitur & culpa neceſſe eſt ut multiplicetur, ac ideo cum vetus contumacia ſatis per cenſuram punita fuerit a iure, ut nova cenſura accedat ab homine, nova opus eſt ut accedat contumacia. Sic Gibalinus cit. in *Supplem. Tournel.* contra Panormitan. & Covaruv.

## §. IX.

### *De modo quo facienda eſt admonitio.*

Admonitio fieri debet ab ipſo Iudice, vel nomine ipſius qui vim habet citationis, quæ facienda eſt nomine & auctoritate eius, a quo fertur; quia nemo cenſetur inobediens & contumax, niſi per inobedientiam contumacem præcepto Superioris, quæ non datur niſi monitio fiat eius nomine, cum per hoc fiat ut cognoſcat ſuum Superiorem, eiuſque præceptum, cui parere debet; & talis Superioris cognitio ac eius mandati neceſſario requiritur, ut in pertinaci eiuſdem mandati transgreſſione ſit & dici quis poſſit contumaciter inobediens proprio Superiori. Inſuper licet monitio & citatio differant inter ſe, quatenus monitio fit ut ſubditus cenſuram vitet, citatio vero ut qui citatur fiat certior de eo quod factum eſt per iudicem, reipſa tamen monitio eſt genus quoddam citationis: citatio autem nullius eſt momenti, niſi fiat nomine Iudicis. Quando citatio fertur in commodum alicuius particularis, ad illius inſtantiam facienda eſt; ſi autem fiat in bonum commune, tunc ut ex officio ſuo procedit Superior ſeu Iudex, ſic ex proprio motu & nomine iudicis monitio & citatio procedere poſſunt. Non eſt neceſſe ut monitio fiat in ſcriptis, cum nulla lege hoc requiratur, ut notat Suarez: nam cap. 1. *de ſentent. excommunic.* in 6. quod adducitur ab iis qui contrarium ſentiunt, ne verbum quidem habet de monitionibus, ſed ſolum ibi agitur de proferenda in ſcriptis ſententia excommunicationis. Sufficit igitur quod fiat, immo fieri debet, etiamſi ſcriptis feratur, coram teſtibus, ſcilicet ad præſentiam perſonarum idonearum, ut ſi unquam opus fuerit monitionem probari, earum teſtimonio probari poſſit. Ita ius præcipit ſine ulla exceptione, ut habetur in cap. *Sacro de ſentent. excommunicat.*

Exprimenda eſt pariter ſaltem generatim cenſura; alias non foret vera contumacia contra cenſuram: & id ſuadet conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres. Unde ſatis non erit ſi ſolum citetur reus, & moneatur ut ſatisfaciat parti læſæ, ut ab opere vetito deſiſtat, ſed adiungenda erit cenſuræ comminatio. Non eſt tamen neceſſe, quod hanc vel illam ſpeciem cenſuræ exprimat, cum ſufficienter fit contumax qui non paret poſt indictam ſibi in genere cenſuram: tunc ſpectabit ad iudicem ſtatuere cenſuram, quæ ad contumaciam reprimendam ei magis idonea videbitur.

Item ii qui monentur, nominatim exprimi debent cap. *Conſtitut. 9. de ſentent. excommunic.* in 6. Nominatim vero monetur ille, cuius vel proprium nomen exprimitur, vel certi, unde clare ſe cognoſcere poſſit, characteres exponuntur. Si autem agatur de Communitate, quæ tota excommunicari non valet, ſinguli nominatim monendi ſunt. Ita ex Gloſſa in cit. cap. *Conſtitutionum*. In caſu vero interdicti, quod cadere poteſt in totam Univerſitatem, ſatis erit eos mo-

nere, qui cauſſa fuerunt cur latum ſit interdictum, quoniam hi ſunt contumaces emendandi & frangendi. Si cenſura ferenda ſit contra particularem perſonam, monitio debet ei fieri in propria perſona, ne ſi forte ad eius notitiam non venerit, contingat ferri cenſuram abſque contumacia. Quod ſi talis perſona, cui paratur cenſura, incognita ſit, tunc, ut fit in literis monitorialibus, ſatis erit ſi monitio fiat In loco publico, puta in Eccleſia Parochiali, vel in alio eiuſcemodi loco, unde ad delinquentis notitiam pervenire poſſit. Si autem cognita ſit, ſed vi aut fraude impedire contendit monitionem fieri in propria perſona ſe abſcondendo, ſatis pariter erit ſi monitio fiat ad domum, vel, ſi domum non habeat, fiat in Eccleſia, aut in loco publico, & tunc reus cenſetur ſufficienter contumax cap. *Finali de dolo & contumacia*. Avíla. Dolus tamen conſtare debet ex teſtibus aut patentibus indiciis; nam dolus non præſumitur niſi probetur *L. dolum ff. de dolo*. Quando autem reus ſemel citatus eſt & monitus in propria perſona, reliqua fieri poſſunt ad domum, in Eccleſia, vel Tribunali, ut conſtat ex deciſione Rotæ teſte Bonacina.

Trina monitio eſt quidem neceſſaria neceſſitate præcepti, & communis eſt apud omnes, ita ut peccaret mortaliter iudex, qui, præciſa urgentiſſima cauſſa, ſine illa cenſuram ferret; non tamen neceſſitate cenſuræ, ita ut ſit invalida, ſi illa ſine trina monitione fieret: quia ſolum aſſignatur a iure ad accidentalem ſolemnitatem cenſuræ, non ſecus ad ſubſtantialem. Sic in cap. *Roman. de ſentent. excommunic.* in 6. Cenſuræ, quæ fiunt abſque competenti ſeu canonica monitione, *iniuſtæ* dicuntur, quia fiunt contra iuſtitiam legalem ſeu contra legem, quæ talem ordinem præſcribit, non vero quia ſint contra iuſtitiam commutativam vel diſtributivam; unde iniuſtæ ſunt tantum ex parte iudicis, quia peccat contra legem modum ferendi cenſuras præſcribentem.

Nota, quod cenſura tametſi valide, illicite daretur per modum ſententiæ diebus feriatis, quia ad illam requiritur iudicialis cauſſæ cognitio, quæ diebus feriatis, quando a cauſſarum ſtrepitu ſilet forum, haberi nequit cap. *Finali de feriis*. Poteſt tamen licite Prælatus etiam diebus feriatis ferre cenſuram per modum legis & præcepti; quia ad hanc non requiritur cauſſæ cognitio; immo eam quoque, quæ fertur per modum ſententiæ, quando contumacia rei eſt ita notoria, quod cauſſæ cognitione non indigeat, ex cap *Evidentia de accuſationibus*. Denunciatio tamen cenſuræ, quando iam die non feriato præceſſit cauſſæ cognitio, frequenter fieri ſolet diebus feriatis: cum diebus non feriatis in plurium notitiam devenire nequeat. Ita Sayrus, Corneius cit. hic a Salmatic.

## §. X.

### *De iis quæ Cenſuram comitantur.*

Requiritur aliqua forma.

Ne quid autem hic deficiat ad uberiorem rei notitiam & elucidationem, operæ pretium cenſeo præmittere, duo eſſe ſupponenda, 1. quod per ſe, ſeu ex natura rei independenter a quovis iure poſitivo forma aliqua requiratur in ferendis cenſuris, videlicet ſignum aliquod externum ac ſenſibile, per quod Superior voluntatem ſuam denotet, & ad minus exprimat velle, ut qui eam exequi renuat, vel de facto incidat in pœnas iuris, vel poſſit iiſdem ſubiici. Nam cenſura, ſi qua eſſet mere interior, nemini poſſet prodeſſe; non ei profecto, contra quem fertur, qui cum eam ignoraret, non teneretur ſe continere ab iis actionibus, ad quas removendas fertur cenſura; non aliis, quia neſcientes cenſuram, qua homo mentaliter tantum a Superiore fuit excommunicatus, non ſecus ac antea, ſine ulla ſuſpicione libere cum eo communicarent.

Supponendum 2. & hoc ab aliquibus negatur, ſignum ſenſibile non ita ex natura rei ineſſe in verbis, ut per nutum, ſcripturam, aliave huiuſce generis ſigna ſuppleri non poſſit. Idcirco ſi ſolum ius naturale attendatur, mutus quoque habens iuriſdictionem ferre poſſet cenſuras, cum nutus & ſcripta potiſſimum, æque ac verba, mentis conceptus clare ſignificare poſſint. Et cum in cenſuris a iure vel a ſtatuto ea tantummodo ſolemnitas obſervanda ſit, quæ ad legem requiritur; idcirco hic ſolum elucidare recurrit quod exigunt ſacri Canones ut cenſura legitime feratur ab homine. His igitur præmiſſis, ſit.

Non requiruntur verba determinata.

Verba determinata, quibus cenſuræ ferantur, a iure non requiruntur, & hoc patet, quia nullibi in iure præſcribitur ad hoc determinata verborum forma. Quare ſive dicatur a Iudice *Excommunico te*, ſive *te a communione ſeiungo*; valida eſt cenſura.

Requiruntur tamen in cenſuris latæ ſententiæ, ſive pro præſenti, ſive pro futuro, verba, quæ Superioris intentionem determinate explicent. Nam verba hoc poſterio-

ri

ri ſenſu indeterminata nihil determinati conſtituunt. Cenſura autem, quæ de facto incurritur, debet eſſe determinata: innoteſcere enim debet ei cui infertur, an omnimode, an partialiter tantum innodatus ſit. Igitur cenſura indeterminata invalida foret, non ſecus ac invalida foret lex Superioris, quæ nihil diſtincti ac definiti præciperet.

Valeret tamen excommunicatio ſi his verbis feratur, *excommunico te*: nam licet excommunicationis nomen maiori commune ſit & minori, ex iure tamen & uſu cum decernitur excommunicatio ſimpliciter, ſemper intelligitur maiorem decerni. Dixi *cenſuræ, quæ de facto incurritur*; quia in cenſuris quæ ſunt ferendæ, poteſt Superior eas comminari, abſque eo quod exprimat quas de facto ſit laturus.

Conſectaria huius doctrinæ.

Collige ex dictis 1. non poſſe aliquem cenſeri excommunicatum ex eo quia Superior, Epiſcopus ſcilicet, ſive etiam Romanus Pontifex eum ſeparat ab eius conſortio; ſicuti nec putari poteſt abſolutus ex eo quod Superior cum ipſo communicet ex cap. *Cum deſideres de ſentent. excommunic.* quia hæc ſunt ſigna nimis ambigua, nec ſatis mentem Superioris exprimentia: poſſunt enim adhiberi aliis etiam de cauſſis, quam ad ferendam cenſuram, aut ab hac abſolvendum.

Collige 2. non excommunicari aliquem per hæc verba, tametſi aliqui iiſdem ad hunc effectum utantur, ſed male: *Denunciamus talem eſſe excommunicatum*: *præcipimus talem denunciari ſuſpenſum*: Nam hæc verba nihil plus important, quam meram denunciationem, ſeu declaratoriam ſententiam; idcirco per ſe neminem innodare poſſunt cenſura: Non enim ligatur homo per denunciationem cap. *Paſtoribus* 13. *de appellationibus*.

Inſuper inter formalitates cenſuram concomitantes eſt, quod proferatur in ſcriptis ut ait Innocentius IV. in Concilio Lugdun. cap. 1. *de ſentent. excommunicat.* in 6. Et circa hoc quatuor notanda ſunt 1. requiri quod ſcriptura ſit publica ſeu authentica, idest tum fide publica Notarii, tum etiam teſtibus, vel ſigillo authentico munita, ab ipſo Iudice vel ab alio eius nomine ſubſcripta, vel quod ſaltem idoneis teſtibus probari queat, per illam ſcripturam prolatam eſſe ſententiam, ita ut vim habeat probandi latam eſſe cenſuram, & apud eum, tum apud alios quoſcumque; alias Iudex probare non poſſet ſe tuliſſe ſententiam, ut vult cit. cap. Innocentii IV. Non magis tamen unum quam aliud, aut utrumque copulative requiritur; ſed unum vel aliud, dummodo vim habeat probandi; ſeu ſigillata fuerit, ſeu ſubſcripta, ſeu idoneis teſtibus comprobata. 2. Talem ſententiam iam ſcriptam legi, ſeu proferri debere a Iudice Epiſcopo inferiori, ut conſtat ex cap. *Cum medicinalis* & cap. *Finali de ſentent. & re iudicata*. Probabile tamen eſt, ſatis eſſe ſi Iudex hoc efficiat per notarium, aut alium miniſtrum: Nam verificatur Iudicem per ſeipſum facere quod facit per alios, eo vel maxime quod in cit. cap. *Medicinalis* non dicitur, quod Iudex per ſeipſum ſententiam proferat. 3. In ſententia exprimendam eſſe cauſſam, ob quam lata eſt cenſura, non in genere tantum, ſed in ſpecie, nempe exprimendum eſſe in particulari delictum Rei, cui cenſura imponitur, ut data ei copia illius ſententiæ, ſciat cuius delicti cauſſa puniatur, ut emendetur. Quocirca non ſatisfacit Iudex ſuæ obligationi, ſi generatim dicat, *ob contumaciam Petrum excommunico*, *vel ſuſpendo* &c. ſed dicere debet in ſpecie, *excommunico Petrum, quia recuſavit hoc facere, tametſi legitime monitus*. 4. Cenſuram ſine prædictis formalitatibus latam, irritam non eſſe, & invalidam. Ita communiter Canoniſtæ contra Ripam in Rubric. *de Conſtitut. n.* 48. Et certum hoc videtur ex eodem cap. cit. Innocentii IV. Illicita tamen eſſet cenſura ita lata, ac proinde mortaliter peccaret Iudex, quia tranſgrederetur legem Eccleſiæ, quæ eſt in materia gravi, & iuſtiſſime ſtatuta, ut habetur in cap. *Medicinalis*, in quo præſcribuntur dictæ formalitates, quas quivis illis attendat, facile videt iuſtiſſime eſſe ſancitas, tum propter reum, qui facilius noſcit quam debeat culpam emendare, vel ſi innocens eſt, poteſt ſe defendere; tum propter iudicem, ut cautior ſit in ferenda ſententia, cuius rationem ſcripto redditurus eſt, quæque oculis omnium ſubiici poteſt. Quod autem ſub gravi hoc ſervandum Eccleſia præcipiat, patet ex gravitate pœnæ quæ in eodem cap. ſtatuta eſt contra tranſgreſſores, nempe *ſuſpenſio per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ & divinis officiis*, quam ſuſpenſionem qui non ſervaverint, irregularitatem non effugient. Inſuper damnandus eſt a Superiore, ad quem recurret qui damnatus eſt, ad expenſas & omne intereſſe reo reſarciendum.

Verum pœnas haſce non incurreret 1. Iudex, qui ex iuſta & urgenti cauſſa cenſuram oretenus proferret, ſive aliam ex illis ſolemnitatibus omitteret, quia tunc non eſſet culpabilis omiſſio. Inſuper non incurrit



Digitized by Google

Epiſcopus illius legis violationem, licet peccaret mortaliter; quia in dicta Conſtitutione nulla fit mentio de Epiſcopo, quæ mentio requiritur in pœnis, ut eas Epiſcopus incurrat. 2. Non incurrunt Prælati Religionum, ſi dictam Conſtitutionem in ferendis cenſuris non ſervent, quando ex ſpeciali privilegio Romani Pontificis, qui ſolus in iure communi diſpenſare poteſt, aut conſuetudine ſit eis conceſſum, vel illorum Conſtitutiones a ſummo Pontifice confirmatæ aliter fieri decernant. Quod ſi a ſummo Pontifice non ſint confirmatæ, non poſſunt tollere quod eſt de iure communi, quia per ſanctiones particulares non derogatur iuri canonico, nec dici poteſt non eos comprehendi in dicta Conſtitutione; quia quando iura nolunt comprehendere Regulares, id ſolent exprimere, quod in præſenti non contingit, ut conſtat ex Clement. 1. *de privilegiis*. Sic Avila. Nec aliunde debent Regulares temere & quaſi ad libitum graves ferre cenſuras. 3. Eximunt Suarez, Bonacina, ab eadem pœna eos, qui ignorantia invincibili, ſeu bona fide ſine dolo cenſuram ſine ſolemnitate ferrent; quia in cap. *Cum medicinalis* ſermo habetur de eo, qui temere legem illam violat, cuiuſmodi non eſt, qui ex invincibili ignorantia bona fide operatur.

Nota, incurrere has pœnas Iudices, qui abſque ſolemnitate in cap. *Cum Medicinalis* aſſignata cenſuras ferunt, etiamſi cenſuræ nullæ ſint vel ex defectu iuriſdictionis, vel ex parte ipſius Rei, quia ſatisfacit intra tempus aſſignatum, vel appellationem interpoſuit; quia ut aiunt DD. in cap. *Tua nos de iureiurando*, quando aliqua lex intendit punire affectum, etiamſi effectus non ſequatur, pœna illius incurritur; ut contingit in lege prohibente Matrimonium cum conſanguinea, quia affectum punire intendit, non effectum, licet tale Matrimonium intentum non ſequatur, pœna tamen legis incurritur.

## §. XI.

### *De Denunciatione*.

Facta impoſitione cenſuræ, ſive hæc ſit a iure, ſive ab homine, ſubiungenda eſt ipſius denunciatio ſeu publicatio, ut & ipſi reo, & aliis innoteſcat eum innodatum eſſe cenſura cap. *Curæ* 11. & cap. *Conquæſt. de ſentent. excommun.* & alibi. Nam delinquens poſita denunciatione facilius ſe reſipiſcet: quia cum poſt denunciationem Fideles omnes eum vitare debeant, eliget potius converti & obedire, quam ſuſtinere huiuſcemodi damnum & incommodum. Sic communiter DD. Sed

Nota 1. Ante iuridicam publicationem ſeu denunciationem cenſuræ latæ a iure præcedere debet ſententia declaratoria criminis, per quam Iudex non infert cenſuram, ſed ſolum iuridice declarat ac definit, hunc eſſe talis criminis reum, ex quo fit, ut ille, ex eo quod tale crimen commiſerit, talem contraxerit cenſuram: quæ ſententia fieri nequit, niſi prius reus citetur & audiatur; alias, ut inter alios ait Caballutius lib. 5. cap. 10. n. 19. *ſententia contra eum lata nulla eſt ipſo iure*; & hoc locum habet etiam in crimine notorio. Nam qui criminis damnatur, fieri poteſt ut probet ſuam innocentiam, & probabilem facti excuſationem afferat, ut recte advertit Covaruvias. Item quia cenſura, quæ ipſo facto ligat, trahit quidem ſecum effectum ſeu executionem circa ea quæ ſpectant ad forum internum, prout privat bonis ſpiritualibus coram Deo, ſed non ita operatur quoad effectus exteriores, cum ſtatim reum non eiiciat ab Eccleſia, nec poſt mortem Chriſtiana privatur ſepultura.

Nota 2. denunciationem fieri ſolere ſolummodo in cenſura lata contra determinatam perſonam, non vero in cenſura edita contra indeterminatas perſonas; dum novæ non adſint perſonæ quæ deliquerint. Etenim denunciatio fit ut populus admoneatur ne communicet cum eo, qui cenſura innodatus eſt. Hæc autem admonitio fruſtra fieret, cum vitari nequeat is, qui neſcitur an ſit cenſura innodatus.

Denunciatio facienda eſt a legitimo Superiore, ſeu de ipſius auctoritate, quia denunciatio eſt pœnæ executio, quæ fieri debet a Superiore, vel de eius mandato. Pro legitimo autem Superiore in re hac non ſolum eſt is, qui cenſuram tulit, aliuſve ab eo requiſitus, verum etiam Epiſcopus, in cuius Diœceſi crimen commiſſum vetitum eſt ſub cenſura ipſo iure impoſita; nam delinquens factus eſt illi ſubditus ratione delicti: Clement. *verſu locorum de pœnis*, & cap. *de illis 6. q. 1.*

Non ſemper tenetur Iudex ad denunciationem, uti non ſemper tenetur ad declarationem cenſuræ, niſi quando ratio privati boni vel publici exigat, ſcilicet vel quia pars hoc poſtulat, vel quia ita conducit bono communi, ut Superior ex officio teneatur illi conſulere. Et ratio eſt, quia hiſce ſe-

Digitized by Google

ſeclusis ius nullum aſſignari poteſt, quod rigoroſam in re hac inducat obligationem; in cap. enim *Curæ* 11. q. 3. non habetur ne verbum quidem, quod ſtricte præceptum indicet.

Circa modum denunciandi cenſuram varii olim fuerunt modi ſolemnes huius actionis, qui nunc omitti valent. Quare denunciatio facienda eſt nunc ſecundum ordinariorum præſcriptum aut conſuetudinem, niſi fortaſſe aliquid ſuperſtitioſi irrepſerit. Et primo ex cap. 106. xi. q. 3. *Debent duodecim Sacerdotes Epiſcopum circumſtare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in concluſione anathematis vel excommunicationis proiicere debent in terram, & conculcare pedibus: deinde epiſtola per Parochias mittatur continens excommunicatorum nomina, & cauſſam excommunicationis*. Si vero excommunicet ipſe Romanus Pontifex ſolemniter, habet adſtantes duodecim Epiſcopos, ut obſervat Sayrus lib. 1. theſ. 15. Immo aliquando adhibiti fuiſſe dicuntur alii terribiles ritus: ſic ſcribit Teophanes ſententiam anathematis latam contra Pirrhum Monothelitam, exaratam ipſo Chriſti ſanguine, & eodem ritu uſum eſt Concilium octavum contra Photium, ut refert Niceta.

Nunc vero communiter mos eſt, ut dum quis habetur pro excommunicato, lata contra eum ſententia declaratoria in Eccleſia coram frequenti populo promulgetur, ac poſtea in ſcriptis ad valvas Eccleſiæ pro locorum more affigatur cum expreſſione nominis cenſurati, & cauſſæ cur contra eum lata fuit cenſura, cap. *Cum medicinalis de ſentent. excommunic.*

## §. XII.

### *De fine & effectibus Cenſuræ.*

Pro fine cenſuræ intelligitur id, quod Superior intendit ac ſibi proponit in ferenda cenſura, quod revera non eſt niſi emendatio ac reſipiſcentia, ideſt ſalus ſpiritualis illius in quem fert cenſuram, iuxta illud Apoſtol. *ut reſurgat a peccato, & ſalvus fiat in die Domini*. Ita communiter DD.

Nota, quod cenſura excommunicationis ſit medicinalis, non mortalis, ut ex cap. 1. *de ſentent. excommunic.* in 6. Hinc Prælatus ſeu Iudex, dum moraliter certus eſt delinquentem non obtemperaturum eius præcepto, ac proinde excommunicationem nihil ipſi profuturam, omnino eam ferre non debet; alias mortalis eſſet, non medicinalis. Igitur, non eſſe adhibendam niſi adſit ſpes fructus. Hoc tamen intelligitur, niſi feratur ad terrorem aliorum, qui eius exemplo abſtinebunt a crimine: tunc enim excommunicatio proficua erit aliis, nempe medicinalis. Sic Abbas, Covarruvias, Alterius cum aliis, quos ſequitur hic Bonacina.

Effectus vero cenſuræ eſt privatio aliquorum bonorum ſpiritualium, cum per cenſuras talis effectus inducatur; & hic triplex eſt. Primus eſt amiſſio iuris ad aliqua bona ſpiritualia vel etiam temporalia, modo quo dicemus, dum ſermo habebitur de cenſuris in particulari. Secundus ex hoc primo reſultans eſt obligatio in cenſurato abſtinendi a participatione horum bonorum. Tertius eſt obligatio in omnibus fidelibus ut non cooperentur huic participationi, quando cenſuratus vellet illam ſibi uſurpare; ſed fuſius de his, dum agetur de cenſuris in particulari. Nunc autem circa illos effectus duæ præcipuæ difficultates diſcutiendæ recurrunt.

Prima, an manente cenſura hi effectus per Summum Pontificem ſuſpendi poſſint, ſeu diſpenſari poſſit cenſuratus, ut cum cenſura valeat participare de bonis, quibus per cenſuram privatur. Altera, an tueri poſſit cenſuratus aliqua excuſatione, ut participare queat de rebus ſpiritualibus ſine culpa.

Ad primam reſpondent Theologi, Pontificem ſua auctoritate poſſe diſpenſare cenſuratum, ut ſpiritualibus bonis, quibus iure per cenſuram eſt privatus, poſſit participare: quia Pontifex poteſtatem habet ſupra ius humanum, a quo conſtitutæ ſunt cenſuræ; & docet ipſa experientia hoc a Summis Pontificibus aliquando factum fuiſſe; cum ante Extravag. *Ad evitanda* non eſſet licitum communicare cum excommunicato occulto, & nunc licitum eſt. Unde ſignum eſt, Pontificem poſſe ſuſpendere cenſurarum effectum. Hoc tamen per ſe loquendo efficere nequeunt Epiſcopi, aliique Prælati, utpote qui in iure communi diſpenſare non valent, niſi habeant ſpeciale privilegium, vel ex legitima conſuetudine eis conceſſum ſit. Unde cum iure communi invalida ſit collatio Beneficii facta ex communicato, ſequitur, Pontificem, utpote qui eſt ſupra ius commune, valide conferre poſſe Beneficium excommunicato, non poſſe vero Epiſcopum ante abſolutionem excommunicati.

Num vero Epiſcopus reſtringere queat vel ſuſpendere effectus ſuſpenſionis & interdicti, videbitur infra ſuo loco *de ſuſpenſione*.

Ad alteram autem difficultatem, ideſt an aliqua detur excuſatio, quæ munire queat cenſura-

ſuratum, ut ſine culpa participare valeat de bonis ſpiritualibus: Reſpondetur dari; immo omnes illæ dantur, quæ excuſant a violatione præcepti eccleſiaſtici: nam obligatio proveniens a cenſura, procedit ex iure eccleſiaſtico. Idcirco ignorantia iuris vel facti, metus gravis, magnum detrimentum, & incommodum &c. excuſabunt cenſuratum a culpa, ſi ſe immiſceat in ſpiritualibus, cum excuſent ab obſervantia cuiuſvis præcepti ſeu legis eccleſiaſticæ.

## §. XIII.

### *De cauſſis excuſantibus ab incurrenda Cenſura.*

Multæ, ac variæ ſunt cauſſæ vel ex parte Rei, vel ex parte iudicis, quæ excuſant ab incurrenda cenſura, videlicet ignorantia, metus, neceſſitas, impotentia, cenſuræ nullitas, innocentia cenſura affecti, conſenſus læſæ partis, legitima appellatio; & de his ſingillatim agendum.

Et quoad primam, ſcilicet quoad ignorantiam, notandum 1. aliam iuris eſſe, aliam facti, aliam pœnæ. Ignorantia iuris eſt quando qui neſcit, an id quod agit ſit lege aliqua vel ſtatuto vetitum. Et hoc dupliciter contingere poteſt, vel quia neſcit aliquid iure divino vel eccleſiaſtico eſſe prohibitum, ut ſi ignoraret furtum eſſe lege divina prohibitum; & ſi invincibiliter hoc ignoraret, ab omni culpa talis ignorantia eum excuſabit; vel quia ſcit quidem furtum vetitum eſſe lege divina, neſcit tamen vetitum eſſe iure eccleſiaſtico, & tunc quamvis peccet contra legem divinam, non peccat tamen contra eccleſiaſticam: & ad hanc ignorantiam iuris reducitur ignorantia pœnæ per ius impoſitæ, ut ſi quis ſciret vetitum eſſe ingredi Monaſteria Sanctimonialium, ſed neſciat an hoc ſit vetitum ſub pœna excommunicationis. Ignorantia pariter iuris humani ſive civilis ſive eccleſiaſtici, alia eſt iuris communis, alia iuris particularis. Ignorantia iuris communis contingit, quando ignoratur ius ſeu lex univerſalis, quæ univerſaliter obligat, ut ſi quis ignoraret cenſuras latas in Bulla Cœnæ. Ignorantia iuris particularis ea eſt, qua ignoratur ius obligans ſolum aliquas particulares perſonas, vel tantum in aliquo particulari Territorio; ut ſi quis neſciat in tali Diœceſi vetitum eſſe ſub pœna excommunicationis Clericis ingredi tabernas. Ignorantia facti eſt, quando quis ignorat ſe agere contra legem, licet ſciat legem eſſe quæ talem actum prohibeat; ut contigit in Iacobo, qui acceſſit ad Liam ignorans ſe accedere ad non ſuam, dum putabat eſſe Rachelem ſibi in ſponſam promiſſam.

Notandum 2. ignorantiam ſive iuris, ſive facti, aliam eſſe improbabilem, quæ dicitur vincibilis & culpabilis; aliam probabilem, quæ invincibilis nuncupatur & inculpabilis. Vincibilis eſt ea, quæ, adhibita ſufficienti diligentia iuxta qualitatem negotii, vinci poteſt, ut ſi habens aliquod officium non adhibuit diligentiam ad ea cognoſcenda, quæ pertinent ad proprium officium: *Inſtitut. de L. Aquila ff. Præterea* ubi habetur, imperitiam ad proprium officium ſpectantem non excuſare quoad præſumptionem fori externi, vel etiam in foro conſcientiæ, modo ignorans habuerit aliquam advertentiam ſuæ ignorantiæ & obligationis, & negligens fuerit in quærenda veritate. Verum tamen eſt, ignorantiam vincibilem aliam eſſe, in qua gravis, alia, in qua levis negligentia concurrit non ſufficiens ad mortale, ſed tantum ad veniale. Ignorantia probabilis, quæ invincibilis & inculpabilis appellatur, ea eſt, quæ vinci non potuit; unde qui numquam audivit de cenſura, vel numquam de ea dubitavit vel cognovit, hic dicitur habere ignorantiam invincibilem ſeu probabilem cenſuræ. Dicitur etiam ignorantia invincibilis & probabilis, quando quis ignorat ea quæ ſcire debet, & poſito dubio debitam adhibuit diligentiam ad ea cognoſcenda, ſed nondum cognovit; v. g. aliquis dubitare cœpit latam eſſe excommunicationem contra Clericos choreas ducentes, dicitur hic habere ignorantiam probabilem ſeu invincibilem, ſi conſultis peritis & doctis viris veritatem non invenit.

Notandum 3. ignorantiam vincibilem aliam eſſe affectatam, aliam craſſam & ſupinam. Ignorantia affectata eſt, quando quis data opera negligit ſcire legem ſeu præceptum, ut liberius ſuis indulgeat pravis affectionibus, ac peccet. Craſſa ſeu ſupina, licet a Suarez appelletur ignorantia vincibilis, ut craſſam quoad ſubſtantiam non diſtinguat a vincibili, revera tamen diſtinguitur: quia licet omnis ignorantia craſſa & ſupina ſit vincibilis, non omnis tamen Ignorantia vincibilis, eſt ſupina. Ignorantia enim vincibilis, prout diſtinguitur a ſupina, eſt, quando quis non adhibuit mediocrem diligentiam morali & humano modo ad ſciendum quod ſcire tenetur. Ignorantia vero craſſa & ſupina illa eſt, quando quis nullam, aut fere nullam adhibuit diligentiam ad ſciendum id

quod

quod ſcire debet poſtquam de illo aliquam cognitionem habuit vel dubium.

Notandum 4. ignorantiam aliquando dici antecedentem, & hæc eadem eſt cum probabili ſeu invincibili, ſine qua actus malus non fieret; aliquando concomitantem, quæ etiamſi non adeſſet, actus nihilominus fieret, ut dum Marius fortuito hoſtem occidit credens eſſe feram, ſed nihilominus occidiſſet, etiamſi cognoviſſet eſſe ſuum hoſtem; aliquando conſequentem, quæ quovis modo eſt voluntaria, & non eſt diverſa a vincibili.

Notandum denique, ſupra allatas diviſiones poſſe accommodari advertentiæ & obligationi, ac naturali inconſiderationi; quod contingit, quando quis habuit cognitionem præcepti, ſed hic & nunc ad illud non advertit. Hoc autem diligenter eſt advertendum; nam ſicut ignorantia excuſat a peccato & cenſuris, ita excuſare poteſt inadvertentia, dummodo non potuerit, nec debuerit advertere, ut communiter DD. Hiſce vero præmiſſis ſit.

Ignorantia invincibilis ſive iuris, ſive facti, ſive iuris communis etiam a Summo Pontifice lati, ſive particularis, cum reddat actum omnino involuntarium, & ſic omnino immunem a culpa, excuſat etiam a cenſura. Ideoque ſi quis ignoraret invincibiliter abſtinentiam a carnibus tali die ſub pœna excommunicationis eſſe præceptam, immunis eſſet a cenſura, ſi tali die carnes comederet, a qua immunis eſſet pariter, etiamſi legem ſciat, ſed ignorat an illud quod ei miniſtratur, caro ſit aut ex carne; nam ius non vult, ignorantem cenſuram ea ligari, niſi eius, ignorantia craſſa ſit vel ſupina; & eo vel maxime quod ad incurrendam cenſuram requiritur contumacia & peccatum mortale, quorum ſaltem alterutrum deeſt ubi eſt ignorantia invincibilis. Immo ſi ignorantiam culpabilem haberet ſolum venialiter, profecto cenſuram non contraheret, quia cenſura gravis non incurritur ſine peccato mortali. Verum quidem eſt, quod ignorantia iuris communis non præſumitur in foro exteriori niſi probetur cap. *Ignorant. de Regulis iuris* in 6. *ibi ignorantia facti excuſat, non autem iuris*; quia in foro exteriori ſemper præſumitur quilibet notitiam habere eorum, quæ ad ipſius pertinent ſtatum.

Item cum cenſura non incurratur niſi ob violationem præcepti eccleſiaſtici, qui ſcit aliquid iure divino prohibitum, ignorat vero eſſe prohibitum iure eccleſiaſtico per ſpecialem legem pœnam cenſuræ continentem, quamvis mortaliter peccet illud violando, cenſuram tamen non contrahit cap. *Si vero de ſentent. excommun.* cap. *Apoſtolica de Clerico excommunic. miniſtrante*: Quia cenſura lata contra occidentem Clericum, lata eſt contra ſacrilegos: Unde cum vel ignorans talem legem, vel hominem quem occidit eſſe Clericum, non peccet peccato ſacrilegii, idcirco cenſuram non contrahit latam contra ſacrilegos, tametſi alias peccet contra ius divinum & naturale talem prohibens actum; & ratio præcipua eſt, quia cenſura non incurritur niſi per contemptum & contumaciam contra Eccleſiæ legem; qui contemptus & contumacia procul dubio deeſt in eo, qui ignorat invincibiliter legem Eccleſiæ, vel talem actum eſſe contra illam legem.

Inſuper qui ſcit actum eſſe vetitum etiam iure eccleſiaſtico, ignorat tamen invincibiliter tale ius continere cenſuram, ſi talem actum exerceat, cenſuram non contrahit: nam excommunicatio non incurritur niſi ob contumaciam, ad quam non ſufficit qualiſcumque legis tranſgreſſio, ſed ut tranſgreſſor monitus eſſe debeat de pœna cenſuræ per eam infligenda, ideoque eſſentialiter exigit cenſura præviam monitionem, quæ cenſuram comminetur. Igitur quando cenſura ignoratur, ſicut deficit contumacia & contemptus cenſuræ, ſic illa non contrahitur. Et in hoc differt cenſura ab aliis pœnis, quæ ius ſive civile aut eccleſiaſticum ob aliquod crimen ſtatuit, cum ad illas incurrendas non requiratur contumacia, ſed ex natura rei ex ipſo crimine conſequuntur; ac proinde, ſuppoſita prohibitionis notitia, non requiritur notitia pœnæ pro tali crimine aſſignatæ: ut contingit in homicida, qui licet ignoret pœnam mortis tali delicto eſſe annexam, iuſte ſupplicio mortis damnatur. Igitur ignorantia invincibilis tum iuris, tum facti, tum pœnæ eximit a contrahenda cenſura, dum ſit id quod ſub comminatione talis pœnæ ab Eccleſia prohibetur, ſive cenſura, quam lex minitatur, ſit excommunicatio, ſive ſuſpenſio, ſive interdictum; cum univerſaliter hæ pœnæ exigant Eccleſiæ monitionem & contumaciam in delinquente, quod nequit ſupponi in eo, qui invincibiliter ſive legem, ſive factum, ſive pœnam tali delicto aſſignatam ignorat.

Verum non levis difficultas eſt circa irregularitatem, quæ incurritur ratione delicti, num videlicet ignorantia talis pœnæ ſubtrahere queat ab ea incurrenda: Nam de

ea

Digitized by Google

ea quæ contrahitur ex defectu, non eſt dubium, quod nihil ab ea eximere valeat. Et quoad pœnam dictæ irregularitatis, ſcilicet ex delicto, in caſu ignorantiæ invincibilis iuris & facti, Theologi, præcipue Salmanticenſes, parem eam faciunt cenſuris, ut cum tali ignorantia non contrahatur; quia cum huiuſcemodi irregularitas non contrahatur niſi ob culpam mortalem, & ideo dicitur ex delicto, procul dubio quando ignorantia excuſat a mortali peccato; excuſat etiam a ſubeunda irregularitate; & ſic communiter aſſeritur a DD. Unde ſi Clericus excommunicatus ignoraret ſibi vetitam eſſe adminiſtrationem in ſacris, non incurreret irregularitatem huic miniſtrationi annexam, cum reus carens culpa, non conveniat in damnum vocari cap. *Cognoſcent. de Conſtitutionib. cap. Apoſtolica de Clerico excommunicato miniſtrante*. Sic etiam qui ignoraret aliquem actum ſpeciali Eccleſiæ præcepto ſub tali pœna vetitum, etiamſi ſciret iure divino eſſe illicitum, non incurreret irregularitatem, ſi illum actum faceret, ideſt homicidium committeret; quia cum ſit pœna eccleſiaſtica, ob delictum tantummodo ut violans legem eccleſiaſticam incurri debet.

Solam ignorantiam pœnæ tamen, ideſt quando habetur notitia iuris eccleſiaſtici, a quo talis actus prohibetur, probabilius eſſe dicunt hic Salmanticenſes non excuſare ab irregularitate eum, qui actum illum exercet, licet ignoret talem pœnam huiuſmodi crimini affixam eſſe: quia irregularitas non eſt cenſura, nec pœna medicinalis ad emendationem delinquentis ordinata, nec petit contumaciam in reo, & ſic contrahi poteſt ob delictum pure præteritum; igitur non ſecus ac aliæ pœnæ, quæ dictas conditiones non requirunt, ſed ex delicto ipſo facto conſequuntur, ſtatim ac commiſſum eſt crimen, ipſo facto incurritur irregularitas etiam ab eo, qui tali caret notitia.

Ignorantia vincibilis, cum non excuſet a peccato mortali, ita nec excuſat ab incurrenda cenſura. Sic ſtatuitur ac ſuſtinetur contra aliquos, qui diſtinguunt ignorantiam præciſe vincibilem a craſſa vel ſupina, quarum unam conſtituunt in quadam ignavia, qua quis deſidioſus ac tepeſcens non curat addiſcere quod debet; alteram, qua aliis diſtractus negotiis negligit aliequi, nempe percipere quod ſcire tenetur; præciſe vero vincibilem, neque craſſam eſſe volunt, neque ſupinam & eam eſſe aiunt, cum quis aliqua quidem cura ac diligentia ſe applicat ut aſſequatur cognitionem rei ad quam tenetur, graviter tamen deficit. Hanc autem ignorantiam moraliter vincibilem, quæ non eſt craſſa nec ſupina, dicunt excuſare a cenſuris; quia Bonifacius VIII. cap. 2. *d. Conſtitut.* eximit ignorantes a cenſura, modo eorum ignorantia craſſa non fuerit, ſupina, aut affectata, quarum poſtrema eſt cæterarum damnabilior. Sed non eſt credibile ibi Pontificem loqui de vincibili, quæ ſecundum communiſſimam Theologorum ſententiam eſt ſemper mortaliter culpabilis, ſed de invincibili, quæ ſola digna eſt ut a cenſura non mulctetur. Unde verior ſententia & tutior in praxi ea eſt, quam cum Suarez, Salmanticenſibus, aliiſque ab illis citatis ſequimur. Et ratio huiuſce ſententiæ eſt, quia ignorantia vincibilis iam coincidit cum craſſa & ſupina, & non immerito talis a Theologis vocatur, eo quod ſemper annexam habeat gravem in re maximi momenti ignaviam, & aliunde ignorantia ſupina non omnem excludit ſollicitudinem; quocirca ille laborare dicitur ignorantia ſupina, qui nullam, vel modicam diligentiam adipiſcendæ ſcientiæ adhibuit; & quia incredibile eſt, Eccleſiam nunquam punire voluiſſe cenſuris eam negligentiam, quam Deum ſcimus æternis vindicare ſuppliciis.

Ignorantia concomitans ſi vere ſit invincibilis excuſat a cenſura. Idcirco qui Clericum occidit putans occidere laicum, tametſi lubentius Clericum occidiſſet, non ſubiacet cenſuræ: quia ad incurrendam cenſuram requiritur actus includens malitiam vetitam ſub pœna cenſuræ, quam malitiam non includit actus procedens ex invincibili ignorantia concomitante, cum ille actus non procedat ab actuali intentione occidendi Clericum, & habitualis diſpoſitio in illum actum revera non influit, eo quia influxus voluntatis ſupponat notitiam, quæ tunc nec adeſt, nec adeſſe poteſt. Quod ſi intendens occidere Ioannem Clericum, occidat, aut ſaltem feriat Antonium pariter Clericum tranſeuntem, dummodo tamen ſufficientem diligentiam adhibuerit ne alium, aut ſaltem ne Clericum occideret, hic non incurrit cenſuram. Ex oppoſito vero qui Ioannem Clericum ferit putans ferire Petrum Clericum, cenſuram contrahit, quia in hoc concurrit & intentio vulnerandi Clericum, & eius vulneratio, dum in priori caſu contingit quidem Clerici percuſſio, ſed ſine intentione Clericum feriendi. Sic Avila, Suarez, Caiet. Bonac. & alii. Et ita incurrit qui in ebrietate percutit Clericum,

quan-

Digitized by Google

quando ante ebrietatem advertere potuerit ex actione ſua, ideſt ex intemperanti potatione, ſecuturam ebrietatem, & ex ebrietate Clerici percuſſionem. Toletus tamen & Sayrus lib. 6. cap. 17. n. 35. dicunt, ebrium non incurſurum cenſuram, ſi antequam vapores uſum rationis [illegible]ſſent, conſcius periculi quod per ebrietatem incurrebat, ſufficientem adhibuiſſet diligentiam ad vitandam Clerici percuſſionem, puta armà proiiciendo, curando ea ſub ſera includi, quia tunc percuſſio cenſenda eſſet involuntaria.

Nota, erroneam conſcientiam non inducere cenſuram, cum eam inducat ſolus legitimus Superior, ita ut qui percuteret laicum credens huic percuſſioni annexam eſſe cenſuram, eam non contrahit; quia actus, propter quem inducitur cenſura, non eſt ſacrilegium mentale, ſed externum contra Clerici perſonam conſummatum, quod non contingit in hac percuſſione, in qua occurrit quidem ſacrilegium internum, non vero externum.

Metus non levis, ſed gravis, qui dicitur cadens in virum conſtantem, ſi non ſit incuſſus in Eccleſiæ contemptum, quando excuſat a culpa, ſicuti quando propter talem metum delinquitur conrra præceptum Eccleſiæ, tunc manifeſtiſſime patet, quod cum non habeatur gravis culpa, contrahi nequeat cenſura. Maior difficulras quæ circa hoc occurrere poreſt, eſt, quando metus non excuſat a culpa, nempe quando actus ſit vetitus non ſolum iure eccleſiaſtico, ſed etiam naturali, & divino: & in boc caſu non conveniunt Theologi; nam alii volunt tunc incurri cenſuram, ſed probabilius contrarium ſuſtinent Suarezius, Salmanticenſes cum aliis quamplurimis; cum cenſura non contrahatur, ut ſæpe antea iam dictum fuit, niſi prout delinquens contumax eſt contra Eccleſiæ præceptum, quod ſub tali pœna indixit. Verum quia Eccleſia non intendit, nec ſolet exigere obſervantiam ſuorum præceptorum cum gravi fidelis populi incommodo, ſicuti eſt periculum vitæ, famæ, fortunarum, qui ob gravem metum actum facit contra Eccleſiæ præceprum, ſicuti non peccat prout violat Eccleſiæ præceptum, licet alias peccet contra ius naturale & divinum, contra quod etiam eſt talis actus, non omnino contrahit cenſuram, utpote qui in tali caſu non ſit contumax contra Eccleſiæ auctoritatem, quæ in talibus circumſtantiis non conſueſcit obligare, niſi metus incuſſus ſit in ipſius Eccleſiæ contemptum. Quia ſi metus incuſſus ſit, ut violans ex tali metu Eccleſiæ præceptum, committat ipſius Eccleſiæ contemptum, ſicuti talem tranſgreſſionem agens peccat, cenſuram quoque incurrit. Etenim tranſgrediens legem Eccleſiæ in Eccleſiæ contemptum etiam ex metu gravi, non ideo immunis eſt a gravi peccato; igitur nec a cenſura, quæ lata eſt contra huiuſmodi peccatum, ut ex cap. *Sacris 5. de iis quæ vi, & metu;* ubi poſtquam Innocentius III. negavit, eos, qui coacti ſunt *communicare excommunicatis*, cenſuram contrahere, quia *magis pati quam agere convincuntur*, declarat, eos, qui idem ex metu faciunt, ligari cenſura; quia licet metus attenuet culpam, non impedit tamen quominus culpa hæc mortalis remaneat, ubi patenter loquitur Pontifex de metu incuſſo in contemptum Eccleſiaſticæ poteſtatis. Conſtat enim apud omnes, communicare cum excommunicatis, ſemoto contemptu, culpam eſſe venialem, immo nullam ſi fiat ex gravi timore. Docet igitur ibi Pontifex, cenſuras eos incurrere, qui ex contemptu leges pure eccleſiaſticas tranſgrediuntur. Quare in irregularitatem incidit excommunicatus vitandus, qui extra neceſſitatis caſum aliquem metu coactum abſolvit; quia ob defectum iuriſdictionis, qua caret, inhabilis eſt ad abſolvendum. Non fieret tamen irregularis ſecundum Salmanticenſes, ſi ex gravi metu miniſtret in Sacris, quia, aiunt ipſi, cenſura aufert quidem uſum Ordinis, ſed ad illum inhabilem non reddit. Unde colligit Navarrus, Sacerdotem homicidam, poſt debitam contritionem ac confeſſionem, etiam non obtenta diſpenſatione, poſſe Sacrum facere, ſi ei exurgat probabilis timor ſe reddi ſuſpectum homicidii, ſi a celebrando ſe abſtineat. Sic dicito de excommunicato occulto in eiuſcemodi periculo infamiæ, de Moniali lapſa occultiſſime in cenſuram Papæ reſervaram, ita ut ante moram petendæ abſolutionis poſſit choro intereſſe & ipſa quoque, quando ad id tenetur, cum aliis ad Communionem accedere, ut docent Sayrus & alii. Idcirco inferunt, etiam excommunicatum occultum poſſe ſine peccato, & irregularitatis metu Sacrum audire, celebrare, abſolvere &c. ad vitandum ſcandalum, ideſt occaſionem peccati detractionis, & iudicii temerarii: quia ubi occurrunt duo præcepta, quæ obſervari nequeunt, tunc maius & gravius obſervandum eſt: maius autem in allatis caſibus eſt præceptum non dandi occaſionem ſcandali,

ut-

utpote quod eſt de iure naturali, & divino, quam obſervandi cenſuram, quæ eſt de iure humano.

Tertia cauſſa eximens ab incurrenda cenſura, eſt impotentia exequendi quod ſub pœna cenſuræ præcipitur, & quia ad impoſſibile nemo tenetur, ut ex L. *Impoſſibilium* ff. *de Regulis iuris*, ubi ſic habetur: *Impoſſibilium nulla eſt obligatio*; & quia impotentia faciendi quod præcipitur, excuſat a culpa, & a contumacia; igitur etiam a cenſura, quæ cum ſit pœna utriuſque, contrahi nequit ſine culpa. Hinc patet, quod qui propter impotentiam non reſtituit, vel debito non ſatisfacit prout ei commiſſum fuit ſub tali pœna, non incurrit iſte talem pœnam ſibi comminatam, ſcilicet excommunicationem contra detentores rei alienæ, vel eam non reſtituentes.

Gravior difficultas eſt circa debitorem, cui conſtitutum ſit certum tempus, v. g. menſis ad ſolvendum, ſub pœna excommunicationis, num pœnam hanc incurrat, ſi cum initio menſis ſolvere poſſet non ſolvit, dum iam prævidit quod reliquo tempore fieret impotens ad ſolvendum. Reſpondent permulti cum communiori affirmative, & eſt probabilior: quia talis omiſſio eſt pleniſſime voluntaria, ac ideo culpabilis, ac proinde cenſura mulctari poteſt. Nam qui tenetur ad aliquod præceptum intra tale datum tempus, ſi prævideat ſecuturum impedimentum, anticipare debet opus præſcriptum, alioquin omiſſio, cum in tali caſu omnino volita ſit, eſt imputabilis ad culpam, ut contingit quando quis ſummo mane Sacrum non audit, prævidens fore ut gravis ſuperveniat occupatio, unde ei Sacrum audire impediatur. Et ſic dicito in omnibus huiuſcemodi caſibus.

Obſervandum tamen, hunc non eodem tempore ſubiacere culpæ, & vinculo cenſuræ: quia eo ipſo quod advertit ſe futurum impotentem, & culpabiliter non reſtituit, fit reus culpæ, & obligationis ad incurrendam cenſuram, quam tamen non contrahit niſi in fine termini præſcripti, quia tunc conſummatur omiſſio vetita ſub cenſura. Nec ullatenus ei ſuffragatur, quod factus impotens in termino ſibi præfixo ad ſolvendum, doleat de ſua omiſſione, ut in foro conſcientiæ non incurrat cenſuram, quia cum tunc ſit impotens, non vere eſt contumax ut vult Filliucius; nam eſt ſufficienter contumax in cauſſa, & dum incurritur cenſura, non eſt opus ut tunc reatus culpæ incurratur, ſed ſatis eſt ipſum reatum præceſſiſſe.

Quarta cauſſa excuſans ab incurrenda cenſura, eſt ipſius cenſuræ nullitas. Nullitas autem cenſuræ contingere poteſt 1. ex defectu iuriſdictionis in eo, qui cenſuram fert, ſi nimirum vel illam non habeat omnino, vel non habeat reſpectu talis perſonæ, vel habeat in[illegible]am, aut quodammodo a Superioris [illegible]e ligatam, vel de illa dubitetur cum aliquo rationabili fundamento. 2. quia ſervata non fuit quæ in ferenda cenſura ex iuris diſpoſitione eſſentialiter ſervanda ſunt, ut ſi prætermittatur monitio quando præmittenda eſſet, & ſimilia.

Quinta cauſſa eſt innocentia cenſurati, quæ ſit manifeſta. Nomine autem innocentiæ non ſolum illa intelligitur, quæ contingit quando quis delictum non commiſit, ſed illa quoque quæ contingit, quando quis commiſit quidem delictum materialiter, ſed excuſatione aliqua fit ut non ſit peccaminoſum, vel ſaltem ut non ſit contra Eccleſiæ præceptum modo dicto, vel ut non ſit cum contumacia, ſicuti accidit quando fit cum ignorantia iuris vel facti, ut iam diximus. Nomine autem innocentiæ manifeſte intelligitur innocentia, quæ notoria ſit ob evidentiam facti vel iuris, ideſt non probetur eum deliquiſſe. Si autem dubia ſit, vel non notoria, immo ſecundum allegata & probata nocens appareat, etiamſi innocens, tunc cenſuratus ratione ſcandali in publico, & coram illis, qui ignorant illius innocentiam, debet ſe gerere tamquam cenſuratum, donec abſolvatur: privatim vero, & apud illos, quibus ipſius innocentia innoteſcit, ſe gerere poterit ut non cenſuratus. In hoc igitur ſenſu eſt intelligendum illud axioma commune, *cenſuram etiam iniuſtam eſſe pertimeſcendam*; videlicet quod ſi lata ſit pro delicto, quod revera commiſſum non fuit, ſed tamen ſervato a iudice iuris ordine, ideſt ſecundum allegata & probata, ac proinde iniuſta non ſit niſi materialiter, non poteſt cenſura ſperni, quin contemnatur iudicis auctoritas, quod utique fieri nequit ſine gravi culpa. Si autem ex oppoſito iniuſta ſit formaliter, quia nempe eam Iudex protulerit in notorie innocentem, aut prætermiſſo ordine iuris, & hoc etiam publice innoteſcat, tunc ſine piaculo contemni poteſt cenſura; quia tunc non contemnitur auctoritas iudicis, ſed iniuſtitia, quæ etiam in Superiore eſt contemptibilis.

Nota, quod dubitans, an cenſura ſit innodatus necne, iuxta probabiliorem ſi dubitet e. g. num ſit excommunicatus (& ſic dicendum

dum de aliis cenſuris ) curare debet omnino ſe abſolvi ſaltem ſub conditione, & interea ſe gerat ut excommunicatus, quantum tamen poteſt ſine ſcandalo & propria infamia. Quod ſi ipſe dubius ſit de ſua excommunicatione, & alii perſuaſi ſint eum eſſe excommunicatum, tunc in foro exteriori ad evitandum aliorum ſcandalum ſe gerere debet tamquam excommunicatum, ne videatur contemnere eccleſiaſticam cenſuram. Quod ſi ceſſet periculum ſcandali, & ſuum dubium ſit iuris, nec in foro interno, nec in foro externo tenetur ſe gerere tamquam excommunicatum, ſe ab iis abſtinendo, quæ vetita ſunt excommunicatis: Quia cum favores ſint ampliandi, pœnæ reſtringendæ, quando ius inducens pœnam dubium eſt, in benigniorem partem eſt interpretandum. Quo ſenſu ait D. Thom. Quodlib. 4. art. 14. quod quoties dubitatur, an iudex excommunicationem contra aliquem protulerit, & præmiſſa diligentia adhuc dubium manet, non tenetur ſe gerere ut excommunicatum, quia tunc eſt dubium iuris. Quod ſecus accidit ( ait S. Doctor ) ſi certus ſit excommunicationem eſſe latam, dubitat autem an iuſta fuerit, quia tunc ut excommunicatus ſe gerere debet: Quia quando non conſtat oppoſitum, pro iuſtitia ſententiæ ſtandum erit, eo quod non ſubditi, ſed ſuperioris ſit eam examinare. Sic Valentia, Covaruv. & alii. Si autem dubium ſit facti, ut quando quis ſcit excommunicationem latam eſſe contra percutientes graviter Clericos, dubitat vero an percuſſio a ſe facta Clerico ſit gravis, ego dicerem hunc ſe gerere debere tamquam excommunicatum: Quia conſtat de iure, & de facto, & gravitas facti dependet a menſura contemptus, ut ſignificat canon per verba, *ſi quis ſuadente diabolo percutiat Clericum*. Unde cum difficile ſit dignoſcere gradum contemptus actionis factæ cum indignatione, num gravis fuerit, vel levis, hinc ratio ſtat potius pro vinculo excommunicationis, quam pro eius exemptione. Si dubitetur an excommunicatio ſit latæ ſententiæ vel ferendæ, cum ſit dubium iuris, non tenetur ſe gerere tamquam excommunicatum. Item ſi excommunicatio lata ſit ſub conditione, & dubium ſit an fuerit adimpleta, hoc quoque dubium eſt iuris, quia, ut ſupra notavimus, uſque ad adventum conditionis nullam vim habet cenſura.

Sexta cauſſa eſt conſenſus partis læſæ, ideſt illius, in cuius favorem lata eſt cenſura conditionalis, de cuius intereſſe agitur, ut ſi lata ſit cenſura, niſi creditori ſuo intra tot dies quis ſatisfaciat, poteſt hic eam ſuſpendere, concedendo dilationis tempus, cum cenſura ligare nequeat contra voluntatem eius, in cuius gratiam fertur, & quia cenſura non contrahitur ſine interventu peccati, quod non intervenit, dum ſolutio non fit de conſenſu creditoris. Debitores enim non ſunt proprie debitores, nec in mora ante elapſum terminum, qui elapſus non eſt quando creditor illum prorogat. Et cenſura lata in gratiam creditoris hanc videtur importare conditionem, niſi ipſe conſenſerit in dilationem ſolutionis. Igitur ſicuti antequam non expiraverit tempus, debitor non eſt in mora, ita nec cenſuram contrahit. Idcirco conſenſus creditoris eximit a cenſura.

Tandem excuſare poteſt a cenſura legitima appellatio; ſed pro clariori intelligentia Nota 1. Appellationem iuxta Canoniſtas ad tit. 28. l. 2. *Decretal.* eſſe provocationem factam ab inferiori Iudice ad ſuperiorem, ratione gravaminis lati, vel inferendi. Quocirca appellatio eſt quædam ſpecies defenſionis, quæ conceditur innocenti iniuſte oppreſſo. Appellatio autem duplex eſt, iudicialis, & extraiudicialis. Iudicialis ea eſt, qua appellatur ab actibus iudicialibus, & idcirco de iis eſt, quæ in iudicium veniunt, vel circa illud accidunt, & tripliciter ea interponi poteſt, 1. ante litis conteſtationem, ut ſi quis appellet quia citatus eſt ad locum non tutum, aut quia brevior terminus ſibi datus eſt; 2. poſt litis conteſtationem, ideſt eiuſdem apud Iudicem inchoationem, ſed ante definitivam ſententiam, uti ſi quis appellet a ſententia interlocutoria ſeu proviſionali, ſive quæſtionis incidentis; 3. poſt ſententiam definitivam, ut quando quis ab ea appellat ne mandetur executioni. Appellatio extraiudicialis ea eſt, quæ fit ob gravamen, quod extra iudicium ab aliquo infertur, aut probabiliter inferendum ſuſpicatur ac timetur; ut ſi quis appellet, quia beneficium alteri in ipſius appellationis præiudicium conceſſum ſit, aut ne electio fiat tot hominum, aut poſtulatio, quæ tamen appellatio non eſt vere ac proprie dicta appellatio, quia in appellatione proprie dicta opus eſt ut iudicium inceptum ſit, dum appellatio eſt provocatio a iudice inferiori ad ſuperiorem: appellatio autem extraiudicialis poteſt cauſſam ſeu litem inchoare; idcirco magis proprie dicitur *provocatio ad cauſſam*; quia appelatio proprie dicta requirit Iudicem, *a quo*, & *ad quem*; extraiudicialis autem non fit ne-

Digitized by Google

neceſſario a Iudice, ſed ab eo qui iniuſte gravat, tametſi non ſit iudex.

Nota 2. Appellatio legitima duplicem habet effectum, quia 1. devolvit cauſſam ad tribunal ſuperius; 2. ſuſpendit effectum ſententiæ Iudicis inferioris. Hunc tamen poſtremum effectum non ſemper producit appellatio, ut patet præcipue in cenſuris: Nam appellans ab excommunicationis ſententia, quæ contra ſe lata fuit, conqueritur quidem de hac ſententia, ſed non ideo ceſſat ab ea ligari, & tamdiu innodatus remanet, donec Iudex, ad quem appellavit, cognita ſententiæ iniuſtitia, eam reſcindat.

Nota 3. cenſuram dupliciter ferri poſſe, ut ſupra diximus, vel pure & abſolute, ut quando quis excommunicatur, quia contumax eſt; vel conditionate, ut cum quis excommunicatur, niſi intra tantum temporis, puta intra menſem, ſatisfaciat. His prænotatis ſit.

Appellatio legitima interpoſita ad Superiorem excuſat a cenſura conditionali, & etiam ab abſoluta, ſi talis appellatio fiat, dum cenſura eſt tantum comminata a iudice inferiori, antequam in eam incurratur; quia appellatio facta tempore opportuno, devolvendo cauſſam ad ſuperiorem Iudicem, ſuſpendit uſum iuriſdictionis in iudice inferiori; & ſic ſuſpenditur non ſolum cenſura, ſed etiam obligatio exequendi id, quod præcipitur ſub cenſura; quia appellatur a præcepto, ut in cap. *Romana* 3. & in cap. *Si a Iudice* 10. *de appell.* in 6. Idemque omnino facit recuſatio Iudicis, antequam ſententiam excommunicationis, alteriuſve cenſuræ ferat, ut in cap. *Quoties Epiſcopi* 16. cauſ. 2. q. 6. Appellatio tamen legitima a cenſura iam lata vim non habet ut eam ſuſpendat; & hoc etiam contingit in cenſura lata ſub conditione poſt conditionis eventum. Sic ſtatuit Innocentius III. cap. *Paſtorib.* 53. *de appell.* Nam vel abſolute lata eſt, & ſecum trahit excommunicationem, ac ſuum ſortitur effectum; vel conditionate, & non impleta in termino præſcripti temporis conditione, ideſt non facta ſatisfactione, quæ ſub cenſuræ incurrendæ comminatione fieri iuſſa eſt intra tale tempus, cenſura de facto contrahitur; igitur tamdiu ligat, donec tollatur per abſolutionem; & abſolutio non confertur per appellationem. Idcirco appellatio facta poſt latam ſententiam, ideſt poſt inflictam cenſuram, minime vim habet ſuſpendendi cenſuram, ſed ſolum devolvendi cauſſam ad ſuperiorem, ut cognoſcere queat de iuſtitia cenſuræ. Hinc Canoniſtæ communiter dicunt, appellationem tunc eſſe devolutivam, non vero ſuſpenſivam.

Verum circa hanc Canoniſtarum regulam non deſunt qui velint, ut Piring. Avila, illam limitari ad pœnas tantummodo ſpirituales, quæ animam ligant, ad ſuſpenſionem ſcilicet, vel interdictum ab officio divino, ingreſſu Eccleſiæ, & aliis huiuſmodi; nec alias extendi ad ſuſpenſionem, & interdictum a temporalibus: ita ut ſi quis interdicatur a perceptione fructuum beneficii, a voce activa & paſſiva, aliiſve huiuſce generis, poterit ſententiam hanc per legitimam appellationem ſuſpendere.

Per appellationem a cenſura ab homine, non tantum ea non ſuſpenditur; ſed nequidem eius impeditur denunciatio. Quare poteſt Epiſcopus non obſtante interpoſitione appellationis eum denunciare excommunicatum, contra quem ſententiam protulit. Sic cap. 53. ſupra cit. *de appell.* Excipitur tamen a Suarezio Iudex delegatus, qui ſemel admiſſa appellatione nequit amplius devenire ad denunciationem. Cæterum volunt Covaruvias, Angelus, Navarrus, & alii cum Suarezio & Bonacina, licitum eſſe appellare a ſententia pure declaratoria. Unde ſi Iudex declarare velit aliquem reum eſſe criminis, cui in iure annexa eſt cenſura, poterit reus interpoſita appellatione declarationem hanc & denunciationem, quæ eam conſequitur, impedire. Ita ut ſi Iudex ulterius progrediatur ad declarationem & denunciationem, non ideo ille, contra quem ſic actum fuerit, vitandus erit ut publice excommunicatus.

Appellatio ut rationabilis & legitima ſit, fieri debet iuſtis de cauſſis, ac ſervatis iure ſervandis; nam *appellationis remedium non eſt ad defenſionem iniquitatis; ſed ad præſidium innocentiæ ſtatutum*; ſic ex cap. 61. *de appellat.* Item *non oportet ad compares Iudices appellationes referri, ſed a minori iudicio ad maius tribunal aſcendere* cauſ. 2. q. 6. c. 28. Unde non valet appellatio ab Eccleſia ad Eccleſiam. Tandem facienda eſt appellatio tempore debito. Iure antiquo intra decem dies appellandum erat: nunc autem intra quadraginta dies; qui tamen computantur a die publicationis ſententiæ; & rationabili ac legitimæ appellationi Iudex regulariter deferre debet cap. *Cum Appellationib. de appellat.* in 6.

§. XIV.

## §. XIV.

### *De Abſolutione a Cenſura.*

Ex quo Chriſtus Dominus facultatem contulit ſuæ Eccleſiæ Miniſtris ſolvendi Fideles a cenſuris, quibus auctoritatem ligandi conceſſit, ut Matth. 18. *Quæcumque ligaveritis ſuper terram .... quæcumque ſolveritis* &c. manifeſte conſtat, quod non ſolum cenſura tolli poſſit per abſolutionem, ſed etiam nonniſi per abſolutionem tolli queat: quia res tolli debet per auctoritatem, qua conſtituta eſt, iuxta Regulam iuris in 6. *Omnis res per quaſcumque cauſſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*. Hinc Alexander VII. anno 1666. 18. Martii, hanc damnavit propoſitionem, quæ numero eſt 44. *Quoad forum conſcientiæ reo correcto, eiuſque contumaciâ ceſſante, ceſſant cenſuræ*. Quare minime tollitur per mortem eius qui cenſura innodatus eſt; quia mortuus ſine abſolutione, in loco ſacro ſepeliri nequit, nec ſuffragia pro eodem offerri poſſunt; quia licet abſolutus apud Deum credatur per contritionem, nondum tamen habendus eſt apud Eccleſiam abſolutus; nec per ceſſationem ipſius a contumacia, & converſionem, quia emendatio rebellionis præparat quidem ad abſolutionem, non tamen eam per ſe præſtat; ſicuti nec ipſa rebellio per ſe, ſed per Superioris auctoritatem cenſuram induxit; nec per mortem Superioris, quia pœna legitime impoſita tranſit in rem iudicatam; iudicium autem perſeverat etiam poſt mortem iudicis, niſi ab alio revocetur, & quod per voluntatem imponitur, per eamdem tolli debet. Igitur quamvis ceſſante contumacia, & reo converſo Superior eum abſolvere debeat a cenſura, cum ſit pœna medicinalis, reipſa tamen non tollitur niſi per abſolutionem. Hinc ſi cenſura feratur hoc verbo *ego te excommunico donec ſatisfacias*, ea ſemper tollitur per abſolutionem, quia ipſa ſententiæ forma continet abſolutionem; idemque eſt ac ſi diceret *ego te excommunico, ſimulque abſolvo, non pro nunc, ſed pro tempore, quo ſatisfeceris*.

Quid ſit abſolutio a cenſura. Abſolutio cum ſumpta ut ſic nihil aliud ſit quam liberatio ab aliquo vinculo phyſico vel morali; hinc abſolutio a cenſura eſt liberatio a vinculo proveniente ex cenſura, prout cenſura innodatus ita anguſtiatur, ut bonis ſpiritualibus uti nequeat: poſita autem abſolutione liber remanet ab illo vinculo, ut pro libitu bonis illis uti valeat & frui.

Abſolutio a cenſura dividitur 1. in illam, quæ eſt ab homine, & in illam quæ eſt a iure. Prima conceditur ab homine habente poteſtatem abſolvendi; altera fit immediate a iure; ut ſi in lege aliqua reperiatur hæc formula *qui hoc fecerit, ex tunc ſit abſolutus*, quod tamen patet raro contingere. 2. Dividitur in abſolutam & conditionatam; & hæc poſtrema non habet effectum niſi impleta conditione. Hic tamen modus abſolvendi licite adhiberi nequit ſine urgentiſſima cauſſa, cum non ſit in uſu. 3. Dividitur in abſolutionem ſimpliciter, & hæc eſt abſoluta, & perpetua, & in abſolutionem ad reincidentiam; & hæc non eſt de ſe perpetua, & duplici modo datur: 1. ut redeat poſt certum & determinatum tempus, vel perfecta aliqua re, ad quam perficiendam datur abſolutio. 2. Datur non ad certum tempus aut actum, ſed ſub obligatione ſatisfaciendi intra aliquod tempus, quo elapſo, ſi non fuerit præſtita ſatisfactio, aut illud quod iniunctum fuerat, non fuerit perfectum, redeat cenſura. 4. Dividitur in abſolutionem ſimpliciter, & in abſolutionem ad cautelam. Prima datur quando cenſura eſt certa, altera quando dubitatur de cenſura, vel neſcitur an aliquis inciderit in cenſuram, & præmitti ſolet actui, cuius valor impediretur a cenſura, ſi forte fuiſſet contracta, ad effectum ut actus ille non ſit irritus & invalidus. 5. Dividitur in abſolutionem pro foro interno, & in abſolutionem pro foro externo. Abſolutio pro foro interno ſeu conſcientiæ prodeſt tantum coram Deo, & in occulto; adeoque qui ſolum pro foro interno eſt abſolutus, coram aliis in publico ſe gerere debet tamquam cenſuratum. Abſolutio pro foro externo prodeſt etiam coram hominibus: nam non datur niſi præmiſſa abſolutione in foro interiori, vel ab illo, qui in utroque foro poteſt abſolvere. Unde

Nota 1. Qui abſolutus eſt tantum in foro interno conſcientiæ a cenſura notoria, ita ſe gerere debet exterius, ac ſi non eſſet abſolutus, poteſtque conveniri coram Iudice, & ab eo cogi ad ſubeundam omnem pœnam cenſuræ annexam; quia abſolutio data tantum pro foro conſcientiæ non habet effectum niſi coram Deo.

Nota 2. Quando aliquis eſt excommunicatus ob iniuſtitiam aut ſcandalum, in neutro foro licet eum abſolvere, niſi prius ſatisfecerit parti, & ſcandalum ſuſtulerit; & ſi ſatisfacere nequeat, dare debeat idoneam cautionem ſe quamprimum ſatisfacturum: quod



Digitized by Google

ſi poſtea cum primum commode poterit, non ſatisfaciat, iterum excommunicationem contrahet cap. 22. *de ſent. excommunic. in 6.*

Qui poſſit abſolvere a cenſuris. Abſolvere a cenſuris ſolus Sacerdos poteſt in foro interno conſcientiæ & ante Deum; quia in illo foro nemo præter Sacerdotem poteſt eſſe Iudex: In foro vero exteriori ſeu contentioſo, is qui cenſuram intulit, vel eius ſucceſſor, aut eius delegatus, vel Superior, ut Metropolitanus, in cauſſa tamen dumtaxat appellationis, & curſu viſitationis, ut ex cap. *Nuper de ſent. excommunic.* &c. *verb. de pœnit.* diſt. 1. Et hoc verum eſt, tametſi qui cenſuram tulit ſit Clericus ſolius primæ Tonſuræ; quia abſolvere a cenſura non eſt actus Ordinis, ſed iuriſdictionis, cuius capax eſt etiam Clericus.

In articulo mortis quilibet Sacerdos etiam excommunicatus, aut nominatim denunciatus abſolvere poteſt a qualibet cenſura ex Concilio Trid. Num vero ita abſolutus ſi convaluerit, denuo hanc cenſuram contrahat niſi recurrat ad Superiorem, qui cenſuram ſibi reſervavit, non conveniunt DD. Affirmant multi ex variis canonibus, & præcipue ex cap. *Eos qui de ſent. excommunic. in 6.* & ex cap. *Ea noſcitur*, ubi hoc decreviſſe videtur Clemens III. E contra vero negant plures alii, hunc infirmum, qui periculum mortis evaſit, incidere in ſimilem excommunicationem hoc ipſo quod contemnat recurrere ad Superiorem; quia ex laudato Concilio Trid. nulla eſt reſervatio in articulo mortis; ac obſervant cap. *Ea noſcitur*, & aliis, quibus nituntur patroni oppoſitæ ſententiæ, nihil decerni, niſi quod Confeſſarius præcipere debeat pœnitenti, ut ſublato impedimento Superiorem adeat ſub pœna ſimilis cenſuræ incurrendæ, ſi neglexerit, ac proinde pœnitentem non denuo incurrere cenſuram, ſi Confeſſarius tale præceptum ei non impoſuerit: & licet cap. *Eos qui* per ſe & independenter a præcepto Confeſſarii pronunciet reincidentiam, ut dicunt, videtur tamen illud decretum revocatum a Tridentino, ſaltem quoad articulum mortis, in quo, ait nullam eſſe reſervationem. Dico *ſaltem in articulo mortis*; quia in aliis caſibus, ut in periculo infamiæ incurrendæ, manet reſervatio, nec niſi indirecte pœnitens abſolvitur a reſervatis, idcirco ſublato impedimento tenetur adire Superiorem. Ita Habertus.

Extra mortis articulum quilibet Sacerdos approbatus ad excipiendas confeſſiones poteſt abſolvere ab omni cenſura a iure & ſtatuto, quæ non ſit reſervata, id eſt quam Legiſlator ſibi non reſervavit, nec ad forum contentioſum deducta, ex recepta conſuetudine & ex cap. *Nuper* 29. Extravag. *de ſentent. excommunic.* Eſt communis; & huius ſententiæ ratio clare habetur ex Innocentio III. in cit. canone, in quo ſic legitur: *Quia conditio canonis, eo ipſo quo cenſuræ abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, conceſſiſſe videtur facultatem aliis eam relaxandi*. Et favet univerſalis Eccleſiæ praxis: Nam ſinguli Confeſſarii audita pœnitentium confeſſione præmittere ſolent abſolutioni a peccatis abſolutionem ab omni vinculo excommunicationis & interdicti, addentes, ſi pœnitens ſit Clericus maioribus Ordinibus inſignitus, ſuſpenſionis; ita ut ſi aliter res ſe haberet, inutilis, addunt aliqui, eſſet abſolutio a cenſuris, quam Confeſſarii præmittunt abſolutioni a peccatis. Sed quamvis hoc verum ſit ſine controverſia de excommunicatione, a iure videlicet non eſſe reſervaram, niſi reſervatio exprimatur in canone, vel ſtatuto, id tamen non concedunt communiter Theologi quoad ſuſpenſionem & interdictum locale, & generale perſonale: cenſent enim hæc ſemper Superiori eſſe reſervata, ſive ſint ab homine, ſive a iure, licet reſervationis mentio non fiat; ita ut nullus Sacerdos poſſit ab eis abſolvere ſine poteſtate a Superiore accepta: addentes aliqui circa abſolutionem, quam quilibet Confeſſarius præmittere ſolet, iſtos ex conceſſione Eccleſiæ abſolvere a ſuſpenſione & interdicto particulari, cuius non eſt conſcius pœnitens, & ad hoc valere formulam uſitatam.

Verum quidquid ſit de hoc, certum eſt, locum non habere deductam regulam ex laud. cap. *Nuper*, 1. quando Epiſcopus cenſuras, quæ iure communi reſervatæ non ſunt, ſtatuto ſuo ſpeciali ſibi reſervavit, aut quando in certis Diœceſibus conſuetudine receptum eſt, ut ſimplex Sacerdos ab his non abſolvat: 2. Quando cenſura etiam non reſervata traducitur ad forum contentioſum. Circa hoc tamen notandum, quod ſi reus ſe purgaverit etiam falſis aſſeverationibus aut probationibus, tunc cenſura quam incurrit, non magis reſervata eſt quam ante illatam ei accuſationem; quia crimen ſine effectu ad fori Iudices deductum, cenſetur occultum, cum probatum non fuerit, ait Habertus Ideo enim, inquit, excommunicatio, quam Superior ſibi non reſervavit, a quocumque Sacerdote relaxari poteſt,

teſt, quia id permiſſum eſt cit. cap. *Nuper*; nullibi autem ius hoc dicit de ſuſpenſione: igitur ſuſpenſio ſemper eſt reſervata, & abſolutio (ſubiungit) Confeſſarii valet pro ſuſpenſione, quam pœnitens invincibiliter ignorat, ut iam antea notatum fuit. 3. Quando cenſura fertur ab homine per ſententiam ſpecialem, cum hæc ſemper ſit reſervata. Ita hic Auct. *Supplem. Tourn.*

Si Cenſura reſervata ſit iure antiquo, ille ſolus ab ea abſolvere poteſt, qui ſibi eam reſervavit, vel eius ſucceſſor, vel delegatus, vel Superior. Sic ex cap. *Nuper*, & cap. *Sacro de ſentent. excommunic.* cap. *ad recipiendum de officio Iudicis ordinarii*.

De iure vero novo Concilii Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. *de reform.* Epiſcopi quoad cenſuras Papæ reſervatas duobus in caſibus abſolvere valent. 1. Si cenſura ſit occulta, nec ad forum contentioſum deducta, excepto homicidio voluntario. 2. Quando licet non ſit occulta, qui aliquam illarum contraxerit, Papam adire nequeat. Et quoad primum patet ex verbis ipſis Concilii loco cit. ubi ſic habetur: *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, & in quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſe ipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita ſalutari pœnitentia.* Nomine vero Epiſcopi expreſſi in cit. decreto, ut volunt quamplurimi DD. intelliguntur Capitulum Sede vacante, utpote quod in iuriſdictionem ſuccedat Epiſcopi, Abbates, aliique iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, ut Bonac. Salmant. Non intelliguntur tamen Epiſcopi locorum, ubi Concilium Trid. non fuit receptum, ut bene probat Suarez. Item ut verba illa *in Diœceſi ſua* verificentur, dicunt ſatis eſſe vel ut ſubditus ſit in Diœceſi etſi Epiſcopus ſit extra eam, vel ut Epiſcopus ſit in Diœceſi ſua etiamſi abſolvendus ſit extra eius Diœceſim. Verum ſiquidem eſt, quod Epiſcopus etiam dum extra ſuam Diœceſim verſatur, poſſit ſubditum in eadem ſua ipſius Diœceſi exiſtentem abſolvere, dummodo hoc non fiat in foro contentioſo, quia hoc exigit ut ſedeat pro tribunali, quod nulli Superiori extra ſuam ditionem, ideſt intra fines alterius juriſdictionis facere conceditur, cum ſedere pro tribunali denotet juriſdictionem in loco ubi erectum eſt tribunal, quod proinde ſine perturbatione iuriſdictionis nemo facere poteſt in loco alterius Diœceſis. Noluerunt tamen PP. Tridentini facultatem abſolvendi ſubditos a cenſuris in ſua Diœceſi modo antea explicato locum habere in cenſuris Papæ reſervatis, præſertim cum ſubditus ille ab his facile abſolvi poſſit ab Epiſcopo loci in quo commoratur. Verba autem hæc *in foro conſcientiæ* non idem ſunt ac in foro pœnitentiæ; quia forum conſcientiæ non ſolum eſt intra, ſed etiam extra confeſſionem, modo res occulte fiat; non autem in foro contentioſo, in quo cum negotium cum ſtrepitu agatur, non poteſt eſſe occultum. Et equidem ſi Concilium præcepiſſet, quod Epiſcopus ab his caſibus in foro tantum Sacramentali abſolveret, fruſtra appoſuiſſet vocem hanc *in Diœceſi ſua*, cum ſatis conſtaret, ſubditum extra Diœceſim verſantem non poſſe a ſuo Epiſcopo in propria Diœceſi exiſtente Sacramentaliter abſolvi, ut notat Bonacina cum Suarezio. Inquiunt tamen, illa verba, *ex delicto occulto, & nondum deducto ad forum contentioſum* non eumdem habere ſenſum ſeu ſignificationem: Quia, ut advertit Sayrus, crimen quod ab uno aut altero tantum teſte cognitum eſt, cenſetur occultum, & tamen deduci poteſt ad forum contentioſum. Quare ut recte notat Gloſſa *quandoque dicitur occultum quod poteſt probari*. Itaque crimen occultum opponitur *ſimpliciter notorio*. Notorium vero duplex eſt, aliud notorium notorietate facti, aliud notorietate iuris. Primum eſt illud, quod ita publicum eſt & famoſum, ut in tota vicinia, vel in maiori eius parte ulla nequeat tergiverſatione celari, ad quod non requiritur magna populi ſcientia, ſed decem hominum, cum hi ex communi Canoniſtarum ſenſu faciant populi multitudinem. Secundum vero, ideſt notorium notorietate iuris illud eſt, quod conſtat vel ex confeſſione Rei in iudicio, vel ex Iudicis ſententia. Multæ Diœceſes caſus notorietate ſolum facti notorios, ſeu publicos Papæ reſervant. Immo ipſa notorietas facti tranſit aliquando ex uſu in quamdam notorietatem juris; ſic comici ſeu hiſtriones Sacramentis & Eccleſiaſtica ſepultura privantur ſine nova Iudicis declaratione. Quantum poſtea ad pœnas, quæ ſunt iuris, ut ita dicam, divini, nulla eſt humana lex, ſeu poteſtas, quæ ab his diſpenſare queat, unde pro his quandoquidem notorietas facti eſt ſufficiens. Et revera nullus Sacerdos auderet ſacram miniſtrare Euchariſtiam ei, qui paulo ante manus ſuas polluit in om-

tium oculis fraterna cœde, hoc prætextu quod eius crimen nondum notum ſit notorietate iuris. Nihilominus tamen cum notorietas facti *ordinarie* loquendo non ſit tuta agendi regula, in talibus ambiguitatibus, ſtatim, ac ſemper conſulendus eſt Epiſcopus, vel eius Vicarius Generalis, qui pleniorem iuris ac diſciplinæ, & eius, quæ tunc ſervanda eſt, rationis agendi, notitiam habere debet. Hactenus Auct. *Suppl. Tourn.*

Quoad ſecundum vero, nempe quod Epiſcopi directe abſolvere queant a caſibus, & a cenſuris omnibus reſervatis Papæ ab iure aut ab homine, etiam non occultis, hæreſis, & in Bulla Cœnæ contentis, eos, quibus non eſt poſſibilis moraliter recurſus ad Papam, ut ſunt mulieres, pueri, ſenes, infirmi, & alii, quorum eſt legitimum impedimentum conſtat ex cap. 13. & cap. 58. *de ſentent. excommunic.* cap. *Mulieres*, cap. *De cætero*, & alibi. De hæreſi tamen controverſia eſt inter Theologos, an Epiſcopi poſſint per ſeipſos abſolvere a tali crimine. Si tamen impedimentum non ſit perpetuum, iuramentum ab abſolvendis exigatur, quod ceſſante impedimento, ad Papam, aut ad eius Legatum recurrent, quæ regula tenenda eſt etiam a Confeſſariis, quando in caſu neceſſitatis aliquem a cenſura reſervata abſolvunt, ut ſcilicet eos obligent, ubi ceſſet impedimentum, recurrere ad Superiorem, ut denuo abſolutionem, aut potius præcedentis abſolutionis ratificationem ac confirmationem recipiant. Et hoc implere tenetur pœnitens factus potens adire Superiorem, etiamſi Confeſſarius, qui eum in neceſſitate abſolvit, præ oblivione vel ignorantia id ei non iniunxerit. Et ſi non recurrant, excepta abſolutione collata in periculo mortis, ut ante notavimus, reincidunt in ſimilem cenſuram cap. 22. *de ſentent. excommunic.* in 6. Aliqui tamen dicunt, reſpectu caſuum Papæ reſervatorum hanc obligationem abrogatam eſſe in locis a Roma valde diſſitis.

Cenſuram excommunicationis contractam per Clerici percuſſionem, ſi percuſſio ſit levis, v. g. facta pugno, manu, vel lapide, etiamſi aliquæ guttæ ſanguinis effluant, poteſt Epiſcopus abſolvere. Si autem ſit gravis in ſe, quia facta cum magna ſanguinis effuſione, cum gravi corporis læſione, vel mutilatione alicuius membri, recurrendum eſt pro abſolutione ad Summum Pontificem, dummodo percuſſor non ſit pro tali recurſu moraliter impotens, ut ſi eſſet fœmina, &c. nam tunc poteſt Epiſcopus abſolvere. Item recurrendum eſt ad S. Sedem, ſi percuſſio, tametſi levis in ſe, gravis tamen ſit reſpective, ideſt reſpectu perſonæ percuſſæ, puta ſi quis ſimplici alapa Epiſcopum percuteret.

Clerici collegialiter viventes in Seminariis, ſi ſe invicem percuſſerint etiam graviter, poteſt Epiſcopus eos abſolvere, qui poteſt etiam abſolvere nedum fœminas, ſed & impuberes doli capaces ab excommunicatione, quam contraxerint ob gravem Clerici percuſſionem, Religioſi autem ſe invicem percutientes etiam graviter, abſolvuntur a Prælato proprii Monaſterii. Quod ſi Religioſus Clericum percutiat, & percuſſio ſit levis, abſolvendus eſt, ait Gabriel Valenzuola, ſi vero gravis, mittendus eſt ad Summum Pontificem. Verius tamen eſt, poſſe etiam in hoc caſu abſolvi a ſuis Prælatis Superioribus, Generali ſcilicet & Provinciali, vel a ſuis Vicariis in eorum abſentia, vel ab aliis ab iiſdem deputatis, qui vigore ſuorum privilegiorum cap. *Abba. de privileg.* in 6. & Conſtitut. S. Pii V. quæ incipit *Romani Pontificis* poſſunt abſolvere proprios ſubditos a caſibus omnibus etiam in Bulla Cœnæ contentis, quinque ſolum exceptis, ſcilicet ſchiſmate, hæreſi cum relapſu, falſificatione literarum Apoſtolicarum, delatione prohibitorum ad infideles, & conſpiratione in Romanum Pontificem; & Conſtitut. Sixti IV. quæ incipit *Regiminis*, item Iulii II. Pauli III. quæ incipit *Licet debitum*. Sed omnibus latior eſt Conſtitutio S. Pii V. pro Caſſinenſibus, cum quibus communicant alii Regulares, in qua Prælatis concedit facultatem ſuper ſuis ſubditis ampliſſimam, cum complectatur etiam caſus publicos pro utroque foro, & nullum alium caſum excipiat, niſi homicidium voluntarium iniuſtum, & mutilationem commiſſam poſt ingreſſum in Religionem. Nec dici poteſt, hæc privilegia tam ampla facta Prælatis Religionum fuiſſe revocata; quia ſunt ſolummodo revocata quoad facultatem abſolvendi ſæculares, non autem quoad ſuos ſubditos, ut clare patebit omnes Bullas derogatorias privilegiorum Regularium exacte percurrenti. Et hæc eadem facultas Prælatorum Regularium extenditur etiam ſupra ſuos Novitios, ita ut hos quoque abſolvere poſſint a caſibus omnibus & cenſuris annexis (exceptis in Bulla Cœnæ contentis) & ante ingreſſum in Religionem contractis, ex conceſſ. Clementis VII. an. 1530. Immo ex virtute ſuorum privilegiorum poſſunt eos abſolvere ab excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto etiam ab homine latis per modum ſententiæ particu-

laris,

Digitized by Google

laris, & ſpecialiter Epiſcopo reſervatis, facta tamen partis ſatisfactione: quia cui conceditur facultas abſolvendi a caſibus reſervatis Papæ, quod eſt maius, cenſetur conceſſa etiam abſolvendi ab aliis minoribus, quod eſt minus. Et eo vel maxime, quod nulla fit iniuria, ſeu præiudicium Iudici ferenti talem cenſuram, quando ſatisfactum eſt parti, ad cuius inſtantiam lata fuit cenſura. Sic Rodriq. Candidus cit. a Salmanticenſ. Nec officit huic ſententiæ Bulla revocatoria Urbani VIII. quia etſi revocatum ſit quod per citat. Decretum conceſſum fuit, non illud tamen eſt revocatum, quod fuit obtentum per conſuetudinem, ut teſtatur Ulterius, Suarez, Hugolinus. Et eo magis quod talis revocatio non fuit intimata Religionibus, aut earum Prælatis, ſicuti ad eius effectum requirebatur. Sic habetur ex Salmanticenſibus.

Denique Epiſcopus abſolvere poteſt quemlibet ſuum ſubditum Clerici percuſſorem etiam graviter, quando delictum eſt occultum, nec deductum ad forum contentioſum.

Tempore Iubilei Sacerdotes omnes ab Epiſcopo ad audiendas confeſſiones approbati abſolvere poſſunt in foro Pœnitentiæ a cenſuris Papæ reſervatis. Dixit *ab Ordinario approbati;* quia ita expreſſe exigunt Bullæ Iubileorum, & aliunde uſu receptum eſt, & tunc temporis ſolet Papa permittere etiam Regularibus, ut eligant Confeſſarium ab Ordinario approbatum, cui extra Iubileum non poſſent confiteri. Aliquando tamen deſignant Epiſcopi quoſdam Iubilæi pœnitentiarios, quibus ſolis poteſtatem tribuunt abſolvendi a caſibus ſibi, & S. Sedi reſervatis. Dixi *in foro Pœnitentiæ;* quia Sacerdotes uti non poſſunt facultate ſibi per Iubileum conceſſa, niſi in ordine ad Sacramentalem abſolutionem; ita ut ſi quis publice denunciatus ligatus fuiſſet aliqua cenſura, abſolutio Sacramentalis ei quidem prodeſſet ut Sacramenta ſecreto reciperet, non autem ut publice ſe gereret tamquam abſolutum. Unde neceſſe eſſet, ut in foro exteriori curaret ſe abſolvi. Idemque dicendum de eo, qui accepto Brevi Pœnitentiariæ, occulte coram Deo reconciliatus fuiſſet: nam quoad forum exterius neceſſe eſt ut ſatisfaciat parti, vel ſaltem ſi ſatisfacere nequeat hic & nunc, cum ea concordet, ei præbendo ſufficientem cautionem.

Quando conceditur facultas generalis abſolvendi a cenſuris Papæ reſervatis etiam in Iubileo, non ideo datur facultas abſolvendi a Cenſuris contentis in Bulla Cœnæ, ubi recepta eſt, & viget, niſi ſint ſpecialiter expreſſæ, cum hæ ſpecialiter reſervatæ ſint, & in generali conceſſione non ſunt incluſa ſpecialia, niſi incluſa exprimantur.

Qui habet facultatem abſolvendi a caſibus reſervatis Papæ, habet etiam poteſtatem abſolvendi a cenſuris eidem reſervatis; cum caſus non ſint Papæ reſervati niſi ob annexam cenſuram. Qui autem obtinuit facultatem abſolvendi a caſibus reſervatis Epiſcopo, non idcirco abſolvere poteſt a cenſuris Epiſcopo reſervatis: cum ſoleant Epiſcopi caſus aliquos ſibi reſervare, quibus nullæ cenſuræ ſunt annexæ; & hoc ſit, ut caſus reſervati, & cenſuræ Epiſcopales ſint duæ res diſtinctæ, ita ut unum in alio non includatur, ut in Papalibus.

Abſolutio in Iubileo collata recte diſpoſito, qui intentionem habet illud lucrandi, ac ideo conditiones appoſitas implendi, tametſi poſtea vel ſua ignavia, vel ob alia impedimenta non lucretur Iubileum, tollit cenſuram & reſervationem; cum abſolutio data fuerit abſolute, non conditionate, ſicuti conſtat tum ex verbis, tum ex intentione abſolventis, tum ex poteſtate quam in tali caſu habent Confeſſarii abſolvendi a reſervatis, quæ non pendet a conditione, quod pœnitens reipſa lucrabitur Iubileum; ſed confertur ſimpliciter & abſolute pro tempore Iubilei reſpectu Pœnitentium volentium illud lucrari. Aliter vero dicendum tum de eo qui Iubilei tempore fecit confeſſionem culpabiliter nullam, tum de eo qui confeſſus ſit ſine intentione lucrandi Iubileum; quia hæc poteſtas datur ſolum in ordine ad Iubileum. Pontifex enim non intendit dare poteſtatem abſolvendi a reſervatis, niſi reſpectu eorum qui ſincere lucrari intendunt Iubileum, ac proinde opera præſcripta implere. Unde uterque debet poſtea recurrere ad Sacerdotem, qui habeat facultatem abſolvendi extra Iubileum a reſervatis.

An vero qui prima hebdomada Iubilei omnia opera iniuncta complevit, & abſolutus eſt ab omnibus caſibus tam reſervatis quam non reſervatis, & ſumpſit ſacram Communionem, ſi denuo ante completos dies Iubilei relabatur in caſum aut cenſuram reſervatam, poſſit vi privilegii Iubilei iterum abſolvi, & iterum Iubilei gratiam accipere, non conveniunt Theologi. Sylvius enim ſtat pro parte negativa; quia, ait ipſe, ex tenore & methodo ordinaria adhibita a Pontifice in Bullis Iubilei, & ex verbis, quibus mens eius exprimitur, apparet, eius eſſe vo-

voluntatem, quod ſemel tantum acquiratur, aut in prima aut in ſecunda hebdomada. Pontas vero ſuſtinet partem affirmativam, nempe, etiam in relapſu poſt acquiſitum Iubileum poſſe iterum valide abſolvi a reſervatis intra Iubilei tempus. Et omiſſo hic agere de nova acquiſitione Iubilei, ſed ſtando ſolo abſolutionis propoſito, videtur potius eſſe mens Pontificis, diſpenſando hos theſauros, ut inducat homines ad ſe reconciliandum cum Deo, & ideo eſt valde credibile, quod durante tali indulto ad effectum reconciliationis poſſit relapſus etiam poſt conſecutum integrum Iubilei effectum, per novam abſolutionem iterum Deo ſe reconciliare.

Ut colligatur vero num cenſura ſit reſervata, an non, notat Habertus, advertendum, quod cum cenſura alia ſit a iure, alia ab homine, & alia generaliter ſit lata, alia ſpecialiter adverſus ſingularem, determinatamque perſonam, puta Caium; ſi eſt a iure vel ab homine per ſententiam generalem, non eſt reſervata, niſi reſervatio exprimatur in canone, excepta ſuſpenſione. Quamobrem verba legis aut ſententiæ diligenter attendenda ſunt: nam ſi auctor legis aut ſententiæ declaret ſe ſibi retinere cenſuram, inferior nequit ab ea abſolvere. Si vero cenſura ſit ab homine per ſpecialem ſententiam adverſus determinatam perſonam, cenſetur reſervata, quamvis in ſententia non fiat expreſſa mentio reſervationis. Dixi *excepta ſuſpenſione*, cuius abſolutionem docent communiter Theologi eſſe reſervaatam, ſive ſit a iure, ſive ſit ab homine per quamlibet ſententiam etiam generalem, quia cum abſolutio pertineat ad forum exterius, Confeſſarius non poteſt eam tribuere, niſi a iure hoc ei concedatur. Unde cum a iure ei non ſit conceſſum abſolvere ab excommunicatione, ut patet ex citatis canonibus, igitur neque a ſuſpenſione, & interdicto iure communi abſolvere poteſt, niſi forſan pœnitens his ligatus, invincibiliter ignoret ſe has cenſuras contraxiſſe, in quo caſu conceſſit Eccleſia, ſicut iam antea notavi, ut ab illis ad cautelam abſolvere poſſit quilibet Confeſſarius, ut patet ex communi praxi, vi cuius hanc abſolutionem a cenſuris abſolutioni peccatorum Confeſſarii omnes præmittere ſolent. Hactenus Habert.

Advertendum tamen, quod quando ſuſpenſio & interdictum feruntur ſolummodo ad certum tempus, vel ſub aliqua conditione, e. g. quando ſuſpenditur Sacerdos ab officio, donec per menſem ſpiritualibus exercitiis vacaverit, vel interdicitur Eccleſia, donec, puta, tectum fuerit inſtauratum, adveniente termino, aut impleta conditione, ceſſant per ſe ſine ulla abſolutione.

Notantur aliqua ſcitu neceſſaria.

Nota 1. validam eſſe, tametſi illicitam, abſolutionem datam ab eo, qui poteſtatem habet, abſenti, vel invito ac male diſpoſito; quia cenſura eſt ſolum pœna, quæ validе a Superiore pro libitu ſuo auferri poteſt.

Nota 2. Qui pluribus cenſuris eſt ligatus, abſolvi poteſt ab una, aliis etiam ſimilibus remanentibus cap. 27. *de ſentent. excommunic.*, quia inter eas non eſt neceſſaria connexio. Poteſt autem quis ob plura crimina multis eodem tempore ſubiacere cenſuris etiam diverſæ ſpeciei, ut ex eodem cap. vel ob idem delictum plures commiſſum. Plura enim delicta puniri poſſunt pluribus eiuſdem ſpeciei pœnis: nam qui excommunicatus eſt ob percuſſionem Clerici, ſi plures eumdem Clericum, vel alium Clericum percutiat, plures alias excommunicationes incurrit.

Nota 3. Si is qui bona fide confeſſus eſt Confeſſario habenti facultatem abſolvendi a cenſuris, obliviſcatur peccatum, cui annexa eſt cenſura, ſecundum multos tollitur cenſura, dummodo abſolutio cenſurarum verbis generalibus prolata ac data ſit; quia Confeſſarius tunc generaliter utitur facultate abſolvendi ab omnibus cenſuris, quas pœnitens habere poſſit, & quantum poteſt, omnes tollere intendit.

Nota 4. invalidam eſſe abſolutionem per vim vel metum iniuſtum extortam etiam a tertia perſona, quæ ob talem iniuriam excommunicationem contrahit, ut ex cap. unico *de iis quæ vi &c.* in 6. ex Concilio generali Lugdunenſ. Similiter invalida eſt ſi extorqueatur per dolum verſantem circa cauſſam finalem; quia Superior non intendit abſolvere niſi ob cauſſam ſibi propoſitam, quæ in tali caſu deeſt, ac ideo non eſt voluntas abſolvendi; quia ſublato motivo ſeu obiecto formali volitionis, non eſt volitio.

Nota 5. abſolutionem a cenſuris dari poſſe, non data abſolutione a peccatis, ideſt extra forum pœnitentiæ: Nam ſecundum Sanchez, Avilam, & Bonacinam, aliud eſt forum conſcientiæ, aliud pœnitentiæ, aliud contentioſum, ita ut non ſolum hoc poſtremum patet quod a duobus ſuperioribus diſtinguatur, ſed etiam forum ſacramentale a foro conſcientiæ, quod latius patet quam illud, utpote quod reſpiciat non ſolum ea quæ circa cenſuras ſe habent exterius, ut eſt partis læſæ ſatisfactio, ſed etiam

ani-

animi interiora, nempe illum ſpiritualiter ligare vel ſolvere. Unde qui delegatus eſt ad diſpenſandum in votis & ſimilibus in foro conſcientiæ, diſpenſare poteſt abſque eo quod audiat confeſſionem illius, cum quo diſpenſatum eſt; ſecus vero ſi delegetur ad diſpenſandum in foro pœnitentiæ. Per verba itaque *in foro conſcientiæ* ſolum efficitur, ne diſpenſatio valeat pro foro externo ſeu contentioſo, ſed tantummodo ad conſcientiæ ſecuritatem. Sic docent Suarez, Navarrus. Unde ex his colligitur, tum habentem poteſtatem ordinariam abſolvendi, tum habentem poteſtatem in foro conſcientiæ, utrumque poſſe abſolvere extra confeſſionem a cenſuris; quia, ut ex dictis, & ex praxi Romanæ Curiæ conſtat, aliud eſt forum conſcientiæ, aliud forum pœnitentiæ. Hinc, inquit Bonacina, in parocho nondum Sacerdotali Ordine inſignito agnoſci poteſt facultas abſolvendi proprios ſubditos in foro conſcientiæ, etſi confeſſiones eorum excipere nequeat.

Nota tandem, quod pœnitens, cui ex privilegio permiſſum eſt eligere Confeſſarium approbatum, non poteſt ſibi eligere Confeſſarium approbatum ab Ordinario alterius Diœceſis, ut eius confeſſiones excipiat, eique abſolutionem ſacramentalem impartiatur in Diœceſi, ubi pœnitens moratur; quia talis non cenſetur in hac Diœceſi approbatus. Sic Bonacina iuxta declarationem ſacræ Cardinalium Congregationis. Addit hic Auct. *Supplem. Tournel.* quod ſi hic privilegiatus haberet cenſuras vel caſus reſervatos, ſi non eligeret Confeſſarium approbatum etiam pro reſervatis, non poſſet ab his per eum abſolvi. Poſſet quidem, ego dicerem, ſi haberet privilegium, ſeu conceſſionem eligendi ſibi Confeſſarium etiam pro abſolutione ab iis, quæ ſunt reſervata Superiori privilegium hoc concedenti; quia in tali caſu Superior concedens hoc indultum, tribuit ſimul facultatem, ut hunc pœnitentem ſibi ſubditum abſolvere poſſit a ſibi reſervatis.

## §. XV.

### *De forma ac ritu abſolutionis a Cenſuris.*

Sicuti per aliqua verba aut ſigna, nec alias ſolo voluntatis nutu mos eſt ut ferantur cenſuræ; ita nec tolli poſſunt niſi pariter verba accedant aut ſigna, quibus ſufficienter abſolventis intentio exprimatur. Idcirco non ſufficiunt ſigna ambigua. Quare ſi Summus Pontifex, aut alius Superior ſcienter etiam cum excommunicato communicet litteris, verbo, vel oſculo, aut quovis alio modo, ipſum per hoc abſolvere nulla ratione cenſetur. Ita habetur in Clement. 4. *de ſent. excommunic.* Cum autem nulla in iure aſſignentur verba, quæ eſſentialiter requirantur ad valide ferendam cenſuram, ſed ſatis ſit ut aliquo ſenſibili modo mentem ſuam explicet Superior; idem dicendum de abſolutione.

Num vero in abſolutione exprimenda ſit cenſura, a qua quis abſolvitur, vel in genere, vel in ſpecie, ut ſi dicatur *abſolvo te ab excommunicatione*; in hoc videndum, an id quod abſolutionem præcedit, ſufficienter eamdem determinet; quia in tali caſu non opus eſt ut in abſolutione cenſura exprimatur. Quare petenti abſolutionem ab una vel pluribus cenſuris, ſatis eſt ſi dicatur *abſolvo te*. Huiuſcemodi enim forma ſatis eſt ad abſolvendum etiam a peccatis, quia ſufficienter determinatur per præcedentem peccatorum confeſſionem; igitur ſatis eſſe debet etiam pro cenſuris. Quod ſi nihil præcedat, ex quo moraliter fieri poſſit talis determinatio, ut contingit quando quis abſolvitur a cenſura, abſque eo quod petat abſolutionem, ut ſi abſolvatur invitus, aut nihil de cenſuris cogitans, ut fit quotidie in confitentibus, qui antequam abſolvantur a peccatis, a cenſuris ſolvuntur, tunc profecto tutius eſt, immo & probabilius requiritur determinatio abſolutionis a cenſuris. Nam verbum *abſolvo*, cum indifferens ſit, non potius ageret circa cenſuram, de qua pœnitens locutus non eſt, quam circa peccata, immo magis in hæc cadeterer, quia hæc ſubiacent clavibus Eccleſiæ & ad effectum abſolutionis hæc confeſſus eſt pœnitens.

Non requiritur ad validitatem abſolutionis quod exprimatur cauſa, propter quam lata fuerit cenſura, niſi quando quis pluribus ligatus ſit, & abſolutionem ab eo petit, qui ab omnibus abſolvere valet, nec vult ab omnibus abſolvere; tunc enim exprimenda eſt non ut neceſſaria ad formam abſolutionis, ſed ut agnoſcatur a qua, vel a quibus Superior ſolvere intendat. Quod ſi abſolutio petatur ab eo, qui unam tantummodo relaxare poteſt, vel intendit omnes quas poteſt, & poteſt omnes omnino relaxare, vel determinat pœnitens a qua abſolvi velit, tunc minime requiritur ut cauſa exprimatur, cum abſolutio ſufficienter determinata ſit ex parte miniſtri, qui, quando plus nequit, unam tantum, vel omnes, quando talem habet poteſtatem, abſol-

vere volens, non cadit abſolutio in obiectum niſi prout determinata eſt. Ita Suarez citatus hic a Salmantic.

Conſectaria circa formam abſolvendi.

Colliges ex dictis, ad hoc ut abſolutio valida ſit, requiri quod abſolvens non ſolum iuriſdictionem habeat in eo qui eſt abſolvendus, ſed etiam quoad cenſuram, a qua eſt abſolvendus; quia in caſu appellationis ab Ordinario vel a delegato ad Metropolitanum vel S. Sedis Legatum, illi amittunt quoad hunc caſum omnem iuriſdictionem ſuper appellantem, qui proinde abſolvi poteſt a Iudice ad quem appellavit. Item, quod abſolvens metu aut vi non adigatur ad largitionem abſolutionis. Ad licite vero conferendam abſolutionem requiri, ne cenſuratus erret vel decipiatur in illis, quæ ad cauſam finalem abſolutionis pertinent; ut non conferatur invito, ſed humiliter petenti; ut conſtet de eius emendatione, ac ideo de eius propoſito ſe abſtinendi in poſterum a crimine, ob quod fuit cenſura innodatus, niſi tamen evidenter appareat cenſuram nil cenſurato prodeſſe, ſed potius officere; ut non detur abſenti niſi ex urgentiſſima cauſa, nec ei qui parti non ſatiſfecerit, vel ſaltem non præbuerit ſufficientem cautionem pro ſatiſfactione. Valide tamen poteſt conferri invito & renitenti, necnon neſcienti, ac non petenti, quia cenſura eſt pœna, non culpa; idcirco ſicuti imponi poteſt ſine voluntate cenſurati, ita abſque illa tolli. Ita S. Thom. in addit. q. 20. art. 2.

Verum quia abſolutio a cenſuris datur in foro interno ab eo, qui tali pollet facultate, ſatis eſt uti forma communi, quæ adhiberi ſolet in Sacramentali abſolutione. Quod ſi detur in foro exteriori, tunc vel in mandato, quo alieno Sacerdoti commiſſa eſt abſolutio, certa forma præſcribitur, & illa omnino ſervanda eſt, vel dicitur in mandato commiſſionis, *in forma Eccleſiæ conſueta abſolvatur*, & tunc quiſque attendere tenetur ad formam, quæ a Rituali propriæ Diœceſis ordinatur. Rituale Romanum præſcribit, ut ſi quis ab excommunicatione ob aliquod grave crimen abſolvendus ſit, abſolvens *pœnitentem coram ſe utroque genu flexo, in humero, ſi vir fuerit, uſque ad camiſiam excluſive denudato, virga, aut funiculis leviter percutiat*, & hoc a multis Ritualibus antiquis præſcribitur. Circa vero ſolemnitates ab Epiſcopis in abſolutione a cenſuris adhibendas, adeatur Pontificale Romanum cap. cui titulus *Ordo excommunicandi & abſolvendi*. Cæterum cæremoniæ abſolutionis non ſunt de eſſentia, immo ſine peccato poſſunt prætermitti etiam in foro externo, ut docent Caietanus & Avila. Excipe tamen ſatisfactionem, vel debitam de illa cautionem, quam Bonacina reponit inter præcedentes ſolemnitates abſolutionis, quæ neceſſario exquirenda eſt, cum agatur de tollenda contracta cenſura cum alterius damno.

Nota, ſi cenſura iuſta ſit, non poſſe tolli niſi per abſolutionem; quia cum ſit vinculum dependens a voluntate Superioris, non poteſt tolli, niſi ab ipſo Superiore ſecetur: hoc autem ſit ſolum per abſolutionem; quia ſectio ipſa iſtius vinculi non eſt niſi abſolutio. Dixi, *ſi iuſta ſit*: nam ſi ſit iniuſta, tollitur per revocationem; & hæc, ut patet, non eſt proprie ablatio cenſuræ, quæ revera incurſa non fuit.

## CAPUT II.

### *De Cenſuris in ſpecie.*

PRæcipuas ſpecies Cenſuræ, & quæ veram propriamque habent naturam cenſuræ vidimus antea tres eſſe, nempe excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum; ſingulas quatum ſeiunctim ſuo ordine expendemus.

### §. I.

### *De Excommunicatione.*

Excommunicationis vocabulum ſumptum eſt a nomine *communio* & præpoſitione *ex*, ita ut excommunico idem ſignificet, ac fieri extra communionem. Quare antiquitus iuxta diſtinctionem communionis Fidelium inter ſe diſtinguebantur ſpecies excommunicationis.

Nomen vero communionis inter Fideles per antonomaſiam ſignificat Euchariſtiæ perceptionem, quia in ea præcipue cum Chriſto & inter ſe communicant, ut 1. Corinth. *unum corpus multi ſumus, omnes, qui de uno pane participamus*. Quare in primis Eccleſiæ ſæculis, quando vigebant pœnitentiæ canonicæ, pœnitentes, qui excluſi erant a participatione ſacræ menſæ, dicebantur excommunicari. Eorum autem excommunicatio erat minor vel maior pro diverſitate graduum pœnitentium, qui ab altari magis vel minus erant remoti. Nam, ut expoſitum fuit agendo de Sacramento Pœnitentiæ, quatuor erant pœnitentium gradus, nempe Conſiſtentiæ, Subſtrationis, Auditionis, & Fletus. Excommunicatio Conſiſten-

ſiſtentium minor erat excommunicatione Subſtratorum, quoniam illi tametſi non eſſent participes Sacrificii, Sacrificio tamen intereſſebant, a quo cæteri aliorum graduum excludebantur. Subſtratorum excommunicatio erat minor excommunicatione Audientium; quia illi communicabant precibus, quæ a Clero pro ipſis fundebantur, a quibus expellebantur Audientes. Maxima tamen omnium erat excommunicatio Flentium, qui arcebantur ab Eccleſiæ ingreſſu, & ſic remotiſſimi erant ab Euchariſtia.

Pœnæ tamen eiuſmodi non erant Cenſuræ, de quibus hic agitur, nec proprie excommunicationes, ob quas excommunicati haberentur ab Eccleſia tamquam ethnici, & publicani, cum Epiſcopus & Clerus ſingularem eorum curam ſolicitudinemque haberent: nam ſi forte quis eorum ante peractum pœnitentiæ ſtadium præmatura morte præveniebatur, Sacrificium pro eo offerebant, & ſepultura eccleſiaſtica donabatur. Idem dicendum de excommunicatione, qua feriebantur Epiſcopi, qui ſine legitima cauſſa ad Concilium Provinciæ nec conveniebant, nec miſerant, ut habetur in Concilio Aurelianenſi IV. can. 12. Toletano XI. can. 15. Nam Epiſcopus per huiuſcemodi excommunicationem ſolum ſeiungebatur a communione ſuorum Collegarum, abſque eo quod interim in ſua Diœceſi ullo Pontificali ac Sacerdotali munere, aut ſpirituali beneficio, ideſt participatione ſacræ Euchariſtiæ privaretur ex Concilio Carthagin. V. can. 13. Sed omiſſis Veterum excommunicationibus, circa eam, quæ propria eſt hodiernæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quoad eius naturam, diviſionem, cauſſas, effectus &c. tractatio noſtra verſanda eſt. Sit igitur.

Excommunicatio ſecundum præſentem diſciplinam eſt *Eccleſiaſtica cenſura, per quam homo Chriſtianus a communione Eccleſiæ, ſeu Fidelium ſeparatur* cap. *Omnis Chriſtian.* 32. cauſ. 11. q. 33. Dicitur *Cenſura Eccleſiaſtica*, & hæc verba ſe habent tamquam genus, quatenus per iſta convenit excommunicatio cum cæteris cenſuris; alia vero ſe habent loco differentiæ, quibus ab illis diſconvenit. Nam cæteræ cenſuræ non privant communione Fidelium, & licet privent aliquibus bonis, in quibus Fideles communicant, non privant tamen ſub hac ratione, uti ſuo loco videbimus. Dicitur in allata definitione, *per quam homo Chriſtianus* &c., ut denotetur ſubiectum excommunicationis. Nam infidelis non poteſt eſſe ſubiectum ullius cenſuræ; tum quia non eſt ſubditus Eccleſiæ; tum quia ab Eccleſia eiici nequit ac ſeiungi, qui nunquam in eam admiſſus fuit, nec eidem coniunctus ad communicandum de eiuſdem bonis cum ſuis Fidelibus. Unde non obſcure colligitur eos erraſſe, qui reponunt excommunicationem in privatione communionis Sanctorum; quia excommunicatio nec per ſe privat charitate quæ Sanctos coadunat, ſed eam ſupponit mortali peccato iam amiſſam; nec per ſe privat charitate, quæ per contritionem recuperari poteſt ab eo, qui nondum a cenſura ſolutus eſt. Quocirca cum charitas fundamentum ſit communionis Sanctorum, eamque neceſſario pariat, cum ubi eſt communio Sanctorum, ibi eiuſdem fructus produci debeant, ſequitur, quod excommunicatus frui poteſt quibuſdam communibus Eccleſiæ bonis, & aliquo etiam ſenſu, communione Sanctorum, niſi tamen hæc reponatur in participatione Sacramentorum & ſuffragiorum, quæ Eccleſiæ nomine applicantur.

Cenſura hæc inducta eſt in Eccleſiam ob poteſtatem a Chriſto Domino Prælatis eccleſiaſticis traditam ligandi Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*; & deducta fuit in praxim ab Apoſtolo Paulo, qui 1. ad Timoth. 1. quoſdam incorrigibiles ſathanæ tradidit; quem locum de excommunicatione interpretatur D. Auguſtinus in dict. cap. *Omnis Chriſtianus*: *Quia extra Eccleſiam*, inquit, *diabolus eſt, in Eccleſia Chriſtus, ac per hoc quaſi diabolo traditur, qui ab Eccleſiæ communione removetur*. Excommunicatio in iure ſæpe etiam *anathema* appellatur: anathema enim græce, latine ſignificat ſeparationem alicuius a reliquis partibus; ſic communiter. Licet autem excommunicatio & anathema eſſentialiter non differant, differunt accidentaliter quoad modum, ideſt quoad ſolemnitatem qua feruntur. Excommunicatio quippe vel incurritur ipſo iure, vel ſi ab homine infligitur, incurritur ſola ſententia Iudicis eccleſiaſtici in ſcriptis concepta, cum minori ſtrepitu, quam pronuncietur anathema, ut ex cap. 1. *de ſent. excommunic.* in 6. Anathema autem, ideſt maledictio ſeu ſeparatio cum execratione a corpore Chriſti, fertur cum maioribus cæremoniis ad maiorem aliorum terrorem, quæ præſcribuntur in cap. *Debent* 106. cauſ. 11. q. 3. Debent enim in anathematis fulminatione duodecim Presbyteri circumſtare Epiſcopum cum candelis ac cereis in manibus, & ſententiæ fulmine lato in terram ipſas

pro-

Digitized by Google

proiicere, & pedibus conculcare, variis aliis maledictionibus & execrationibus verbalibus huic ſolemni fulminationi adiunctis, ut colligitur ex cap. *Nemo Epiſcoporum* cauſ. 11. q. 3. & per hoc, contumaces contra præcepta Eccleſiæ primum excommunicari, deinde creſcente contumacia anathema percuti iubentur cap. *Cum non ab homine* 10. *de iudiciis*.

**Quot bonis privet excommunicatio.**

Cum excommunicatio ſit, ut iam diximus, ſecundum vim nominis communionis privatio ſeu extra communionem poſitio, iuxta diſtinctionem bonorum, in quibus Fideles ad invicem communicant, tot etiam diſtingui poſſent excommunicationes. Tria ſunt bonorum genera, in quibus communicant Fideles. Primo communicant in Fide, Gratia, aliiſque ſupernaturalibus donis. Secundo communicant in convictu pure externo, ut in colloquiis, contractibus & commerciis. Tertio in bonis ſpiritualibus, ut in Orationibus, Sacramentis, Sacrificio, divinis Officiis &c. Verum quia priora bona utpote animo intrinſeca non dependent ab Eccleſia, ſed a ſola Dei diſpoſitione, cum excommunicatus, ut vidimus, habere poſſit Fidem, Spem, aliaſve virtutes, ſi nimirum recte conteratur de peccatis, ſicuti iam poteſt etiam ante acceptam abſolutionem a cenſura, quod melius patebit quando agere occurret de effectibus excommunleationis, idcirco Eccleſia privare poteſt bonis ſolummodo ſecundi & tertii generis, ac proinde non ſicuti triplicia ſunt dicta bona, ſic multiplicatur excommunicatio, ſed tantum ut hic infra.

**Diviſio excommunicationis.**

Excommunicatio dividitur 1. in maiorem & minorem. Excommunicatio maior, quæ etiam anathema dicitur, eſt ea, qua homo Chriſtianus ſegregatur abſolute & ſimpliciter a communione Fidelium, ſive privatur participatione tam activa quam paſſiva omnium bonorum communium inter Fideles, & quæ pendent a poteſtate & diſpenſatione Eccleſiæ, Sacramentorum ſcilicet, tam quoad adminiſtrationem, quam quoad ſuſceptionem, publicorum ſuffragiorum, item communione ſeu ſocietate & convictu civili Fidelium, & eccleſiaſtica ſepultura. Excommunicatio vero minor & cenſura, quæ privat Fidelem ex parte tantum, ſeu paſſiva participatione bonorum communium Eccleſiæ, nempe receptione Sacramentorum & licita eorum adminiſtratione, eſt paſſiva electione ad dignitates & Beneficia; ita ut poſſit in aliis participare, puta audire Miſſam, divina officia, nec privatur ſuffragiis Fidelium, nec iuriſdictione & convictu ſeu ſocietate civili aliorum Fidelium cap. *Si quem* 59. *de ſentent. excommunic.* Hæc contrahitur ſolum ob communionem culpabilem etiam in civilibus cum excommunicatoꝗnon tolerato cap. 3. *de ſentent. excommunic.* in 6 ex Concilio Lugdunenſi. Notat hic Sanchez, eſſe communem DD. hanc contrahi etiam ob peccatum veniale. Illi tamen qui communicaru nt cum excommunicato in crimine gravi, propter quod contracta eſt cenſura, conſilium, auxilium, favorem impendendo, incurrunt excommunicationem maiorem, cum *facientem & conſentientem par pœna conſtringat*; ita cap. 29. *de ſentent. excommunic.* Ab excommunicatione minori abſolvere poteſt quicumque abſolvere poteſt a mortali, utpote quæ non ſit roſervata.

Excommunicatio ſimpliciter lata ſive a iure, ſive homine intelligitur ſemper de maiori, ut expreſſe habetur cit. cap. *Si quem de ſent. excommunicationis*. Maiori excommunicatione perculſi, ut notat Habertus, dicuntur 1. præciſi & abſciſſi tamquam rami a trunco, qui brevi areſcunt, & membra a corpore, a quo ſpiritum vitalem haurire nequeunt, & in corruprionem abeunt; quia ex S. Auguſtino *non vivit ſpiritu Chriſti niſi corpus Chriſti*. 2. Sathanæ traditi ex Apoſtol. 1. Corinth. 5. *Iudicavi*, inquit, *tradere huiuſmodi ſathanæ in interitum*: quia ovis ſcabioſa lupo tradi cenſetur hoc ipſo quod ex ovili eiicitur. Ait Apoſtolus excommunicatum tradi ſathanæ; quia tunc dæmon magis eos vexare ſolebat, variis ſcilicet morbis & vulneribus, ut Gentiles recenter ad fidem converſi eiuſmodi ſignis viſibilibus ac formidandis credibilia haberent quæ audiebant de ſpirituali & inviſibili excommunicationis pœna.

Secundo dividitur in excommunicationem latæ ſententiæ, & ſententiæ ferendæ. Excommunicatio latæ ſententiæ ea eſt, quæ incurritur ipſo factô, & in ipſa criminis perpetratione, nulla expectata iudicis ſententia; ut ſi dicatur *præcipimus ſub pœna excommunicationis mox, ipſo facto, ex tunc, ſtatim incurrendæ, vel excommunicatus communione privatur pro iure, ipſo facto*, & aliis ſimilibus verbis. Excommunicatio ſententiæ ferendæ ea eſt, quæ iam habetur quidem ſtatuta in iure, tamen a delinquente non ſtatim ipſo facto ac delinquit, ſeu mandatum tranſgreditur, incurritur ante ſententiam iudicis, ſed primum ab ipſo Iudice eſt infligenda, ut ſi dicatur: *prohibemus ſub pœna excommunicationis; qui hoc fece-*

Digitized by Google

*fecerit excommunicationem incurret*, aliiſve huiuſcemodi verbis, ut habent communiter Canoniſtæ & Morales.

Tertio dividitur in excommunicationem a iure, & ab homine. Excommunicatio quæ fertur a iure ea eſt, quæ per legem, canonem, ſtatutum, conſtitutionem ſeu decretum inducitur, ideſt cum per alterutrum horum aliquid prohibetur vel præcipitur ſub pœna excommunicationis ſeu anathematis. Quæ vero fertur ab homine illa eſt, quæ fertur a Superiore præcipiente aliquid, impoſita contra inobedientes pœna excommunicationis, nempe per præceptum tranſitorium, vel propter aliquod delictum per iudicis ſententiam delinquenti infligitur, ſine qua iudicis ſententia, etiam quando imponitur in præcepto, hæc nunquam incurritur. Hinc patet ſupponi, cenſuram in genere aliam eſſe a iure, aliam ab homine. Prima dicitur, quæ per ius aliquod lata eſt, & habet rationem quaſi legis perpetuo obligantis, donec per legitimam auctoritatem non abrogetur. Sic cenſentur quæ latæ ſunt a Canonibus, ut in Conciliis, & in Bulla Cœnæ. Secunda, quæ fertur ab actuali aliquo legitimo Superiore quaſi per modum præcepti tranſeuntis, obligantis ad aliquid faciendum vel omittendum. Unde illa quæ eſt a iure, ſemper eſt generalis; quæ ab homine, aliquando generalis, aliquando particularis. Illa quæ eſt a iure, eſt perpetua, & nunquam ceſſat: quæ autem eſt ab homine, ceſſat, ut volunt aliqui, per obitum ferentis. Quæ eſt a iure, ſi non eſt reſervata, abſolvi poteſt a quocumque Confeſſario: ea vero quæ eſt ab homine, abſolvi nequit niſi ab ipſo Superiore, vel ab alio eius nomine.

Dividitur quarto in excommunicationem iuſtam & iniuſtam, in reſervatam & non reſervatam. Tandem dividitur iuxta hodiernam diſciplinam reſpectu ſubiecti in excommunicatos non toleratos ſeu vitandos, & in toleratos ac ideo non vitandos. Olim omnes excommunicati erant vitandi; ſed ex Conſtitutione Martini V. *Ad evitanda ſcandala* a Concilio Conſtantienſi, teſte S. Antonino, approbata, quamvis legatur ſolum in Concilio Baſilienſi ſeſſ. 20. & iam pridem obſervata, ex præſenti uſu Eccleſiæ ii ſolum ſunt vitandi, qui per ſententiam Iudicis nominatim declarati ſunt excommunicati, & inſuper poſt declarationem publice ſunt denunciati. Inſuper notorii Clericorum percuſſores, ii nempe, quorum publica percuſſio nulla poteſt tergiverſatione celari, nec ullo iuris ſuffragio excuſari, quamvis non ſint denunciati. Similiter iuxta Concilium Baſilienſe ſeſſ. 20. & Bullam Leonis X. *de Concordat.* approbatam a Concilio Lateranenſi V. vitandi eſſent omnes ii quoque, quos notorie in excommunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe. Verum ex conſuetudine prævalet Bulla Martini, quæ quidem non habetur in Actis Concilii Conſtantienſis, ſed refertur a S. Antonino part. 3. Idcirco nullus excommunicatus, ſive occultus, ſive publicus non denunciatus, vi dictæ Bullæ eſt vitandus, excepto ſolum publico Clerici percuſſore, cum de hoc ſolummodo ea loquatur ut refert S. Antoninus antea laudatus. Unde excommunicati alii ſunt tolerati, quos ſcilicet Fideles non tenentur vitare; alii non tolerati, quos vitare tenentur, nempe nominatim & publice denunciati, vel notorii Clericorum percuſſores.

Ad mutandam Eccleſiæ diſciplinam circa excommunicatos, ita illos diſtinguendo, movit numerus excommunicationum a iure, vel ſententiæ generaliter latæ, qui multum excreverat a decimo ſæculo, dum ſuperioribus ſæculis non infligebatur excommunicatio niſi per particularem ſententiam in eos; qui criminis eſſent convicti, vel teſtium depoſitione, vel propria confeſſione, ut habetur ex D. Auguſtino homil. 10. Quare iuxta veterem Eccleſiæ diſciplinam facile erat dignoſcere excommunicatos, eoſque vitare, utpote qui nominatim per particularem ſententiam eſſent damnati. Tunc autem quando inducta eſt praxis excommunicationis a iure, vel ſententiæ generaliter latæ, non ita facile dignoſci potuit quinam vere eſſent excommunicati. Unde cum magna perturbatio, & varia ex hoc in Eccleſia orirentur ſcandala, dum alii ex malitia, alii ex animi imbecillitate & levibus coniecturis temere excommunicationis infami nota criminabantur, & exinde ſubditi ſe a Superioribus tamquam de excommunicatione ſuſpectis ſeinngebant, litigantes exceptionem contra iudicem apponebant; his perturbationibus providere ſtuduit Eccleſia per laudatam Conſtitutionem, *Ad evitanda ſcandala*, in qua praxim retinuit excommunicationis a iure & ſententiæ generaliter latæ, ſtatuendo tamen, nullum deinceps excommunicatum vitandum, niſi nominatim per particularem ſententiam declaratus fuiſſet ac denunciatus, vel reus eſſet notorius publicæ Clerici percuſſionis; ſicque ex ea parte veterem morem reſtituit.

§. II.

## §. II.

*De cauſſis & ſubiecto excommunicationis.*

Vidimus iam, cum de cenſuris in genere ageremus, quænam ſint earum cauſſæ; unde in hac re quatenus reſpicit excommunicationem (cum utpote præcipua illarum ſpecies cum illis conveniat) non eſt cur immoremur. Nam eædem cenſuræ cauſſæ, ſunt etiam excommunicationis. Iuvabit tamen iterum hic advertere circa cauſſam materialem excommunicationis, ideſt ipſius ſubiectum, quod licet de cenſura ut ſic, verum ſit, poſſe ferri in Univerſitatem aliquam, tamen non convenit omnibus cenſuris, ſed ſolum aliquibus, ſuſpenſioni puta, & interdicto, non vero excommunicationi, quæ eſt pœna graviſſima, utpote privans ſpiritualibus Eccleſiæ bonis, ſuffragiis ſcilicet & auxiliis, quibus non privant aliæ cenſuræ. Unde excommunicatio ferri nequit niſi in determinatas perſonas, minime vero in Univerſitatem & Collegium, & multo minus in integram Civitatem; contineret enim errorem intolerabilem. Nam ſic eſſet periculum, ne tangeretur aliquis innocens, dum vix fieri poteſt, ut in Univerſitate omnes ſint nocentes, ideoque ſæpe contingeret cum delinquentibus etiam innocentes contra rationem puniri graviſſima pœna, cuiuſmodi eſt excommunicatio. Unde ſi contingat ferri excommunicationem contra Civitatem vel Collegium, non fertur contra Communitatem vel Collegium abſolute, (cadit autem in ſingulos delinquentes illius Communitatis vel Collegii, qui ſufficienter determinantur per delictum ab ipſis patratum) ſed fertur in eos tantum, qui delictum patrarunt. Quod ſi tota aliqua Communitas ita involuta ſit in aliquo crimine, & metuenda ſint ſchiſmata vel gravia ſcandala, ſi in omnes eodem crimine infectos feratur excommunicatio, tunc ab excommunicatione abſtinendum eſt, & piis apud Deum precibus, aliiſque opportunis remediis agendum, ut tantum malum curetur. Apoſtolus enim Paulus voluit potius tolerare falſos fratres, quam excommunicare, ne concitato ſchiſmate gravius malum inde oriretur. Sic enim infligenda eſt pœna, ut pœna maneat, & ita adhibenda medicina, ait hic Eſtius, ut non vertatur in perniciem. Qua cautela Prælati Eccleſiæ uti debent, ſicut multis in locis admonet D. Auguſt. ut l. *de Fide & oper.* cap. 2. 3. 4. & 5. ubi inter alia docet cum Scriptura, *Sit tibi ſicut Ethnicus* &c. *Peccantem coram omnibus argue*, ac ſimilia ſunt adhibenda, ſi utilitas Eccleſiæ id poſtulet, nec probabiliter timeantur deteriora; ſed præter alia hæc habet in epiſt. ad Bonifacium 50. *ubi non huius, aut illius periculum, ſed populorum, detrahendum aliquid eſt ſeveritati diſciplinæ, quo maioribus malis ſanandis charitas ſincera ſubveniat.* Et epiſt. 64. ad Aurelium inquit: *Severitas exercenda eſt in peccata paucorum.* Quando autem cum multitudine peccantium agendum ſit, idem pluribus verbis docet Eſtius. Epiſcopi, aliique Prælati Papæ inferiores comprehenduntur in excommunicatione, ſive per ſententiam lata ſit, ſive per canonem, licet non fiat expreſſa eorum mentio: Quia Innocentius IV. ſtatuit quidem, ut in nullo caſu Epiſcopi ſuſpenſionis, vel interdicti cenſuram incurrant, niſi de ipſis expreſſa mentio habeatur; non ita vero eos eximit ab excommunicatione. Nec aliquis huiuſce diverſitatis miretur: Quia tametſi excommunicatio æque ac ſuſpenſio Pontificalia Epiſcopo impediat; quia tamen excommunicatio non incurritur niſi ob culpas adeo ſtatui Epiſcopali oppoſitas, ut merito ab illis immunes præſumantur; e contra vero ſuſpenſiones ſint in materia, ut ita dicam, Clericali, ideoque quaſi Epiſcoporum propria, facilius ac frequentius contrahuntur; ac proinde frequentiores ſunt caſus, in quibus incurritur ſuſpenſio, quam excommunicatio ab Epiſcopis; hinc Pontifex non ſtatuit eamdem exemptionem Epiſcopis pro evitanda excommunicatione ac pro ſuſpenſione.

Id quod pertinet ad cauſſam formalem eſt, quod licet omnes cenſuræ, poſtquam latæ ſunt poſſint denunciari, & quandoque id expediat ad maiorem eorum, qui cenſura plectuntur, confuſionem, & ut citius convertantur; tamen id maxime neceſſarium eſt reſpectu excommunicationis, cum eius effectus pendeant maxime ab hac denunciatione.

## §. III.

*De peccatis, ob quæ ferenda ſit excommunicatio.*

Certum eſt, quod (ſicuti iam vidimus agendo de cenſuris in genere) cenſura utpote pœna, nonniſi ob culpam imponi poteſt. Unde cum excommunicatio ſit omnium graviſſima, non ſolum ferri nequit niſi ob culpam mortalem cum pertinacia, ſed inſuper nonniſi ob crimina mortalia graviora. Ferri nequit excommu-

municatio niſi ob culpam mortalem, quia propter ea ſolum quis eiiciendus eſt extra Eccleſiam, propter quæ quis excluditur a regno cœlorum: Non enim debet Eccleſia a ſe eum ſeparare, quem Deũs a regno ſuo non excludit. Sed rationem potiſſimam præbet ipſe præcipuus finis excommunicationis, qui eſt tollere de medio malum, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat, ut ait Apoſtolus; quod cum dici nequeat de veniali, cum per ipſum corrumpi ſeu contaminari non valeat membrum, multoque minus totum Eccleſiæ corpus: ergo finis præcipuus excommunicationis non reſpicit niſi mortale; idcirco nonniſi ob mortale infligenda eſt, & adeo peccatum mortale ad eam infligendam requiritur, ut ſine ipſo minime excommunicatio incurratur. Immo hoc etiam non ſufficit, ut antea jam notavimus de cenſuris in genere, niſi conjunctam habeat pertinacem inobedientiam, qua quis nolit audire Eccleſiam de ipſo monentem. Nam Chriſtus Dominus poteſtatem excommunicandi non aliter dedit, nempe ut quis habeatur tamquam ethnicus, & publicanus, quod per Theologos idem ſignificat ac excommunicatus, niſi quando in ſuo peccato audire nolit Eccleſiam pro emendatione: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſuſceptione tamquam Ethnicus & publicanus*.

Quamvis autem teneat, ideſt valida ſit excommunicatio lata pro quocumque peccato mortali, cui adjuncta ſit inobedientiæ contumacia, ea tamen infligi non debet niſi pro gravioribus. Et hoc docet D. Paulus, qui nonniſi ob graviſſimum facinus, ut eſt fornicatio cum uxore proprii genitoris, cœpit hanc pœnam infligere, nempe pro tali inceſſu patrato a quodam Corintho, cuius criminis atrocitatem, priuſquam eum ſathanæ traderet, ideſt hoc fulmine feriret, exageravit dicens: *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes*. Et S. Auguſtinus pluribus in locis advertit, non qualcumque culpas mortales eſſe tali pœna puniendas; quia cum maxima ſit in Eccleſia, nonniſi pro gravioribus criminibus eſt infligenda, ut habetur præcipue in eius epiſtola contra Parmenionem cap. 1. Quatenus vero recte vel non recte pro temporalibus damnis infligi poſſit excommunicatio, graviter docet Concilium Trid. ſeſſ. 25. cap. 3 *de Reformat.* ubi inter cætera mandat Judicibus Eccleſiaſticis, ne ob nimiam facilitatem & frequentiam abeat in contemptum. Eſtius.

Sciendum tamen eſt, ut iam notatum fuit de Cenſuris in genere, pro nullo peccato præterito, quantumlibet enormi, cuius nulla præceſſerit monitio ſub excommunicationis pœna, ferri poſſe excommunicationem; & hoc adeo verum eſt, ut ſine illa prævia monitione excommunicatio inanis ſit ac irrita; quia excommunicatio nulla eſt in eum, qui non fuerit contumaciter monitioni Eccleſiæ inobediens. Nequit autem quis cenſeri contumaciter inobediens in ſuo peccato, pro cuius emendatione nulla ei ab Eccleſia facta ſit ſub pœna excommunicationis admonitio. Requiritur autem ut peccatum inobedientiæ tale ſit, ut propter illud proferri queat contra inobedientem excommunicationis ſententia. Et ſi admonitio fiat a iure, ſeu (ut dicitur) a Canone, non eſt neceſſe quod ſit bina vel trina; quia admonitio iuris ſolemnis eſt, idcirco facile ſupplet trinam, ita ut tantumdem, & etiam plus valeat quam trina. Unde qui contra admonitionem iuris in peccatum incidit ſub pœna excommunicationis vetitum, ſtatim cenſuram incurrit. Admonitio vero, quæ fit a iudice ſeu ab homine, propter iudicii maturitatem, quæ neceſſaria eſt ante excommunicationem, debet eſſe trina, ut exploratum fiat, num tanta ſit ſubditi contumacia, quæ digna ſit tam gravi pœna. Sic Eſtius. Hæc autem trina admonitio a ſacris Canonibus confirmata habet fundamentum in divinis Scripturis: Nam in Evangelio iubetur, quod frater peccans ſeorſim corripiatur, deinde adhibitis teſtibus, ac poſtremo denuncietur Eccleſiæ, quam ſi audire contempſerit aut renuerit, tum demum vinculo excommunicationis alligandus eſt per Eccleſiæ ſententiam, ita ut habendus ſit tamquam Ethnicus & Publicanus.

### §. IV.

### *De effectibus Excommunicationis.*

Excommunicatio maior, de qua ſola iam hic agitur, duo habet effectuum genera: Alii ſunt *per ſe*, quos excommunicatio in ſe præciſe, & ſolitarie ſumpta producit; alii *per accidens*, qui ſupponunt in excommunicato novam malitiam diſtinctam ab ea, ob quam excommunicationem contraxit, & ſic etiam contumaciæ augmentum. Talis eſt irregularitas, quam incurrit Clericus, qui excommunicatione innodatus celebrat. Effectus per ſe, ſi adæquate & totaliter conſideretur, eſt omnimoda privatio communionis Eccleſiæ; ſumptus autem partialiter, ideſt ſecundum varias privationes bonorum,

quas

Digitized by Google

quas affert talis excommunicatio, iuxta Theologos, eſt privatio communium Eccleſiæ ſuffragiorum, participationis tam activæ quam paſſivæ Sacramentorum, privatio rerum ſacrarum & divinarum, ac eccleſiaſticæ ſepulturæ, inhabilitas ad recipiendos Ordines, & ad illorum uſum, privatio iuriſdictionis eccleſiaſticæ, inhabilitas ad exercendos actus legitimos in iudicio, inhabilitas ad conferenda Beneficia, incapacitas ad eadem Beneficia obtinenda, & fructus illorum, necnon gratiarum impetrationem; privatio communicationis tum civilis, tum forenſis & judicialis cum aliis Fidelibus. Et his addi poteſt, quod ſi excommunicatus per integrum annum voluntarie perſeveret in excommunicatione, fit ſuſpectus de hæreſi. Salmant.

Et quoad primum, qui eſt privatio communium Eccleſiæ ſuffragiorum, ante omnia notandum 1. nomine ſuffragii intelligendum eſſe quodcunque bonum opus applicatum proximo ad impendendum animæ eius ſalutare auxilium, ſive auxilium illud proſit alteri ex opere operato, quod locum habet in ſolo Miſſæ Sacrificio, ſive ad modum operis operantis, ut in orationibus, ieiuniis &c.

Notandum 2. communia & generalia ſuffragia eſſe quædam auxilia, quæ a Clericis, quatenus ſunt Eccleſiæ miniſtri, pro Fidelibus offeruntur, cujuſmodi ſunt Sacrificium Miſſæ, Horæ Canonicæ, publicæ preces ſeu proceſſiones, Indulgentiæ, ieiunia, aliave opera ſatisfactoria, in quibus Clerici orant nomine & in perſona Eccleſiæ, ac offerunt. Verum præter ſpiritualia Eccleſiæ ſuffragia communia, ſunt etiam ſuffragia privata; & hæc ſunt orationes privatæ, ieiunia, eleemoſynæ &c. Hæc autem intercedit differentia inter orationes publicas & privatas, quod privatæ perdunt valorem ex indignitate offerentis, ideſt ex mortali culpa ipſius orantis, minime vero publicæ, utpote quæ non ſolum valorem ſuum habeant ab ipſo orante, ſed etiam ab Eccleſia, cuius nomine offeruntur. Ita Ugolinus, Avila, Suarez, aliive cit. a Bonacina.

Excommunicatus excommunicatione maiori, etiam toleratus, tametſi contritus & correctus, privatur communibus Eccleſiæ ſuffragiis, & ſpiritualibus bonis, quæ ex publicis miniſtrorum officiis & ſacrificiis Fidelibus provenire ſolent, necnon fructu ſatisfactionum Chriſti & Sanctorum, qui ex communi Eccleſiæ theſauro per Indulgentias Prælatorum auctoritate applicantur. Sic tenent DD. communiter ex cap. *Sacris tit. de ſentent. excommunic.* quia ex cap. *A nobis* eod. tit. colligitur, nec orandum eſſe, nec Miſſæ Sacrificium offerendum, nec alia pia pro excommunicato quantumcumque contrito, niſi prius ab Eccleſia fuerit abſolutus; graviter enim peccaret qui ſecus faceret, ſcilicet ſi Sacrificium, vel Horas Canonicas, aliaque pia opera tanquam perſona publica, & nomine Eccleſiæ directe pro excommunicato offerret, quia ageret contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi. Dixi 1. *tamquam perſona publica, & nomine Eccleſiæ*; quia licet cuilibet privato, etiam Sacerdoti celebranti ex propria devotione preces fundere, Sacrificium, ieiunia, & alia bona opera offerre pro converſione excommunicati. Dixi 2. *directe*; quia cum publice oramus & Sacrificia offerimus pro Eccleſiæ unione & dilatatione, indirecte oramus pro infidelium, hæreticorum, & excommunicatorum converſione. Privilegium eſt tamen Feria 6. maioris hebdomadæ, quæ feria dicitur in Paraſceve, quod ad alios dies extendi nequit, ut oratio publica directe fiat pro hæreticis, ſchiſmaticis, & excommunicatis; quia eo die Eccleſia Chriſtum Dominum in Cruce patientem pro omnium, etiam excommunicatorum ſalute oculis Fidelium ſolemniter repræſentat.

Quilibet Excommunicatus, tametſi toleratus, & non vitandus, uſu activo, & paſſivo, ſcilicet ſuſceptione, & adminiſtratione Sacramentorum privatur. Quare, ut notat etiam Habertus cum communi, priuſquam excommunicatus abſolvatur a peccatis, abſolvendus eſt ab excommunicatione; alias graviter delinqueret tum Sacerdos, tum pœnitens peccato ſacrilegii, niſi ab invincibili ignorantia iuris vel facti, vel ab inadvertentia ſeu oblivione excuſarentur, vel a neceſſitate vitandi ſcandali, infamiæ, vel alterius gravis mali; quia, ut advertit Suarez d. 6. ſect. 6. vel Eccleſia poteſtatem non habet præcipiendi cum tanto incommodo, vel pro ſua pietate ea uti non vult. His enim de cauſſis aliquando licitum eſt dimittere illud etiam, quod eſt iuris divini, ſeu iure divino præceptum: ſic reticeri poteſt peccatum in Confeſſione, quando timetur grave malum illud revelando. Hinc docent Theologi communiter, Sacerdotem excommunicatum, qui non celebrando vel pateretur gravem iacturam, vel aliud magnum damnum temporale, quod iam multa murmura populi & peccata ſecum trahit, poſſe Miſſam ad hæc gravia incommo-

Digitized by Google

moda evitanda celebrate. Tournel. Quod tamen non eſt dicendum de abſolutione a ſuſpenſione; quia cum cenſura hæc non privet participatione Sacramentorum, ſuſpenſus admitti poteſt ad talem participationem, priuſquam a ſuſpenſione ſit abſolutus, propter quam, ſi reſervata ſit, remitti debet ad Superiorem. Sacerdos vero excommunicatus, ſi Sacramenta extra caſum neceſſitatis miniſtret, vel celebret, non ſolum incidit in lethale peccatum, quia in re graviſſima Eccleſiæ præceptum tranſgreditur, ſed etiam in irregularitatem, (Et hæc eſt communis Doctorum ex cap. 20. *de ſent. excommunic.* in 6.) niſi tamen laboraret ignorantia invincibili, aut inadvertentia cenſuræ qua ligatur; vel conferat Baptiſmum privatim, non ſolemniter, quia ſolemniter facere, ſeu adminiſtrare Sacramenta ſolemniter, ſunt propria Sacerdotis officia. Excuſat tamen Suarez talem Miniſtrum ab irregularitate, qui in Sacramento adminiſtrando non intenderet Sacramentum conficere.

Privatur excommunicatus ſive toleratus ſit ſive non, adſiſtentia ſacris & divinis, puta Miſſæ Sacrificio, Horis Canonicis, proceſſionibus; unde non poteſt excommunicatus intereſſe Horis Canonicis, publicis orationibus, aliiſque ſacris functionibus, nec uti Sacramentalibus, puta aqua luſtrali ſeu benedicta, &c., ut eorumdem participet fructum Eccleſiæ merito applicandum, ac proinde nec venerari poteſt tali intentione ſacras imagines, quarum occaſione conceduntur Indulgentiæ, eo fine ut eas lucretur, cum excommunicatus nullam partem in Eccleſiæ meritis habere queat ex cap. *Significavit* 18. cap. *Reſponſ.* 48. *de ſentent. excommun.* & alibi. Poteſt tamen excommunicatus uti ſacris imaginibus, ut eas honorando bonum aliquod impetret a Sanctis: Similiter luſtralem aquam, aliaque Sacramentalia adhibere, ut Eccleſiæ cæremoniam revereatur, ut ſe ad pœnitentiam excitet, ac ſe ſe confundat, quod in communibus Eccleſiæ bonis partem ullam non mereatur habere: Nam talis uſus ſacrorum eſt quaſi perſonalis iuxta Suarez, ac ideo non importat ullam cum Fidelibus communionem. Ad hunc finem iſti poſſunt quoque intereſſe concioni habitæ in Eccleſia tempore quo non celebrantur divina officia, ut citius ad pœnitentiam, & Eccleſiæ obedientiam extimulentur. Poſſunt itidem privatim orare; immo tenentur privatim recitare Horas Canonicas, ſi ad ipſas vi ſacri Ordinis, vel Beneficii, vel profeſſionis Religioſæ teneantur, ne ex propria iniquitate commodum reportent, ut dicunt communiter DD. addentes, quod ad talem recitationem teneatur Beneficiatus, licet ex quo in excommunicatione officium ſuum præſtare nequit, fructibus interim privetur; quia ipſius culpa id accidit, & per ipſum ſtat quominus fructus percipiat, ex regula 86. iuris in 6. *Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputare.* Idemque dicito de ſuſpenſo, irregulari, & degradato. Ita Bonac. cum aliis.

Clericus in Sacris, vel Beneficiatus excommunicatus, in recitando divino Officio, ſecundum Covarr. c. *Alma mater*, Suarez, Navarrum, alioſve, non poteſt ſine culpa adhibere ſocium, eo quia excommunicatio privet communicatione in divinis Officiis, aliiſque orationibus perſolvendis. Bonacina tamen cum Avila, Ugolino, & aliis cenſet non peccare mortaliter, ſi illum adhibeat in privata recitatione; quia hæc communicatio, aiunt, videtur levis reſpectu præcepti, cum fiat privatim, nec videtur ita vetita, ſicuti communicare in divinis Officiis publicis & ſolemnibus, præſertim ſi fiat raro. Hinc a fortiori, ait Bonacina, excuſari poſſe Capellanum, vel famulum, qui ratione ſui officii, & muneris inſervit domino excommunicato in recitatione divini officii, ſicuti etiam excuſari poteſt ipſe dominus excommunicatus famulum adhibendo, præſertim cum in hoc caſu adſit ratio famulatus, qua non privatur excommunicatus, ut videbitur infra.

Advertendum tamen, excommunicatum, qui privatim recitat divinum Officium, non poſſe dicere *Dominus vobiſcum*; quia hæc non ſunt verba privatæ perſonæ, ſed pertinent ad Diaconum & Sacerdotem. Immo volunt Suarez, Navarrus & alii, quod dicendo privatim illa verba, excommunicatus incurrat irregularitatem; quod non ita facile, ait Bonacina, eſt admittendum; quia ſicuti parvitas materiæ excuſat a mortali, ita videtur excuſare ab irregularitate, quæ imponitur ob mortale.

Nota: Horas Canonicas, aliaſve preces, quas publice recitat, ac offert excommunicatus toleratus, prodeſſe Fidelibus, pro quibus eas recitat ac offert, quoad valorem, quem habent ex parte Eccleſiæ. Sic Sayrus, Avila contra Filliucium; quia Eccleſia tolerat, ac permittit excommunicatum toleratum. Secus vero dicendum de precibus communibus, quæ offeruntur ab excommunicato vitando, cum Eccleſia, ex cu-

cuius meritis fructum habent, valoremque huiuſmodi orationes, non intendat eas offerre per excommunicatum vitandum, quem non tolerat, ſed reiicit, & expellit, ac proinde illius orationes non proſunt Fidelibus. Sic cum communi Doctorum Bonacina.

Verum quia circa privationes ſacrorum ac divinorum ſubiecti ſcilicet excommunicati, & præcipue quoad Miſſæ Sacrificium & Horas Canonicas, variæ ac multæ occurrere poſſunt non leves difficultates, & ex parte miniſtrorum, & ex parte eorum, qui vinculo excommunicationis ſunt innodati, ut res ſufficienter elucidetur:

Nota 1. quod excommunicatus, uti privatus communione & participatione in divinis, peccat mortaliter Miſſam audiendo, ut ex cap. ult. *de ſentent. excommunic.* in 6. niſi neceſſitas vitandi ſcandalum, aut alia iuſta cauſſa eum excuſet. Unde ſi excommunicatus, eo quod nullus adeſſet, inſerviret, non peccaret, ratione neceſſitatis, quæ eum excuſaret. Quare ſequitur, quod excommunicatus, ſive toleratus ſit, ſive non toleratus, Miſſam non audiendo in die feſto, non peccaret, quia cum prohibeatur Miſſam audire, cenſetur impeditus, & Eccleſiæ præceptum ſacrum audiendi die feſto non cadit ſuper eos, qui ſunt impediti; immo peccaret ſi auderet intereſſe Miſſæ, aliiſve divinis Officiis; nullam tamen, ſalvis duobus caſibus, pœnam incurreret, quia nulla a iure contra eum impoſita eſt; quia ſtatuta quidem eſt pœna excommunicationis minoris incurrendæ ab iis, qui communicant cum excommunicato; non vero contra excommunicatum, ſi communicet cum Fidelibus.

Dixi *ſalvis duobus caſibus*, nempe ſi Sacerdos excommunicatus iubeat, vel auctoritate ſua procuret, ut Miſſa, vel alia divina Officia coram ipſo celebrentur, quia tunc moraliter ſe gerit, ac ſi per ſe ipſum celebraret; nam iuris fictione id per ſe facere cenſetur, quod quis per alium facit; ideoque ex communi Doctorum irregularitatem talis incurrit, non ſecus ac eam incurrit excommunicatus, qui celebrat. Hanc pœnam tamen non incurreret excommunicatus, qui non eſſet Sacerdos, vel ſi Sacerdos, celebrare faceret coram aliis, non coram ſe, quia iura loquuntur de Sacerdote excommunicato, qui ſit cauſſa cur alter coram ſe celebret. Alter caſus eſt, ſi excommunicatus aſſiſtens Miſſæ, vel divinis Officiis, & monitus a Sacerdote, vel a Clericis, ut exeat, obtemperare nolit; nam hic tunc incurrit excommunicationem maiorem Papæ reſervatam, cui etiam in huiuſmodi hypotheſi ſubiacet tum interdictus denunciatus, tum ii omnes qui impediunt, ne excommunicatus vel interdictus recedant, ut ex Clement. 3. *de ſentent excommun.*

Nota 2. ſi Clericus ſcienter coram excommunicato vitando Miſſam, aut alia divina officia celebret, licet irregularitatem non incurrat, cum hoc in iure non ſit expreſſum, peccat tamen mortaliter, utpote contra gravem Eccleſiæ legem communicans cum excommunicato, ac ideo incurrit minorem excommunicationem cum interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ; & ſi deinceps celebrare præſumit, antequam ab interdicto abſolvatur, ſit irregularis, ut ex Cabaſſutio l. 5. cap. 12. Alii vero aſſiſtentes, qui a Miſſa, officiis, aut proceſſionibus non recedunt, non ſolum peccant mortaliter, ſed inſuper, ob hanc communicationem, excommunicationem incurrunt. Unde Clerici potius officium divinum omittere debent, aut alibi recitare ſine cantu, quam proſequi coram excommunicato vitando. Verum ante monendus eſt ut diſcedat, immo & ſi parere recuſet, eiiciendus eſt, etiamſi eſſet Cl ricus, adbibito brachii ſæcularis auxilio. Nec tunc timendæ ſunt pœnæ Canonum contra violentas manus ponentes in Clericos; nam tunc hoc fieret ad ſolam Eccleſiæ defenſionem. Si vero in Miſſæ Sacrificio perventum ſit ad verba Canonis: *Qui pridie quam pateretur*; tunc proſequi tenetur Sacerdos uſque ad conſummationem utriuſque ſpeciei, aliique, excepto ſerviente, recedere; quia integritas Sacrificii cum ſit de iure divino, prævalere debet cuilibet iuri poſitivo eccleſiaſtico, & ſtatim poſt Communionem, relictis quæ ſubſequuntur, recedere debet in Sacriſtiam, & ibi ea quæ dicuntur poſt Communionem, & reliqua perficere. Si autem alter Sacerdos in alio altari ſeu Capella celebret, poſſunt fideles illi Sacrificio intereſſe, ſi eidem altari vel capellæ non interſit excommunicatus; nam hæc non eſt vera in divinis communicatio, ſed materialis in eodem loco aſſiſtentia.

Non tenetur tamen Sacerdos Miſſam inchoatam relinquere, ſi interim deferatur ad Eccleſiam cadaver excommunicati vitandi, quia Sacerdos poteſt privatæ ſua intentione nolle participare cum eo cadavere, dum poſitum eſt in ſua poteſtate cum eo participare, quod fieret ſi aliquid circa ipſum exerceret, puta benedicendo, pro ipſo orando. Et ſic adſtantes poſſunt ibi ſubſiſte-

Digitized by Google

ſtere, modo nullam actionem circa ipſum cadaver exerceant. Ita Saytus, Rainald. Ugolin. Bonac. & alii. Idemque dicito, ſi excommunicatus vitandus ingrediatur Eccleſiam, non ut ibi Miſſam, aliave divina officia audiat, ſed titulo tranſeundi per Eccleſiam, vel confugiendi ad Eccleſiam ſecuritatis gratia, ne capiatur a ſatellitibus, vel ſeorſim & privatim orandi; quia Sacerdos & adſtantes non dicuntur in huiuſcemodi caſibus communicare cum excommunicato, cum hic non adſit formaliter ad Miſſam, & divina Officia audienda. Sic DD. antea citati: Dixi *ſcienter coram excommunicato vitando*: Nam ſi ignorent ibi eſſe talem excommunicatum, excuſantur a propria eorum ignorantia. Et nemo tenetur vitare excommunicatum toleratum, ut patet ex Concilio Conſtantienſi antea relato. Dixi *privatim orandi*; quia non repugnat, alios fundere preces privatim in eodem loco, ubi adeſt excommunicatus vitandus; tunc enim non dicuntur cum excommunicato participare, cum illas orationes non fundant ſeu non recitent cum excommunicato, nec præſentia excommunicati coniungat orantes per modum unius. Secus vero dicendum, ſi preces recitent cum ipſo excommunicato. Sic Caiet. Suarez cum aliis; quamvis aliqui exiſtiment, excommunicatum ingredi non poſſe Eccleſiam, eo quia excommunicatus dicatur eiectus ab Eccleſia. Sed merito reprobatur hæc ſententia a Suarez, Filliucc. Navar. & aliis; quia eiectio excommunicati ab Eccleſia, non eſt eiectio ab Eccleſia materiali, ſed a formali, ideſt a cœtu, & participatione Fidelium.

Privatur excommunicatus vitandus etiam eccleſiaſtica ſepultura poſt mortem, quando ante mortem non fuerit abſolutus, ut ex cap. *Sacris de Sepult.* & ex Clement. 1. tit. eod. Et ratio eſt, quia ſi talis excommunicatio prohibet, ne poſſit communicare in ſpiritualibus cum fidelibus inter vivos, æquum non eſt ut cum ipſis communicet mortuus, fruendo ſacro eodem loco pro ſepultura; ideſt habendo cum aliis Fidelibus Eccleſiaſticam ſepulturam; & eſt communis DD. Nomine vero eccleſiaſticæ ſepulturæ intelligitur ſepultura conſtructa ſeu effoſſa in loco ſacro: & pro loco ſacro veniunt Eccleſia, cœmeterium, vel quævis alia loca ad ſepulturam, vel ad alia divina officia peragenda auctoritate & benedictione Epiſcopi deſtinata, vel ex conſuetudine ad Fidelium ſepulturam cap. *Finali de conſecrat. Eccleſ.* Sic Ugolinus, Suarez, aliive. Et talis privatio ad eos etiam extenditur, qui ante mortem ſigna dederunt pœnitentiæ, in quo tamen caſu abſolvendi ſunt, ac cum aliis fidelibus ſepeliendi. Quod ſi ante abſolutionem hi ſepulti ſint in loco ſacro, non ſunt exhumandi, ſed abſolvendi, petita prius ab iis, quorum intereſt, abſolutione.

Si autem excommunicatus vitandus, qui ſine ullo doloris ſigno ex hac vita deceſſit, in loco ſacro ſepultus ſit, exhumandus eſt, & foras proiici debet, quando eius corpus ab aliis cadaveribus ſecerni poſſit. Verum ſive hinc extrahi queat cadaver excommunicati, ſive non, Eccleſia ſolemni aſpectione reconcilianda eſt, quia polluta fuit, cum cœmeterio eidem contiguo; non tamen e contra.

Excommunicati non ſolum privantur eccleſiaſtica ſepultura, ſed & omni prorſus honore, qui Fidelibus defunctis ſolet præſtari. Nam indecens foret, cadaver huiuſcemodi hominis, qui ſepulturam habere debet beluis communem, deferri ea pompa, qua funera Fidelium decorantur. Et hæc omnia ſemper intelligenda ſunt de excommunicato non tolerato, ſeu vitando, ſicuti plerique ſentiunt.

Sepelientes excommunicatum vitandum in loco ſacro incurrunt maiorem excommunicationem, a qua abſolvi nequeunt, donec ſatisfactionem dederint ad libitum Epiſcopi, & eamdem pœnam incurrunt ſepelientes etiam interdictum, vel manifeſtos uſurarios. Ita Avila, Sayrus cum aliis, & patet ex Clement. 1. *de ſepult.*

Per eos autem qui ſepeliunt, probabilius intelliguntur illi non ſolum, qui corpus defuncti propriis manibus in terram reponunt aut cooperiunt humo, qui vulgo ſunt homines ruſtici & ignari, ſed ii etiam, qui id fieri iubent aut procurant; alias fere ſemper inutilis foret Eccleſiæ lex, quia cum tumulantes propter eorum ignorantiam excuſarentur ab incurrenda cenſura, cenſura vix unquam ſortiretur ſuum effectum.

Inſuper, quia vetita eſt cum excommunicato vitando omnis communicatio in ſpiritualibus, etiam poſt mortem, ad quem finem privatur eccleſiaſtica ſepultura; hinc facile ac clare colligitur, quod mortaliter peccaret, qui Pſalmos, aliaſve conſuetas preces recitaret quando ipſius cadaver defertur ad ſepulturam. Nam hæc eſt quædam communicatio cum excommunicato vitando, & eſt honor, qui exhiberi tali excommunicato prohibetur; ſicut etiam vetitum eſt accipere eleemoſynas, & oblationes pro

pro excommunicato, cap. *Sacris de ſentent. excommun.* Non tamen propter hoc incurritur irregularitas, cum hæc in iure non ſit expreſſa, nec iſta incurritur niſi in iure exprimatur. Sic Suarez cum aliis.

Fit itidem inhabilis excommunicatus ad ſuſcipiendos ſacros Ordines, eorumque munia exercenda, ita ut ſi eos ſuſcipiat, incurrit ſuſpenſionem, & ſi in ſuſceptis miniſtret, ſeu munia Ordinum exerceat, contrahit irregularitatem. Sic docent DD. ut Suarez, Henriquez, Valentia, Ugolinus, Bonacina, & alii. Nec opus eſt hic immorari multum, rationes plures inveſtigando, cum id iam ex ipſa privatione, cui ſubiacent excommunicati, Sacramentorum activa, & paſſiva, ſacrorum, & divinorum, manifeſtiſſime pateat.

## §. V.

### *De privatione Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ in Excommunicatis.*

Nota, iuriſdictionem ſecundum Suarez dupliciter ſumi, proprie & ſtricte, prout eſt poteſtas præcipiendi per leges & cenſuras, iudicandi in foro tum interiori ſeu pœnitentiæ, tum exteriori ſive contentioſo, ſive per ſe ſive per alios, largiendi Indulgentias, diſpenſationes, & ſimiles actus exercendi: 2. latius, quatenus eſt poteſtas conferendi Beneficia, eligendi, & ad illa præſentandi.

Quilibet excommunicatus, ſive toleratus, ſive non, impeditur ab uſu ſeu exercitio eccleſiaſticæ iuriſdictionis. Nam cum excommunicati præciſi ſint a corpore Eccleſiæ, exercere nequeunt quæ ſunt intra corpus Eccleſiæ, & nomine ipſius geruntur: & cum vetitum ſit excommunicatis communicare cum aliis, multo magis illud vetitum erit iis, quod eſt præcipuum in Eccleſia, ut eſt iuriſdictionis exercitium, dum hoc fieri nequit, abſque eo quod in re ſummi momenti communionem cum his habeant: cap. *Si is de offic. deleg.* in 6. cap. 1. *de offic. Vicarii* in 6. & alibi. Igitur uterque peccat mortaliter, niſi eos excuſet levitas materiæ, ut ſi diſpenſent in re parvi momenti, vel neceſſitas agendi in aliorum favorem; quia uterque illicite iuriſdictionis iuribus utitur.

Verum, tametſi illicite, & ideo culpabiliter iuriſdictionem adminiſtrent excommunicati, vitandus ſcilicet, & non vitandus, non tamen æque invalida eſt utriuſque adminiſtratio: nam quæ geruntur ab excommunicato non vitando ſeu tolerato, vi iuriſdictionis eccleſiaſticæ, qua pollet tum in foro interiori tum exteriori, valide fiunt, dummodo non reiiciatur a parte litigante, in cuius favorem id conceſſum eſt, ut conſtat ex Concilio Conſtantien. in Conſtit. *Ad vitanda &c.* Huiuſmodi enim excommunicatus uti poteſt iuriſdictione, quæ eius muneri convenit, ſolum quatenus Fideles ad eorum utilitatem iiſdem iudicibus uti volunt, quod non ſequeretur, quando eos exciperent, ideſt eorum iudicium recuſarent. Immo excipiens, debet ſpeciem excommunicationis, & illius auctorem intra octo dies manifeſte probare; ita ut ſi non probet, nulla erit exceptio cap. 1. *de exceptionib.* in 6. Quod ſi modo dicto non excipiatur, omnes actus iuriſdictionis ab ipſo exerciti, ut electio, præſentatio, collatio Beneficii, abſolutio, validi ſunt, immo etiam liciti, ſi eos a Fidelibus requiſitos exerceat, & hic eſt communis Doctorum ſenſus, qui ſic ſemper interpretati ſunt citatam Conſtitutionem *Ad evitanda ſcandala*, ut iuriſdictionis actus a toleratis exercitos per eam validari crediderint; tum quia alias magna eſſet in Eccleſia confuſio, nec ſatis animarum diſcrimini cautum eſſet, ſi Epiſcopus toleratus invalide diſpenſaret in votis, approbaret ad excipiendas Fidelium confeſſiones, leges, & cenſuras ferret. Unde valide hic Beneficia eccleſiaſtica conferre poteſt, quia licet ſuſpenſus ſit quoad ſeipſum, non eſt tamen quoad alios.

Si tamen excommunicatus ſit vitandus, omnes actus iuriſdictionis, quos ipſe gerit, invalidi ſunt, cap. *Audivimus* 4. *cauſ.* 24. q. 1. cap. *Ad probandum* 24. *de ſentent. & re iudicata*. Quocirca non poteſt talis excommunicatus alium excommunicare cit. cap. *Audivimus*, nec munus iudicis exercere; ita ut ſententia, ſi ab ipſo daretur, eſſet nulla: quapropter non poteſt conſtitui iudex arbiter, quia iudicia arbitraria ad forum iudiciale redacta ſunt l. 1. ff. *de arbitris*. Et cum Eccleſia prohibeat excommunicatis vitandis non ſolum uſum iuriſdictionis, ſed eam ab illis auferat, hinc non poſſunt aliis ſuas delegare vices; quia delegatio eſt actus iuriſdictionis l. *Imperium* ff. *de iuriſdict. omnium iudic.* Unde in tali conſtitutione non tenentur ſubditi ei obedire, immo non poſſunt, & peccarent obtemperando, quia per hoc cognoſcerent in eo ſuperioritatem præcipiendi, quam Eccleſia ab eo abſtulit per cenſuram. Excuſari tamen poſſunt regulariter ratione urbanitatis, ob quam illius morem gerunt, quin in ipſo ius imperandi, aut ſuperioritatem agnoſcant. Salmant. Neque poſſunt

con-

conferre Beneficia cap. unic. *Ne ſede vacante* in 6. neque eligere cap. *Cum dilectus* 8. *de conſuetud.* & cap. *Cum inter* 16. *de elect.* ubi declaratur, electionem factam a ſuſpenſo invalidam eſſe. Omnis autem excommunicatus ſuſpenſus eſt ab officio & iuriſdictione. Excipitur vero electio Summi Pontificis, quæ ob nullam Cardinalium excommunicationem, ſuſpenſionem vel interdictum infirmari poteſt, Clement. *de Romani Pontif. elect.* ne præbeatur occaſio ſchiſmatis, & alia plura damna oriantur in Eccleſia.

Verum circa actus iuridicos factos ab eo qui eſt delegatus ab excommunicato non tolerato, antequam excommunicationem contraheret; notandum, quod ſi quando delegans incurrit excommunicationem, res ſit integra, & nullo modo inceptus actus iuriſdictionis circa illam, facta poſtea a delegato omnino nulla ſunt, quia delegati iuriſdictio pendet omnino a delegante; unde hac ablata, vel impedita per cenſuram, facta delegantis caſſantur. Si vero lis, ſeu iudicium ſit inceptum, tunc ius facultatem concedit delegato proſequendi uſque ad concluſionem, cap. Relatum, cap. *Gratum*, & cap. *Licet de offic. delegati*. Nec hinc fit, facultatem delegatam ad audiendas confeſſiones ſuſpendi per delegantis excommunicationem, quia eſt gratia conceſſa, quæ non expirat ſeu infirmatur ob impedimentum aut mortem delegantis. Ita Sotus, Avila, Bonacina & alii. Dixi, *poſt inceptum iudicium* poſſe illud proſequi, etiamſi delegans ſit excommunicatus; intelligendum tamen eſt, dummodo delegatus ſit vere talis, & conſtituat tribunal diverſum cum delegante. Nam ſi unum cum illo tribunal conſtituat, tametſi inceptum ſit iudicium, ceſſat iuriſdictio, ſicut ſtatim poſt mortem delegantis expirat cap. *Romana de offic. Vicar.* in 6. Hinc mortuo Epiſcopo, aut ſuſpenſo, vel excommunicato, expirat iuriſdictio Vicarii Generalis ſeu illius Proviſoris, etiamſi inceptum ſit iudicium, ſeu res integra non ſit, & Vicarius Generalis ſit Iudex non delegatus, ſed ordinarius; dummodo habeat tamen idem tribunal cum Epiſcopo, ita ut ab ipſo ad Epiſcopum non detur appellatio cap. 2. *de conſuetud.* in 6. Quod non contingit in Magiſtratibus a Rege conſtitutis, qui cum conſtituant diverſum tribunal a Regio, non ceſſat eorum iuriſdictio per Regis mortem, & datur appellatio ab eorum tribunali ad Regium.

## §. VI.

### *De inhabilitate in excommunicatis ad recipienda Beneficia & quotidianas diſtributiones.*

Excommunicatus excommunicatione maiori tam vitandus & non toleratus, quam non vitandus & toleratus, eſt inhabilis ad recipienda Beneficia eccleſiaſtica cap. *Per inquiſitionem de elect.* cap. *Poſtulant. de Clerico excommun.* Expreſſe hoc definit Innocentius III. & hoc extenditur etiam ad ea, quæ collationem præcedunt. Unde præſentatio Beneficii, electio, poſtulatio, nominatio, collatio, impetratio litterarum Apoſtolicarum, ut ſunt Bullæ Coadiutoriæ ad obtinendum Canonicatum poſt obitum poſſidentis, ſi omnia hæc agantur pro excommunicato, nulla ſunt. Cum enim Beneficium conferatur ob officium eccleſiaſticum, indigni ſunt, & incapaces communiter cenſentur quod illis Beneficia conferantur, qui illa exercere nequeunt. Et hoc intelligitur in quavis Beneficii acquiſitione, ſive cauſſa permutationis, reſignationis &c. quia vere Beneficium acquiritur; & ſic eadem ratio currit, ob quam inhabiles redduntur ad illud recipiendum. Nec illud reſignare poteſt excommunicatus, aut commutare in favorem alterius, utpote qui ius in Beneficium non acquiſierit; & ſic nequit ea exercere, quæ iis conveniunt, ſeu propria ſunt eorum, qui tale ius poſſident. Ita Suarez & alii. Nec tales actus convaleſcunt per abſolutionem, quæ poſtea ſequitur, quia iuxta regulam iuris in 6. *non firmatur tractu temporis quod de iure ab initio non ſubſiſtit*; ſed renovandi ſunt, obtenta poſt abſolutionem a Superioribus legitima diſpenſatione cap. *Cum bona de ætate & qualitate* &c.

Præter autem nullitatem dictorum actuum, præſentationis ſcilicet, electionis &c., qui facti ſint in gratiam perſonæ, quam excommunicatio maior inhabilem reddidit, incidunt præſentantes, eligentes &c. ad eccleſiaſtica Beneficia, ac recipiens, in lethale peccatum, in minorem excommunicationem, ſi excommunicatus ſit vitandus, quia cum ipſo communicant, & ipſo facto in ſuſpenſionem a collatione illius Beneficii, quod ſcienter contulerunt excommunicato cap. *Cum in cunctis* §. *Clerici de elect.* Suſpenſio tamen non incurritur, niſi præceſſerit monitio cap. *Poſtulant.* Quod autem dicitur de excommunicato, hoc intelligendum eſſe

 no-

notant DD. etiam de ſuſpenſo, interdicto, & irregulari. Ab hac tamen generali regula excipitur a DD. collatio Beneficiorum facta a Summo Pontifice, excommunicato, ſive ſciat, ſive non eum excommunicatum, cum præſumatur illum a cenſura diſpenſare ad effectum ut Beneficium conſequatur, ut patet ex titulo Papæ in conferendis Beneficiis, dum in proviſionaſibus Litteris apponit clauſulam abſolutionis a cenſura ad conſequendum gratiæ effectum. Unde ex tali modo procedendi præſumitur Princeps velle in ſua lege diſpenſare; ac proinde tollere ab excommunicato per eum proviſo inhabilitatem ad Beneficia eccleſiaſtica conſequenda, a quo favore excommunicatio, qua innodatus eſt, eum excludit. Addunt hic aliqui, Ordinarium, cui committitur a Papa examen illius, qui Beneficium Romæ obtinuit, poſſe eidem literas; quas *viſa* vocant, denegare, ſi animadverterit niſ moliri ut a cenſuris abſolvatur. Verum cum Epiſcopus non habeat facultatem ſuſpendendi effectus cenſuræ ipſa manente, tametſi ſupradictam clauſulam apponat, invalide provideret excommunicatum, ac ideo poſt ipſius abſolutionem a cenſura, ſi agatur de Beneficio, quod ab ipſo ſolo Epiſcopo dependeat, innovare deberet proviſionem ſeu Beneficii collationem, quam excommunicato ante eius abſolutionem invalide fecerat.

Invincibiliter, vel probabiliter ignorans ſe eſſe excommunicatum, vel a cenſura non abſolutum, ſecundum probabiliorem invalide Beneficium reciperet, ut tenent Avila, Suarez, Salmant. & alii bene multi; quia ignorantia, quamvis excuſet a culpa, non tollit tamen præcedentem inhabilitatem in ſubiecto, nec facit actum validum, qui alias erat invalidus, quidquid aliqui in contrarium dicant.

Si aliquis ante excommunicationem electus eſſet, & præſentatus ad Beneficium; tempore tamen, quo illi collatum fuit, incideret in excommunicationem, valida eſſet præſentatio, quia hanc cenſura irritare non poterat, quæ nondum erat; non autem collatio, ut iam patet, quia hæc patiebatur impedimentum cenſuræ. Si autem facta ei fuerit etiam collatio, antequam excommunicationem contraheret, & eadem ligatus fuiſſet quia Beneficium acceptavit, valida eſſet acceptatio, ita ut poſt abſolutionem, ſine nova electione, præſentatione, & collatione poſſet illud legitime obtinere: quia acceptatio aut poſſeſſio non ſunt actus iuriſdictionis, ſed actiones particulares privatæ perſonæ, quæ nequit ſe eligere, præſentare, & ſe inſtituere in Beneficio, & ſunt ſignificationes explicantes propriam voluntatem circa gratiam factam acceptanti, quæ explicatio nemini videtur vetita. Item per acceptationem & poſſeſſionem non acquiritur ius in Beneficium; ſunt enim iſtæ quid facti, non quid iuris, cum nemo ius ſibi conferre valeat: ſunt tamen conditiones, ut ius perfectum habeatur in Beneficium, ac proinde valide elici poſſunt ab excommunicato, & idcirco valide ille poterit acceptare, & poſſidere Beneficium, ſi ante excommunicationem ei collatum ſit; & teſtatur Covarruvias in cap. *Alma Mater*; Rotam hanc praxim obſervare. Et eo vel maxime hoc verum eſt, quia iura irritant ſolam præſentationem, & collationem, minime vero acceptationem. Sic cum cit. Covaruvia Sayrus, Bonac. Salmant. & alii permulti.

Si autem e contra contingeret, quod aliquis excommunicatione innodatus eligeretur, præſentaretur, inſtitueretur beneficiatus, tametſi poſt abſolutionem illud acceptaret, & poſſideret, nulla eſſet talis acceptatio & poſſeſſio; quia nulla fuit eius electio, & inſtitutio; idcirco indigeret nova electione, præſentatione, & collatione, ut legitime Beneficium poſſideret; quia iuxta regulam iuris in 6. *quod ab initio fuit nullum, tractu temporis non convaleſcit* cap. *Non firmatur de regulis iuris* in 6. Si tamen is, ad quem pertinet collatio Beneficii, diſpenſet, ut excommunicatus, cui facta fuit collatio Beneficii, illud poſt abſolutionem retineat, licite illud retinet, quamvis ei collatum, dum innodatus erat cenſura; quia in cap. *Poſtulant. de Cleric. excommun. miniſtran.* addit Innocentius III. *niſi forſitan cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum*, & quia diſpenſatio facta ab eo, qui ius ac facultatem habet conferendi Beneficium, eſt virtualiter nova illius collatio, ac proinde ab ipſo ſolo impendi poteſt talis diſpenſatio. Et ſi tale Beneficium requirebat Patroni præſentationem, iſta quoque ſaltem virtualiter de novo eſt apponenda. Et ſic dicito de aliis, quæ ad primam collationem requirebantur.

Quæ hactenus dicta ſunt de Beneficiis, intelligi debent etiam de dignitatibus quibuſcumque eccleſiaſticis, quibus annexa eſt iuriſdictio, nempe excommunicatum eſſe ad illas inhabilem. Hinc electio, præſentatio, collatio, receptio Legati, Inquiſitoris, Epiſco-



Digitized by Google

ſcopi, Proviſoris Generalis, Provincialis, Abbatis, Prioris &c. excommunicati, ſunt nullæ; & quia hæc omnia veniunt nomine Beneficii Eccleſiaſtici, & quia inſuper omnes nominati excluduntur ab exercitio proprii muneris, & ſic etiam ab officio, quod propter uſum adhibetur ex cap. *Poſtulaſti & Finali de Clerico excommun. miniſtrante*. Sic Ugolin. Henriq. Suarez, Sayrus, Bonac. aliive. Immo ex cit. DD. ipſa electio, & aſſumptio ad dignitates, & quævis officia ſæcularia, propter rationem eamdem, irritæ ſunt, factæ in excommunicato, cum excommunicatus exercere non valeat actus cuiuſcumque dignitatis etiam ſæcularis ſeu laicalis.

Verum quia præter Beneficia aliæ dantur proviſiones, quæ *penſiones* dicuntur, & ſunt participatio quædam de proventibus Beneficii; hinc non prætereundum cenſeo exponere quid ſentiant de his DD. reſpectu excommunicati; num videlicet ſicuti collatio Beneficii facta excommunicato, & illius receptio eſt invalida, ſic etiam invalida ſit collatio, & receptio penſionis. Et pro reſolutione neceſſe eſt notare, quatuor dari genera penſionum. Primum eſt penſio Clericalis, quæ dicitur etiam Præſtimonium ſeu Beneficium ſimplex, & nihil aliud eſt, quam quædam portio, quæ extrahitur ex pingui Beneficio, ut conferatur perpetuo in titulum Beneficii, cum onere alicuius miniſterii eccleſiaſtici. Huiuſce penſionis incapax eſt excommunicatus, quia privatur communione Eccleſiæ ut membrum præciſum ab eius corpore, & ideo incapax bona poſſidendi Eccleſiæ diſpenſationi commiſſa, præcipue habentia veram rationem Beneficii, cum gratiam nullam ab Eccleſia recipere poſſit: Et eo vel maxime, quia incapax eſt ad exercenda munia eccleſiaſtica, cum quorum onere datur hæc penſio. Et id conſtat etiam ex praxi & ſtylo Curiæ. Nam in litteris Pontificiis apponitur ad hunc effectum abſolutio ab excommunicatione. 2. Eſt penſio eccleſiaſtica temporalis, quæ deficit a rigoroſa ratione Beneficii, quia temporalis eſt; datur tamen propter officium ſeu miniſterium eccleſiaſticum, ut ea quæ datur Vicario coadiutori Epiſcopi, vel Parocho ſenio confecto; & ad hanc penſionem quoque inhabilis eſt excommunicatus; quia cum detur tamquam Beneficium ob officium eccleſiaſticum, & hoc exercere nequeat, ſequitur quod incapax ſit Beneficii, quod ſecum affert tale munus ac officium. Sic Corneius, Reginald. Salm. cum aliis. 3. Eſt penſio, quæ dicitur *mixta*, quia partim ſpiritualis eſt, partim temporalis; cuiuſmodi eſt illa, quæ tribuitur Clerico Beneficium reſignanti, liti cedenti, ſuſtentationem non habenti, quæ ceſſat per mortem penſionarii, nec munus habet annexum, quod a laico præſtari nequeat, tametſi in ſubiecto Clericalem ordinem requirat. Hanc valide dari poſſe excommunicato probabiliter cenſent Salmant. iuxta Avilam, Giballinum, qui citant pro hac ſententia declarationem Cardinalium id approbantium, & alios quoque; cum hæc proprie ac rigoroſe non ſit Beneficium, nec habeat officium annexum, quod ab excommunicato præſtari nequeat. Quartum genus eſt penſio mere laicalis, quæ eſt quoddam ſubſidium temporale, quod confertur laicis ob obſequium Eccleſiæ præſtitum vel præſtandum, non vero in titulum Beneficii, vel ob officium eccleſiaſticum. Et hanc nullum dubium eſt valide conferri poſſe excommunicato, ac ab ipſo recipi, quia nec eſt Beneficium, nec adiunctum habet officium eccleſiaſticum, quod exerceri nequeat ab excommunicato: Et iura, quæ inhabilitant ad Beneficium, de illo loquuntur, cui annexum eſt officium, quod præſtare non poteſt excommunicatus.

Qui beneficium bona fide in excommunicatione recepit, & poſtea recordatur ſe illud cum tali cenſura recepiſſe, tenetur illud relinquere, & fructus congruos pro illo tempore ſuæ ſuſtentationi retinere; reliquos vero, ſi iam conſumpſerit, nec ditior factus eſt, non tenetur reſtituere, non quidem ratione iniuſtæ acceptionis, cum bona fide fuerit facta, nec ratione rei acceptæ, quam non poſſidet. Sic Coninch. Corneius, Suar. &c.

Quod circa rem hanc videndum remanet, eſt, num excommunicatus privetur fructibus Beneficii. Et in tali propoſito communiſſime receptum eſt apud Theologos, non privari excommunicatum Beneficio, quod legitime adeptus fuerat ante excommunicationem, quia nullum habetur ius, a quo talis pœna imponatur, niſi crimen, propter quod quis cenſura perculſus eſt, ſit ex iis, quæ per ſe inducunt Beneficii vacationem. Itidem eſt certum, privari fructibus omnibus ſeu proventibus Beneficii quod poſſidet, qui correſpondent tempori, in quo perdurat eius excommunicatio, ſive toleratus ſit, ſive non, ideſt vitandus, ſive per ſe ipſum, ideſt ſua culpa ſtet quod non abſolvatur, ſive non, niſi iniuſte ſit excommunicatus ex par-

parte cauſſæ, licet excommunicatio valida fuerit, ita ut ſi eos percipiat, reſtituere teneatur. Per fructus autem Beneficii intelliguntur redditus, penſiones, diſtributiones, &c. non vero patrimonium, tametſi ordinatus fuerit tali titulo. Tota igitur circa hoc difficultas in præſenti eſt, & non ita levis, an excommunicatus, qui vel per ſe, vel per alium implere poteſt munus ſeu officium Beneficio annexum, & ratione cuius muneris ſuſcipit Beneficii fructus, teneatur ipſo iure, & ante iudicis declaratoriam ſententiam ſpoliare ſe iiſdem fructibus, eoſdemque reſtituere, ita ut licite uſque ad talem ſententiam nequeat eos retinere. Diſcrepant in tali reſolutione DD. Alii enim affirmative reſpondent ex cap. *Paſtorali* 53. *de appellat.* ubi dicitur, *quod illi proventus eccleſiaſtici merito ſubtrahuntur, cui Eccleſiæ communio denegatur*. Verbum autem *ſubtrahuntur* ſignificat aliquid, quod ipſo facto tollitur, ſicut Eccleſiæ communio. Alii vero, & ſecundum Salmant. & Auctorem *Supplem. Theologiæ Moral. Tournel.* verius & probabilius negant excommunicatum privari ipſo facto fructibus ſeu eccleſiaſticis proventibus titulo Beneficii ſibi competentibus, vel ratione officii, quod per ſe vel per alium licite vel illicite præſtare poteſt; quia, aiunt, pœna graviſſima, qualis eſt talis privatio, imponi non debet niſi in iure ſit expreſſa. In nullo autem iure habetur expreſſe talem pœnam ipſo facto eſſe ſtatutam: Nam in cap. *Paſtoralis* cit. verbum *ſubtrahuntur*, potius dicit expoliationem, quæ fit ab homine, quam inhabilitatem, quæ a iure deſignetur, vel ſaltem æque intelligi poteſt de ſubtractione, quæ fit a iudice: Et dato etiam, quod ex iure haberetur, huiuſcemodi expoliationem ipſo facto incurri, inductus eſt tamen contrarius uſus, & legitima conſuetudo, & hæc derogare poteſt iuri poſitivo. Igitur nunc de facto non adeſt talis privatio.

Ad argumentum vero contrariæ ſententiæ patet reſponſio ex dictis: Non enim dicit Pontifex, ſubtractionem fructuum eo modo incurri, quo privatio incurritur communicationis, ſed quod iſta privatio ſit cauſſa illius, quatenus qui caret communione Eccleſiæ, meretur ut privetur Eccleſiaſticis proventibus. Verum ex hoc non deducitur, de facto incurri ſubtractionem, ac incurritur communicationis privatio.

Secuta Iudicis ſententia tenetur excommunicatus reſtituere fructus omnes perceptos tempore excommunicationis, tametſi non ſtet per ipſum quod non abſolvatur, etiamſi ſit in gratia conſtitutus, & a contumacia receſſerit, donec de facto abſolvatur; cum talis privatio effectus ſit cenſuræ vel ipſo facto, ſive per Iudicis ſententiam, qui effectus non ceſſat niſi ceſſante cenſura. Cum autem tales fructus reſtituendi ſint Eccleſiæ vel pauperibus, ſi excommunicatus ſit pauper ut illis indigeat ad ſui ſuſtentationem, poteſt eos ſibi applicare; præcipue ſi a contumacia receſſerit; quia ipſe non debet eſſe deterioris conditionis aliis pauperibus.

Incapax redditur quoque excommunicatus & impotens ad obtinendum aliquod Reſcriptum ſive gratiæ ſive iuſtitiæ a Sede Apoſtolica, taliter quod impetratum ipſo iure ſit nullum, niſi in ipſo cauſſa excommunicationis, vel appellationis, ad ipſius excommunicati defenſionem impetretur. Unde Papa in ſuis Reſcriptis præmittere ſolet abſolutionem ab omnibus cenſuris dumtaxat ad effectum gratiæ ab ipſo conceſſæ: Quæ ſi prætermittatur in Reſcripto, irrita eſt ac nulla excommunicato conceſſa. Non ideo tamen legitime poſſidetur Beneficium per reſignationem ſimoniacam in Romana Curia ab illa abſolutione ad effectum; quia talis proviſio eſt nulla eo quod ſit obreptitia, & contra intentionem Papæ obtenta, & irrita independenter a cenſura.

## §. VII.

### *De privatione in excommunicatis communicationis cum Fidelibus tum civili, tum forenſi, & iudiciali.*

Nota, communicationem civilem ſeu politicam duplicem eſſe. Alia privata, quæ verſatur circa civile commercium, quod homines privatim inter ſe habent ſimul vivendo, converſando, manducando, contractus ineundo &c., alia publica, & forenſis, & hæc conſiſtit in temporali ſeu politico reipublicæ regimine, & in cæteris omnibus, quæ huic ſunt annexa, ut leges inſtituere, ſententias & iudicia ferre, agere in iudicio & cauſſas dicere. Utraque communicatio cum Fidelibus interdicitur excommunicato tum vitando ſeu non tolerato, quam non vitando & tolerato c. 18. 29. & 59. *de ſentent. excommun.* & cap. *Alma* hoc tit. in 6. & cap. 2. *de except.* cap. *Ad menſam*, cap. *Si quis laicus* 24. q. 1. Unde peccat excommunicatus, ſaltem venialiter, præciſo ſcandalo & contemptu, communican-

cando cum aliis ; quia videtur materia levis , & ſic ob parvitatem materiæ excuſatur a peccato gravi, ut docet D. Thom. in 4. diſt. 18. q. 2. art. 3., & ſic alii quoque. Verumtamen nullum incurret peccatum communicando cum infidelibus ; quia Eccleſia ſeparat excommunicatos a ſolo conſortio Fidelium cap. *Omnis Chriſtianus*, cap. *Engeltrudam* 30. q. 4.

Peccant ſecundum citata iura fideles , qui cum ipſo excommunicato communicant in humanis & civilibus , præcipue ſi vitandus ſit, tametſi communicent cum illo extra territorium, in quo fuit excommunicatus ; quia ſemper ſecum fert excommunicationem, & illius effectus , quamdiu non abſolvitur : Immo & fideles non ſubditi Epiſcopo , & ipſe quoque Epiſcopus , qui non tulit excommunicationem, non poſſunt cum ipſo civiliter communicare . Verum hi pariter , excepto ſcandalo & contemptu , civiliter communicando non peccant niſi venialiter ob parvitatem materiæ . Ea vero, in quibus non licet communicare cum excommunicato in actionibus civilibus, hoc verſu continentur .

*Os , orare , vale , communio , menſa negatur.*

*Os* ſignificat colloquium, allocutiones ſive nutibus, ſive verbo , ſive ſcripto , & quævis amicitiæ ſigna , ut oſcula , amplexus &c. *Orare*, ideſt communicatio in orationibus , & divinis officiis. *Vale* denotat ſalutationem urbanitatis , verbo , nutu , aut alio ſigno. *Communio* , ideſt omnis ſocietas, quæ habetur in communi habitatione , in contractibus , negotiis , & aliis actionibus , ita ut non liceat cum eo contrahere, laborare , iter facere , aut quodvis opus præſtare . *Menſa* indicat omnem convictum & convivia. Eccleſia utpote communiter perfecta utitur ſuprema ſua poteſtate, qua pollet in ſuos ſubditos , ſegregando obſequentes a conſortio eorum , qui ſunt rebelles , ne tali crimine inficiantur , & ut ipſi rebelles tanto magis erubeſcentes citius reſipiſcant , ac tali exemplo alii terreantur .

Validi tamen ſunt contractus ab excommunicato etiam vitando facti , utpote qui fiant ex conſenſu , quem nulla lex irritat , immo leges agnoſcunt ſeu approbant . Sic valere declarantur receptio habitus Religioſi c. 32. *de ſentent. excommun.* , quod iure non reſiſtente extendi poteſt etiam ad profeſſionem ; donatio c. *Donatio* , quamvis eleemoſynas , oblationeſve factas ab excommunicato vitando recipere vetitum ſit Eccleſiæ miniſtris, ut tradit Yvo Carnotenſis Epiſt. 186. A fortiori validi ſunt alii contractus ; puta emptiones , venditiones &c. , item teſtamenta , niſi tamen fiat ab excommunicatis propter hæreſim , vel Cardinalium percuſſionem. Et ſecundum probabiliorem , quam tenet Suarez , valida ſunt acta a Tabellione vitando confecta, quia acta hæc vel nullam proprie loquendo , vel ſaltem Eccleſiaſticam iuriſdictionem non ſupponunt.

Excommunicatus ſive vitandus , ſive non, ex iure communi privatur communicatione cum aliis fidelibus etiam in actionibus & iudiciis forenſibus, ita ut nequeat eſſe iudex , actor, advocatus , teſtis , procurator , &c., nec ſolum ex generali lege , qua prohibetur communicare cum aliis , ſed etiam ſpecialiter cap. *Veniens de teſtibus ;* cap. *Pia de exceptionib.* Unde excommunicatus , de cuius excommunicatione palam conſtet, ſi ſe ingerere velit in iudicio , munus actoris , iudicis , teſtis , advocati exercendo , extra caſus a iure exceptos peccat mortaliter , & poteſt excludi; quia nemo tenetur cum illo communicare : Immo ſi eſt vitandus , non ſolum poteſt , immo debet excludi aperte ab ipſo iudice ex officio , quia omnes tenentur non communicare cum ipſo , & talis exceptio fieri poteſt in qualibet parte iudicii , & in ipſa ſententia , & ante , & poſt , ut habetur in dicto cap. *Pia de exception.* in 6. ubi aſſignantur etiam conditiones ad illam requiſitæ , & præcipue, ut intra octo dies a depoſita exceptione exprimendæ ſit ſpecies excommunicationis , & cauſſa quare exceptus eam incurrerit, ne aliquando , ait Gloſſa, malitioſe in gravamen iudicii apponatur .

Validi tamen ſunt actus iudicis excommunicati , ſi ſit toleratus , ut patet ex Conſtitutione Martini V. *Ad vitanda ſcandala ;* ſecus vero ſi non ſit toleratus ; ideſt ſit nominatim denuntiatus cap. *ad proband.* Extravag. *de re judicata* , & Gloſſa in cap. *illud :* ſententia publice excommunicati nulla eſt ; quia ſententia lata ſine iuriſdictione , caret effectu .

Peccant fideles , qui in actionibus forenſibus communicant cum excommunicato non tolerato , non vero ſi cum tolerato ; & hoc quoad utrumque conſtat ex laudata Conſtitutione *Ad vitanda ſcandala* , quia in in ea conceditur fidelibus privilegium communicandi tantummodo cum excommunicato tolerato.

Dantur etiam quidam caſus excepti , in quibus iura permittunt communicare cum ex-

excommunicato non tolerato ſeu vitando, & omnes continentur in verſu ſequenti.

*Utile, lex, humilis, res ignorata, neceſſe.*

Per *utile* intelligitur utilitas ſpiritualis excommunicati, ideſt quando expedit ad eius ſpiritualem ſalutem quod fidelis communicare poſſit cum excommunicato, v. g. ut eum ad meliorem frugem reducat ex cap. *Cum voluntate* Extravag. *de ſentent. excommunic.* Itidem utilitas temporalis alterius magni momenti, puta ut debitum repoſcat, vel ſubſidium petat, aut conſilium, non tamen ad denuo contrahendum ex cap. 34. eod. tit. Per vocem *lex* intelligitur connubium, quod exigit ut coniuges ſibi mutua officia præſtent, ac proinde debent ad invicem communicare. Per *humile* officium innuitur filiorum erga parentes, famulorum erga dominum, ſi ſerviebant ante excommunicationem, quoad ea, quæ ſpectant ad neceſſariam communicationem cum iis qui habitant in eadem familia &c. *Res ignorata* ſignificat ignorantiam iuris vel facti, vel inadvertentiam, quæ excuſare poteſt communicationem cum excommunicato. Per *neceſſe* deſignatur neceſſitas alterutrius animæ vel corporis, propter quam tenemur præſtare proximo neceſſaria v. g. alimenta, indumenta, auxilium, conſilium, refugium &c. Omnes iſti caſus habentur cap. *Quoniam multos caſus*. 11. q. 3.

Tandem ſi excommunicatus perſeveret per annum in excommunicatione, redditur ſuſpectus de hæreſi, ita ut contra eum procedere liceat, ſicut adverſus hæreticos, ut conſtat ex Concilio Trid. ſeſs. 25. cap. 3. *de reformat.*

Præter recenſitos effectus alii ſunt, qui ſequuntur excommunicationem per accidens, ob novam excommunicati malitiam, nempe irregularitas, quam incurrit qui officium alicuius Ordinis exercet, ut de hoc alibi; & iuxta Navarrum privatio effectus generalis abſolutionis, quæ ex Romanæ Curiæ ſtylo in Reſcriptis Pontificiis præmitti ſolet.

## §. VIII.

*De excommunicationibus reſervatis Papæ in Bulla Cœnæ, & extra, ac præcipue de excommunicatione, quæ dicitur Canonis, ſeu contra Clericorum percuſſores.*

Excommunicatio contra Clericorum percuſſores, *Canonis* appellatur, eo quod lata ſit in Canone 15. Concilii ſecundi Lateran. ſub Innocentio II. cap. *Si quis ſuadente* 29. cauſ. 17. q. 4. quæ utpote frequentior, eo maiorem notitiam requirit: & ut firmius dicenda ſtabiliantur, placuit pro fundamento referre verba ipſa Canonis, in quo ſic legitur: *Si quis ſuadente diabolo manus violentas in Clericum vel Monachum iniecerit, anathematis vinculo ſubiaceat: & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſolvere, niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & eius mandata recipiat.* Ex verbis Canonis manifeſte patet, hanc excommunicationem eſſe reſervatam Papæ; ita ut niſi in caſibus a iure expreſſis, aliiſve iam expoſitis, præcipue quoad Religioſos, dum de abſolutione a cenſuris generatim agebatur, nemo huius cenſuræ abſolutionem impendere valeat.

Dicit igitur 1. Concilium Lateranenſe, *Si quis*; & per hoc intelliguntur ii omnes utriuſque ſexus, qui capaces ſunt cenſuræ, ſive mares ſive fœminæ, nullo excepto ordine, gradu, dignitate, ſtatu, ne quidem impubere, qui rationis ſit compos, non laico, non Clerico, non Religioſo, nec ipſo Clericum volentem percutiente: immo hanc incurrunt cenſuram mandantes quoque, conſulentes, conſentientes, ſecuto effectu; item non impedientes, ſi ex officio ad hoc teneantur, vel ſi abſque damno ſuo & periculo impedire potuerint, & ex malitia permiſerint. Similiter incurrunt ratam habentes percuſſionem factam ſuo nomine, tametſi non conſuluerint, nec mandaverint cap. 23. *de ſentent. excommunic.* in 6. Clericus quoque, qui ex malitia ſeu paſſione vulneret ſe; quia ſic verificatur manus violentas in Clericum iniicere cum iniuria naturæ & ordinis Clericalis, non vero ſi ex devotione. 2. *Suadente diabolo* non ſignificat percuſſionem factam temere, audacter, ſed quæ ſit lethale peccatum in ratione iniuriæ exterius illatæ cum prava voluntate graviter lædendi Clericum, vel Monachum, quod peccatum effective & eo fine executum requiritur, & ſufficit ut hæc pœna incurratur c. *Contingit* 36. *de ſentent. excommun.* 3. *Manus violentas* denotat quamlibet actionem externam, iniurioſam, eccleſiaſticam perſonam vel ei adhærentem violenter tangens, ſive fiat manu, pede, baculo, aut quovis alio inſtrumento capaci ad lædendum Clericum, vel Monachum. Utitur enim Canon verbo *manus*, eo quod manus ſit inſtrumentum magis aptum & ſolitum ad exteriores violentas iniurias inferendas.

Unde ipſo facto excommunicatione hac in-

innodatur, qui Clericnm aut Monachum percutit, vulnerat, conſpuit, vellit crines, conſpergit aqua, pulvere, aliquid per vim de manibus vel corpore eius eripit, librum, pileum, veſtem, lapillis eum perſequitur, ut in fluvium aut foſſam incidat, equo decidat &c. qui eum violenter detinet, in publica vel privata cuſtodia, in carcere, vel alio in loco, unde ſine magno dedecore exire nequeat; qui manus violentas iniiciat in equum cui inſidet, illum occidendo, vulnerando, percutiendo, aut per frænum detinendo; nam etſi tales violentiæ Clerico illatæ non ſint graves relative ad corpus, ſunt tamen graves atque mortales comparative ad honorem, qui contumelioſe læditur, ut notavit Innocentius III. in cap. *Nuper* 29. *de ſentent. excom.* Dicit 4. *in Clericum*, & hoc contingit etiamſi Clericus conſentiat ut huiuſmodi iniuriæ ei inferantur, quia non ideo deſinit eſſe iniuria ſtatui Clericali, in cuius favorem lata eſt excommunicatio cap. 36. *de ſent. excommun.* Dicit 5. *in Clericum*. Per hoc nomen *Clerici* intelligendus eſt quicumque ſaltem primam Tonſuram receperit, habitum Clericalem & Tonſuram deferens: Nam hi vere ſunt Clerici, ut ex cap. *Cum contingit de ætate, qualitate &c.* Sic Clerici ſunt etiam coniugati, ſi cum unica & virgine contraxerint, habitum & Tonſuram deferant, & alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi deſerviant Cap. *unic. de Cleric. coniugat.* 5. in 6. Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 6. *de reformat.* Alias hoc privilegio gaudere nequeunt; quia Clerici bigami, qui ſcilicet vel contraxerunt cum duabus, vel cum corrupta, a tali privilegio Canonis excluſi ſunt, cap. unic. *de bigamis* in 6. At nunc fere communiter, qui uxorem ducit, Clericatui renunciaſſe cenſetur, etiamſi habitum & Tonſuram deferat. Clerici, qui dimiſſo habitu & Clericali Tonſura negotiis ſæcularibus ſe immiſcent, ſi poſt trinam Epiſcopi admonitionem non reſipiſcant, hoc privilegium amittunt, cap. *Di audient.* 25. cap. *Contingit* 45. 1. *de ſent. excommun.* Non amittunt vero privilegium illud qui habitum ſuum non geſtant quia non poſſunt, ut in Anglia, modo tamen qui eos percutit, ſciat, aut ſcire poſſit eoſdem eſſe Clericos. Num vero cenſuræ huic ſit obnoxius qui in tenebris aliquem percutit, quem an Clericus ſit, videre nequit, controvertitur inter Theologos, inter quos negat Sayrus lib. 3. c. 27. etiamſi percutiens det operam rei illicitæ. Alii vero probabilius ſuſtinent, huiuſmodi percuſſorem immunem non eſſe a cenſura, ſi animadvertat, vel animadvertere valeat, ſe Clericum æque ac laicum fieri poſſe quod percutiat. Nam tunc ſic affectus eſſe videtur, ut quemcumque præ manibus habet, cædat, ſive Clericus ſit, ſive non; ita ut Clerici percuſſio tunc involuntaria dici nequit. Item ab hoc privilegio decidunt, qui contempto Clericali habitu, etiam poſt trinam Epiſcopi monitionem arma deferunt, vel mimicam artem per annum exercent, cauponem agunt, vel tyrannidem exercent, bella, ſeditioneſque, ac turbas in populo commovent, in quo poſtremo caſu, abſque prævia trina monitione, ſine cenſuræ metu percuti poſſunt, ſive habitum deferant, ſive non. Item Clerici realiter degradati & ſolemniter depoſiti ex cap. *Degradatio* in 6. *de pœnis* 5. tit. 9. Item Clerici ſe enormitatibus immiſcentes, ideſt latrocinia, graſſationeſque iniquas perpetrantes, cap. *Cum non ab homine* 14. & cap. *Perpendimus* 23. *de ſentent. excommun.* Dicit 6. *vel Monachum*. Hoc nomine *Monachi* intelliguntur Regulares omnes utriuſque ſexus cap. *Cum illorum* 32. & cap. *De Monialibus* 33. *de ſent. excomm.* in 6. Etiam Converſi & Converſæ dicto cap. *De Monialibus*. Novitii quoque & Novitiæ cap. *De Religioſo de ſentent. excomm.* in 6. Tertiarii & Tertiariæ Mendicantium in Congregatione & Communitate viventes, ex Conſtitutione Leonis X. quæ incipit *Dum intra*: Item Tertiariæ Mulieres in propriis domibus viventes, & virginalem ac celibem vitam ducentes ex voto caſtitatis de Ordinarii licentia, ex dicta Conſtit. 32. *Dum intra* edita a Leone X. 1. Maii ann. 1518. in Concilio Lateran. ſeſſ. 11. Similiter Eremitæ habitum Eremiticum ex legitima facultate deferentes, & ſub ſpeciali obedientia Epiſcopi, vel alterius Prælati alicui Eccleſiæ vel Eremitorio in Communitate, vel ſeparatim deſervientes: Iſti enim cenſentur perſonæ eccleſiaſticæ. Ita Gloſſa in cap. *Qui vero* 16. aſſerens, quod tales Eremitæ gaudent privilegio Clericorum, licet non renuncient propriis. Fagnanus cap. *Nullus* n. 6. *de foro competenti* poſt Card. in Clement. *Per literas* n. 9. *de Præbend.* Innoc. cap. *Cum Monaſterium* 13. *de elect.* & multi alii cum Anacleto. Itidem alii omnes, qui aſſumpto habitu Religioſo, Monialium ſervituti ſunt addicti, ac pro illis eleemoſynas quærunt, & prope Monaſterium earum more vivunt. Laici pariter, qui habitu Clericali incedunt, & inſerviunt Congregationi Presbyterorum,

qui

Digitized by Google

qui collegialiter ſub certo Superiore modo Religioſo vivunt. Sic Antonellus n. 22. Mattheucci Officialis Curiæ quoad excommunicationem Canonis n. 10. Equites quoque Hieroſolymitani, vulgo *Cavalieri di Malta;* ſunt enim Religioſi, cum emittant tria vota ſubſtantialia in Religione a S. Sede approbata. Et ſi ſe invicem percutiant, concedit eis Pontifex, ut ab excommunicatione hac de cauſſa incurſa ab eorum Priore Sacerdote abſolvi poſſint cap. *Canonica* 50. *de ſentent. excommunic.*

Ab hac cenſura excuſantur laborantes ignorantia invincibili tam iuris, ut ſi quis ignoret invincibiliter ob Clerici percuſſionem eſſe ſtatutam excommunicationem, quam facti, ut ſi quis ignoret, quem percutit eſſe Clericum, ita ut re deducta ad forum externum paratus ſit firmare iuramento ſuam ignorantiam cap. *Si vero* 4. *de ſent. excommun.* Nam ignorantia invincibilis ſemper excuſat a cenſura. Item in cap. *Ut animarum periculis* 2. *de Conſtitut.* in 6. percutiens laicum putans eſſe Clericum contrahit quidem malitiam ſacrilegii, ſed non excommunicationem; quia ut hæc incurratur, debet reipſa, non tantum in apprehenſione Clerico vel ſtatui Clericali irrogari iniuria. Secundo excuſantur quando actio non eſt de ſe violenta, licet ſit iniuſta, ut cum fur clam abſcindit crumenam. Item ſi fiat ſine violenta manuum iniectione, ut cum verbis contumelioſis afficitur. Pariter ſi percuſſio ſit iocoſa cap. 2. *de ſentent. excommunic.* vel caſualis, ut cum ianitor vel apparitor arcens turbam, fortuito & involuntarie percutit Clericum mixtum cum turba cap. 3. *de ſent. excomm.* Item qui fortuito, & ſubitanea ira vel paſſione ſine ſufficienti deliberatione Clericum lædunt ex cap. *Si vero* 3. *de ſentent. excommun.* Item Clerici ſe ad invicem percutientes ex mero ioco & levitate, non ex odio, invidia, & indignatione cap. *Super* 1. *de ſentent. excomm.* non poteſt enim in his iniectio manuum violenta notari. Immo eos excuſat Antoine, ſi etiam violenter ſe invicem, vel unus alterum percutiat, ſi ſint impuberes, quos tamen non excuſat ſi ſint puberes ex cit. cap. 1. *de ſentent. excommunic.* Similiter excuſantur percutientes Clericum cum moderamine inculpatæ tutelæ, vim vi repellendo ad defendendam vitam aut bona ſua cap. 3. *de ſentent. excommunic.* Itidem excuſantur percutientes Clericum vel Monachum inventum turpiter agentem, idest quemvis actum impudicum exercentem cum propria matre, filia, uxore, ſorore; ſecus vero ſi cum alia cap. *Si vero* 3. *de ſentent. excommun.* Non tamen excuſantur ſi occidant vel percutiant non ſtatim ac in crimine deprehenduntur, ſed poſt tantum temporis ſpatium, quo iuſtus dolor ſedari potuerit: nam tunc non amplius licet, ſicut ſi data opera Clericum aut Monachum aliquo in loco expectent, ut poſſint in crimine repertum occidere. Similiter excuſantur mulieres percutientes Clericum vel Monachum pudicitiam ſuam facto tentantes; ſecus vero, ſi ſolis verbis aggrediantur; nam tunc ſolis verbis ſunt repellendi, niſi taliter eſſent moleſti, ut mulieres non aliter ſe liberare poſſent, quam utendo fuſte, verbere, pugnis &c., ut advertunt communiter Canoniſtæ in cit. cap. *Si vero* & cap. *Ex tenore*. Excuſantur quoque Magiſtri, Præceptores, Parentes, & propinqui, qui Clericum percutientes correctionis & diſciplinæ gratia, nempe ut cohibeantur a ſuis inſolentiis, ſcientia, boniſque moribus imbuantur, caſtigant moderate, ſeu leviter percutiendo cap. *Cum voluntate de ſentent. excommun.* Circa hoc tamen advertendum, quod Magiſtri, propinqui, ſi ſint laici, immo ipſi parentes, non habent ius corrigendi & puniendi Clericos niſi in minoribus conſtitutos, non vero in ſacris & maioribus, quod expreſſe ac clare definitur in cit. cap. *Cum voluntate;* quia nimis indecorum eſſet ſtatui Clericali, & plurimum vileſceret Clericalis reverentia, ſi concederetur laicis poteſtas corrigendi Clericum in maioribus per verbera. Et hæc eſt communior, quidquid alii in contrarium ſentiant. Item excuſantur præ cæteris Prælati eccleſiaſtici, ſi correctionis cauſſa Clericos aut Monachos ſibi ſubditos nedum in minoribus, ſed in maioribus etiam Ordinibus conſtitutos, iuxta gravitatem culpæ caſtigaverint vel per ſe, vel ſi neceſſitas urgeat, per alium, non tamen per laicum; alias tam Prælatus mandans, quam laicus exequens incurret excommunicationem cap. *Cum univerſitat.* cap. *Tenore*, & cap. *Cum voluntate*. Quod ſi neceſſitas urgeat, & Clericus ac Monachus nonniſi per laicum caſtigari poſſint, ideſt ligari, incarcerari, immo & torqueri, tunc Prælati ad eos puniendos uti poterunt Laico, abſque eo quod incurrant excommunicationem, cap. *Ut famæ* 35. verſu *Laici de ſentent. excomm.* Tandem excuſantur ab excommunicatione, qui percutiunt Clericum, qui ob rationes antea allatas excidit, vel a proprio Epiſcopo ſpolia-

liatus eſt privilegio Canonis, ut ſunt v.g. bigami, vel exercentes artes viles, infames, vel mechanicas &c. cap. unico *de vita & honeſt. Clericor.*

## §. IX.

### *De dicta Clerici percuſſione, & de abſolutione huius Cenſuræ.*

Duplex diſtinguitur Clerici percuſſio, etiam mortalis. Alia enormis dicitur & gravis, & talis æſtimatur vel ratione nimis magnæ gravitatis percuſſionis, cuiuſmodi eſt occiſio, mutilatio, notabilis ſanguinis effuſio ex vulnere, carnis laceratio, dentium vel multorum capillorum evulſio; vel ratione eccleſiaſticæ perſonæ, ut ſi ſit Epiſcopus, Prælatus, quamvis etiam non plus quam alapa percuteretur.

Altera dicitur levis ſive mediocris relative ad enormem, & ea eſt, quæ fit ſine ulla corporis læſione, ſeu quæ nullam attulit maculam, carnis lacerationem, vulnerationem, partis alicuius mutilationem, copioſam ſanguinis effuſionem, nec dentium aut capillorum evulſionem, nec illata fuit eminenti perſonæ, ideſt non Cardinali, Epiſcopo vel Prælato, nec fuit occaſio gravis ſcandali.

Prima, ſeu percuſſio gravis, reſervata eſt Papæ; altera Epiſcopo c. 17. *de ſentent. excommunic.* Prælati verò Religioſorum poſſunt abſolvere ſuos ſubditos, qui ad invicem ſe percuſſerunt, dummodo percuſſio non ſit enormis cap. 32. eod. tit. Verum ſi Religioſus percuſſus non ſit ſubditus eiuſdem Superioris, cui ſubiacet percuſſor, hic abſolvi debet a proprio, & a percuſſi Superiore cap. 32. tit. eod. Quod ſi Religioſus percutiat Clericum ſæcularem, nequit abſolvi niſi ab Epiſcopo cap. 21. *de ſentent. excommun.* in 6. vel a Papa, ſi percuſſio ſit enormis. Cæterum, ut circa abſolutionem huius cenſuræ res clarius dignoſcatur, quando adſint caſus, in quibus ex iure communi ab alio præter Papam, vel eius Legatum a Latere abſolvi queant, habetur in ſequentibus verſibus.

*Regula, mors, ſexus, hoſtis, puer, officialis,*
*Delicioſus, inops, ægerque, ſenexque, ſodalis,*
*Ianitor, adſtrictus, dubius, cauſſæ, levis ictus,*
*Debilis abſolvi ſine ſumma Sede merentur.*

Itaque non ſolum neceſſe non eſt recurrere ad Papam, quando ictus ſit levis, ſed etiam in aliquibus aliis circumſtantiis, ut denotat ſignificatio verborum, quæ in ſuperioribus verſibus continentur. *Regula* enim ſignificat, Regularem poſſe abſolvi a ſuo Prælato, Abbate, Guardiano &c., vel ab alio de eius conſenſu, ſi percutiat Regularem eiuſdem Monaſterii, immo hodie ex vi ſuorum privilegiorum, ne tribuatur Religioſis occaſio vagandi, etiamſi percuſſio ſit enormis; ſecus vero ſi percutiat Clericum ſæcularem, vel alterius Monaſterii Religioſum: nam, ut notatum fuit antea, in primo caſu abſolvi debet ab Epiſcopo, in ſecundo etiam a Superiore Religioſi percuſſi. Novitii quoque abſolvi poſſunt a Superiore Monaſterii, apud quod eſt locus Novitiatus, cum onere tamen ſi egrediantur ante profeſſionem, reincidendi in eamdem ſententiam. *Mors*, ideſt in gravi periculo mortis, & tunc talis abſolvi poteſt a quocumque Sacerdote, etiam non approbato, ſi approbatus haberi nequeat, qui eius confeſſionem excipiat. *Sexus*, ſeu mulieres, ſive fortes, ſive infirmæ, aut egenæ, viduæ, vel non, quæ abſolvi poſſunt per Epiſcopum a quacumque percuſſione, quia ius indefinite loquitur. Idemque a fortiori dic de monialibus. *Hoſtis*, ſive qui capitales habet inimicitias, & ſaluti ſuæ timet, dummodo tamen, ut advertit Sayrus, non debeat & poſſit, ac per ſe ſtet finem hiſce hoſtilitatibus imponere. *Pueri* impuberes, etiam adempta pubertate. *Officialis*, puta Iudex vel apparitor alicuius Potentiæ, dummodo tamen non percuſſerit enormiter. *Delicioſus*; Nobiles ſcilicet & magnæ potentiæ viri, non valentes ſine periculo ſtatum ſuum deſerere, ſicuti qui nequeunt ſuſtinere itineris laborem. Verum ut hi abſolvantur ab Epiſcopo, neceſſe eſt ut hic veritatem perpendat, & eſt conſulenda S. Sedes, niſi tamen periculum eſſet in mora. *Inops*, qui arte vivit, qui non valet ſupplere itineris expenſas, niſi tamen eſſet mendicans vivens ex eleemoſynis, quas ubique invenire poteſt. *Æger*, ideſt valetudinarius, & quiſquis ſine periculo mortis, & reincidendi in morbum iter ſuſcipere nequit, circa quod conſulendi ſunt medici. *Senex*, ideſt ii omnes, qui ob ætatem tali itineri iudicio prudentum apti, non ſunt. *Sodales*, ſeu Clerici, qui in eadem domo communem vitam ducunt, dummodo percuſſio non ſit enormis. *Ianitor*, qui ratione ſui officii, etiam animo iniuriandi, percuſſerit Clericum,

Caſus in quibus non eſt neceſſe adire Papam pro abſolutione.

Digitized by Google

cum, modo non enormiter, abſolvi poteſt ab Epiſcopo; idemque intelligitur de iis, qui alterius poteſtati ſunt adſtricti, & non ſunt ſui iuris, ut filiifamilias, ſervi. *Dubius*, ſive ipſe, ſive alii de ipſo dubitent, ad cautelam ab Epiſcopo abſolvi poteſt. *Cauſſæ*, ideſt quando iuſtæ cauſſæ impediunt iter Romæ aggrediendi; ita tamen ut & iniuriam illatam reparent, & iurent quod ceſſante impedimento S. Sedem adibunt. *Debilis*, ut ſunt cæci, claudi, aliiſque membris deſtituti. De *levi ictu* iam ſatis ſuperque ſupra diximus.

## §. X.

### *De Monitoriis, ſeu de excommunicatione, quæ incurritur ex monitione ad finem revelationis.*

*Monitorii* nomine intelligitur hic ſpecialiter mandatum Iudicis Eccleſiaſtici, ſeu Monitoriales Literæ, aut Edicta, quæ a legitimis Eccleſiæ Superioribus eduntur & conceduntur, quibus iubetur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ manifeſtare intra tale præfixum tempus auctores criminis Reipublicæ pernicioſi, vel gravioris damni proximo illati, vel res aut ſcripturas deperditas, ſubtractas aut occultatas, reſtituere. Huiuſcemodi Monitoria concedere poteſt ſummus Pontifex pro toto orbe, Epiſcopi in ſuis reſpectivis Diœceſibus, ut colligitur ex Concilio Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. *de reform.* Item Vicarius Generalis Epiſcopi, vi ſuæ generalis commiſſionis; item Vicarius Capitularis, Sede vacante, cum ad Capitulum tranſeant omnia, quæ ſunt iuriſdictionis neceſſariæ, ut eſt excommunicationis promulgandæ facultas, ut tenent communiter DD. cum Barboſa. Item concedere ea poſſunt, prævia tamen cauſſæ cognitione, Vicarii Apoſtolici, ut declaravit ſacra Congregatio Cardinalium Interpretum Concilii ſub die 26. Octob. 1590. apud Barboſam; Legati pariter a Latere, Nuncii Apoſtolici, ut conſtat ex ipſo Barboſa. Verum concedere nequeunt hæc Monitoria Abbates, aliique Prælati Epiſcopo inferiores, immediate Sedi Apoſtolicæ ſubiecti, ac nullius Diœceſis, ut declaravit ſacra Congregatio Cardinalium 22. Ianuarii 1598.

Poſſunt tamen Generales Religionum, eorumque Viſitatores & Provinciales pro ſuis ſubditis; Superiores autem locales poſſunt illa edere in ſuis Conventibus, ſed ſolummodo pro revelandis delictis, vel pro reditu fugitivi ſeu apoſtatæ ad ſuum Conventum intra tres menſes vel quatuor dies; quia Monitoria ſub excommunicationis pœna pro rebus deperditis reſervantur Prælatis maioribus, quia ſolent eſſe ſolemniora, ut Melphi & Felix Poteſtas ac Ferrarius verbo *Monitor*.

Monitoria pro revelandis rebus occultis relaxantur tantummodo deficientibus probationibus, & ſi veritas alio modo haberi nequeat: ſic iuxta ſacræ Congregationis iudicium ſentire videtur Concilium Trid. cit. ſeſſ. 25. cap. 3. & tenent communiter DD. cum Barboſa. Nec ſunt concedenda pro re qualibet parvi momenti, ut colligitur ex Concilio Trid. loco cit. ubi ita: *Non alias, quam ex re non vulgari*; dummodo tamen, licet levis in ſe, gravis eſſet in iure ex circumſtantiis.

Monitoria huiuſmodi poſſunt concedi in ſolis cauſſis civilibus, non autem in criminalibus; quia & afferunt infamiæ notam, & inducunt periculum incurrendi irregularitatem: Unde ſtylus eſt univerſalis Curiæ Eccleſiaſticæ, ut ſub tali conditione concedantur. Hinc petenti copias revelationis dari poteſt iuramentum, illa non uſurum niſi in civili iudicio. Quare Clerici ſecundum D. Thomam 2. 2. q. 70. art. 1. non tenentur denunciare in cauſſa ſanguinis, & communiter inſignes Theologi & Canoniſtæ ita ſentiunt, ac ſtatuunt, Clericum ferentem teſtimonium in cauſſa criminali, ex cuius teſtimonio mors aut mutilatio ſequatur, incurrere irregularitatem. Verum alicubi, & præcipue in Galliis coguntur Clerici in huiuſmodi cauſſis teſtimonium ferre, & huic ſtylo favet Oſtienſis in *Summa* lib. 2. *de teſtibus cogendis*, ubi ſic: *Offenditur principaliter privata utilitas tantum; ſed in criminalibus Deus offenditur, Reſpublica læditur, proximus corrumpitur, obedientes opprimuntur, inobedientes præmiis afficiuntur, & de ſuis malis gloriantur; nocens abſolvitur, & innocens condemnatur, niſi teſtes compellantur, & crimina puniantur.* Idcirco ob hanc rationem in illo Regno conceduntur monitoria etiam in criminalibus. In civilibus concedi valent tam ante inceptam litem, quam ea pendente, dum probationum terminus non elabitur. Ita Barboſa cum aliis. Minime vero concedi debent ad inſtantiam nominatim excommunicari & publici, ſeu publici & notorii peccatoris. In quibus cauſis conceduntur Monitoria.

Monitoria hæc conceſſa pro habendis revelationibus publicantur tribus diebus feſtis, exceptis tamen Nativitatis, Reſurrectio-

ſtionis, Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, aliiſque ſolemnioribus anniverſariis, niſi alia gravi de cauſſa ſecus Epiſcopus cenſuerit. Sic cit. Barboſa.

Monitorii vi nemo tenetur ſeipſum patefacere & denunciare; quia nemo ſe infamare, ſeu prodere ſeipſum debet cap. *Quis aliquando* 87. *de pœnit.* diſt. 1. & eſt communis. Immo nec alii tenentur vi Monitorii eum denunciare, quem ſciunt rem alienam detinere in iuſtam compenſationem, aut non reſtituere ob impotentiam; quia cum in hiſce caſibus Monitorium non liget principalem, multo minus ligabit minus principalem, ſicuti ſunt ſcientes reſpectu detentoris. Tenerentur tamen, ſi non quoad totum, ſed ſolum quoad partem eſſet impotens, vel talem titulum haberet quoad partem compenſationis, non ſecus ac non excuſatur detentor a reſtitutione quoad partem.

Item non tenetur quis vi Monitorii alterum denunciare, quando ex denunciatione prudenter timet ſibi, aut ſuis uſque ad quartum gradum aliquod grave damnum in bonis animæ, corporis, vel fortunarum, quia præcepta humana, & præcipue poſitiva non obligant cum tanto incommodo: Sicuti etiam nemo tenetur ex tali vi denunciare coniunctos intra quartum gradum, tametſi non adſint alii teſtes. Nam ſi ius non poteſt eum compellere ad teſtificandum contra ſeipſum, ita nec ad denunciandum: lex enim eccleſiaſtica non debet cedere in benignitate, ligando eos, quos lex civilis non obligat, ſicuti eſt teſtificari contra coniunctos. Inhabiles tamen ad teſtificandum, ut ſunt infames, & huiuſmodi, tenentur revelare, præſertim cum deficiunt aliæ probationes; quia eorum teſtimonium non omnino eſt invalidum, quia etſi non probent, faciunt tamen præſumptionem.

Monitorii vi nemo revelare tenetur quod ſcit tantum ſub naturali ſecreto ad finem habendi conſilium, aut auxilium, ut contingere poteſt in Medicis, Chirurgis, Pharmacopolis, Obſtetricibus, Advocatis, Procuratoribus, Tabellionibus, & huiuſmodi, qui ſecreta infirmorum, clientum, & aliorum ſub naturali ſigillo percipiunt; quia obligatio ſervandi tale ſigillum eſt iuris naturalis, quod prævalet iuri eccleſiaſtico ſeu poſitivo. Sic Barboſa & communiter DD. cum S. Thoma q. 70. art. 1. & 2. Aliter tamen dicendum, ſi agatur de reparando gravi damno Reipublicæ, aut tertiæ perſonæ, quod aliter evitari ſeu impediri nequeat, aut de revelando impedimento occulto Matrimonium dirimente; quia in hiſce caſibus tenentur obſtetrices, medicus &c. revelare ſecretum, cum bonum commune prævalere debeat privato ſeu particulari; & ius naturale innocentis, ne grave damnum patiatur, prævalet iuri naturali, quod habet nocens ne reveletur; & bonum Sacramenti, quod validari debet, obligat ad detegendum impedimentum dirimens etiam cognitum ſub naturali ſigillo, ut ſic evitentur nullitas eiuſdem Sacramenti, continuus concubinatus, aliaque gravia incommoda. Sic nemo tenetur revelare quod certo non ſcit, ne ſe exponat periculo falſitatis, levitatis, & patiens exponatur damno; ita nec id, quod in iudicio probare nequit: Nam in talibus caſibus ſe habet ac ſi neſciret. Sic Barboſ. cum Navar. Ugolin. & aliis bene multis. Si crimen omnino occultum ſit, illius conſcius tenetur iuxta ordinem correctionis fraternæ, ante denunciationem, auctorem admonere; modo tamen ſpes adſit emendationis, & auctor damnum reſarciat, quia tunc non tenetur illum revelare.

Cum Monitorium promulgatur propter damnum pluribus illatum, puta propter vineæ aut ſylvæ devaſtationem, qui ſcit, Titium ſeiunctim ab aliis unum aut alterum racemum, vel minimum aliquod lignum inde abſtuliſſe, non ſine gravi peccato Titium denunciaret; quia Titius, qui reus non eſt niſi leviſſimæ culpæ, quæ non ſubiacet excommunicationi, exponeretur periculo damni gravioris; ſcilicet ſatisfaciendi toti damno vineæ vel ſylvæ illato. Teneretur tamen Titius in tali caſu reſarcire damnum, licet leve, a ſe illatum: Nam merito Monitorium promulgatur, ut reſarciatur damnum a pluribus illatum, quod fieri nequit, niſi quiſque minimam partem ablatam reſtituat. Quod ſi Titius ſimul cum aliis illud grave damnum intulerit, teneretur, aliis non ſatisfacientibus, damnum totum per ſeipſum compenſare, ita ut niſi hoc faciat, denunciandus ſit. *Exponuntur aliqui caſus circa Monitoria.*

Qui per plateas ab hominibus incognitis nec fide dignis audivit, crimen a Caio fuiſſe perpetratum, non tenetur denunciare; quia talis denunciatio nullam fidem faceret in iudicio. Si vero audivit a fide digno, & hic denunciet, non tenetur denunciare, quia eius teſtimonium nil adderet.

Monitorium promulgatum in una Parochia, obligat etiam vicinos eidem Parochiæ, qui de illo audierunt, ſi ſint eiuſdem Diœceſis, qui ſubſunt iuriſdictioni Auctoris Mo-

Monitorii; ſecus vero ſi ſint alterius Diœceſis, quia non ſunt ſubditi iuriſdictioni Prælati, qui Monitorium conceſſit; unde vi illius non poſſunt obligari ad denunciationem. Qui autem vi Monitorii tenentur denunciare, ſi omittant, ad reſtituenda damna ex ſuo ſilentio illata obligantur. Sic Avila, Navar. Sotus, Emin. Card. *le Camus* Epiſcopus Gratianopolitanus: & ratio eſt, quia conquerens per præceptum iudicia tam ſæcularis, quam eccleſiaſtici, acquirit ius in eos, qui teſtimonio ſuo ipſi ſubvenire valent, ac poteſt exigere, ut ei tale ferant ſubſidium. Habert.

Qui intra præfixum terminum Monitorii non revelant, niſi ignorent Monitorium, vel ſint legitime impediti, peccant mortaliter, & incurrunt excommunicationem, quam tamen non incurrunt, ſi intra hunc terminum moriatur Superior, qui Monitorium conceſſit. Quod ſi quis eam incurrerit, ligatus manet, etiamſi ſtatim poſt expiratum Monitorium, dictus auctor moriatur. A tali excommunicatione, ſi Monitorium ſit Papale, homo abſolvi poteſt, ſatisfacta parte, ſeu obedientia præſtita, ab ipſo Papalis Monitorii executore, vel a Confeſſariis privilegiatis, ideſt ab illis, qui privilegium habent, ut ſatisfacta parte (quæ conditio ſemper apponitur) poſſint abſolvere a cenſuris Papæ reſervatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, & aliis ſex caſibus intra Italiam, & extra Urbem de Mandato Clementis VIII. reſervatis. Ab hac excommunicatione vero lata, & ſibi ſpecialiter reſervata in Monitorio ab Epiſcopo, non poſſunt privilegiati abſolvere ſine ſpeciali eiuſdem facultate; ſed poteſt abſolvere ſolus Epiſcopus, vel eius delegatus, ac eius ſucceſſor, pro quo venit etiam Capitulum Sede vacante, & in caſu appellationis, Superior ad quem ſit appellatio, ut alias iam dictum fuit, ideſt Metropolitanus, Legatus Apoſtolicus &c.

## §. XI.

### *De Excommunicatione minori.*

Excommunicatio minor eſt cenſura privans hominem paſſiva Sacramentorum participatione, & voce ſeu electione paſſiva. Hinc vocatur etiam excommunicatio minor, quia multo pauciores habet effectus, quam excommunicatio maior. Non tamen ſpernenda eſt talis excommunicatio; quia ea ligatus peccat mortaliter accipiendo Sacramenta, & Beneficia, quia facit contra prohibitionem Eccleſiæ in materia gravi; ſicuti etiam qui ei Sacramenta miniſtrat, & Beneficium confert, ob eamdem rationem graviter delinquit, niſi excuſet ignorantia, aut neceſſitas vitandi ſcandali, alteriuſve notabilis mali: Nam uterque cooperatur peccato, violatque præceptum naturale prohibens, ne bona Eccleſiæ conferantur indignis. Valida tamen ſunt Sacramenta collata excommunicato excommunicatione minori, excepta Pœnitentia, quia ſupponitur deeſſe dolorem de peccatis, ſine quo hoc Sacramentum valide recipi nequit. Secus, ſi priuſquam cenſuræ abſolutionem petat, aut ſibi eam ſciat impertiendam, dolorem præmittat, ut communiter præmitti conſuevit. Valida item eſt electio iſtius ad Beneficium, & collatio ei facta ex cap. *Si celebret* 10. *de Cleric. excomm. miniſtrante.* Peccat pariter talis excommunicatus, ſi Sacramenta conficiat, aut adminiſtret; & ſi Miſſam celebret, peccat mortaliter, quia ſe communicare debet, quod non poteſt excommunicatus excommunicatione minori. Num vero peccet mortaliter, vel venialiter, non conveniunt DD. circa aliorum Sacramentorum miniſtrationem, & probabilior eſt peccare ſolum venialiter; quia cum ſolum indecens hoc ei ſit, obligatio honeſtatis & decentiæ regulariter non inducit grave peccatum. Nullam tamen incurrit irregularitatem, pœnam canonicam, ſive conferendo, ſive recipiendo, quia nulla eſt expreſſa in iure. Ex his collige, excommunicatum excommunicatione minori poſſe intereſſe divinis officiis, ſuffragiis frui, abſolvere a cenſuria, actus iuriſdictionis exercere. Eſt communis.

Excommunicatio minor incurritur communicando cum excommunicato excommunicatione maiori, ut iam antea diximus, ſcilicet loquendo cum ipſo, communicando in Officiis divinis, ineundo cum ipſo contractus, iter faciendo, quieſcendo in eodem lecto vel cubiculo per modum ſocietatis, dummodo neceſſitas non excuſet, cibum & potum cum ipſo ſumendo, ſalutando, quæ excipiuntur in ſequenti verſiculo, iam antea allato.

*Os, orare, vale, communio, menſa negantur.*

Dantur tamen cauſſæ excuſantes, quas ibi etiam retulimus, expreſſas in illo alio verſiculo:

*Utile, lex, humilis, res ignorata, neceſſe.*

§. XII.

## §. XII.

### *De Suſpenſione.*

**Definitio ſuſpenſionis.**

Suſpenſio eſt *Cenſura Eccleſiaſtica*, *qua Clericus interdicitur ſeu prohibetur aliquos actus Eccleſiaſticos, alias ſibi competentes, nempe uſus Ordinis, officii & Beneficii, exercere*. Dicitur *cenſura*, quæ vox locum haber generis, & efficit ſeu impedit, ne peccarum mortale, quod etiam privat Eccleſiaſtico miniſterio, ſit ſuſpenſio, prout hic ſumitur. Unde prohibitio facta ſeni vel laboranti aliqua infirmitate, quæ afferat periculum in celebratione, ne celebret, non eſt ſuſpenſio, quia non ſupponit culpam. *Qua Clerico prohibetur*: Denotant hæc verba, ſolum Clericum eſſe ſubiectum ſuſpenſionis ad differentiam aliarum cenſurarum, quibus ligari poſſunt etiam laici. Unde nec Moniales, licet potiantur privilegio fori & Canonis, ſunt capaces ſuſpenſionis. *Nempe uſus Ordinis, Officii & Beneficii exercere*, ut diſtinguatur ſuſpenſio a depoſitione & degradatione, dum per has tali uſu ac iuriſdictione Clericus expoliatur, per ſuſpenſionem vero ipſi ſolum talis uſus prohibetur.

**Diviſio ſuſpenſionis.**

Suſpenſio alia eſt *medicinalis*, quæ fertur ut homo reſipiſcat, alia *pœnalis*, quæ fertur in vindictam criminis præteriti. *Pœnalis* alia eſt *temporalis*, quæ fertur cum limitatione termini, puta ad biennium; alia *perpetua*, & hæc eſt vel perpetua *poſitive*; ut ſi dicatur, *qui hoc fecerit*, *ſit perpetuo ſuſpenſus*, & ea magis videtur depoſitio; alia eſt perpetua *negative*, ſeu indefinite, cum nullum ei præfigitur tempus, & tunc intelligitur duratura, donec aliter Superiori viſum fuerit. Ex his ſuſpenſionibus nulla eſt, præter medicinalem, quæ vere ſit cenſura. Suſpenſio autem medicinalis dividitur in ſuſpenſionem ab Ordine ſeu *ab Officio*, in ſuſpenſionem *a Beneficio*, & in ſuſpenſionem *ab officio & beneficio* ſimul. Suſpenſio *ab officio* eſt ea, qua Clerico prohibetur exercitium ſuorum Ordinum, vel aliarum functionum, quæ ipſi ratione Ordinis competunt, a quo ſuſpenditur, non vero ab aliis inferiorum Ordinum, nec ab aliis miniſteriis, quæ Clericorum propria non ſunt. Unde ſuſpenſus recipere poteſt Sacramenta, excepto Ordine, lucrari Indulgentias, recitare Horas Canonicas &c. Suſpenſio *a Beneficio* ea eſt, qua Clericus fructus ſui Beneficii Eccleſiaſtici percipere prohibetur. Suſpenſio *ab officio* ſimul *& beneficio* ea eſt, qua Clerico utriuſque iura, officii nempe, & beneficii, prohibentur. Suſpenſio ab officio ſimul & beneficio dividitur in *totalem*, qua Clericus ab omni officio eccleſiaſtico interdicitur, vel a perceptione omnium penitus fructuum Beneficialium ut ex cap. *Tuarum* 11. *de privileg.* & Clement. 1. *de decimis*; & in *particularem*, qua aliquis tantum actus ſui officii Clerico prohibetur, ut cum Sacerdos ſuſpenditur ſolum ab exceptione confeſſionum, vel Epiſcopus ſolum a collatione Ordinum; nam iſti poſſunt omnes alios actus ſibi ratione Ordinis competentes exercere; & in *partialem* a Beneficio, qua Clericus ab aliqua tantum perceptione fructuum beneficialium, ut a tertia vel a quarta parte, ſuſpenditur; nec in una tamen alia includitur: Hinc ſuſpenſus ab officio determinate, non intelligitur ſuſpenſus a Beneficio, ut colligitur ex cap. *Iam literis* 33. *de teſtibus*, & cap. *Tuarum* 22. *de privilegiis*.

Controverſia eſt inrer DD. an ſuſpenſus ab officio prohibeatur, & incapax ſit novum acquirendi Beneficium. Probabilior & multo communior eſt affirmativa, nempe quod talis incapax ſit, ac prohibeatur novum acquirere beneficium: Nam quod datur propter officium, non eſt ei concedendum, qui officium exercere non poteſt, ut conſtat ex regula generali ſtatuta cap. *Finali*. Unde cum beneficium detur propter officium Ordinis & iuriſdictionis, qui ſuſpenſus eſt ab exercendo officio, ſuſpenſus etiam eſt, & inrelligi debet ab adipiſcendo novo beneficio. Num vero irrita ſit, aut ſolum irritanda hæc collatio, circa hoc videndum, num ſuſpenſus a Beneficio ſit ſuſpenſus ſolummodo a beneficiis, quæ actu poſſidet, vel ab omni prorſus beneficio. Si primum, valide ac licite aliud beneficium acceptare poteſt, cum hoc non fuerit ſibi prohibitum. Si ſecundum, diſcrepant inter ſe Caſuiſtæ. Alii cenſent invalidam eſſe novi beneficii ſuſceptionem, ut Pontaſius, aliive, ut Avila, Barboſa, qui nitunrur cap. 8. *de conſuetudine*, ubi electio a ſuſpenſo, & de ſuſpenſo facta, iuſtitia exigente, caſſata fuiſſe dicitur. Verum quia aliud eſt electionem pleno iure irritam eſſe, aliud irritari & caſſari a Iudice; hinc docent alii, ut Suarez, Coninch, ſuſpenſum ab omni beneficio, illicite quidem, ſed nihilominus valide promoveri ad beneficium; quia, aiunt, pœna gravis non eſt inducenda, niſi in iure ſit expreſſa. Unde cum collatio beneficii penitus nulla in præſenti caſu, ſit pœna gravis, quæ nullibi in iure eſt expreſſa, ſequi-

Digitized by Google

quitur, non eſſe talem electionem de eo factam ipſo facto irritam, ſed irritandam. Quare in tali obſcuritate, & ambiguitate, ait auctor *Supplem. Tournelei* recurrendum eſſe ad regulam probabilitatis in hunc modum: In iis, quæ vere dubia ſunt, practice tenenda eſt pars tutior, ſi pars minus tuta nonniſi æqualem aut pene æqualem momentorum vim habeat. Tutior autem in præſenti caſu eſt, quod ſuſpenſus ab omni beneficio acceptum beneficium vel renunciet, vel diſpenſationem, novamque collationem petat. Nam hæc eius obligatio ad minus dubia eſt, quia talis a graviſſimis viris agnoſcitur, & nulla ſatis firma iuris auctoritate elidi poteſt.

Si ſuſpenſio impoſita ſit abſolute ſine ulla limitatione, & ab adiunctis colligi nequeat, an ſit ab officio, vel a beneficio, cenſenda eſt totalis, & ab utroque ſimul, quia propoſitio indefinita æquivalet univerſali: neque enim ullum apparet fundamentum, cur potius ab officio, quam a Beneficio ſit intelligenda. Sic enim intelligenda eſt diſpoſitio cap. *Cum bona* 3. *de ætate & qualitate* & Clement. 1. §. *Quibus de privileg.*

Suſpenſio item alia eſt a iure, alia ab homine. Suſpenſiones a iure ſunt, quæ variis perſonis propter varia in iure communi & Apoſtolicis Conſtitutionibus ſunt impoſitæ, & infra exponentur. Suſpenſiones ab homine ſunt, quæ imponuntur a Superiore Eccleſiaſtico pro aliqua actione particulari, ut fiat, vel non fiat.

Nota 1. ſuſpenſum a Beneficio non privari quidem beneficii titulo, bene vero eius fructibus; quia ſuſpenſio, ut conſtat ex ipſius definitione, non perimit ſubſtantiam, alias non eſſet pœna medicinalis impoſita, donec ſolus ſuſpenſus reſipiſcat. Privat vero fructibus; alias ſuſpenſio nihil circa beneficium operaretur. Hinc ſequitur, quod qui etiam occulte ſuſpenſus percipit eius fructus, tenetur in conſcientia eos Eccleſiæ reſtituere; licet, ſi indigeat, poſſit eam fructuum partem retinere, quæ illi neceſſaria eſt ad moderatam ſuſtentationem; &, ſi officium ſuum impleverit, eam partem detrahere poſſit, quæ ſubſtituto ad inſerviendum danda eſſet, niſi tamen ex animi obſtinatione in ſuſpenſione perſeveret. Certum tamen eſt, ſuſpenſum teneri ad recitationem Horarum Canonicarum, aliaſque ſui muneris partes explendas: quod autem fructus non percipiat, eius culpa eſt, quæ nemini iuxta regulam iuris patrocinari debet.

Quoad diſtributiones autem, quæ dantur intereſſentibus officio, ſi dentur intuitu beneficii, ipſe officio intereſſendo ſecundum ſaniorem ſententiam illas percipere nequit. Secus vero dicendum de diſtributionibus, quæ tribuuntur ob certas functiones beneficio non annexas, cuiuſmodi ſunt ſtipendia Miſſarum, Anniverſaria, & ſimilia, quæ extraordinarie offeruntur a Fidelibus, & minime beneficio ſunt annexa.

Nota 2. Suſpenſum a Beneficio de iure communi non poſſe reſignare Beneficium in favorem, nec permutare, aut temporalia Beneficii bona adminiſtrare; quia reſignatio in favorem, & commutatio recenſentur inter fructus Beneficii.

Ex dictis facile intelligitur, quod reſpectu Beneficii operentur varie cenſuræ. Nam excommunicatio inhabilem reddit ad beneficia, & idem efficit ſuſpenſio tum ab officio, tum a beneficio. Excommunicatio non privat fructibus Beneficii iam poſſeſſi, nec iiſdem ſuſpenſio ab officio; privat autem ſuſpenſio a beneficio. Si quis vero in foro conſcientiæ abſolutus ſit iam coram Deo, licite & valide recipiet Beneficium, non coram hominibus, ſi ſit denunciatus, nec in foro externo abſolutus.

Num vero ſuſpenſis a Beneficio, aut ab officio, & excommunicatis, valide conferatur penſio, & fructus reſtituere teneantur, non conveniunt DD. Nam Suarez, Sayrus, Bonacina & alii contendunt, eamdem eſſe rationem penſionis ac beneficii; quia penſio venit nomine Beneficii, vocabulo late ſumpto, ac proinde iiſdem penſio amittitur modis, quibus Beneficium, & Pontifices non ſecus ac in Beneficiis, in penſionibus quoque conferendis utuntur in Reſcriptis eadem formula præmittendi abſolutionem a cenſuris *ad effectum* &c., quod denotat, ligatum cenſuris inhabilem reputari ad penſionem. Unde cum excommunicati, ſuſpenſi a Beneficio vel officio inhabiles ſint ad acquirendum ius in redditus eccleſiaſticos, & nonnunquam ad eos recipiendos, igitur hi non ſunt capaces penſionis. Alii vero permulti contrarium ſentiunt, inter quos Pontaſius hic caſ. 21., quia, aiunt, in odioſis & pœnalibus ab uno ad aliud fieri non debet extenſio; igitur cum penſio non ſit veri nominis Beneficium, ſequitur, non idem dicendum quoad penſionem in excommunicatis & ſuſpenſis, quod dicitur circa Beneficia. Sed hæc ratio cum non ſit omni exceptione maior, ait Auctor *Supplem. Tournelei*, dum penſio in multis etiam odioſis ſeu pœnalibus, ſubiacet conditioni beneficii, utpote quæ iiſdem extin-

tinguatur modis ac Beneficium, v.g. per Profeſſionem Religioſam cuiuſvis Ordinis, etiam non mendicantium; ad ſummum dici poteſt, utramque opinionem eſſe probabilem. Cum vero probabilitas non ſit ſecura regula actionum, prima opinio, ut longe tutior in praxi tenenda eſt.

Suſpenſio imponi poteſt in primis a Summo Pontifice & Epiſcopo, ac ab illis omnibus, a quibus infligi poteſt excommunicatio. Eadem enim eſt paritas iuriſdictionis ad ferendas cenſuras, cum omnes ad eumdem finem ordinentur, ideſt ad coercendam contumaciam, & inobedientiam ſubditorum rebellium; & ſuſpenſio pariter, ſicuti excommunicatio, ſcripto ferenda eſt, ut cap. 1. *de ſentent. excommun.* in 6.

Omnes & ſoli Clerici incurrere poſſunt ſuſpenſionem, excepto Summo Pontifice: Nam hæc cenſura eſt propria Clericorum, ad differentiam excommunicationis & interdicti, quæ ſunt cenſuræ communes Clericis & Laicis. Epiſcopi tamen non incurrunt in hanc cenſuram, niſi eorum fiat expreſſa mentio, ex privilegio eis conceſſo cap. *Quia periculoſum* 4. *de ſentent. excommun.* in 6.

Suſpendi poſſunt non tantum ſingulares perſonæ, ſed etiam tota Communitas ac Collegium Clericorum cap. *Quia ſæpe de elect.* Hæc autem ſuſpenſio in Communitatem ſeu Capitulum dupliciter ferri poteſt, vel collective, ut ſi totum Capituli, habens ius alicuius Beneficii, iuriſdictionis, & adminiſtrationis ſuſpendatur; vel diſtributive, ut ſi ſinguli omnes de corpore Capituli, dummodo rei ſint, incidant in ſuſpenſionem; & aliquando hi duo modi collective & diſtributive coniunguntur, ut cap. *Ne ſede vacante*, & cap. *Quia ſæpe* 40. *de electione* in 6. ubi tam totum corpus Capituli, quam ſinguli e corpore ipſius bona Prælati defuncti occupantes vel diripientes, ab officiis & beneficiis ſuſpenduntur, donec reſtituant.

Suſpenſus ſuſpenſione proprie dicta, ſi exequatur ea, quæ ſunt Ordinis ſacri, peccat mortaliter, & fit irregularis; ſecus tamen ſi ea tantum exerceat, quæ ſunt iuriſdictionis; tunc enim ſolum peccat graviter, niſi levitas materiæ aut inadvertentia excuſent. Dixi 1. *Suſpenſione proprie dicta*: Nam ſuſpenſus propter defectum v. g. propter vitium corporis, aut alicuius membri debilitatem, peccat quidem mortaliter, ſi Ordinem exerceat, ſed non incurrit irregularitatem; quia eiuſmodi ſuſpenſio non eſt cenſura, cum non lata ſit ob delictum; & nonniſi ob delictum grave, cui adiuncta ſit contumacia, ferri poteſt cenſura proprie dicta. Dixi 2. *Ordinis ſacri*; cum actus minorum Ordinum hodie promiſcue exerceantur a laicis, & a Clericis ſola tonſura inſignitis; idcirco Subdiaconus, Diaconus, & etiam Presbyter, ſi exerceant functiones minorum Ordinum, eam non incurrunt. Immo ſecundum hodiernam diſciplinam hæc cenſura non creditur cadere niſi in eos, qui ad maiores Ordines ſunt promoti. Si tamen alicubi functiones minorum Ordinum ad votum Concilii Tridentini eſſent reſtitutæ, & Acolytus alicui Eccleſiæ adſcriptus inſerviret in Acolythatus officio, ſuſpendi poſſet ab Ordinibus, in quibus ſi nihilominus adminiſtraret, fieret irregularis.

Actus Ordinis, qui a iuriſdictione non pendent, ſunt validi, licet ſint illiciti. Si ſuſpenſus ſit toleratus, actus iuriſdictionis ſunt validi ex Conſtitutione *Ad vitanda ſcandala*; ſed ſi ſit nominatim denunciatus, & minime toleratus, eiuſmodi actus ſunt prorſus irriti defectu poteſtatis, qua caret ſuſpenſus non toleratus.

Quoad abſolutionem vero ſuſpenſionis habentur hæ regulæ: nempe ſi ſuſpenſio lata ſit propter contumaciam cum hac lege tacita vel expreſſa, ut ſuſpenſus non poſſit prius abſolvi, quam a contumacia ſeu inobedientia recedat, tollitur per abſolutionem: quæ abſolutio a tali ſuſpenſione iuris dari poteſt ab Epiſcopo vel quaſi Epiſcopo iuriſdictione prædito, ſi non ſit Papæ reſervata cap. *Nuper de ſentent. excommunicat.* & cap. *Ex literis de Conſtitut.* A quo abſolvendus ſuſpenſus

Suſpenſio impoſita ad determinatum tempus, puta ad annum &c., vel ſub conditione, donec reſtituerit, elapſo tempore, vel impleta conditione eo ipſo ceſſat per ſe ipſa, ſine ulla Superioris declaratione. Sic Gloſſa recepta in Clement. 1. *de decimis* verbo *donec*. Suſpenſio lata præciſe in pœnam alicuius patrati delicti tollitur per diſpenſationem, quæ diſpenſatio tantum dari poteſt per Superiorem, qui ſuſpenſionem intulit, aut ſucceſſorem, aut delegatum, non autem ab inferiore, ſive ſuſpenſio lata ſit a iure, ſive ab homine, ſive ad determinatum tempus, ſive indeterminate; quia ſicut legem Superioris, ſic annexam ei pœnam inferior ſolvere nequit. Gloſſa in cap. *Cupientes* verb. *Suſpenſus de elect.* in 6.

Nulla determinata verba præſcripta ſunt pro abſolutione ſuſpenſionis; unde quæcumque verba ad eam exprimendam apta ſunt, quæ-



Digitized by Google

cumque ordine exprimantur. Ex uſu tamen ſolet Eccleſia hanc, vel ſimilem formulam adhibere: *Abſolvo te a vinculo ſuſpenſionis, quam incurriſti ob talem vel talem cauſſam, & reſtituo te priſtinæ executioni tuorum Ordinum & officiorum.*

Adverte, quod antequam conferatur hæc abſolutio, exigenda eſt ab abſolvendo promiſſio de cætero non committendi tale crimen, & iuramentum ſtandi mandatis Eccleſiæ, ut ex cap. *Super eo* 1. cap. *Venerabilis* 52. Et ſi crimen, propter quod lata eſt ſuſpenſio, reſpiciat tertiam perſonam, quam læſerit, quod ſatisfaciat parti læſæ, ut in cap. *Porro*, & in cap. *Parochia de ſentent. excommun.*

## §. XIII.

### *De Interdicto.*

Interdicti nomen derivat a verbo *interdico* in ſenſu Eccleſiæ, & prohibet ab uſu, ideſt privat uſu ac participatione quorumdam bonorum ſpiritualium, quæ diſpenſat Eccleſia, & infligitur propter inobedientiam contra ipſius Eccleſiæ mandata. Circa Interdicti originem & antiquitatem non conveniunt eruditi. Nam alii putant cenſuram hanc incognitam fuiſſe ſæculis, quæ præceſſerunt Alexandrum III. qui anno 1159. creatus eſt Romanus Pontifex: alii faciunt eiuſdem auctorem Gregorium VII. qui Apoſtolicam Sedem conſcendit anno 1073. alii volunt haberi monumenta huius cenſuræ a ſæculo Eccleſiæ ſexto, quando poſt cruentam S. Prætextatis mortem Eccleſiæ omnes Urbis Rothomagenſis clauſæ ſunt, ne populi divinis intereſſent, uſque adeo manifeſti fierent homicidæ Prætextatis. Quidquid tamen ſit de origine Interdicti, cum certum ſit nunc uſum huius cenſuræ a pluribus ſæculis inductum fuiſſe; hinc operæ pretium eſt, ut quæ ad ipſius naturam, diviſionem, effectus, &c. pertinent, non ignorentur. Unde ſit.

## §. XIV.

### *De natura & diviſione Interdicti.*

Interdictum eſt *eccleſiaſtica cenſura privans baptizatum aliquibus Sacramentis, omni celebratione, & auditione divinorum officiorum, & eccleſiaſtica ſepultura.* Colligitur ex cap. *Non eſt nobis de Sponſal. & Matrim.* & cap. *Quod inter de Pœnit. & remiſſ.* Igitur interdictum non privat omnibus Eccleſiæ bonis, ideſt non omnibus Sacramentis, & communione ſaltem civili Fidelium, nec per interdictum etiam nominatim denunciatus eſt vitandus, niſi in officiis divinis.

Diviſio interdicti.

Interdictum dividitur in *locale*, *perſonale*, & *mixtum*, ut colligitur ex iure Canonico cap. *Præſenti* 10. & cap. *Si civitas* 17. *de ſentent. excommun.* Interdictum *locale* illud eſt, quod immediate ac directe cadit in locum, ideſt locus interdicitur, ne in eo divina officia publice ſaltem celebrentur, ſive audiantur, & ne quiſquam ibidem ſepeliatur; ita ut in loco interdicto nec indigenæ, nec alienigenæ poſſint audire divina officia, nec ibidem ſepeliri, ſed alibi audire, & ſepeliri, dummodo interdictum non ſit etiam perſonale. *Perſonale* vero eſt illud, quod immediate fertur in perſonas, & non in locum, ita ut nec ibi, nec alibi perſonæ percipere poſſint Sacramenta, nec exercere functiones ſacras, nec hiſce aſſiſtere, quæ per interdictum ſunt prohibitæ. Interdictum *mixtum* conſtat ex locali & perſonali, nempe quo immediate ac directe interdicuntur locus & perſona v. g. Civitas, & eius incolæ; idcirco omnes habet effectus interdicti tum localis tum perſonalis ex cap. *Si ſent. 16. de ſentent. excommunicat.* Duo priora, ideſt *locale* & *perſonale* ſubdividuntur in *generale*, & *particulare*. Interdictum *locale generale* illud eſt, quo interdicitur Regnum, Provincia, Civitas, Oppidum, Villa: *Particulare* ſeu *ſpeciale*, quo locus aliquis particularis interdicitur, puta una Eccleſia, vel aliquæ ex iis quæ ſunt in Civitate ex cap. *Cum in partibus de verbor. ſignificat.* Igitur quando interdicuntur Eccleſiæ Civitatis, non ipſa Civitas, eſt interdictum locale ſpeciale, ac ideo poſſunt celebrari divina officia extra Eccleſiam in illa Civitate. Sed interdicta aliqua Eccleſia, Cæmeterium quoque ipſi contiguum, cuius nempe extrema Eccleſiam ſeu ipſius muros contingunt, eſt interdictum; quia acceſſorium ſequitur principale. E contra vero interdicto cæmeterio non cenſetur Eccleſia interdicta. Dixi *cæmeterium ipſi contiguum*; nam ſi eius extrema non contingant Eccleſiam interdictam, non eſt interdictum.

Interdictum *generale perſonale* illud eſt, quo interdicitur aliqua hominum Communitas, prout conſtituit unum corpus, ſcilicet interdicuntur omnes perſonæ Regni, Provinciæ, Civitatis, &c. *Particulare* vero, ſeu *ſpeciale perſonale*, quo interdicitur aliqua perſona, vel plures perſonæ Regni, Ci-

Civitatis, &c., ut particulares, v. g. familia, Collegium &c.

Datur etiam quædam partialis Interdicti ſpecies, qua prohibetur ingreſſus in Eccleſiam, & ſi quis in tali interdicto ſine pœnitentia moriatur, non debet in loco ſacro ſepeliri cap. 20. *de ſentent. excommun.* in 6.

Varia notanda. Circa vero hæc interdicta, plura ſcire operæ pretium eſt, & notare: 1. nempe, quod interdicto populo unius Provinciæ vel Civitatis, ſunt interdicti omnes illius Provinciæ & Civitatis habitatores, tametſi ſint innocentes, & etiamſi quando latum eſt interdictum, fuerint abſentes. Omnes iſti nec in ſuo, nec in alio loco poſſunt audire divina, vel eccleſiaſtica recipere Sacramenta; quia huiuſmodi interdictum ſequitur perſonam quocumque ierit cap. *ſi ſent. 16. de ſentent. excommun.* Innocentes comprehenduntur in interdicto, quatenus membra, ideſt pars ſunt Communitatis; ita ut ſi abeundo tales deſinant eſſe, ideſt membra illius Communitatis, deſinunt eſſe interdicti c. 16. *de ſentent. excommunic.* in 6. Interdicto tamen populo non intelligitur interdictus Clerus, nec extranei, qui ibi ſunt negotiorum cauſſa; nec e contra interdicto Clero intelligitur interdictus populus, niſi in ſententia aliud exprimatur. Unde uno ipſorum interdicto, alter licite admittitur, & accedit ad audienda eccleſiaſtica officia, & Sacramenta recipienda cap. *Si ſent.* cit. Nam in materia pœnali, cuiuſmodi eſt interdictum, verba ſtricte interpretanda ſunt, c. *Odia 15. de regulis iuris* in 6.

Sub generali interdicto Cleri non intelliguntur interdicti Religioſi utriuſque ſexus, niſi exprimantur, vel ex ſubiecta materia, aliiſve circumſtantiis aliter appareat. Et ratio eſt, quia in materia odioſa ſecundum communem exceptionem Religioſi non veniunt nomine Cleri, ſemper tamen cum addito *Regularis*; tum etiam quia in interdicto lato contra Regulares non comprehenduntur Clerici ſæculares. Tandem in iure Canonico paſſim iſta ponuntur tamquam diverſa, ut cap. *Si quis ſuadente* 17. q. 4. ubi dicitur *in Clericum vel Monachum*, & ſic alibi. Ita tenent Abbas, Fagnanus, Anacletus, Ugolinus, Bonacina, Engel, & alii bene multi. Item interdicto Clero non intelligitur interdictus Epiſcopus, niſi fiat eius mentio cap. *Quia periculoſum de ſentent. excommun. in 6.*

Circa interdictum locale pariter notandum, in interdicto generali locali non comprehendi perſonas ex cap. *Sicut de ſentent. excommun.* in 6. Unde incolæ Civitatis interdictæ poſſunt intereſſe Sacro & divinis officiis in aliis locis, non tamen in ſuburbiis & domibus adiacentibus, utpote quæ comprehendantur in interdicto Civitatis, ex cap. *Si Civitas de ſentent. excommun.* in 6. Et viciſſim in interdicto perſonali non comprehenditur locus, niſi exprimatur. Unde interdictis Clericis alicuius Eccleſiæ, non cenſetur interdicta ipſa Eccleſia; ita ut exteri poſſint in ea celebrare. Interdictum tamen locale eſt etiam perſonale reſpectu eorum, qui ſua culpa fuerunt eius cauſſa; idcirco nequeunt etiam extra locum interdictum divinis intereſſe.

Interdicta Civitate vel Diœceſi cenſetur interdicta etiam Eccleſia Cathedralis cap. *Si Civitas 17. de ſentent. excommunic.* in 6. ubi expreſſe habetur, quod interdicta Civitate, omnia loca ibidem interdicta cenſeantur, cum alias de facili vilipendi poſſet interdictum talis Civitatis, celebrando & audiendo divina in Cathedrali. Et propter eamdem rationem interdicta Civitate vel Diœceſi, intelliguntur interdictæ etiam Eccleſiæ Regularium; nam ipſi quoque ſive exempti ſint ſive non exempti, niſi ſuper eo ſpeciale habeant privilegium, tenentur ſervare interdictum locale, ſive ſit a S. Sede, ſive etiam ab Epiſcopo emanatum; cap. *Auctoritate* 4. *de privileg.* in 6. & cap. *Cum in partibus 17. de verbor. ſignificat.* & Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 12. *de Regular.*

Interdictum locale comprehendit eum quoque qui illud tulit, eiuſque Superiorem, & æqualem, & incurrunt pœnas iuris, ſi illud violent celebrando in loco interdicto. Secus vero, ſi interdictum ſit perſonale, ſive generale, ſive ſpeciale. Et ratio diſcriminis eſt, quod pœnæ contra violantes interdictum locale ſunt a iure communi, non autem ab homine. Ius autem commune ligat omnes, etiam Superiorem. Hinc ipſe excommunicans tenetur vitare quos a ſe excommunicatos denunciavit. Pœnæ vero in violantes interdictum perſonale ſunt ab homine, qui in ſeipſum, aut æqualem, aut Superiorem non habet vim coactivam, ſed ſolum in ſuos ſubditos.

Interdicta alia ſunt a iure, alia ab homine. Interdicta ab homine ferri poſſunt ab illis omnibus, qui poſſunt excommunicare, & ſuſpendere cap. *Cum Eccleſiarum* 3. *de offic. Subdiac. ordinarii*. Excipiuntur tamen Superiores Regulares, qui non poſſunt

I 2 ap-

apponere interdictum in Eccleſiis ſibi ſubiectis; quia eorum iuriſdictio eſt perſonalis, non autem localis; & etiam quia actus iſte percutit exercitium iuriſdictionis in Clerum, & in populum, illos privando ne in ea celebrare, & reſpective audire poſſint divina, & ſic cum non ſubditis talis iuriſdictio exerceretur a Superiore Regulari, ut diſcurrit Cardinalis de Luca *de iuriſdictione* diſc. 99. n. 2. & ita declaravit ſacra Congregatio Epiſcopor. & Regular. in Neapolitana Cenſurarum 21. Ianuarii 1697. referente Cardinali Cavalerino contra Abbatem S. Petri ad Aram, qui Eccleſiam Monialium ſibi ſubiectam Interdicto ſuppoſuerat.

Ad imponendum interdictum ſpeciale ſeu perſonale requiritur culpa gravis propria, cum hoc ſit pœna gravis privans magnis bonis ſpiritualibus. Ad locale vero, vel perſonale generale requiritur culpa gravis contumaciter admiſſa vel a capite ſeu a domino temporali, vel a præcipuis membris Univerſitatis, vel terræ, & perſonarum domino ſubditarum, licet aliqui ſint innocentes ex cap. *Si ſentent. de ſentent. excommun.* in 6. Locale interdictum generale Epiſcopus decernere nequit propter debitum pecuniarium.

Effectus interdicti. Effectus interdicti tres ſunt. Primus eſt privatio celebrationis & auditionis divinorum officiorum. Secundus privatio quorumdam Sacramentorum. Tertius privatio eccleſiaſticæ ſepulturæ, ut patet ex allata definitione, & habetur cap. *Alma Mater*, & cap. *Si Civitas de ſentent. excommun.* in 6. Nomine autem divinorum intelliguntur Miſſa, Horæ Canonicæ, vel aliæ preces ſolemniter recitatæ, ſupplicationes, benedictiones Nuptiarum, Aquæ, &c., demum omnis actio ab Eccleſia ordinata ad cultum Dei, ut exercenda eius nomine, & ab eius Miniſtris: Unde tempore interdicti non eſt vetitum, ac licite poſſunt exerceri ea, quæ non ſiunt publice nomine Eccleſiæ, ut benedictio menſæ tam a laicis quam a Clericis, fundere preces privatas v. g. recitare Pſalmos, Litanias &c., quia hæc non ſunt ordinata ab Eccleſia, nec peraguntur tamquam ab eius Miniſtris. Immo Clerici tenentur privatim recitare Horas Canonicas; debent tamen omittere *Dominus vobiſcum*, cum illa brevis oratio ſit actus hierarchicus, qui ſecundum Rubricas Breviarii prætermittendus eſt ab eo, qui non ſit ſaltem Diaconus. Item conceditur ut ſemel in hebdomada Miſſa ſubmiſſa voce celebretur ad renovandam Euchariſtiam ſervandam pro infirmis; ita tamen ut ianuæ ſint clauſæ, non pulſentur campanæ, & excludantur excommunicati, & interdicti. Et iure antiquo eadem cautione convenire poterant duo, aut ad ſummum tres Clerici ad perſolvendas Horas Canonicas, ſed ſubmiſſa voce, & ſine cantu cap. *Quod inter de pœnit. & remiſſ.* Concio cæteroquin licita eſt, licitumque ei intereſſe. Auxit conceſſiones Bonifacius VIII. qui, ut habetur in laudato cap. *Alma Mater*, permiſit ut non ſolum duo aut tres, ſed omnes Clerici convenire poſſint in Eccleſia (modo tamen non ſit ſpecialiter interdicta) ad Miſſas celebrandas, & alia divina officia, ſed ſubmiſſa voce, ianuis clauſis, ſine campanarum pulſatione, excluſis excommunicatis & interdictis; nam Clerici perſonaliter interdicti convenire non debent. Dixi *Clerici;* quia laicis in hac Conſtitutione nihil conceſſum eſt. Propter laicos ſi quidem expellendos præcipit Summus Pontifex cit. cap. *Alma*, ut omnia ſubmiſſa voce & ianuis clauſis peragantur.

Item cit. cap. *Alma* permittitur, ut in Feſtivitatibus Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. Virginis campanæ pulſentur, & ianuis apertis alta voce divina officia ſolemniter celebrentur, excluſis excommunicatis, ſed admiſſis interdictis, modo tamen qui cauſſam interdicto dederunt, ad altare nullatenus appropinquent. Hoc privilegium extendit Martinus V. ad Feſtum Corporis Chriſti, & Eugenius IV. ad totam eius Octavam, & Leo X. ad Feſtum Conceptionis B. Virginis, & ad eius Octavam.

Regulares, quibus poſt Tridentinum cum ſufficientibus derogatoriis ſpecifice & expreſſe eſt indultum, ut quædam proprii Ordinis feſta ſolemni ritu tempore Interdicti generalis quacumque auctoritate poſiti celebrent, poſſunt in omnibus illis feſtivitatibus voce alta, apertis ianuis, pulſatis campanis divina facere, ac omnibus Fidelibus Sacramenta miniſtrare, exceptis excommunicatis, ac nominatim interdictis, ſeu iis qui interdicto cauſſam quomodocumque præbuerunt, & omnia alia libere, & ſolemni ritu peragere, ac ſi appoſitum non eſſet interdictum, ut expreſſe poſt Concilium Trid. & Gregorium XIII. conceſſit Ordini Minorum S. Franciſci Clemens VIII. die 17. Octob. 1595. Conſtitutione quæ incipit *Sacræ*, in qua omnis circa hoc tollitur dubietas. Hoc privilegio fruuntur omnes alii quoque Regulares communicantes ex privile-

legio a Summis Pontificibus ipſis conceſſo in privilegiis ; & hi præcipue , quibus talis conceſſio facta eſt , vel innovata poſt citatam Conſtitutionem Clementis VIII. in favorem Minorum , vel habent communicationem a S. Sede omnium privilegiorum , quæ conceſſa ſunt & concedenda aliis Regularibus Ordinibus. Ita Suarez , Rodriquez , Portellus &c. quidquid in contrarium ſentiant Pignatellus & Mattheucci . Vide tamen Card. Petram t. 5. Comment. ad Conſtitutionem 10. Sixti IV. n. 15. 16. Ferrari art. 6.

Privat 2. interdictum quibuſdam Sacramentis , ſeu vetat adminiſtrationem & receptionem quorumdam Sacramentorum , non omnium , ſicuti fert pœna excommunicationis ; Nam interdictis , idest durante tempore interdicti , conceſſum eſt adminiſtrare & recipere Sacramenta Baptiſmi , Confirmationis , & iure novo etiam Pœnitentiæ , & hæc conferri poſſunt etiam ſanis , quotieſcumque libuerit. Dixi *iure novo ;* quia iure antiquo Sacramentum Pœnitentiæ interdictis non licebat conferre , niſi conſtitutis in mortis articulo cap. *Quod inter de pœnitent. & remiſſ.* & cap. *Non eſt vobis de ſponſal.* Baptiſmum vero ſemper licuit etiam tempore interdicti conferre ex cap. *Quoniam de ſentent. excommunic.* in 6. ubi permittitur conficere Chriſma die Cœnæ Domini; idemque dicendum de Confirmatione, quæ eſt complementum Baptiſmi. Iure tam novo quam veteri non licet initiari Sacramento Ordinis in loco interdicto , tametſi ordinans & ordinatus non eſſent interdicti. Quod ſi alteruter ſit interdictus , nequidem in loco non interdicto celebrari poteſt Ordinatio ex cap. *Non eſt vobis de Sponſalibus* , ubi ſolum permittuntur Sacramenta Euchariſtiæ & Pœnitentiæ , & cap. *Alma , de ſentent. excommun.* in 6. in quo Bonifacius nihil immutavit circa Sacramentum Ordinis , licet de iure antiquo multum relaxaverit . Sacramentum extremæ Unctionis cap. *Quod in te de pœnitent. & remiſſ.* denegatur omnibus etiam Clericis & Religioſis , tametſi interdictum locale ſervaverint , nec perſonaliter ſint interdicti ; & hanc pœnam non imminuit Bonifacius VIII. cit. cap. *Alma* ; Nihilominus tamen ſentiunt aliqui poſſe conferri infirmis , qui ſuſcipere nequeunt alia Sacramenta . Sacramentum Euchariſtiæ iure antiquo & novo miniſtrari nequit , niſi in mortis periculo , exceptis quibuſdam diebus ſolemnibus . Verum quoad hæc Sacramenta , circa quæ relaxatus eſt rigor erga ſanos , excipiuntur ſemper excommunicati , & ii qui quomodolibet cauſſam dederunt interdicto , idest ſaltem ad perpetrandum delictum , ob quod interdictum ſeu ſententia interdicti lata eſt , præbuerint auxilium , conſilium , vel favorem , niſi prius ſatisfecerint ob delictum , vel de ſatisfactione idoneam ſeu iuratam cautionem prius dederint . Quoad Matrimonium vero , ſi ſpectetur ut merus contractus , poteſt celebrari in loco interdicto , etiam ab interdictis . Si ſpectetur autem ut Sacramentum , ſecundum multos a Sacerdote miniſtrandum , iure antiquo erat vetitum , ſed iure novo cit. cap. *Alma* Nuptiæ benedici poſſunt in loco interdicto , modo nubentes non ſint excommunicati & interdicti , & illa benedictio fiat ſubmiſſa voce , & ianuis clauſis . Excipiuntur tamen aliqui dies , in quibus divina officia celebrari poſſunt , ut vidimus iuxta laudatum cap. *Alma ;* igitur & nuptialis benedictio. Habert. Per interdictum non privatur Clericus iuriſdictione , etiamſi perſonaliter ſit interdictus , ac nominatim denunciatus ; quia per interdictum prohibentur ſolum divina officia , Sacramenta , & eccleſiaſtica ſepultura . Iuriſdictio autem ad nullum horum revocari poteſt , niſi ſit cum aliqua ſolemnitate , quæ ad divinum officium pertineat .

Circa vero tertium effectum Interdicti , qui eſt privatio eccleſiaſticæ ſepulturæ , quoad locale interdictum extenditur ad omnes ; ita ut nullus , quantumvis innocens , nec infans , nec amens , poteſt in loco ſacro ſepeliri cap. *Quod in te 11. de pœnitent. & remiſſ.* Excipiuntur tamen Clerici , qui non ſint ſpecialiter interdicti , nec interdicto cauſſam dederint , nec interdictum violaverint ; hi enim cum ſilentio , & ſine ſolemnitate , abſque campanarum pulſatione , ut vidimus , poſſunt in loco ſacro , etiam ſpecialiter interdicto , ſi non adſit alius non interdictus , ſepeliri ; cit. cap. *Quod in te 11. de pœnit. & remiſſ.* Pirhing in Ius Canonicum . Immo ex iure novo poſſunt ſepeliri cum Miſſa & Officio Defunctorum , ſubmiſſa tamen voce , & ianuis clauſis cap. *Alma* . Habert. Ferrar. Dixi *Clerici ;* nam Laici , niſi gaudeant privilegio , licet non ſint perſonaliter interdicti , nequeunt in loco ſacro interdicto , tempore interdicti ſepeliri , cum lex privilegium ſolis Clericis concedat . Poſſunt quidem laici non perſonaliter interdicti , qui nec culpabilem cauſſam dederunt interdicto , ſepeliri in

in loco ſacro non interdicto; quia, ut dictum eſt, non perſonaliter interdicti non tenentur ſervare interdictum in locis non interdictis. Qui autem ſepulti ſunt extra locum ſacrum tempore interdicti, hoc ceſſante, ſi commode fieri poſſit, in locum ſacrum ſunt transferendi. Si vero contingeret contra prohibitionem iuris, aliquem interdictum in loco ſacro ſepeliri, is non eſſet extrahendus, quia hoc non reperitur in iure præſcriptum; nam interdictus non privatur, ut excommunicatus, communione Fidelium, & pœna non eſt extendenda ad alium caſum in iure non expreſſum.

Pœna autem violantium interdictum audiendo divina, prima eſt communiter loquendo tam quoad Clericos & Religioſos, quam quoad Laicos, culpa mortalis, quia violant Eccleſiæ præceptum in re gravi. 2. Eſt excommunicatio Papæ reſervata, quam incurrunt & domini temporales, ſi compellant Clericos ad publice celebranda officia in loco interdicto, vel impedientes ne publice excommunicati & interdicti exeant, tempore divinorum Officiorum, necnon ipſi interdicti moniti non exeuntes, Clement. 2. *de ſent. excommun.* & Religioſi etiam exempti, qui non ſervant interdictum generale locale latum a Papa vel ab Ordinario, quando ſervatur ab Eccleſia Matrice, vel a Parochiali loci, in quo habitant cit. Clement. 2. *de ſentent. excommunic.* Qui vero corpus alicuius interdicti extra caſus conceſſos ſcienter ſepeliunt in loco ſacro, contrahunt excommunicationem Epiſcopo reſervatam. Clerici autem ſive ſæculares ſive Regulares, qui interdictum violant exercendo actum Ordinis, v. g. celebrando divina Officia, fiunt irregulares ex cap. *Is qui, de ſent. excommunicat.*

Epiſcopi tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati variis in caſibus poſſunt ſubiicere interdicto Eccleſias Exemptorum, & Regularium, & præſertim ſi interdictum in loco publicatum non obſervent. Sacra Congregatio Concilii in Indiarum 17. Decemb. 1650. Si accedente Epiſcopo ad eorum Eccleſias pro celebranda Miſſa Pontificali, nolint eum obſequiis iuxta præſcriptum decretorum Apoſtolicorum & ſacræ Congregationis Rituum recipere, ſervire, vel ei Baldachinum erigere iuxta ſolitum, de cera & ſupellectilibus providere. Sacra Congregatio Concilii in Venefrana Interdicti 26. Ianuarii 1697. Si Baldachinum, vel oſculum Evangelii, vel aſſiſtentiam in Presbyterio in eorum Eccleſiis permittant, & concedant perſonis ſæcularibus, quantumvis nobilibus & illuſtribus, ut diſponunt Decreta generalia ſacræ Rituum Congregationis 13. Martii 1688. & 22. Aprilis 1690. approbata a SS. die 22. eiuſdem menſis & anni. Si ab Epiſcopo moniti, ſepulturas ab Altaribus & Pradellis eorum Eccleſiarum conſtructas nolint aut differant expurgare, & illas muro obſtrui facere & replere. Sic pluries decrevit ſacra Congregatio Epiſcopor. & Regular. Si ad proceſſiones, quibus intervenire tenentur, moniti, accedere recuſent. Sic decrevit pluries ſacra Congreg. Concilii, & ſignanter 27. Iulii 1627. & in una Mediolanenſi 3. Auguſti 1658. Si abuſus & irreverentias ab eorum Eccleſiis moniti nolint vel negligant removere, vigore Concilii Trid. in decreto *de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſarum*.

Epiſcopi tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati poſſunt Abbates, alioſve uſum habentes Pontificalium, ac Prælatos, & Superiores Regulares & exemptos, cenſura interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, vel ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium punire & coercere; ſi paramenta & vaſa ſacra pro uſu aliarum Eccleſiarum benedicant, cum hoc eis expreſſe vetitum ſit a Decretis generalibus ſacræ Congregationis Rituum emanatis 27. Septemb. 1659. & 20. Iulii 1660. confirmatis & approbatis quoad hoc a SS. Alexandro VII. die 20. Iulii 1660. Epiſcopi pariter tamquam Papæ delegati procedere poſſunt per interdictum, aliaſque cenſuras contra Regulares inobedientes & contumaces in illis caſibus, in quibus datur eis facultas ipſos coercendi, corrigendi, & puniendi; & eſt communis, ut expreſſe fatetur Pafferinus ex Ordine Prædicatorum, & paſſim DD. arguunt ex Conſtitutione 18. Gregorii XV. quæ incipit *Inſcrutabili*.

Interdictum ſive locale ſit ſive perſonale, ſi indeterminate feratur, habet omnes interdicti effectus; locale quidem circa locum, perſonale circa perſonas. Quod ſi interdictum perſonale ſit tantum ab aliqua actione determinata, interdictus poteſt alias actiones exercere, in quibus actio interdicta non continetur v. g. ſi quis interdicatur ab altaris miniſterio, licite poteſt confeſſiones excipere. Sed interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, non poteſt in ea audire aut celebrare divina officia, quia primum includit hoc poſterius.

Quoad relaxationem ſeu abſolutionem ab interdicto, non pro omni interdicto eadem eſt regula; Nam ſi interdictum latum eſt ad

ad certum tempus, vel ſub aliqua conditione, elapſo illo dato tempore, vel conditione impleta, ſtatim per ſe ceſſat. Sic Gloſſa communiter recepta in Clement. 1. verbo *Donec de decimis*. Et ſi tale interdictum latum ſit a iure, ante elapſum tempus, & conditionem impletam Epiſcopus diſpenſare nequit, niſi interdictum proveniat a delicto occulto nondum deducto ad forum contentioſum, quia cenſetur tacite reſervatum. Pirhing. in Ius canonic. Si vero interdictum locale vel perſonale a iure communi ſit latum, & non reſervatum, tolli poteſt ab Epiſcopo, vel ab alio habente iuriſdictionem Epiſcopalem in Communitatem interdictam ex cap. *Nuper* 29. *de ſent. excommunic.* Si autem latum ſit a Papa tamquam ab homine, non poteſt Epiſcopus illud relaxare: Nam cenſura ſpecialiter lata ab homine, auferri nequit niſi ab ipſo ferente, vel delegato, aut Superiore in ipſum plenam iuriſdictionem habente ex cap. *Paſtoralis* 11. §. *Præterea de offic. Ordinarii*. Multo minus poterunt Parochi, & Confeſſarii etiam privilegiati quodvis interdictum relaxare; quia ad talem actum requiritur iuriſdictio in foro exteriori, quam illi non habent, ſed ſolum in foro interiori conſcientiæ. Locus autem & Communitas non ſubiacent iudicio interno pro foro animæ, ut patet.

Interdictum quodcumque latum per ſpecialem ſententiam ab homine, relaxari, ut modo diximus, ſeu tolli nequit, niſi ab ipſo qui illud tulit, aut ab eius ſucceſſore, delegato, aut Superiore, qui poſtremus habet in ipſo ferente plenam iuriſdictionem cap. *Paſtoralis* 11. §. *Præterea de offic. Ordinarii*. Ita illi ſoli ſupradicti poſſunt abſolvere ab interdicto lato per ſententiam generalem, quando auctor illius in ipſa generali ſententia eius abſolutionem ſibi reſervavit, cap. *Nuper de ſent. excommunic.* Interdictum locale generale non poteſt relaxari ad cautelam, cap. *Præſent. de ſent. excomm.* in 6. Quæcumque vero alia interdicta poſſunt ad cautelam relaxari, ſicut excommunicatio; cum excommunicatio & interdictum pari paſſu procedant, ut Gloſſa in cap. *Præſenti*, verbo *Declaramus*.

## §. XV.

*De degradatione, depoſitione, ceſſatione a Divinis, & violatione Eccleſiæ.*

Inter pœnas Canonicas ultra excommunicationem, ſuſpenſionem & interdictum, maximæ ſunt etiam degradatio Clericorum, & depoſitio, quæ cum antiquitus promiſcue ſumerentur, nempe ad ſignificandum, Clericum condemnatum, locum quem tenuit, amittere, & a gradu ſui Ordinis excidere; hinc eſt quod nunc etiam, quando ſecundum præſentem diſciplinam ob diverſitatem effectuum diſtinguuntur, degradationis nomen quodammodo includat depoſitionem; ſed iuxta diſciplinam, quæ invaluit poſterioribus temporibus, inducta eſt diſtinctio inter degradationem & depoſitionem, ita ut talis pœna, degradatio vocetur, quatenus degradatio eſt realis ſeu actualis, prout vero eſt verbalis, dicitur depoſitio.

Degradatio igitur realis ſeu actualis eſt, quando ob Clerici incorrigibilitatem actualiter in perpetuum, & ſine ſpe reſtirurionis, clericus privatur, exauthoratur, exuitur & ſpoliatur non ſolum omni officio & beneficio, ſed etiam omni Clericali privilegio per detractionem inſignium Clericalium cum ſolemnitate a iure præſcripta, & traditur Curiæ ſæculari, iuxta leges ab ea puniendus; ita ut ſi quis talem Clericum percuteret, peccaret quidem, ſed non incurreret excommunicationem: Sic Barboſa cum communi. Nam per talem pœnam amittit degradatus privilegium Canonis, & privatur privilegio fori, quatenus eiicitur a foro eccleſiaſtico, & traditur puniendus foro ſeu Curiæ ſæculari, non ſecus ac ſi eſſet Laicus, quamvis in eo tradendo foro civili debeat Eccleſia pro eo intercedere, ut citra mortis periculum eius ſententia moderetur cap. *Novimus de verbor. ſignificat.* Non privatur tamen charactere, qui eſt indelebilis cap. *Oſtenditur* 30. diſt. 4. *de conſecrat.* ac proinde ſi ſit Sacerdos, nec poteſtate valide conſecrandi; quia hæc poteſtas eſt ſolum ſimpliciter impedibilis; neque facultate abſolvendi in mortis periculo, quia pro tunc nulla eſt caſuum reſervatio. Non liberatur tamen degradatus ab onere recitandi Horas Canonicas, & ſervandi caſtitatem, ne alioquin ex ſuis delictis commodum reportet: eſt communis inter DD. Noluit tamen ſacra Congregatio Concilii 13. Auguſti 1703. & alias poſtea requiſita definire, num condemnatus ad triremes teneatur ad recitandas Horas Canonicas: Immo nec Clemens XI. cui remiſit ſacra Congregatio reſolutionem caſus. Unde colligitur, degradationem realem ſeu ſolemnem fieri non poſſe niſi ab Epiſcopo, ut tenent communiter DD. ex Concilio Trid. ſeſſ. 13. cap. 4. *de reform.* ubi habetur: *per ſe ipſum:*

I 4 Im-

Immo non ſufficit ut Epiſcopus ſit electus ac confirmatus, ſed debet eſſe conſecratus, ut Barboſa & Gloſſa communiter recepta in cap. *Tranſmiſſum* 15. *de elect.* verbo *de talibus*. Et talis degradatio eſt ordinis Epiſcopalis, ut nequeat ea aliis ab Epiſcopo demandari, ideſt Abbatibus, Presbyteris, ac ſolemniter benedictis cap. *Aqua* 9. *de conſecrat. Eccleſiæ vel altaris*.

Clericus degradatus induitur omnibus Ordinis ſui ornamentis, manibuſque tenet librum, vel aliud officii ſui inſtrumentum, quo habitu adducitur ad Epiſcopum, qui ſingula ornamenta ſingillatim ei publice eripit, incipiendo ab eo, quod in ordinatione ultimum eſt, & deſinendo in eo, quod primum erat, ſcilicet in humerali; iubetque ut totum caput radatur ad delendam coronam Clericalem, nec ullum ſuperſit Clericatus veſtigium. Inter hæc, terroris cauſſa, pronunciat formulas eis contrarias, quas adhibuerat in Ordinatione, ut habetur cap. *de pœnis* in 6. & in Pontificali Romano, ubi exponuntur forma, ritus, & circumſtantiæ degradationis. Hæc ſolemnis degradatio fit, ſi Clericus tradendus ſit Curiæ ſæculari; unde adſtat Iudex ſæcularis, ut reum illico ad ſe rapiat.

Ad degradationem autem requiritur numerus Epiſcoporum, qui præſcribitur, & requiritur a veteribus Canonibus: Nam ad degradationem Epiſcopi requirunt concilium duodecim Epiſcoporum, ſex ad Presbyteri, trium ad Diaconi. Minores vero Clericos deponere ſeu degradare poteſt Epiſcopus in conſeſſu ſuorum Presbyterorum. Hoc antiquitus obſervari, quando Comitia erant frequentiora, facilius erat; nunc quando rariora ſunt, iuxta ſtatutum Concilii Trid. ſeſſ. 13. cap. 4. *de reform.* hoc fieri poteſt per ſolum Epiſcopum ſine numero olim præfinito Epiſcoporum, ſed ſufficit aſſiſtentia totidem Abbatum, uſum habentium, ex privilegio Pontificio, Baculi & Mitræ, ſi in Civitate, aut Diœceſi commode haberi poſſunt, alioquin aliarum perſonarum, quæ ſint conſtitutæ in eccleſiaſtica dignitate, aut ætate graves, ſeu iuris ſcientia commendabiles. Ex declaratione autem ſacræ Congregationis ex Fagnano lib. 3. *Decretal.* cap. *Aqua* appellatione perſonarum in dignitate conſtitutarum, de quibus loquitur Concilium, non comprehenduntur Prælati Regularium Mendicantium, cum non habeant nomen dignitatis; & Abbates non debent aſſiſtere proceſſui, ſed tantum ſolemni, & actuali degradationi ut Aſſeſſores, & Ordinarius adhibere poteſt alias perſonas in dignitate conſtitutas etiam alterius Diœceſis.

Nota, Regulares de iure communi non poſſe degradare ſuos ſubditos degradatione reali ſeu actuali, quia ius commune deſignat ad hoc munus ſolum Epiſcopum cap. *Degradat.* 2. *de pœnis* in 6., quia ordinare eſt ſolius Epiſcopi, ſic & deiicere. Unde hoc exequi nequeunt Prælati Regulares, niſi illis conceſſum ſit per privilegium a S. Sede, vel per conſuetudinem a S. Sede toleratam. Sic Barboſa cum aliis. Poſſunt quidem degradare eos degradatione verbali, quæ eſt depoſitio, cum hæc etiam in Clericis ſæcularibus fieri queat per Vicarium Generalem.

Depoſitio vero, quæ eſt degradatio verbalis, eſt ea pœna eccleſiaſtica, quæ fit per ſolam & ſimplicem ſententiam, qua Clericus criminoſus ab Ordinibus Clericalibus, ſeu ab eorum exercitio, ideſt ab officio & a beneficio quoque, ſi aliquod poſſideat, in perpetuum privatur, retentis tamen privilegiis fori & Canonis. Et licet depoſitio maxime ad ſuſpenſionem accedat, ab ea tamen eſſentialiter diſcrepat, quod ſuſpenſio de ſe non ſit perpetua, ſecus depoſitio, quæ idcirco non eſt veri nominis cenſura. Si Clericus degradatus, ex aliqua iuſta cauſſa reſtituatur ad Ordines Clericales, non debet de novo ſacris inſigniri; quia Clericus degradatus, licet non ſit in dignitate, ac ante depoſitionem, vere tamen adhuc eſt, & dicitur Clericus c. *Degradatio* verb. *Privilegia de pœnis* in 6.

Pœna degradationis & depoſitionis non infligitur niſi ob culpas valde graves; & pro depoſitione ſeu degradatione verbali ſunt adulterium, concubinatus, ſimonia notoria, ſtuprum, inceſtus, furtum, periurium, homicidium, & alia graviora delicta, ut cap. *Si clerici* 4. *de iudiciis* &. *de adulteriis*. Crimina vero, ob quæ de iure deveniri poteſt ad degradationem realem ſeu actualem ſunt hæreſis cap. *Ad abolendum* 9. & alibi; falſificatio litterarum Apoſtolicarum cap. *Ad falſariorum* 7. *de crimine falſi*; conſpiratio in proprium Epiſcopum cap. *Si quis Sacerdotum* 18., incorrigibilitas Clerici poſt ſervatos aliarum pœnarum gradus cap. *Cum non ab homine* 10. *de iudiciis*; crimen non Sacerdotum, qui audent Miſſam celebrare aut Confeſſiones Sacramentales excipere, ex Conſtitut. Clementis VIII. falſificatio, & adulteratio monetarum intra Italiam ex Conſtitutione Urbani VIII. quæ incipit *In ſuprema*.

Ceſ-

Digitized by Google

Ceſſatio a divinis eſt vicina Interdicto, ſicuti depoſitio affinis eſt ſuſpenſioni. Ceſſatio quippe a divinis eſt ſeu definiri poteſt, *legitima deſiſtentia a divinis Officiis & Sacramentis præcepta ab Eccleſia certo in loco, vetans Clericis ſub mortali, ne ibi illa peragant, niſi quatenus neceſſitas poſtulat*. Dicitur *deſiſtentia legitima*, ideſt ſecundum præſcriptum atque ob legitimam cauſſam indicta, ſive ab homine, qui eam per ſententiam aliquando plus, aliquando minus generaliter decernere poteſt, ſive a iure; quia cum Eccleſia polluitur, in ea ceſſatur a divinis. Dicitur *a divinis officiis* &c., quia iuxta communem Doctorum non licet durante tempore ceſſationis præter unum Sacrificium quævis divina officia celebrare. Poſſunt tamen Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis, Pœnitentiæ, ac Euchariſtiæ in mortis periculo conferri; ex quo conſequitur, quod confici poſſit etiam ſacrum Chriſma feria quinta maioris Hebdomadæ, & propter ſpecierum renovationem ſemel in hebdomada Miſſam poſſe celebrari. Non ſic tamen conveniunt DD. circa Matrimonium, an tempore ceſſationis celebrari poſſit, & Pœnitentiæ Sacramentum non infirmis miniſtrari. Aſſerunt aliqui hoc fieri poſſe, & quoad Pœnitentiam ſcribit Cooinch ita reſolutum eſſe a pluribus Salmanticenſis Academiæ Doctoribus; & addit cum Suarez, ſepulturam ſacram tempore ceſſationis nullo iure eſſe vetitam, niſi forſan hæc prohibitio vigeat aliquo in loco ex inducta conſuetudine. Verum quidem eſt, quod tali tempore abſtinendum eſſet a conſueta officii ſolemnitate. Dicitur *præcepta ab Eccleſia*, quia hanc ceſſationem a divinis niſi Eccleſiaſtica poteſtas præcipere valet. Dicitur tandem *aliquo in loco*: Nam licet ceſſatio a divinis, non ſecus ac interdictum, in generalem & particularem queat, non poteſt tamen dividi in localem, & perſonalem, cum nonniſi in loca decernatur. Hæc pœna fere eoſdem effectus habet ac interdictum, non tamen eſt cenſura, cum non ſit pœna medicinalis, ſed ſignum mœroris ab Eccleſia concepti ob gravem iniuriam, vel in ſe, vel in Miniſtrorum ſuorum perſonam illatam. Differt inſuper ab interdicto etiam locali, & quia interdictum ſemper afficit aliquas perſonas, quæ eidem cauſſam dederunt, minime autem ceſſatio a divinis; & quia violatio ceſſationis a divinis non inducit irregularitatem, quam certe inducit interdicti violatio. Religioſi quidem, qui ceſſationem violant, hoc ipſo incurrunt pœnam excommunicationis Clement. 1. *de ſentent. excommunic.* 4.

## §. XVI.

### *De Eccleſiæ violatione.*

Cum una ex cauſſis ceſſationis a divinis, ſit Eccleſiæ violatio ſeu pollutio, non incongruum eſt hic aliquid breviter addere de Eccleſiæ violatione ſeu pollutione. Eccleſia autem tunc pollui dicitur, quando quædam in ea contingunt adeo ipſius reverentiæ contraria, ut in ea non amplius liceat divina officia celebrare priuſquam reconcilietur.

Quibus modis polluatur Eccleſia.

Eccleſia autem pluribus modis & caſibus polluitur, ita ut indigeat reconciliatione. Primo enim polluitur per voluntariam, notabilem, iniurioſam & mortaliter culpabilem humani ſanguinis effuſionem, quæ in ea contingat, ſive mors vulnerati ſequatur, ſive non cap. *Eccleſiis* 20. diſt. 1. *de conſecrat* cap. *Propoſuiſti* 4. & alibi. Sicuti autem per voluntarium & iniurioſum homicidium ibi patratum polluitur, ſive interfectus Chriſtianus ſit, ſive non, ſive fiat cum ſanguinis effuſione, ſive abſque effuſione ſanguinis; ita ut polluatur Eccleſia, ſi aliquis in ea ſuſpendatur vel ſuffocetur; ſic nihil intereſt, ut Eccleſia polluatur, quod quis proprium, vel alterius hominis ſanguinem criminoſe in ea fundat; ita ut ſi quis rationis compos ex ira vel deſperatione ſeipſum occidat, vel etiam cum ſanguinis effuſione ſe percutiat, Eccleſia erit polluta, & reconciliari indigebit, ut expreſſe Gloſſa verb. *Sanguinis humani* in additione. Sic Sayrus, ac Barboſa cum aliis. Sanguis debet in notabili quantitate effluere, ut ſignificat verbum *effuſio*, & notat Gloſſa in cit. cap. Et multo minus Eccleſia eſſet polluta, ſi nulla contingat ſanguinis effuſio, licet aliquis ibi graviter verberaretur, & eius carnes contererentur, & oſſa confringerentur, cum iura requirant ſanguinis effuſionem. Immo etiam copioſa ſanguinis effuſio Eccleſiam non pollueret, ſi non eſſet cauſſata a percuſſione graviter peccaminoſa; ſed ſi leviter ſit culpabilis, licet ſanguis copioſe effundatur, Eccleſia non erit polluta, ut fit quando pueri ſe ad invicem percutiunt, vel ſi pater aut magiſter correctionis gratia leviter modum excederet in percutiendo filium vel diſcipulum, ut copioſa ſequeretur ſanguinis effuſio: per has enim percuſſiones, utpote non graviter iniurioſas, Eccleſia non violatur.

Digitized by Google

tur. Sic Navarrus, Barboſa & alii. Dicitur *in ea contingat*, ſeu in qualibet eius parte, quæ ſit locus ſacer, ſcilicet intra illud ſpatium, quod ſpectat ad internum corpus Eccleſiæ, a tecto interiori uſque ad pavimentum, ut Bonac. Cabaſſut. Pontas & alii. Quare ſi homicidium ſeu ſanguinis effuſio contingat ſupra Eccleſiæ tectum, vel ſupra fornicem Eccleſiæ vulgo *ſoffitto*, vel in ſpecu ſubterraneo, modo non ſit locus deputatus ad ſepulturam Fidelium, aut in Sacriſtia, in turri campanaria, vel etiam in cæmeterio, licet Eccleſiæ contiguo, non polluitur Eccleſia; pollueretur tamen cæmeterium. Violatur pariter Eccleſia, ſi quis recipiat vulnus lethale in Eccleſia etiam ſine effuſione ſanguinis, ex quo extra moriatur; quia actio illativa mortis facta eſt in Eccleſia: ſicuti ex oppoſito ſi quis extra Eccleſiam graviter vulneratus eſt ab exiſtente extra Eccleſiam, puta per lapidem aut aliquid aliud, & vulneratus Eccleſiam ingrediatur, & ibi contingat ſanguinis effuſio, & etiam mors, Eccleſia tunc non pollueretur, quia actio iniurioſa cauſſata eſt ab exiſtente extra Eccleſiam: pollueretur vero ſi quis foris exiſtens iaculum, aut cultrum mittat, eumque, qui in Eccleſia eſt, occidat, vel etiam ſolum ita feriat, ut contingat copioſa ſanguinis effuſio. Dicitur *per voluntariam*; non enim pollueretur locus ſacer, ſi quis fortuito caſu, puta trabe corruente oppreſſus moriatur, vel mente captus ſe occidat; quia non polluitur Eccleſia per quamcumque etiam voluntariam occiſionem, ſed per eam ſolam, quæ ſatis voluntaria ſit ad mortalem culpam incurrendam. Dicitur *notabiliter iniurioſam*, ideſt perpetratam modo, qui graviter adverſetur reverentiæ Eccleſiæ. Quocirca non polluitur, ſi quis cum iuſto moderamine ad ſui defenſionem alterum occidat. Pollueretur quidem ſi mors alicui reo inferretur etiam per ſententiam iudicis; item ſi martyr ob Fidem occideretur; quia licet ſanguis Sanctorum Eccleſias conſecret, eorum tamen cædes ex perſecutoris diſpoſitione eſt immane ſacrilegium, ita ut Eccleſiam tunc polluit non ſanguis effuſus, ſed iniurioſa ſanguinis effuſio.

Violatur 2. Eccleſia, quando humanum ſemen in Eccleſia criminoſe, & notorie eſt effuſum, ſive ſit hominis, ſive mulieris, ſive hæretici, aut infidelis, ſive in copula carnali, ſive etiam per mollitiem, aut adulterium, vel ſodomiam, aut beſtialitatem in cap. *Eccleſiis* 20. diſt. 1. *de conſecrat.* Et eſt communis Doctorum cum Barboſa. Quare Eccleſiam non violat illuſio contingens in ſomnis, aut in vigilia: Immo nec ſufficit iuxta multos etiam effuſio ſeminis voluntaria in cauſa, vel mera ſeminis diſtillatio. Sufficit quidem copula coniugatorum ſine neceſſitate exercita. Dixi *ſine neceſſitate*; nam ſi coniuges conſtringerentur diu habitare in Eccleſia, ut contingit tempore belli, & periculum eſſet incontinentiæ, poſſunt ſecundum multos, ſecluſo tamen ſcandalo, ibi debitum ſibi ad invicem reddere. Alii tamen contrarium ſuſtinent, ut Sylvius.

Polluitur 3. Eccleſia, ſi in ea ſepeliatur aliquis excommunicatus vitandus, ſcilicet publice denunciatus cap. *ſacris* 12. *de ſepultur.* aut notorius Clerici percuſſor, aut infidelis, licet infidelis eſſet etiam infans, ut communiter DD. Immo probabilior eſt, etiam ſi ſepeliatur infans non baptizatus, filius parentum Fidelium; dummodo tamen mortuus non ſit in utero & cum ipſa matre ſepeliatur, cum, antequam partus editus ſit, mulieris, eiuſque viſcerum ſit portio. Eccleſia autem violata per ſepulturam excommunicati publice denunciati, reconciliari nequit niſi exhumato ipſius cadavere, ſi ab aliis diſcerni queat, vel collata ei abſolutione a cenſuris, ſi in morte ſigna dederit pœnitentiæ. Si in Eccleſia ſepulti ſint hæretici non nominatim denunciati, tametſi alias notorii, non cenſetur Eccleſia violata, nec ideo indiget reconciliatione, quia cum non teneamur eos vitare in vita, ſic nec in morte. Quoad hæreticos vero nominatim denunciatos, ut ſunt Proteſtantes in Germania, ubi uſus invaluit ut illi quoad ſepulturam tolerentur, Eccleſia vel cœmeterium inde non polluitur. Licet vero interdicti & excommunicati in iure æquiparentur, non violatur tamen Eccleſia, ſi interdicti denunciati in ea ſepeliantur, cum id nullibi expreſſum ſit.

Num vero polluatur Eccleſia eo quia Epiſcopus excommunicatus & denunciatus eam conſecret, & benedicat, non conveniunt DD. In caſu igitur eam incerto, conſulendus eſſet Metropolitanus, ut advertit Pontas. De eius reconciliatione, vel nova conſecratione iam actum eſt in tractatu de Sacramento Euchariſtiæ.

CA-

## CAPUT III.

### *De Immunitate Eccleſiaſtica, & de Iure Aſyli.*

### §. I.

### *De natura & diviſione Immunitatis Eccleſiaſticæ.*

IMmunitatis vocabulum derivatur a nomine *munus*, ſeu a munere, quod generaliter acceptum, triplicem habet ſignificationem: 1. ſcilicet muneris ſeu doni; ſic munera dari dicuntur, & mitti; 2. officii cum honore, ut ſunt munera militaria, munera civilia, quæ eſſe ſolent cum honore; 3. oneris ſeu obligationis functionis cuipiam impoſitæ, vel lege aut more ei incumbentis ſine honore, quomodo eſt municeps, quaſi communium onerum ſeu munerum particeps; unde qui a tali onere ſeu obligatione exemptus eſt, dicitur immunis eſſe, & immunitate gaudere. Quocirca muneri in hac tertia ſignificatione accepto opponitur immunitas L. *munus* 18. & ibi Gloſſa verb. *onus* & verb. *officium* ff. *de verbor. ſignificat.*

Immunitas Eccleſiaſtica ſeu immunitas Eccleſiarum, quamvis paſſim a pluribus pro eodem ſumantur, & unica definitione definiantur, proprie tamen & rigoroſe loquendo non ſunt idem, ſed diverſum, ut advertunt Riccius, Engel, Reiffenſtuel & alii, intelligentes pro immunitate Eccleſiarum, immunitatem localem Eccleſiis, locisque ſacris competentem; & pro immunitate eccleſiaſtica, immunitatem perſonalem & realem competentem perſonis Eccleſiaſticis, & rebus ad tales perſonas, vel ad Eccleſias ſeu loca ſacra pertinentes cap. *Satis cunctas* 1. Extravag. *inter communes* §. *incendiarios*. Quidquid tamen ſit:

Definitio Immunitatis. Immunitas Eccleſiaſtica ſumpta generatim definitur ſeu deſcribitur: *Immunitas Eccleſiaſtica eſt ius ſeu exemptio, qua Eccleſiæ res, & perſonæ Eccleſiaſticæ a publicis muneribus, & oneribus ſæcularibus ſunt liberæ*; vel ut alii: *Eſt ius, quo Eccleſiæ, & alia loca ſacra, necnon perſonæ eccleſiaſticæ ac res ipſarum, liberæ ac immunes ſunt a muneribus & oneribus ſæcularibus, atque ab actibus eorum ſanctitati & reverentiæ debitæ repugnantibus*. Huiuſmodi immunitas ſic communiter accepta ac deſcripta dividitur in *localem*, *realem*, & *perſonalem*. Immunitas *localis* eſt ea, quæ convenit Eccleſiis, aliiſque locis ſacris, & piis, ac Religioſis. Immunitas *realis*, quæ competit rebus, ſeu bonis Eccleſiaſticis, ideſt pertinentibus ad Eccleſias vel Eccleſiaſticas perſonas. *Perſonalis*, quæ perſonis Eccleſiaſticis competit.

Certe minime eſt ambigendum, Clericos, Eccleſias, earumque res ſeu bona, reſpectu eorum quæ vere & proprie ſpiritualia ſunt, iure divino immunia eſſe ſeu exempta a iuriſdictione ſeu poteſtate ſæculari. Sic Barboſa, Covaruvias cum communi; & hoc probatur ex Sacramentis, quorum cognitio iuxta Tridentinum ſeſſ. 24. can. 12. pertinet ad ſolum Iudicem Eccleſiaſticum. Ita ibi: *Si quis dixerit, cauſſas Matrimoniales non ſpectare ad Iudices eccleſiaſticos, anathema ſit*. Idemque accidit in Donis ſupernaturalibus, in Beneficiis Eccleſiaſticis, in rebus ſacris, aliiſque ſimilibus, ad quorum deciſionem ſupernaturalis cognitio requiritur. Nam ſuper his nullam prorſus iuriſdictionem, ſeu poteſtatem Principibus ſæcularibus, quibus tota poteſtas a Republica communicatur, Deus contulit, ſed ad illa iudicanda ſupernaturalis inſtituta fuit poteſtas eccleſiaſtica, quam tradidit D. Petro, aliiſque Apoſtolis, & legitimis eorum ſucceſſoribus Ioannis 21. *Paſce oves meas*, &: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: Docete omnes gentes*. Quoad alia vero, probabilius cenſent permulti contra aliquos, immunitatem realem & perſonalem eſſe de iure divino, & hoc colligunt ex ſacræ Scripturæ teſtimonio, & iuris textibus. Geneſeos enim 47. ſub Pharaone Ægypti rege habetur, Sacerdotes, & Levitas exemptos fuiſſe a iuriſdictione ſæculari, & a lege ſolvendi tributa; & hoc refertur in cap. *Non minus de eccleſiaſtica immunitate*, ubi idcirco graviter arguuntur plures Chriſtiani Principes, quod deterioris conditionis factum ſub eis Sacerdotium videatur, quam ſub Pharaone, qui legis divinæ notitiam non habebat. Nota verba *legis divinæ*. Et ſic colligitur ex aliis variis locis, ut Levitici cap. ult. Numeror. cap. 3. primi Eſdræ cap. 7. Colligitur pariter ex Iure canonico, ut ex cap. *Si Imperator* diſt. 96. & ſic Gloſſa in hoc cap. *Sylveſter*, & cap. *Relatum* 11. q. 1. & alibi. Abbas, Barboſa, Fagnanus in cap. *Non minus*, & in cap. *S. Mariæ* n. 10. *de immunitate eccleſiaſtica* n. 4. Bonac. de Cenſuris in Bulla Cœnæ.

Nec officit quod obiicitur a patronis oppoſitæ ſententiæ de Decimis, nempe quod iſtæ ſunt de iure humano, & originaliter tantum, & initiative de iure divino: Nam decimæ quoque nunc ſunt iuris divini,

ait

ait hic Reiffenſtuel cum Canoniſtis, ad quos remittit, quatenus requiruntur ad neceſſariam Miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationem.

Immunitas localis, quæ ab aliquibus *Immunitas Eccleſiarum* appellatur, & ſub ipſa comprehenduntur cæmeteria, & alia loca ſacra & Religioſa, conſiſtit in duobus, videlicet ut actus prophani & ſæculares in Eccleſia minime exerceantur; & malefactores ad Eccleſiam confugientes, ibidem in vita & moribus protegantur, neque violenter inde extrahi poſſint, quod poſtremum dicitur *ius aſyli*, de quo fuſius dicetur.

In primis igitur in Eccleſiis, earumque cæmeteriis vetitum eſt exercere iudicia ſæcularia, ideſt ad forum ſæculare ſpectantia, ut actus quicumque iudicialis ſive civilis ſive criminalis: proceſſus, & ſententia ſuper cauſſa ſæculari ibidem lata irrita ſunt ipſo iure, nulliuſque roboris. Sic ſtatuitur cap. *Decet* §. *finali de immunitate Eccleſiæ*. Dicitur notanter *iudicia ſæcularia*, ſiquidem iudicia eccleſiaſtica valide & licite ibi agi poſſunt arg. *Capitul. Qua fronte de appellat.* & ita docet Gloſſa communiter recepta cap. cit. *Decet* verſ. *Sæcularium de immunit. Eccleſiaſt.*

Dicet forſan aliquis: iudicia eccleſiaſtica fieri prohibentur die feſto, non ſecus ac ſæcularia; igitur utraque, iudicia ſæcularia ſcilicet & eccleſiaſtica, vetita ſunt exerceri in loco ſacro. Reſp. falſam eſſe conſequentiam; quia res valde ſunt diſpares: Nam æque, immo plus decet, ut Clerici in forenſibus actibus non occupentur diebus feſtis, ac laici. Verum loquendo de loco, Eccleſia præſumere potuit, iudicia eccleſiaſtica cum minori ſtrepitu, minorique tempore expedienda fore, quam ſæcularia, necnon Iudicem eccleſiaſticum multo magis quam ſæcularem curaturum, ut omnia ſine irreverentia loci ſacri peragantur. Non poteſt tamen negari, magis decens eſſe, ut eccleſiaſtica quoque iudicia minime in Eccleſia, quæ locus eſt orationis, non litium ac iurgiorum, ſed in domo ſeu Epiſcopali palatio, aut alio competenti loco, peragantur.

Inſuper multo magis indecens eſt, & idcirco graviter vetitum contractus, negotiationeſque in Eccleſia, cæmeterio, aliiſque locis ſacris exercere, nundinaſque inſtituere, aut fori cuiuſcumque tumultus, ut habetur laudato cap. *Decet de Immunit.* Eccleſiaſt. & eſt communis ex Chriſti exemplo, qui e Templo eiecit negotiatores Matth. 21. Validi tamen ſunt, quamvis illiciti, contractus in Eccleſia initi, eo quod iure nullo irritentur, ſicuti cit. cap. *Cum Eccleſia de Immunit. eccleſiaſt.* irrita ſtatuuntur iudicia ſæcularia; & eo magis, quia cum hæc Conſtitutio ſit pœnalis, non eſt extendenda ad caſus non expreſſos, cuiuſmodi ſunt contractus in Eccleſia initi, & hoc notat Gloſſa paſſim recepta cit. cap. *Decet.* veti. *proceſſus*.

Cæterum, ſi fiat principaliter, immo dicam unice ad ſatisfaciendum Fidelium devotioni, & minime ob negotiationem, & lucrum captandum, non eſt illicitum vendere in Eccleſia candelas, ut tenet Summ. Angel., cum ibi ſolum vetita ſit negotiatio. Quocirca laici, qui ob negotiationem vendunt, & lucrum, ſtant extra Eccleſiam. Nam Chriſtus Dominus tales vendentes eiecit e Templo; quia per iſtos ibi fiebant pacta, & alia cultum divinum perturbantia, quod non contingit in caſu allato de candelarum venditione principaliter ut Fidelium devotioni ſatisfiat, nec lucus pro lucro, quod ſi fiat, debet eſſe tenue, & ex conſilio dandum pauperibus.

Item intra Eccleſiam vel Cæmeterium poni non debent ſupellectilia, vel Hoſpitalarii in illa iacere vel convivari, niſi propter hoſtiles incurſus, aliaſve neceſſitates, quibus ceſſantibus ad priſtina loca reportentur; alias in hoc caſu & in priori videtur mortale arg. cap. *Oratorium* diſt. 42. Sylveſt. Azorius.

Non convertenda pariter Eccleſia in ſæculare habitaculum, aut uſum ſæcularium *de conſecr.* diſt. 1. Sicut etiam multo minus fieri poſſunt in Eccleſia, Cæmeteriis, aliiſque ſacris locis ludi theatrales, repræſentationes ſcenicæ ſeu Comœdiæ prophanæ cum larvis & ſimilibus inhoneſtis, quæ ſanctitatem loci maxime dedecent, ac proinde penitus in Eccleſia, ſacriſque locis fieri prohibentur, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, quæ, ſi extaret, eſſet maxima corruptela, c. *Cum decorem de vita & honeſt. Clericor.* Poſſent tamen ibi fieri piæ & honeſtæ repræſentationes ad devotionem ducentes, ut repræſentare Præſepe Domini, Herodem per Innocentum ſtragem perſequentem natum Dominum, Magos ipſum venerantes, & huiuſmodi alia, arg. *de conſecr.* diſt. 2. *Semel* & diſt. 4. *quæris quaſi* in fine. Sylveſt. Azorius Concilium tandem Trid. ſeſſ. 22. in Decreto *de obſervandis ac vitandis in celebratione Miſſæ*, ſtatuit, ut locorum Ordinarii ab Eccleſiis Muſicas eas, ubi ſive organo, ſive cantu laſcivum aut impurum aliquid miſcetur; item ſæculares omnes

mnes actiones, vana, atque adeo prophana colloquia, deambulationes, ſtrepitus, clamores arceant, ut domus Dei vere domus orationis eſſe videatur, & dici poſſit.

Laicorum Sodalitates, vulgo *Confraternitæ*, non poſſunt in Eccleſiam convenire, ut ibi ſua concilia, congreſſuſque peragant, & conciones habeant, negotiaque tractent, ut Panormitanus; quia in laudato cap. *Decet* aperte dicitur: ceſſent in Eccleſiis conclamationes, ſeditiones, negotiationes &c. univerſitatis; ſocietatum quarumlibet concilia, conciones, & publica parlamenta. Poſſunt tamen in Eccleſia congregari, ut aliquid pium ac ſpirituale efficiant, nimirum ut offerant aliquid Deo, & Sanctis. Ita Habert cum aliis.

Licitum tamen eſt diſputationes ſcientificas habere in Eccleſiis, quia eſt donum Dei, & res honeſta ac ſancta, arg. l. 1. ff. *de variis & extraordin. cognition.* Abbas, Azorius, Pirhing.

De violentia illata locis ſacris. Pertinet quoque ad Immunitatem Eccleſiarum, ne violentiam quis inferat infringendo earum ianuas, vel ipſas ſuis bonis ſpoliando, aut huiuſmodi quidpiam attentando, ut ex cap. *Omnes* & c. *Quiſquis* 17. q. 4. cum concordantiis, ubi tales indicantur ſacrilegi. Immo violatores Eccleſiarum Dei, ſive cum effractione Eccleſia ſpoliantes, ſunt excommunicati ipſo iure, c. *Canonicas* 11. q. 3. & c. *Sicut* q. 4. & cap. *Conqueſti de ſentent. excommun.*

Immunitas tamen ſpectata quoad locum præcipue examinanda ſumitur in præſenti quoad alteram partem, videlicet prout dicit ius Aſyli, ſeu prout eſt privilegium a iure Eccleſiis, & ſacris aliis quibuſdam locis conceſſum, ut Rei libere ad ea confugientes tuti ſint, nec inde poſſint per vim aut dolum expelli & extrahi, ac extracti puniri in vita aut in membris. Siquidem a iure, ſeu per leges tum civiles tum canonicas, ſeu per ſacros Canones ſpeciale privilegium Eccleſiis, aliiſque ſacris & piis, ipſiſque annexis locis, ob maiorem eorumdem reverentiam, indultum eſt, ut delinquentes, qui ad huiuſcemodi loca tamquam ad aſylum confugiunt, nullatenus tali favore & beneficio privari queant. Eſt communis.

Dixi *per leges tum civiles, tum canonicas*; quia immunitas localis prout eſt ius Aſyli reis illuc confugientibus, non eſt iuris naturalis, nec divini, ſed humani dumtaxat, civilis aut eccleſiaſtici, ut ex cap. *Inter alia de Immunit. Eccleſ.* ubi ſic: *Iuxta ſacrorum ſtatuta Canonum & traditiones legum civilium fugiens ad Eccleſiam &c.* & Authentica *de mandatis Princip.* §. *nec autem homicidii* collat. 3. Et hoc ratio ipſa demonſtrat: quia licet Deus iure naturali & divino colendus ſit, reverentia locis ſacris exhibenda, non ideo tamen neceſſario inde infertur, hoc fieri debere, immunitatem reis ad Eccleſiam confugientibus præſtando, tum quia iure naturali & divino ſtatuitur, facinora coercenda eſſe; tum quia reverentia iure naturali & divino locis ſacris debita ſatis per hoc impletur, quod actiones profanæ & inhoneſtæ inde arceantur.

Nec obſtat quod hic ſolet obiici, Deum in lege veteri præter Civitates refugii, de quibus Numeror. 35. Deuteron. 19. Ioſue 20. Templum etiam Hieroſolymitanum pro Aſylo conſtituiſſe, ut videtur colligi ex cap. 21. Exodi, ubi ſic habetur: *Conſtituam tibi locum, in quo fugere debeas.* Nec pariter quod afferat Concilium Trid. ſeſſ. 24. *de reformat.* Eccleſiæ, & Eccleſiaſticarum perſonarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus conſtitutam. Non obeſt, inquam; quia præterquam quod Abulenſis cap. 25. Ioſue q. 7. & alii, negant templum Hieroſolymitanum inſtitutum fuiſſe pro aſylo, lex illa, utpote cæremonialis, poſt Chriſti mortem iam expiravit. Unde ex veteri lege ius aſyli nullam amplius vim habet, ſed ſolum quamdam ſimilitudinem, ſecundum congruam iuris naturalis æquitatem, quam Gentiles quoque agnovere: & de facto per iura humana tum civilia tum canonica, id Eccleſiis, aliiſque ſacris ac piis locis conceſſum eſt. Et in lege nova Evangelica non habetur ius aliquod poſitivum ſive in Scriptura novi Teſtamenti, ſive ab Apoſtolis traditum, quo talis immunitas decernatur. Circa vero allatum textum Concilii Trid. reſp. quod ut iura iuribus concordent iuxta cap. *Cum expediat de elect.* in 6. quantum ad aſyli immunitatem non plus vult Concilium, quam, ipſam ad imitationem veteris legis antiquitus inſtinctu divino per canonicas ſanctiones inſtitutam fuiſſe.

Inferunt idcirco Barboſa l. 2. *Iuris Eccleſiaſt. univerſ.* & Engel tit. *de Immunit. Eccleſiaſt.* n. 9. & alii, quod circa hanc immunitatem eccleſiaſticam ſeu ius aſyli magnam vim habeat conſuetudo, ac proinde in permultis caſibus ad eam a Iudicibus recurrendum eſſe; quia cum hæc immunitas non ſit iuris naturalis, nec divini, ſed ſolummodo poſitivi humani, ſubiacet conſuetudini arg. cap. ult. *de conſuetud.*

No-

Nomine vero Eccleſiæ ſeu loci ſacri intelligitur materialis domus, ſeu Templum, aut Oratorium auctoritate Epiſcopi erectum, & cultui divino ſimpliciter dicatum. Immunitate ſeu iure aſyli gaudent Eccleſiæ omnes, ſive conſecratæ ſint, ſive non, dummodo auctoritate Epiſcopi erectæ ſint, & benedictæ, vel alio modo, v. g. erectione Crucis, ad publicum Miſſæ Sacrificium deſignatæ; ideoque licet nondum divina in his ſint celebrata cap. *Inter alia 6. de Immunit. Eccleſiaſt.* & concordat cum cap. *Immunitatem* 10. eod. cap. *Eos qui* diſt. 87. & cap. *Eccleſiæ*, ubi rationem affert de iure aſyli competenti Eccleſiis, in quibus nondum divina ſunt celebrata; *quia obſequiis divinis dedicata nullis eſt temerariis uſibus profananda*, ſcilicet quod loca ab Epiſcopo, ſeu legitima auctoritate fundata, ad ſacros uſus deputata, ideſt ad hunc finem ut remaneant perpetuo divino cultui dicata, eo ipſo ſunt loca ſacra, & Religioſa, ita ut ad uſus profanos non amplius redire queant, & applicari, ac proinde gaudent immunitate eccleſiaſtica ſeu iure aſyli in cap. *ad hæc* 4. *de Religioſis domibus*. Sic etiam tenent Abb. Fagn. Barboſ. Covaruv. Engel communiter cum aliis: Sumus enim in materia favorabili, idcirco extendenda. Immo immunitate gaudent etiam Eccleſiæ interdictæ, vel pollutæ, & nondum reconciliatæ: ſic Eccleſiæ dirutæ, dummodo non ſint dirutæ auctoritate Epiſcopi, & ſpes extet de earumdem reædificatione cap. *Quæ ſemel* 4. cauſ. 16. Barb. Fagn. Bonac. Engel, ac alii paſſim. Nam allata iuris impedimenta, utpote pœnalia & odioſa, non ſunt extendenda ultra caſus a iure expreſſos. Sic cum Pirhing, Sylveſter, & alii citati hic a Reiffenſt.

Immunitate gaudent non ſolum interius Eccleſiæ corpus, verum etiam tota Eccleſiæ fabrica a pavimento uſque ad ſummitatem tecti, Sacriſtia Eccleſiæ coniuncta, Campanile, cæteraque Eccleſiæ annexa ſeu acceſſoria, nempe Porticus ſeu Atrium, Scalæ, & ſimilia; quia verſamur in materia favorabili; idcirco extendenda. Idemque dicendum de Cæmeterio, ſive coniuncto, ſive ſeparato, quando auctoritate Epiſcopi deſignatum ſit & conſecratum, quia acceſſoria in favorabilibus gaudent privilegio principalis, & quæ ſacris & Religioſis adhærent, ſacra & Religioſa cenſentur. Hinc ſoluta remanet difficultas, quæ fieri poſſet ex violatione ſeu pollutione Eccleſiæ ex iniurioſa ſanguinis, vel ſeminis humani effuſione, quæ non extenditur, ſi hæc contingat ſuper tectum Templi, in eius Turri vel Sacriſtia, aut ſubtus Eccleſiam in caverna ſeu crypta, ut diximus, & notat etiam Gloſſa communiter recepta in cap. unic. *de conſecrat. Eccleſiæ* in 6. cum ex oppoſito ad omnia illa, & ultra etiam extendatur privilegium immunitatis; quia in caſu violationis ſeu pollutionis verſamur in odioſis, ac proinde nomen Eccleſiæ ſtricte eſt ſumendum, non alias late, ſicut in propoſito de immunitate, de qua agendo verſamur in favorabilibus, ac proinde res late & extenſe ſumenda iuxta Regulam 16. iuris in 6. *odia reſtringi, & favores convenit ampliari*. Et huc facit etiam cap. *Si quis contumax* 17. q. 4. ubi puniri iubetur, *qui fugientem, de atrio Eccleſiæ, vel de porticibus quolibet modo Eccleſiæ adhærentibus, per vim abſtraxerit*. Quinimmo hac eadem ratione gaudet immunitate Aſyli, nec violenter abſtrahi poteſt, qui clauſam Eccleſiam reperiens, eius ianuam, vel ſeram apprehendit, quia iam cenſetur exiſtere in loco ſacro: Sic Barb. Bonac. & alii iuxta plures ſacræ Congregationis declarationes, ut 7. Septembr. 1638. & in Brundufina 4. Septembr. 1640. & in Roſſanenſi 18. Febr. 1653. Et hoc privilegium, ut notat hic Reiffenſt., non pauci contra aliquos extendunt etiam ad eum, qui parietes Eccleſiæ exteriores tangeret; quia cum privilegium immunitatis extendendum ſit, hic pariter cenſetur eſſe in loco ſacro. Sic Bonac. diſp. 3. *in Decalog.* q. 3. p. 4. n. 5. a quo quamplures alii citantur; nec immerito, cum hoc declaratum ſit a ſacra Congregatione 18. Februar. 1632. in Amerina, & in Camerinenſi 13. Iulii 1638. & alibi.

Extenditur inſuper iure communi privilegium Immunitatis Aſyli per 40. paſſus in maiori Eccleſia, & per 30. in Capellis vel minoribus Eccleſiis circumquaque, ut eſt definitum cap. *Sicut antiquitus* in 6. cauſ. 17. q. 4. & concordat caput *Definivit* 35. ead. cauſ. 17. & q. 4. & utrobique tenent Gloſſ. Archidiac. Fagn. Hoſt. cum aliis communiter. Dicta autem immunitate 30. paſſuum pro Eccleſiis minoribus non gaudent Eccleſiæ, quæ ſunt intra ambitum murorum Caſtrorum, ut expreſſe in cap. *Quiſquis* 21. cauſ. 17. q. 4. Quia ſi dictæ Eccleſiæ ſeu Capellæ gauderent immunitate etiam ad triginta paſſus, ob loci anguſtiam immunitas totum caſtrum quandoque abſorberet, ut obſervat Gloſſa in cit. cap. *Sicut antiquitus*, & ſic docent Fagn. Covar.

var. Abb. cum aliis communiter. Verum hæc extenſio aſyli 40. aut 30. paſſuum ſecundum multos ablata eſt per contrariam conſuetudinem;, ſicque amplius non poteſt nec debet obſervari. Refert tamen Fagnanus cap. *Eccleſiæ* n 20. *de Immun. Eccleſiaſt.* ſacram Cardinalium Congregationem ſervari iuſſiſſe immunitatem circuitus dictorum paſſuum in Eccleſiis ſaltem Cathedralibus & Collegiatis.

Eadem immunitate gaudent Monaſteria, Conventus, Collegia, Domus Religioſorum tam Regularium quam ſæcularium collegialiter viventium cap. *Quiſquis* 21. cauſ. 17. q. 4. Leg. *Omnia privilegia*, Cod. *de Epiſcop. & Cleric.* Conſtitut. Gregorii XIV. quæ incipit *Cum alias Monaſteriis*, Barb. Fagn. Sic etiam omnia loca intra eorum ſepta, ſcilicet Clauſtra, Cellæ ac habitacula, immo etiam eorumdem Monaſteriorum Horti, areæ, domus familiarium, ſtabula animalium, officinæ, cunctaque alia loca, quæ intra ſepta Monaſteriorum continentur arg. L. *Pateant* Cod. *de iis qui ad Eccleſiam confugiunt*. Villæ quoque ſive Grangiæ, quas etiam recreationis gratia habent Regulares. Sic habetur ex privilegio conceſſo ab Eugenio IV. Ciſtercienſibus, & conſequenter omnibus aliis cum illis communicantibus, & hoc privilegium refert Emmanuel Rodericus tom. 3. q. Regularium q. 75. art. 2. Seminaria, Hoſpitalia, Noxocomia, Orphanotrophia, & huiuſmodi alia loca huiuſmodi auctoritate Epiſcopi erecta, gaudent immunitate Aſyli arg. cap. *Ad hæc* 4. & cap. *Ne nimia* 9. *de Religioſis domib.* L. *Sancimus* Cod. *de SS. Eccleſiis*.

Num vero confugiens ad Sacerdotem portantem SS. Euchariſtiæ Sacramentum, ad ægrotum, vel inde reportantem, aut in proceſſionibus ferentem, eccleſiaſtica gaudeat immunitate, negat Covaruvias cum Bonacina rigoroſe loquendo, ita ut ex ſola reverentia tanti Sacramenti capi a ſatellitibus nequiret, & ſi caperetur, ex rigore iuris non eſſet reſtituendus Eccleſiæ, dummodo non adeſſet conſuetudo in contrarium; eo quia immunitas aſyli, (aiunt) loco conceſſa eſt a iure, non perſonis. Verum probabilius oppoſitum ſuſtinent Panormit. c. *Sane de celebrat. Miſſar.* Engel tit. *de immunit. eccleſiaſt.* Barboſa cit. cap. n. 69. allegans quamplurimos DD. ita ſentientes, Sylveſt. v. *Immun.* Reiffenſt. & Pignatelli tom. 6. *Conſul.* 4. n. 81. ubi affert declarationem ſacræ Congregationis editam in Melitenſi 28. Martii 1628. cuius hæc ſunt verba: *Carceratus ſequens & manu tenens fimbriam veſtis Sacerdotis redeuntis ad Eccleſiam cum SS. Euchariſtiæ Sacramento, gaudet immunitate.* SS. enim Chriſti corpus eſt longe dignius quam Eccleſia materialis, & ipſis Eccleſiis præcipue propter Chriſti corpus, quod ibi offertur, hoc privilegium conceditur; igitur a fortiori eidem ſanctiſſimo Corpori iuxta illud effatum *Propter quod unumquodque tale, & illud magis.*

Verum quidem eſt, quod de hoc expreſſe ius non loquitur. Cum tamen ſimus in favorabilibus, materia extendi debet etiam ad caſus in iure non expreſſos, quando ex mente privilegium concedentis caſus ille comprehendi poteſt. Hinc DD. hoc extendunt non ſolum ad caſum, quo quis Sacerdotem, vel haſtam Baldachini apprehenderit, ſed etiam ſi ſe perſonis aſſociantibus SS. Sacramentum immiſcuerit, quia omnes illæ cum Sacerdote SS. Euchariſtiam deferente unam Eccleſiam conſtituunt, quibus idcirco favor iſte intelligitur conceſſus. Et ita declaravit ſacra Congregatio 30. Septembr. 1636. ſic: *Aſſocians proceſſionem SS. Sacramenti gaudet immunitate.* Non tamen ex hoc inferri poteſt, quod captivus ſumens Euchariſtiam gaudeat immunitate: Siquidem hoc privilegium conceditur fugientibus ad Eccleſiam, vel ad Euchariſtiam, ad quas confugere non poteſt captivus, bene quidem SS. Euchariſtiæ Viatico refici. Multo minus illa gaudebit confugiens ad Sacerdotem ſacrum Oleum ad infirmos deferentem, cum huic nec ius, neque paritas, neque ratio extenſionis faciendæ faveant. Sic Barb. cum aliis. Gaudet quidem, ubi talis adſit conſuetudo, confugiens ad Crucem exiſtentem in via extra Civitatem, iuxta declarationem ſacræ Congregationis 30. Septembr. 1636. in Melevitana l. 3. *Decretor.* relatam a Pignatelli l. cit. n. 90.

Capellæ ſeu Oratoria in palatiis aut domibus privatorum non gaudent immunitate ſecundum Pignatelli t. 1. *conſul.* 39. & alibi, afferentem Decretum ſacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium in Marſiana 17. Novembris 1617. in quo ita: *Capellæ privatorum palatiorum non gaudent immunitate.* Fagnanus tamen lib. 3. Decretal. in cap. *Eccleſiæ* 9. *de immunit.* n. 23. cum Reiffenſt. & pluribus aliis contendunt, hæc Oratoria in domibus privatorum, quando erecta ſint auctoritate Epiſcopi, gaudere immunitate; quia, ut aiunt ipſi, cum talia Oratoria mere ſint loca Religioſa, nec amplius ad uſus profanos applicari poſſint

cap.

Digitized by Google

cap. *Ad hæc 4. de Religioſis domib.* ac inſuper iuriſdictioni ac viſitationi Epiſcopi ſubiecta, non minus ac Oratoria publica auctoritate Epiſcopi erecta, gaudere debent immunitate. Ad citata autem Decreta Congregationis reſpondent, eſſe intelligenda de Oratoriis ſeu Capellis erectis ſine Epiſcopi auctoritate, uti plura habentur in privatorum domibus, quæ cum Religioſa non ſint, & ad nutum domini domus ad uſus iterum profanos applicari poſſint, & converti, quamvis de licentia Papæ aut Epiſcopi in eis ſuper altare portatile celebratæ ſint Miſſæ, non debent gaudere immunitate aſyli, ut tenent cummuniter DD.

Eccleſia campeſtris gaudet immunitate. Sic declaravit ſacra Congregatio *Immunitat.* in Brunduſina 18. Decemb. 1699. lib. 1. Decretal. Vallem. Pag. 162. Nam Eccleſia quælibet, dummodo fundata ſit Epiſcopi auctoritate, gaudet immuuitate, tametſi, ut ante diximus, nondum fuerit benedicta arg. cap. *Eccleſiæ de immunit. eccleſiaſt.* Capellæ vero Carcerum vel Carceribus contiguæ non gaudent immunitate. Sic ſacra Congregatio *Immunit.* in Tudertina 12. Iunii 1663. cit. a Pignatello t. 1. conſul. 471. Capella exiſtens in Palatio Prætorio ſeu Gubernatoris eſt perpetua & invariabilis, ac ideo gaudet privilegio immunitatis; ſecus vero, ſi ſit variabilis, & non perpetua. Sic ſacra Congregatio *Immunit.* in Tudertina 7. Maii 1658. L. Decretal. Ricci. Pag. 89.

Domus Parochorum, & Præpoſitorum Eccleſiæ, quæ Eccleſiæ contiguæ ſint, vel ſaltem ab Eccleſia non multum diſtent, puta tertiam partem milliarii, gaudent immunitate etiam quoad bona ibi exiſtentia, licet eorum para, non tota, laicis ſit locata, ac ab ipſis habitata laicis. Sic declaratum fuit a ſacra Congregatione *Immunit.* in Urbanienſi pag. 138. in Caſſinatenſi 17. Novembr. 1654. l. 2. Decretal. Pauli p. 24. in Civit. Caſtell. 4. Iulii 1673. lib. 1. Decretal. Item Ædes ſeu Domus Canonicales hoc Immunitatis gaudent privilegio, ut ex cit. ſacra Congregatione *Immunit.* in Florent. 8. Maii 1694. lib. 1. Decretal. Val. pag. 120. quæ ſacra Congreg. *Immun.* declaravit inſuper in Lauretana 16. April. 1652. l. 2. Decretal. Paulucci pag. 184. & alibi. Domus Canonicales in Canonica exiſtentes locari per Canonicos laicis habitantibus vetitum eſt, & quidem ſub pœna pecuniaria ad arbitrium Epiſcopi, ut in Mantuanenſi 16. Auguſti 1704. l. Decretal. Vallem. pag. 612. Palatia Cardinalium gaudent tali privilegio, & eſt communis, reſpectu tamen eorum, quæ habent extra Urbem Romanam, ut Fagnanus, Reiffenſt. cum aliis; quia hoc privilegium eorum palatiis in Urbe Romana, quod ibi etiam conceſſum fuerat a Iulio III. ablatum fuit per Gregorium XIII. & Sixtum V. ut referunt cum Felici Poteſtate DD. paſſim, & id, ne ob nimiam aſylorum frequentiam, delinquentes paſſim remanerent impuniti cum gravi boni publici iactura. Gaudent quidem palatia omnium Nunciaturarum. Immunitate aſyli gaudet Palatium Epiſcopi cap. *Id conſtituimus* 36. cauſ. 17. q. 4. tametſi abeſſet ab Eccleſia ultra 40. paſſus, ut Abbas in cit. cap. *Eccleſiæ de Immunit.* n. 9. Fagnan. Barboſ. Navar. in Manuali, Reiffenſt. & hoc intellige, tametſi in Epiſcopi Æde nullum eſſet Oratorium; quia cit. cap. *Conſtituimus* loquitur abſolute de domo Epiſcopi, nulla facta mentione de Oratorio; ita ſentit Navar. cum Suarez iuxta varia ſacræ Congreg. *Immunit.* decreta, ut in Caſtienſi 8. Iulii 1670. l. 1. Decretal. Alt. pag. 453. in Aquinat. 19. Novem. 1666. l. 1. Decretal. Alter. pag. 59. & alibi. Quo privilegio non gaudet palatium, quod ruri habeat Epiſcopus, etiamſi interpolate recreationis gratia ibi habitet, & ab eius affictuariis continuo habitetur. Sic declaravit ſacra Congreg. *Immun.* in una Civitat. Plebis 21. Sept. 1681. l. 2. Decretal. Alter. pag. 2248. Non gaudet tamen hoc privilegio, ſi quis ex Epiſcopi ordinatione capiendus ſit etiam in ſuo Epiſcopio ut incarceretur, iuxta declarationem ſacræ Congreg. *Immunit.* in Segnin. 3. Iulii 1703. l. 3. Decretal. Vallem. pag. 506.

Domus Confraternitatis gaudere debet immunitate eccleſiaſtica aſyli, ut decrevit ſacra Congreg. *Immun.* in una Civit. Caſtell. 23. Iulii 1652. lib. 1. Decretal. Paul. pag. 186. Non gaudet vero, ſi locetur laicis, ut eadem ſacra Congreg. declaravit in Reatina 14. Decemb. 1628. l. 1. Decretal. Paul. p. 115. Sic non gaudent apothecæ laicis locatæ, habentes ingreſſum ex platea vel via publica, ut eadem ſacra Congreg. *Immunit.* in Narnienſi 17. Februar. 1662., nec domus contigua Eccleſiæ, quæ præter ianuam viæ publicæ correſpondentem habet etiam egreſſum in Choro eiuſdem Eccleſiæ, maxime ſi ſit laicorum. Ead. ſacra Congreg. *Immunit.* in una Penenſi 28. Febr. 1662. Gaudet tamen domus Eccleſiæ, quæ inſervit Sacriſtiæ, etſi ab Eccleſia diſiuncta, ex

cad.

Digitized by Google

ead. ſacra Congreg. *Immunit.* 28. Febr. 1662. apud Pignatelli l. 2. Conſul. 456. Item domus annexa, & addicta Eccleſiæ ex ead. ſacr. Congreg. *Immun.* in Portnen. 30. Maii 1666. l. Decretal. Borrom. p. 151. & 759. Domus vero Eccleſiæ contigua, qua nullus patet aditus ad Eccleſiam, & laicis locata, nulla gaudet Immunitate. Sacra Congreg. *Immunit.* in Marvilen. 16. Iunii 1682. Neque gaudet domus erecta ſuper Sacriſtiam Confraternitatis laicis locata. Ead. ſacra Congreg. in Reat. 4. Decemb. 1628. Domus Commendæ Religionis Hieroſolymitanæ habens in inferiori parte cauponam, cui eſt interna communicatio mediante parte ſuperiori domus cum Eccleſia, non gaudet immunitate, & claudendus eſt aditus ad Eccleſiam, ut declaravit & decrevit dicta ſacra Congreg. *Immun.* in Peruſ. 27. Maii 1687. l. Decretal. Martelli pag. 107. Non gaudet pariter privilegio aſyli, ideſt immunitatis eccleſiaſticæ domus Vicarii ſacræ Inquiſitionis, niſi habeat Eccleſiam cohærentem, vel adſit conſuetudo, ex cit. ſacra Congreg. *Immunit.* in Marianenſi 6. Novemb. 1634. lib. 2. Decretal. Paul. pag. 206.

Manſiones Conventus olim ſuppreſſi Eccleſiæ annexæ, nunc commendatæ, laiciſque locatæ, præter ſervitium Eccleſiæ, non habent immunitatem eccleſiaſticam aſyli. Sic decrevit laudata ſacra *Immunit.* Congregatio in Recinaten. 18. Ianuarii 1682. lib. 2. Decretal. Alter. pag. 2147. Item nullibi conſtat immunem eſſe domum emptam a Regularibus ad ampliandam Eccleſiam, & Conventum, in qua ſemel celebravit Epiſcopus, ſed deinde locata fuit laicis, nec ullum habet ingreſſum in Eccleſiam. Ita ex dicta ſacra Congreg. *Immunit.* in Peruſ. 29. Febr. 1684. lib. 3. Decretal. Alt. pag. 287. Idemque dicendum ex ipſa ſacra Congreg. in Albanen. 11. Iulii 1684. l. 3. Decretal. Altoviti pag. 340.

## §. II.

### *De perſonis quæ gaudent Immunitate eccleſiaſtica ſeu iure aſyli.*

Ex reis, qui confugere poſſunt ad ſacra loca tamquam ad aſylum, alii eſſe poſſunt infideles, alii Fideles, & ex Fidelibus alii laici, alii Clerici, vel Religioſi; ex infidelibus alii Pagani, alii Hebræi, alii Hæretici; & ex his omnibus alii gravi crimine, alii ære alieno gravati. De omnibus ſingillatim rem ſuper ius aſyli expendemus.

Et primo quoad Fideles, dicendum, Fideles omnes, cuiuſcumque ſint conditionis, & quantumvis gravia patraverint crimina, ſi ad ſacra loca ac Religioſa ſe recipiant, gaudere eccleſiaſtica immunitate aſyli, ſalvo in caſibus a iure expreſſis, de quibus infra dicemus: & conſtat hæc ſententia ex cap. *Inter alia de Immunit. eccleſiaſt.* cap. *Frater*, cap. *Si quis contumax* 17. q. 4. Quare interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, ſuſpenſus, vel etiam excommunicatus frui poteſt immunitate; quia neque interdictum, neque excommunicatio habent ex iure vim hanc ſeu effectum privandi aſylo immunitatis; quia hæc excludunt ab ingreſſu formali in Eccleſiam, nempe ad aſſiſtendum divinis officiis, & Sacrificio, non ab ingreſſu materiali, cuiuſmodi eſt confugere ad Eccleſiam, tamquam ad aſylum, quod convenit loco ipſo ſacro materiali. Licet enim excommunicatus ex ſe alias indignus ſit hoc beneficio, eo maiorem oſtendit benignitatem ſuam Eccleſia, dum eum tuetur, neque ad eum defendendum reſpicit ad illius delictum, nec ad excommunicationem ab ipſo contractam, ſed ad ſanctitatem loci, & reverentiam. Ita Sylv. Dian. Suar. cum aliis. Neque ipſum hæreticum excludit ab hoc favore, ſi ob alia crimina quam hæreſis ( dum quoad hæreſim privatur eccleſiaſtica immunitate aſyli ) mulctandus eſſet; cum Eccleſia excludat hæreticum ſolummodo prout talem, non quia ſit vel homicida, vel latro, vel ære alieno gravatus &c. Sic Sylveſt. Suarez, Bonac. Salmant. & alii. Dixi *ære alieno gravatus*, ideſt debitor pecuniarius, qui ſolvendo par non ſit, vulgo *fallito*; quia iſte quoque ad Eccleſiam confugiens gaudet immunitate, ut docent Abbas, Barboſa, aliive innumeri, licet non deſint, qui contrarium ſentiunt. Et ratio eſt, quia in favorabilibus reorum nomine veniunt etiam debitores: Nam reus ille dicitur, cui movetur quæſtio, ideſt intentatur actio ſive civilis ſive criminalis, cap. *Forum de verbor. ſignificat.* & Bulla Gregorii XIV. expreſſe mentionem facit *de fraud. detentorib.*, ita ut revocet quæcumque indulta ac privilegia ipſos extrahendi. Favet etiam ſententiæ cap. *Inter alia de Immunit. Eccleſiaſt.* ubi generaliter vetatur extrahere invitum; ita ut ſi ſervus etiam ob timorem domini ad Eccleſiam confugiat, non ſit reſtituendus, niſi dominus iuramentum Clericis præſtiterit de illius immunitate. Si tamen debitor in creditorum præiudicium fraudulenter una cum re-

rebus alienis confugiat ad Eccleſiam, tunc de licentia Epiſcopi res eiuſmodi conſignandæ ſunt Iudici ſæculari, ad effectum ut veris dominis reddantur. Sic Barb. Dian. cum aliis. Nec officit cap. *Definivit* 17. q. 4. in quo vetitum eſt *quidpiam damni ſeu ſpolii reſidentibus in loco ſacro inferri*: quia ibi loquitur textus de bonis propriis Rei, non de alienis, quæ niſi culpabiliter detinere poteſt.

Si reus fractis carceribus, vel ſi captus a ſatellitibus, ex eorum manibus proſiliens, ad locum ſacrum confugiat, in utroque caſu gaudet immunitate; quia in dictis iuribus omnibus prodeſt immunitas, præterquam in caſibus exceptis; ſed neuter horum excipitur in iure: immo in ſecundo caſu, eciamſi per vim ſecum in locum ſacrum Miniſtros Iuſtitiæ trahat; quia ſemper verum eſt illum confugere ad Eccleſiam, & ſic gaudere debet de illius immunitate. Idemque dicendum de damnato ad mortem, ſi cum ducitur ad ſupplicium e manibus miniſtrorum ſe eriperet, & in locum ſacrum ſe reciperet, ut Guttier, Pellizz & alii. Non gauderet tamen, ſi eum comprehenſum ducerent ad carcerem per locum ſacrum, quia tunc non confugeret ipſe ad locum ſacrum, ſed vinctus traheretur.

Gravis controverſia eſt inter DD. quoad Clericos & Religioſos reſpectu ſuorum Superiorum Eccleſiaſticorum, an contra ipſos ibi tuti ſint, ut ab illo, ſecluſis caſibus exceptis, extrahi nequeant. Affirmant enim alii, ut habetur in Barboſa lib. 2. *Iuris eccleſiaſt. univerſ.* cap. 3. n. 137. & in Fagnano c. *Inter alia* n. 7. & ſeqq. *de Immunit. Eccleſiaſt.* & nituntur ſtylo iuris; quia iura, quæ loquuntur de Immunitate, generaliter, & ſine ulla limitatione ad ſæculares loquuntur. Igitur Clerici non ſunt excludendi a tali privilegio; alias quoad hoc deterioris eſſent conditionis quam laici. Inſuper hoc privilegium (aiunt ipſi) conceditur locis, non perſonis, ſed perſonis propter loca: locus autem eſt communis tam Clericis quam laicis, immo magis proprius Clericorum: igitur utriſque iuvat immunitas quoad ſuos reſpectivos Superiores, & maxime Eccleſiaſticis, quos utpote domeſticos ſuos multo magis Eccleſia tueri debet quam extraneos. Sic Barb. Verum tametſi ſententiam hanc fateantur Salmanticenſes eſſe probabiliſſimam, & ſtando in rigore iuris veriſſima ipſis quoque videatur; iuxta tamen tenorem Bullæ Gregorii XIV. in qua hoc privilegium nominatim ad laicos limitatur, dum ibi dicitur: *Ut laicis ad Eccleſias, locaque ſacra confugientibus* &c. (& ideo privilegium hoc locis conceſſum eſt, relative ad Iudices ſæculares, non eccleſiaſticos) & maxime ſecundum rationabilem ac communem, receptamque conſuetudinem, ſtatuunt, oppoſitum tenendum eſſe. Nam frequenter, aiunt ipſi, cernimus, Clericos, Religioſoſque delinquentes auctoritate proprii reſpective Superioris extrahi ab Eccleſia, & in carcerem coniici ſine ullo ſcrupulo, nec ullus eſt ex reis, qui immunitate eccleſiaſtica contra ſuam carcerationem ſe tueri attentet. Rationabilem appellant hanc conſuetudinem; tum quia ſecus raro Superiores Clericorum, & Regularium delicta ſuorum ſubditorum punire poſſent, cum in Monaſteriis & Eccleſiis regulariter aſſiſtant; tum quia pariter ita fieri convenit, ut ſicut Princeps ſeu Iudex ſæcularis ſuam exercere poteſt iuriſdictionem in locis ſibi ſubiectis, ſic etiam Prælatus eccleſiaſticus eam in locis ſibi ſubiectis, quales ſunt Eccleſiæ & Monaſteria, exercere valeat, ac proinde ex illis proprios ſubditos extrahere. Nec in hoc læditur immunitas Eccleſiæ; dum non extrahitur Clericus contra, ſed iuxta Eccleſiæ voluntatem, contra quam ſolummodo, & contra reverentiam ei debitam ſi quis extrahatur ex ipſa, læditur immunitas. Et huius ſententiæ veritas patet etiam ex exemptione immunitatis perſonalis, qua fruitur Clericus, quæ ſolum intelligitur reſpectu Iudicis ſæcularis, ut ſine læſione talis Immunitatis ab ipſo puniri nequeat. Unde etiam de locali idem dicendum, ſcilicet lædi ſolum, ſi, ſecluſis caſibus exceptis, per Iudicem ſæcularem e loco ſacro extrahatur, non vero ſi hoc fiat per Iudicem eccleſiaſticum conſtitutum ab Eccleſia ad delicta Eccleſiaſticorum puniendum; ac proinde ſine læſione immunitatis eos extrahere poteſt a loco ſacro ad finem iuſtæ punitionis, cum utatur eccleſiaſtica poteſtate, quæ æque ac ad perſonas, ad loca quoque eccleſiaſtica extendi poteſt. Et ſic tenent etiam Suarez, Bonac. Laym. Sanch. Sylveſt. Armil. Lezz. Pellizz. aliive, quos citant hic Salmantic.

Circa infideles, Iudæos nempe & Paganos, num confugientes ad Eccleſiam apti ſint, ut gaudere queant immunitate eccleſiaſtica, nec in hoc quoque ſtabiliendo conveniunt DD. Cenſent enim quampluſimi, hoſce quoque huiuſcemodi beneficio frui poſſe; quia in cap. *Inter alia*, cap. *Minor.* cap. *Frater*, cap. *Si quis incautus*, cap. *Si quis* con-

*contumax* 17. q. 4. omnibus indiſtincte privilegium hoc conceditur, eo quod non perſonis, ſed locis, & ratione illius capacibus, cuiuſmodi ſunt etiam infideles, conceditur; idcirco volunt eis quoque prodeſſe, cum ita etiam aſſerat Gloſſa, & Innocentius cap. *Inter alia de immunit. Eccleſiarum* verb. *extrahendus*, & ſic ſentiunt Sylv. Tabien. Armil. Dian. Barb. Fagnan. Alii ex oppoſito, & hoc videtur probabilius, inſiſtendo iuri communi contendunt, infideles non gaudere immunitate, niſi ſincero corde parati ſint ad converſionem a ſua infidelitate, nempe veram Fidem amplecti, ut Abbas cap. *Inter alia* n. 6. *de Immun. eccleſiaſt.* Et ita habetur deciſum in iure civili l. 1. cap. *de iis qui ad Eccleſiam confugiunt*, quæ lex minime reperitur correcta in Iure Canonico, immo potius approbata cit. cap. *Inter alia*, ubi ſic: *Iuxta ſacrorum ſtatuta Canonum, & traditiones legum civilium*. Et equidem indignus eſt ut ab Eccleſia defendatur, qui ei ſervire renuit, immo eam contemnit arg. cap. ultim. *de immun. eccleſ.* Contemnunt autem infideles Eccleſiam, abhorrentes ſe ad Fidem convertere, & ingredi Eccleſiam per Baptiſmum. Inſuper Canones immunitatis favorem localem Eccleſiis concedentes, intelligendi ſunt ſecundum ſubiectam materiam, ideſt de perſonis Eccleſiæ iuriſdictioni ſubiectis, ſeu de Fidelibus; ſiquidem hi ſunt, quorum curam, gubernationemque gerit Eccleſia, non Iudæi, aut Pagani, de quibus ait Apoſtolus 1. Corinth. 5. *Quid mihi de iis, qui foris ſunt, iudicare*. Tunc vero infideles vere, & non ſimulate velle converti cenſendi ſunt, ſi ante patratum delictum aut conceptum Iudicis timorem, vel Baptiſmum petierunt, vel indicia præbuere ſuæ converſionis: Nam in tali caſu confugientes ad Eccleſiæ aſylum, & petentes Baptiſmum, prudenter cenſeri poſſunt, non ſimulate, ſed ſincere illum poſtulare, ſcilicet ex voluntate, quam antea fovebant, non ex animo vitandi pœnam. Sic Bonac. Lezz. Pellizz. Barb. *de Iure eccleſiaſt.* lib. 1. cap. 3. n. 44. ubi refert ſic declaraſſe etiam ſacram Congregationem.

## §. III.

*De Criminibus, quæ non gaudent Immunitate eccleſiaſtica ſeu iure aſyli.*

Caſus a iure excepti.

Omnia cuiuſvis generis, quantumvis gravia, crimina refugium habent eccleſiaſticæ immunitatis, præter ea, quæ a iure ſpecialiter excepta reperiuntur, ut clare expreſſum habetur cap. *Inter alia de eccleſiaſt. immunit.* ubi ſic habetur: *Fugiens ad Eccleſiam, quantumcumque gravia maleficia perpetraverit, non eſt violenter ab Eccleſia extrahendus*, &c. *niſi publicus latro fuerit, vel depopulator agrorum* &c. Quocirca adulteri, raptores virginum, fabricatores falſæ monetæ, condemnati ad triremes, immunitate gaudent, ideſt iure aſyli, cum hi a iure Canonico non excludantur: & quamvis a iure civili excludantur ab immunitate homicidæ omnes, adulteri, virginumque raptores Authent. *de mandat. Princip.* §. *ſed neque collatio*; nihil officit, quia in materia immunitatis, utpote eccleſiaſtica, attendi non debet ius civile, ſed Canonicum, & quidem in utroque Foro, quando utrumque diſcrepet.

Crimina vero, quæ excipiuntur ab Eccleſiaſtica immunitate ſeu iure aſyli, varia ſunt, quæ expreſſa habentur præcipue in Bulla Gregorii XIV. quæ paſſim in hac materia citatur, & hæc ſunt ipſius Bullæ expreſſa verba: *Ad unam tantum formam reducimus & moderamur, ut laici ad Eccleſias, locaque ſacra confugientes, ſi fuerint publici latrones, viarumque graſſatores, qui itinera frequentata, & publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur, vel depopulatores agrorum, quive homicidia, mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, earumque cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditione proximum ſuum occiderit, aut aſſaſſinii, vel hæreſis, aut læſæ maieſtatis rei in perſonam ipſiuſmet Principis; immunitas eccleſiaſtica his non ſuffragetur*. Hi ſeptem caſus, aliive additi per Conſtitutionem Benedicti XIII. ſunt excepti a beneficio immunitatis eccleſiaſticæ ſeu iure aſyli.

Ex criminibus igitur exceptis ab immunitate 1. ſunt *publici latrones, & viarum graſſatores, qui itinera frequentata vel publicas ſtractas obſident, & viatores ex inſidiis aggrediuntur*, ut expreſſe in citata Conſtitutione Gregoriana §. 3. Latrones, & graſſatores viarum, licet parum differant, tamen a multis diſtinguuntur in hoc, quod latronis nomine intelliguntur ii, qui palam & publice furantur, ita ut per inſidias, aut in via publica, ſimulque in domibus privatos homines violenter aggrediuntur, expoliant, necnon ſæpe eos etiam interficiunt: Graſſatores vero viarum ii dicuntur, qui ſolum violenter homines aggrediuntur & ſpoliant, ſed ordinarie ſine oc-



Digitized by Google

ciſione. Huiuſmodi cenſentur piratæ, & qui publice vias obſident, vel arcem habent aut caſtrum, unde proſilire ſolent ad expoliandos viatores prætereuntes. Alii tamen latrones publicos, & graſſatores viarum ſumunt pro eodem, & confundunt, ut Fagnanus c. *Inter alia 6. de Immunit. n.* 20. & alii. Quidquid tamen ſit, ſive differant, ſive non, in præſenti iuxta Gregorianam Conſtitutionem *publicus latro*, *& graſſator*, certum eſt, quod ut latro privetur immunitate ſeu iure aſyli in locis ſacris, debet conſtare, eum eſſe publicum latronem, nec ſufficit præſumptio, aut dubitatio, quia excluditur verus publicus latro, non qui talis præſumitur. Publici autem reputantur, vel publicitate iuris, ut ſi hoc crimen aliquando confeſſi fuerint in iudicio, vel propter ipſum damnati; vel notorietate facti, ut ſi in publicis viis deprædentur, & ſæpe etiam occidant, vel pro huiuſmodi latronibus publice habeantur, ita ut quicumque alius ſimplex fur, etiamſi in Eccleſia furatus ſit, vel aliquid ab Eccleſia ſurripuerit, non privetur hoc privilegio, quia ſoli publici latrones excluduntur, & excipiuntur; & exceptio firmat regulam in contrarium. Sic Barb. Lezz. Pellizz. Sanch. Ita dicendum de viarum graſſatoribus, ſcilicet qui publice in viis publicis ac frequentatis, & cum impetu aggrediantur viatores eoſque ſpolient; quia tales tantummodo graſſatores excluduntur a iure aſyli in loco ſacro, non vero qui per inſidias aggreditur, & non in loco aut itinere publico, vel ſi in via publica deprædationem attentavit, non tamen perfecit; quia in pœnalibus & odioſis, præſertim quæ cedunt in præiudicium Eccleſiæ, actus debent eſſe perfecti & conſummati.

2. Excipiuntur *depopulatores agrorum*, ut expreſſe in cit. Conſtitutione Gregorii XIV. & concordat cit. cap. *Inter alia 6. de Immunit.* Depopulatores autem illi dicuntur, qui alienos agros diripiunt, ſegetes aut fructus devaſtant, eoſdemque comburendo, deſtruendo, devaſtando, & huiuſmodi, ſive hoc ſciant animo nocendi proprio Domino, ſive ſibimet conſulendo, ſive occulte ſive publice hoc peragant; quia cum indiſtincte iura loquantur, indiſtincte ſunt intelligenda L. *de pretio ff. de Publicana in re act.* Nec ullatenus ſuffragatur quod cit. cap. *Inter alia*, ut quis privetur iure aſyli ratione depopulationis requiritur expreſſe quod ſit nocturnus depopulator; quia Bulla Gregoriana nomen *nocturni* ſuppreſſit, & abſolute poſuit *depopulatores agrorum*, & indiſtincte eos privat iure aſyli, præcipitque ut forma ibi tradita ſervetur. Barb. Reiffenſt. & alii.

3. Excipiuntur, & immunitate Eccleſiaſtica privantur, qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis vel earum Cæmeteriis committere non verentur. Sic expreſſe in cit. Bulla Gregorii XIV. Immo a Benedicto XIII. in ſua Conſtitutione 6. Idus Iunii 1725. quæ incipit *Ex quo ad hæc*, notabilem fecit extenſionem ad eos, qui ſtantes in Eccleſia, aut Cæmeterio *occidunt ſtantes extra Eccleſiam vel cæmeterium*; necnon ad eos, *qui ſtantes extra Eccleſiam vel cæmeterium occidunt ſtantes intra Eccleſiam vel cæmeterium, aut his membrum mutilant: Ad eos tandem, qui confugientibus vim inferunt, ac ipſos ab Eccleſia alioque loco immuni violenter extrahunt, & abducunt*: Declarans ſimul in prædictis caſibus, huiuſcemodi reos non illius tantum Eccleſiæ, quam violarunt, ſed cuiuſcumque etiam alterius Eccleſiæ immunitate gaudere nequaquam poſſe aut debere. Unde caute legendi ſunt Auctores, qui ante hanc Bullam ſcripſerunt; quia poſt eam aliter ſcripſiſſent & docuiſſent. Mutilatio membrorum ad hoc ut privet immunitate, eſſe debet alicuius membri corporis, quod ſpeciale officium ab officio aliorum membrorum diſtinctum habeat, ut ſunt oculus, pes, aures, nares, manus, lingua, membrum virile, & ſimilia, quæ habent peculiares functiones ab aliis membris diverſas ac diſtinctas; non ſic autem digitus, etiam pollex vel index, pars carnis, & ſimilia, quæ non habent officium ab aliis membris diſtinctum, ut notant communiter DD. ut Covaruv. in Clement. *Si furioſus*, Bonac. &c. Unde ſi quis aliquem graviter vulneravit in Eccleſia etiam cum magna ſanguinis effuſione, & carnis læſione, quando vulnus non ſit mortale, non privatur immunitate aſyli; & ſic declaravit ſacra Congregatio 16. Novembr. 1616. ut refert Pignatelli l. 6. Conſult. 4. n. 106.

4. Vi laudatæ Bullæ Gregorianæ excluduntur ab immunitate aſyli *qui proditorie proximum ſuum occiderunt*, ut ibi expreſſe §. 3. & concordat cap. *Si quis de homicidio*. Nomine proximi ſui intelliguntur omnes homines cuiuſcumque conditionis, vel cultus ſeu Religionis, quibus etiam in charitate, & dilectione ſubvenire tenemur cap. *Charitas* 2. *de pœnit. diſt.* 2. & cap. 10. Lucæ, & alibi. Proximus etiam intelligitur omnis

omnis rationalis creatura, ut docet S. Auguſt. cap. 13. *de doctr. Chriſt.* Ille autem dicitur ex inſidiis, & proditorie occidere, qui incautum nihil tale præcaventem aut præcavere debentem occidit; ut ſi occidat aliquem, cum quo amicitiam aut ſocietatem ſimulabat, vel ſi etiam inimicum occidat, quando tamen cum eo ſe reconciliaverat, vel ſaltem ſe reconciliatum fingebat, vel promiſſionem ei dederat de illo non offendendo; talis eſt proditor, quia per illam ſimulationem reconciliationis, aut per promiſſionem, ſecuritatem dando inimico, huic ſublata fuit omnis occaſio ſe præcavendi. Ita factum legitur 2. Regum cap. 3. & 20. a Ioab cum duobus Principibus militiæ Abner & Amaſa, quos ſub ſpecie oſculi præbendi occidit. Unde a fortiori proditorie homicidium committit, qui nulla præcedente inimicitia, parentem occidit, prolem, coniugem, affinem, conſanguineum; quia omnes iſti vel ſunt vel debent eſſe amici, & ut tales ſupponuntur; unde non poteſt, nec prudenter debet ab iſtis mors timeri & præcaveri. Itidem homicidium proditorium committit occidens infantem ſeu puerum uſu rationis carentem; quia occidit hominem prorſus incautum, qui præcavere nequiverat, & omnis inimicitiæ eſt incapax. Hinc ſacra Congregatio Concilii 3. Decembr. 1632. apud Barboſam in Summa Apoſt. Deciſ. verb. *Immunit.* n. 9. declaravit, quod mater occidens infantem filium non gaudet immunitate Eccleſiæ. Quinimmo ex declaratione expreſſa eiuſdem ſacræ Congregationis Concilii eadem die 3. Decem. anno 1632. apud Barboſam l. cit. n. 11. non gaudet eccleſiaſtici aſyli favore mulier procurans abortum malis medicamentis, ob eamdem rationem, quod incautos occidat, & nihil cogitantes aut cogitare debentes. Similiter non gaudet, qui veneno aliquem interficit, utpote qui proditorie interficere cenſetur. Sic Suarez l. 3. c. 11. n. 12. Qui autem perſeverante inimicitia inimicum dormientem, aut alio modo incautum a tergo, vel per inſidias occidit, ut ſentiunt multi contra alios, privatur immunitate eccleſiaſtica, quia proditorie ille occidere dicitur; quia non quæcumque inſidiæ privant immunitate, ſed quæ proditionem conſtituunt, quia ſolum excluduntur ab ea, *qui proditorie proximum occidunt*.

5. Ex cit. Bulla Gregorii XIV. excipiuntur ſeu excluduntur a iure aſyli *aſſaſſinii Rei*, ut ibi expreſſe §. 3. & confirmatum hoc fuit a Benedicto XIII. in ſua ante laudata Conſtitutione, quæ incipit *Ex quo*, & concordat cap. *Pro humana redemptione* 1. *de homicidio* in 6. Aſſaſſinium eſt, & dicitur, quando pro pecunia aut alia re pretio æſtimabili accepta vel promiſſa committitur homicidium. Unde Aſſaſſini vere ſunt, & dicuntur tam illi, qui pretio conducti alium occidunt, quam qui pretium dant, aut promittunt ut talis occidatur. Sic communiter arg. cap. cit. *Pro humana redemptione de homicidio* in 6. & cit. Conſtitutione Benedicti XIII. §. 5. in quo aſſaſſini ſtatuuntur mandantes & mandatarii, & inſuper ſtatuitur in eadem Conſtitutione Benedictina, & explicatur ad aſſaſſinium requiri pretium aliquod certum & ſpecificum ſeu determinatum, in pecunia vel aliis rebus conſiſtens, & non ſufficit incertæ, generalis ac vagæ rei promiſſio. Item, quod qui abſque pretio ſibi dato, aut promiſſo, ſpe præmii, & animo alteri complacendi aliquem occidit, non committit aſſaſſinium: ait enim Conſtitutio Benedicti *tradiderint aut promiſerint*. Item non ſufficit attentatum, ſed requiritur reipſa patratum aſſaſſinium: Ibidem, *dummodo aſſaſſinium reipſa patratum fuerit*; & ſic etiam declaravit ſacra Congreg. Epiſcopor. & Regular. in Sarzanen. 21. Febr. 1620. nempe, quod *antequam ſequatur effectus, qui pecuniam dedit propter homicidium, gaudet immunitate*. Item ſi mandatarius nihil adhuc attentaverit, licet mandatum cum pecunia receperit, mandans non excluditur a iure aſyli, ut dicta ſacra Congregat. in eadem Sarzanen. 21. Febr. 1620. Item eccleſiaſtica immunitate gaudet qui mandat, & mandatum recipit, vel cooperatur propter pretium acceptum vel promiſſum, ad faciem ferro cuidam deformandam aut vulnerandam, quia tales nonniſi improprie ſunt aſſaſſini. Sic ſacra Congregatio Epiſcopor. & Regular. in Neapolitan. 25. Iunii 1601.

6. Excipiuntur in dicta Bulla Gregoriana, & a iure aſyli excluduntur *hæreſis Rei*, ut expreſſe in dicta §. 3.: intellige tamen ſi ob eorum hæreſis crimen, non item ob alia crimina ad Eccleſiam confugiant, ut iam dictum eſt antea, agendo de iis, qui gaudere poſſunt immunitate.

7. Secundum eamdem Conſtitutionem Gregorianam excipiuntur ab immunitate, & a iure aſyli eccleſiaſtici excluduntur *Rei criminis læſæ Maieſtatis* in perſonam ipſiuſmet Principis, ut expreſſe habetur in dicta Conſtit. §. 3. Rei criminis læſæ Maieſtatis,

qui non gaudent immunitate eccleſiaſtica, ſunt occidentes, vulnerantes, percutientes, coniurantes, machinantes, hoſtiliter inſequentes perſonam Principis, revelantes hoſtibus ſecretum Principis, ut ab ipſis capiatur; item ad hoc efficaciter conſulentes, auxiliantes, & favorem præſtantes. Peregrin. *de Immunit.* cap. 10. n. 11. Bonac. & alii. Ad hoc vero ut crimen læſæ Maieſtatis committentes in perſonam ipſiuſmet Principis, non gaudeant immunitate, requiritur quod ſint ſubditi illius Principis, & quod Princeps ſit abſolutus & ſupremus neminem Superiorem recognoſcens, ut Papa, Imperator, Reges, Duces, Principes Reipublicæ, ut Venetæ, Ianuenſis, Lucenſis, Magnus Magiſter Equitum Hieroſolymitanorum, & ſimiles habentes in temporalibus ſupremam iuriſdictionem. Unde nomine Principis non veniunt quoad hoc Principes, & Duces pure titulati, Proreges, Fratres, Filii, & Uxores Regum, niſi ſint Reginæ in capite iure ſucceſſionis, vel ex morte Regis.

Ultra ſupradicta crimina excepta a privilegio Immunitatis in cit. Bulla Gregorii XIV. & in quibuſdam declarata & extenſa a dicta Conſtitutione Benedicti XIII. alia noviſſime excepta ſunt ab ipſo Benedicto in laudata ſua Conſtit. *Ex quo* §.6. *Falſificantes literas Apoſtolicas, miniſtrorum Montis Pietatis, vel alterius publici Telonii, aut Banci pro depoſitis Principis privatarumque perſonarum deſtinati; furtum aut falſitatem in prædictis locis committentes, cuius ratione arca pecuniaria ita imminuatur, ut pænæ ordinariæ locus ſit: Conflantes, adulterantes, vel detondentes quaſcumque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum; quotieſcumque in loco aut Provincia, ubi crimen committitur, liberum habeant uſum, & commercium, vel ipſas monetas conflatas, adulteratas, detonſas ſcienter ita expendere, & erogare præſumentes, fraudis conſcii atque participes cenſeri poſſunt: Illi demum, qui ſub nomine Curiæ ſeſe introducunt in alienas domos, animo ibidem perpetrandi rapinas, eaſque reipſa committunt cum homicidio aut mutilatione membrorum alicuius ex domeſticis earumdem ædium, vel etiam extranei, quem ubi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio ſequatur.*

## §. IV.

*De iis quæ concernunt privilegia circa extractionem & reſtitutionem confugientium ad loca ſacra, & pænas violantium ius Aſyli, & abſolutionem ab iiſdem.*

Varia ſunt privilegia Aſylorum, ſeu beneficia ac commoda Reorum, qui confugiunt ad Eccleſiam. Et 1. quod omnino recipi debeant in locis ſacris & Religioſis, ad quæ confugiunt, nec ullatenus inde repelli poſſint aut excludi. Eſt communis apud omnes DD. arg. L. 2. & 3. & L. *Præſenti* 6. Cod. *de iis qui ad Eccleſiam confugiunt, ex his. Religioſis locis, eorumque finibus, nullos expelli, aut aliquando eiici patimur.* cap. *Reum* 9. cauſ. 17. q. 4. & concordat cap. *Inter alia* 6. *de Immunit. Eccleſiaſt.* ubi ſic: *Rectores Eccleſiarum ſibi obtinere debent membra, & vitam*; ſcilicet Rei ad Eccleſiam ſeu ad loca ſacra fugientes nequeunt a loco ſacro ſeu immuni per vim extrahi, niſi aliquod grave crimen exceptum ibi commiſerint. Unde Regulares vi eiuſdem Bullæ Gregorianæ recuſare nequeunt Reos accedentes ad ſuas Eccleſias, & Monaſteria, ut ibi gaudeant beneficio Immunitatis eccleſiaſticæ, & iure aſyli, ipſis ſecundum eorum vires neceſſaria ad victum & quietem ſuppeditantes, ne preſſi neceſſitate cogantur abire, & incidere in manus Iudicis ſeu Fori ſæcularis; quia ipſi quoque ſubduntur Bullæ Gregorianæ, & pænæ excommunicationis, aliiſque in eadem Bulla contentis, utpote quæ neminem a tali onere, & pœna excipit, ac proinde nequeunt eos unquam expellere a ſua Eccleſia vel Monaſterio, niſi præciſe quando Reus ſit homo inquietus, iniurius & tædioſus Religioſis, vel quia immodeſte ſe gerit quietem Religioſorum perturbans, damnumque illis inferens; vel quia Religioſi legem habent aut Conſtitutionem, quam ſic S. Sedes approbavit, ut nonniſi per tot dies poſſint & teneantur confugientes retinere, uti eſt apud Carmelitas Excalceatos, ne videlicet quies, & Religioſa obſervantia ob tale conſortium perturbetur. In his igitur & ſimilibus caſibus non violant Regulares immunitatem Eccleſiaſticam Reos expellendo, nec dictas pœnas incurrunt, tum quia ius ſervandi propriam habitationem ſine perturbatione eſt naturale, quod prævalet poſitivo, quod habet Reus fruendi iure Aſyli; tum quia pœnæ imponuntur contra *præſumentes*, quales ſunt qui temere & doloſe reos expellunt.

Varia aſyli privilegia.

Do-

Digitized by Google

Docet enim Sanchez l. 9. *de Matrim.* diſp. 32. n. 38. *præſumere*, importare temeritatem, malitiam, & dolum.

Secundum Privilegium, quo gaudent dicti Rei confugientes, eſt, quod in loco ſacro capi nequeant, aut vinculis conſtringi, & multo minus per vim & inviti ex eo extrahi, prout habetur cap. *Definivit* 17. q. 4. nec de eorum conſenſu, ut declaravit ſacra Congregatio *Immunit.* in Caiacen. 20. Novem. 1640., quia non obſtante illorum conſenſu, & expreſſa renunciatione privilegio immunitatis, adhuc violaretur Eccleſiæ immunitas, cum tale privilegium conceſſum ſit potius Eccleſiæ quam perſonæ L. *Præſenti 6.* Cod. *de iis qui ad Eccleſiam confugiunt*; & privilegio Eccleſiæ ſeu locali nequit perſona renunciare arg. cap. *Contingit 36. de ſentent. excommunic.* ubi ſtatuitur, quod excommunicatus ſit, qui in Clericum volentem & conſentientem manus violentas iniecerit; & Clericus quoque conſentiens excommunicatur, cum Clericus renunciare non valeat privilegio, quod conceſſum eſt non tam in favorem perſonæ, quam ſtatus Clericalis. Si autem reus liber exeat, tunc capi poteſt a Iudice & incarcerari, quia iam non invitus extrahitur, niſi forſan neceſſitate aliqua coactus exeat. Quare ſi ab aliquo violenter extractus eſſet, licet Iudex talis violentiæ non eſſet particeps, ab ipſo nihilominus capi non poterit, ſed Eccleſiæ eſt reſtituendus, cum violenta extractio nullo modo queat Reo præiudicare. Quod ſi blanditiis, vel doloſis verbis inductus reus a loco ſacro exeat, volunt aliqui, ut Lezzana, Pelliz. & alii, capi tunc poſſe a Iudice, & puniri, utpote, aiunt, non violenter extractum, & ſola extractio per vim prohibetur in dictis iuribus. Suarez tamen cum Azorio, Pirhing ex adverſo contendunt, reum inductum verbis doloſis, aut ficta promiſſione Iudicis impunitatem promittentis ad deferendum aſylum, aut reſtituendum eſſe Eccleſiæ, aut teneri Iudicem ei ſervare Fidem promiſſam de impunitate membrorum, cum dolus in hac parte habeatur pro vi. Reiffenſt.

Tertium privilegium eſt, ne ipſi ad Eccleſiam fugienti impediantur alimenta, veſtitus, & reliqua vitæ neceſſaria L. *Præſenti* cap. *de iis* &c. dicto cap. *Definivit*; hoc enim eſſet indirecte e loco ſacro extrahere. Hinc fit, teneri Eccleſiam vel Monaſterium illum de neceſſariis providere, ſi alias non habeat proprium, &, ſi habeat, eo uti nequeat, dicta L. *Præſenti* §. *Sane*: Tum ob illam regulam Charitatis: *Si non paviſti, occidiſti*; tum quia tenetur Eccleſia reum non derelinquere, ut inedia preſſus cogatur invitus abire, & coactus ſe Curiæ ſæculari tradere, aut pereat. Sic Abbas cit. cap. *Inter alia de Immunit. Eccleſiæ*, Sylveſter, Azorius & alii, qui tamen addunt, debere eiuſmodi reum, ſi poſſit, in commodum Eccleſiæ vel Monaſterii laborare; tum ne immunitas ſit ei occaſio otiandi; tum ut labore compenſet quantum poteſt alimenta ſibi præſtita.

Quartum, ne bona delinquentis, quæ ſecum ad Eccleſiam tulerit, ei auferantur cap. *Definivit* 17. q. 4. Hoc tamen intellige, ſi bona eiuſmodi vere ſint illius propria, non aliorum, vel alicui obligata; quia tunc Iudex poterit de iiſdem illum ſpoliare; quia hoc non eſſet ei nocumentum inferre, ſed evitare detrimentum, quod ipſe aliis poſſet inferre; Sic ab eo tolli poſſunt arma vetita. Sic Suarez, Pellizz. Bonac. & alii conſone declarationi ſacræ Congregationis Epiſcopor. & Regular. 14, Novembr. 1636.

Quintum privilegium eſt, ne reus, dum in Eccleſia ſeu loco ſacro ſe detinet ſeu exiſtit, poſſit per ſententiam aliquam damnari ad mortem, nec ad aliam quamlibet pœnam cap. *Reum* 9. c. *Id conſtituimus* cap. *Inter alia 6. de immunit.* Sic Fagn. Hoſtien. Sylveſt. & alii. Verum huic iuri pluribus in locis contraria conſuetudine derogatum eſt: unde, vi eiuſdem, Rei ad loca ſacra ſe recipientes citantur a Iudice, & non comparentes condemnantur pœna iuris ordinaria, tametſi ſententia executioni mandari non poſſit, niſi Rei ſponte exeant, aut alias extra loca ſacta deprehendantur. Sed quamvis Rei, dum ſunt degentes in loco ſacro puniri nequeant pœna mortis, vel alia corporali, poſſunt tamen mulctari alia pœna, ſcilicet pecuniaria, & eſt communis ac certa arg. cap. *Reum* 9. cap. *Id conſtituimus* 36. cauſ. 17. q. 4. & cap. *Inter alia 6. de Immunit.* Immo ſi per ſua crimina alios damnificarunt, non ſolum poſſunt, ſed etiam debent compelli ad eis ſatisfaciendum per pecuniam, aut alia bona temporalia, ſi quæ habeant cit. cap. *Reum*. Componere autem pro damno eſt pecuniariter ſatisfacere, ut notat Fagnanus.

Sextum tandem privilegium immunitatis ſeu aſyli eſt, quod ſi reus de facto ab Eccleſia extraheretur, talis extractio nulla eſſet, & omnis actus ex illa ſecutus, ut habetur expreſſe in ſæpe laudata Conſtitutio-

ne Gregorii XIV: quia reus in Eccleſia exiſtens, extra caſus exceptos, eſt extra iuriſdictionem Iudicis ſæcularis, & ſic eum invitum extrahens, non actum iuriſdictionis in illum exercet, ſed tyrannidem. Unde omnia ſubſequentia nulla ſunt, nec poteſt illum citare, interrogare, torquere, aliudve in illum iudiciale exercere, quia hæc omnia prius iuriſdictionem in reum exigunt, quam iniuſta & ſacrilega captura non acquiſivit. Num vero teneatur Iudex compenſare tali reo omnia damna ex tali violenta extractione ſecuta, affirmant aliqui, ut Suarez & alii; ſed, aiunt Salmanticenſes, immerito, quia hoc eſt privilegium conceſſum loco ſacro, non perſonæ. Unde reus nullum ex hoc ius habet ne lædatur, & ſic Iudex peccat ſolum peccato ſacrilegii ob irreverentiam contra locum ſacrum, ſed non peccat peccato iniuſtitiæ contra ius Rei, quod expreſſe docet D. Thom. 2. 2. q. 99. art. 2. ad 3.

Violantes immunitatem eccleſiaſticam ſeu ius aſyli, quod habent Rei in criminibus non exceptis, ut in loco ſacro minime offendi queant a ſæculari ſeu laicali poteſtate, præter graviſſimum ſacrilegium, quod committunt ob actionem repugnantem ſacri loci ſanctitati & reverentiæ ipſi debitæ, ut domo Dei ex cap. *Minor.* 7. cap. *Frater* & alibi, præter nullitatem omnium eorum actuum, quibus proceſſerunt contra Reum, ut ex cit. Bulla Gregoriana §. 9. incurrunt excommunicationem maiorem ipſo facto, idest latæ ſententiæ, ut in §. 8. dictæ Bullæ Gregorii, cui concordat. cap. *Sicut antiquitus*, ubi ſic habetur: *Declaramus ipſo facto eaſdem cenſuras & pœnas incurrere*. Et hanc culpam & pœnam incurrunt miniſtri omnes, & quælibet etiam perſona particularis ad hoc concurrentes, vel quomodolibet ad talem extractionem adiuvantes. Et non ſolum huiuſcemodi culpa & pœna contrahitur ab eo, qui de facto extraxit, ſed ab eo etiam qui extrahere tentavit, quia per talem conatum egit iam contra tenorem Conſtitutionis Gregorianæ. Sic Pellizz. Lezz. & alii.

Abſolutio a cenſura contracta ob violationem immunitatis, libertatis & iuriſdictionis eccleſiaſticæ, reſervata eſt Summo Pontifici, nec ab alio conferri poteſt ſub quovis prætextu, etiam reſtitutionis factæ Eccleſiæ; ac ideo omnino improbandi ſunt qui contrarium ſentiunt. Sic declaravit ſacra Congregatio *Immunitatis* in Lycien. 13. Iulii 1638. ut refert Paul. l. 3. *Decretal.* pag. 66. & alibi. Immo ita reſervata eſt Summo Pontifici, ut vacante Sede Apoſtolica deſit poteſtas abſolvendi iuxta declarationem eiuſdem ſacræ Congregationis in una S. Marci in Calabria 2. Iunii 1691 l. Decretal. Martell. pag. 374. Unde Ordinarii Epiſcopi abſolventes eiuſmodi cenſuras incidunt in excommunicationem Papæ reſervatam, a qua regulariter datur facultas ut faciant ſe abſolvere a ſuis Confeſſariis privatim, & cum Sanctiſſimo agitur pro diſpenſatione ab irregularitate, quatenus incurrerint. Sic eadem ſacra Congregatio in Squilac. 16. Decemb. 1664. l. Decretor. Ricci pag. 608. Sic pariter conceſſa hæc abſolutio ab Emin. Legato ſine Apoſtolica facultate non ſuffragatur, & iniungitur Epiſcopis, ut denuo abſolvant auctoritate ſacræ Congregationis. Eadem ſacra Congregatio in Pap. 11. Iulii 1676. l. Decretal. Alter. pag. 1302.

Nec pariter ſuffragatur abſolutio talis cenſuræ vigore Brevis ſacræ Pœnitentiariæ quoad forum externum, ut ead. ſacra Congregatio in Gravinen. 9. Octob. 1629. l. 2. Decretal. Paul. pag. 6. nec vigore Bullæ *Annuiſti*: Ead. ſacra Congreg. in Virana 27. Aug. 1675. l. 1. Decret. Altoviti pag. 1141. immo etiam quoad forum internum non ſuffragatur vigore Bullæ Cruciatæ, ut ex ſacra Congregat. in Conſentina 21. Iulii 1762. l. Decret. Altoviti pag. 705. nec vigore Bullæ Iubilei, ut eadem ſacra Congregatio in Aquilana 17. Decemb. 1630. l. 2. Decret. Paul. pag. 66. & alibi.

Ordinario inferiori non confertur, nec conferri valet facultas abſolvendi a cenſura ab violatam immunitatem, ſed Epiſcopo viciniori. Sic declaravit ſacra Congregatio in una Nullius Meliten. 23. Aug. 1632. l. 2. Decret. Paul. pag. 137. & ſæpius alibi.

Nota, quod abſolutio ab huiuſmodi cenſura non datur, nec dari poteſt, & data non valet, niſi reſtituto Reo, & facta ſatisfactione læſæ Eccleſiæ cap. *Ex literis* 11. *de Conſtitut.* cap. *Qua fronte* 20. *de Appell.* & alibi, ac expreſſe ſæpe ita declaratum fuit a ſacra Congreg. *Immunit.* ut in Lauden. 9. Octob. 1629. ſicut refert Pignatelli tom. 2. Conſult. 60. n. 38. & ſic alibi.

Confugientes vero ad Eccleſiam in caſibus exceptis, in quibus Rei gaudere nequeunt privilegio immunitatis Eccleſiaſticæ ſeu iure aſyli, attento rigore iuris in cap. *Definivit.* cap. *Conſtituimus*, & cap. *Reum* 17. q. 4. & maxime attenta Conſtitutione Gregoriana, ubi id expreſſe cavetur, nequit Iudex laicus adhuc in caſibus exceptis extrahere

ab

ab Eccleſia ſine licentia Epiſcopi, vel eius Officialis, ad quos ſpectat caſum explorare, & recognoſcere, ſi ſit exceptus necne, ut in dicta Gregoriana. *Niſi cognito prius per Epiſcopum, vel ab eo deputatum, an delinquentes vere crimina excepta commiſerint*, ut habetur etiam in cap. *Metuentes* cap. *Ad Epiſcopum* 17. q. 4. & ex L. civili *Pateat* §. *vero c. de iis qui ad Eccleſiam confugiunt*. Ex recepta tamen conſuetudine & praxi communi poſſunt Iudices in caſibus exceptis reos ab Eccleſia libere extrahere inconſulto Epiſcopo, quia illi non gaudent immunitate Eccleſiæ, & ſic nec ab ea defendi poſſunt. Sic Suarez l. 3. cap. 13. n. 1. Covaruv. & alii.

## CAPUT IV.

### *De Irregularitate.*

### § I.

### *De natura & diviſione Irregularitatis.*

IRregularitas, ſi ſpectemus nominis ætymologiam, idem eſt ac ſine regula, vel contra regulam. Definiri autem poteſt irregularitas, *inhabilitas ſeu impedimentum canonicum, quo directe & primario impeditur Tonſuræ ac Sacrorum Ordinum ſuſceptio, & ſecundario ſuſceptorum exercitium*. Sic communiter ex cap. *Quæſitum* 17. *de tempore ordinationis*.

Dicitur 1. *inhabilitas ſeu impedimentum*, quod ſignificat moralem incapacitatem ex aliqua indecentia proveniens: Non dicitur vero pœna, cum non raro contrahatur, ſine ulla culpa propria vel aliena, irregularitas; & in hoc diſtinguitur a cenſura, quæ, quia culpam ſupponit, ſemper eſt pœna. Verum quidem eſt, irregularitatem ferri aliquando etiam per modum pœnæ, ſed ſecundario, quatenus qui in certa quædam incidit crimina, ex his maculam contrahit, qua incapax redditur ut ad ſacrum accedat miniſterium. Dicitur 2. *canonicum*, ut indicetur inductam eſſe nullo iure divino vel naturali, ſed tantummodo poſitivo, & neminem niſi Eccleſiæ Canonibus ſubiectum, ideſt baptizatum, proprie fieri poſſe ac dici irregularem. Quocirca infidelis bigamus, nonniſi improprie & radicaliter bigamus dici poteſt irregularis, prout eas actiones poſuit, ob quas Eccleſia, ſi infidelis baptizaretur, poſſet eum ab Ordinibus amovere: & tandem ut oſtendatur, non quamcumque inhabilitatem ad Ordines eſſe irregularitatem, ut eſt illa, quam habent mulieres, & infideles, qui iure divino ab Ordinum ſuſceptione excluduntur, quæ excluſio ab aliquibus appellatur incapacitas, non ſimplex inhabilitas. Dicitur 3. *directe impeditur Ordinum ſuſceptio*. Hæc verba ſtant loco differentiæ: nam per ea diſtinguitur tum a cenſuris omnibus, quæ tametſi ſuſcipere vetent Ordines, & ſuſceptos exercere, diverſimode tamen id efficiunt ac irregularitas, cum excommunicatio maior removeat ab Ordinum ſuſceptione, & exercitio eorum, non prout ſunt Ordines, ſed prout ſunt bona Eccleſiæ, quæ important communicationem cum aliis Eccleſiæ membris, quæ ipſis vetita eſt cum excommunicato; & excommunicatio minor privat uſu Ordinum directe, ſed ſolum prout talis uſus coniungitur cum ſuſceptione alicuius Sacramenti, & non privat ſuſceptione Ordinum prout Ordines ſunt, ut irregularitas, ſed prout ſunt Sacramenta. Et in hoc ſenſu privat etiam interdictum, nempe quatenus Ordines important vel collationem alicuius Sacramenti, vel divinorum officiorum auditionem. Et quamvis ſuſpenſio ab Ordine privet directe uſu & miniſterio Ordinum, nihilominus valde ab ea differt irregularitas, quæ inhabilem reddit ad Ordines, ipſamque Tonſuram ſuſcipiendam: Tonſuram autem ſupponit ſuſpenſio, cum nonniſi Clericis hæc imponi queat: Differt pariter irregularitas a depoſitione, & degradatione, utpote quæ arceat homines tantummodo ab Ordinum ſuſceptione, & degradatio ac depoſitio, quantum humano modo fieri poteſt, tollunt ipſos Ordines iam ſuſceptos, quod moraliter eſt magis contumelioſum, quam irregularitas, ſecundum commune effatum: *Turpius eiicitur, quam non admittitur hoſtis*. Dicitur 4. *ſecundario ſuſceptorum exercitium*; nam cui vetitum eſt ne Ordines ſuſcipiat, multo magis interdictum eſt ne ſuſceptis utatur. Quare irregularitas ſe habet relative ad Ordines iam ſuſceptos, ſicuti affinitas ex copula illicita ad Matrimonium iam contractum; quæ ſolum prohibet ne Matrimonio utatur, non autem ne contrahat qui iam contraxit. Hoc tamen intelligitur de Irregularitate totali, dum irregularitas partialis, de qua infra dicetur, impedit quidem ſuſceptionem Ordinis non ſuſcepti, non autem uſum Ordinis iam recepti. Immo dari poteſt defectus aliquis, qui inducat irregularitatem reſpectu Ordinis nondum ſuſcepti, & aliquando nullam inducat reſpectu eiuſdem, ſi ſuſceptum inveniat. Nec hoc repugnat allatæ definitioni

nec

nec ullum habet inconveniens, cum Eccleſia ſtatuere potuerit, ut idem defectus induceret in una perſona irregularitatem ſimpliciter, in alia vero ſecundum quid.

Diviſio Irregularitatis. Irregularitas dividitur 1. ab aliquibus in eam, quæ eſt iuris divini, & in eam, quæ eſt iuris eccleſiaſtici. Irregularitas iuris divini eſt inhabilitas ex divina ordinatione, reddens perſonam incapacem Ordinis eccleſiaſtici: Huiuſcemodi eſt defectus Baptiſmi, conditio muliebris, carentia ſcientiæ. Irregularitas iuris Eccleſiaſtici eſt inhabilitas ex ordinatione Eccleſiæ inſtituta, directe impediens ſuſceptionem Tonſuræ, & Ordinum, indirecte ſuſceptorum uſum ſeu exercitium. Hæc tamen diviſio non eſt theologice prorſus accurata. Nam inhabilitas ex iure divino eo ipſo non eſt impedimentum Canonicum, ſeu ut, agendo de Irregularitate, intelligi ſolet ab Eccleſiæ voluntate conſtitutum. Etenim inhabilitas iuris divini ſe habet per modum negationis & impotentiæ: vera autem irregularitas ſe habet per modum privationis, adeo ut ſupponat capacitatem in ſubiecto; ita ut ſi aliquando a Theologis dicitur incapacitas, hoc fit ſumendo nomen incapacitatis in lata ſignificatione.

Prohibitum quidem fuit in veteri lege ob quoſdam defectus fungi Sacerdotio, & in nova Lege D. Paulus 1. ad Timoth. 3. excludit bigamos a Sacerdotio: ſed Lex veteris Teſtamenti mere cæremonialis, cuiuſmodi erat allata, minime ſpectat ad Eccleſiam, niſi Eccleſia aliquas earum aliquando adoptaverit. Quod vero Apoſtolus cit. loco excludat bigamos, non ideo concludi poteſt, bigamiæ impedimentum eſſe iuris divini, ſed ſolum huiuſcemodi ſpeciem irregularitatis Apoſtolum conſtituiſſe: ius enim præciſe apoſtolicum, non eſt divinum, ſed eccleſiaſticum.

Dividitur 2. Irregularitas in totalem, & partialem. Totalis eſt, quæ omni Ordine ſuſcipiendo, & ſuſcepti uſu ſeu exercitio privat, ut eſt illa, quæ procedit ab homicidio, & bigamia. Partialis vero, quæ privat ſolum aliquo Ordinum exercitio, vel ſolo aſcenſu ad Ordines ſuperiores: Sic Diaconus carens oculo ſiniſtro inhabilis eſt ad Sacerdotium; poteſt tamen miniſtrare in Diaconatu. Et Sacerdos, cui reciſus fuit pollex, inhabilis redditur, ad celebrandum, non autem ad Confeſſiones excipiendas, ſi ſit approbatus, cap. *Presbyterum de Clerico ægrotante*. Sic reſpectu etiam beneficiorum dantur irregularitates partiales, ſeu quæ excludunt ab uno Beneficio, non vero ab alio. Sic cap. 11. *de filiis Presbyteror.* filius etiam legitimus Beneficia a patre poſſeſſa immediate poſt eum obtinere nequit; ideoque ad hæc, non ad alia eſt irregularis.

Dividitur 3. in Irregularitatem ex delicto, & ex defectu. Irregularitas ex delicto incurritur propter indecentiam propria mortali culpa contractam v. g. ob iniuſtum homicidium; alia oritur ex indecentia, quæ licet inculpabilis ſit, poteſt tamen inducere miniſtros Eccleſiæ in contemptum. Hinc ſtatuit Eccleſia, ut ii, in quibus huiuſcemodi defectus occurrerent, arcerentur ab Ordinibus, ac ab eorum exercitio. Hæ duæ irregularitatis ſpecies variis rationibus inter ſe differunt, nempe & quia irregularitas ex delicto eſt voluntaria, non vero quæ eſt ex defectu; & quia irregularitas ex delicto, ſi facti infamiam excipias, tollitur ſola diſpenſatione; quæ vero eſt ex defectu, non raro ceſſante defectu, ceſſat; & quia irregularitas ex delicto, ea excepta quæ oritur ex homicidio voluntario, ab Epiſcopis relaxari poteſt; quæ autem eſt ex defectu, communiter reſervata eſt Papæ, ut infra videbitur.

Duo hic ſunt advertenda 1. videlicet irregularitatem ex delicto non contrahi niſi ex actu externe conſummato cap. *Si quis non iratus* 15. q. 1. Secundo, Nullam irregularitatem incurri niſi ſit in iure expreſſa, ut clare definitur cap. *Is qui de ſentent. excommun.* in 6. Hinc in dubio ſive iuris ſive facti poteſt quis tenere ſe non eſſe irregularem, cum melior ſit conditio poſſidentis, & pro tali dubio nulla reperiatur in iure impoſita irregularitas; excepto tamen dubio de homicidio, in quo dubitans an homicidium commiſerit, tenendus eſt irregularis ex cap. *Ad audientiam*, & cap. *Significaſti de homicidio*, ubi expreſſe ſtatuitur quod ſic dubius, non debeat, *ſi in ſacris ſit, miniſtrare, nec celebrare*. Et hæc ſunt verba: *Cum in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem, & in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quam temere celebrare*.

## §. II.

### *De cauſſis Irregularitatis.*

Ordinem cauſſarum ſequemur incipiendo a finali, quæ in intentione eſt omnium cauſſarum prior. Hæc reſpectu irregularitatis eſt tuendi Sacrorum maieſtatem, & ſervandi Religionis decus. Nam decus & honor Religionis exigunt, ut ſacra Miniſteria decenter, & irreprehenſibiliter exerceantur: Unde

de ad finem hunc conſequendum neceſſe fuit ut inſtituerentur irregularitates, quibus mediantibus arcerentur a ſacro miniſterio, qui vel certa quædam patrarunt delicta, vel quoſdam habent defectus, qui Eccleſiæ ſpiritui advertantur, aut certa perſonas afficiunt labe, quæ populorum animos offendit. Cauſſa vero efficiens irregularitatis eſt ius irregularitates inſtituendi, quod reſidet apud Eccleſiam, & Romanum Pontificem, quibus ſolis illud competit. Sic omnes communiter ex cap. *Is qui* 18. *de ſentent. excommun.* in 6. ubi ſic habetur: *Qui in Eccleſia ſanguinis vel ſeminis effuſione polluta celebravit, irregularitatis laqueum non incurriſſe dicitur, quia id in iure expreſſum non eſt.* Hic autem nomine iuris intelligitur *canonicum commune*, quod a ſola Eccleſia ac Papa condi poteſt. Unde nulla eſſet irregularitas, quæ ab homine per ſententiam feratur: hæc enim non eſſet in iure, extra quod nulla quæri debet irregularitas. Omnis autem irregularitas ipſo facto incurritur; quia imponitur per legem, quæ ſententiæ locum gerit, & declarat eum, qui talem poſuerit cauſſam, aut in tali fuerit caſu, eo ipſo, & abſque Iudicis declaratione ad ſacra inhabilem fieri.

Cauſſa materialis irregularitatis duplex ſecernitur apud Theologos veteres, remota, quam alii melius *ſubiectivam* vocant; & hæc cauſſa ſunt ſolum homines Ordinis capaces, & iuri communi ſubiecti; ita ut tam laici quam Clerici, tam inferiores quam Superiores Prælati, qui quoad vim coactivam Papæ ſubduntur, irregularitatem incurrere valent; non vero infideles & fœminæ, ut antea notatum fuit. Cauſſa autem formalis eſt vel defectus ſine culpa, vel delictum. Defectuum autem, propter quos incurri poteſt irregularitas, novem recenſentur ſpecies, ſcilicet natalium, animi, corporis, ætatis, libertatis, obligationis ad ratiocinia, famæ, bigamiæ, lenitatis. Nullus eſt horum defectuum, qui culpam neceſſario ſupponat, nec ipſe quidem defectus famæ, qui aliquando contrahitur ſine culpa ab iis, qui artem aliquam nimis vilem exercuerunt, ut infra dicetur. Irregularitates ex delicto oriuntur ex diverſis capitibus, ſcilicet ex homicidio, ex iteratione Baptiſmi, ex mala Ordinum receptione, ex pravo eorumdem uſu, ex hæreſi, & tandem ex cenſurarum violatione; quas omnes irregularitates tum ex defectu, tum ex delicto hic infra ſingillatim exponere ſuſcipimus.

Qui irregulares ex defectu.

Prima igitur ſpecies irregularitatum eſt ex defectu natalium, ratione cuius ſunt irregulares omnes illegitimi. Illegitimorum duplex eſt genus: alii illegitimi ſunt phyſice & naturaliter, & ii dicuntur, qui ex parentibus extra legitimum Matrimonii coniugium procreati ſunt, ideſt ex parentibus non coniunctis vero Matrimonio; alii illegitimi ſunt canonice, & ſunt ii, qui progeniti ſunt ex vero & legitimo Matrimonio, cuius uſus factus eſt illicitus per ſolemne votum caſtitatis, vel in ſuſceptione ſacri Ordinis, vel in Profeſſione Religioſa legitime emiſſum: & ex phyſice illegitimis alii dicuntur *naturales*, alii *ſpurii*. Naturales ſunt qui concepti ſunt ex copula illicita, & hi vel ex ſoluto & concubina domi non retenta, & dicuntur *Nothi*, vel ex ſoluto & ſcorto ſeu meretrice, vel alia quavis fornicaria, quæ publice libidinem exercet, ut ex meretricio lucrum faciat, & vocantur *Mamzeres*, ut Deuteronom. 23. vel ex ſoluto & concubina domi retenta, & hi dicuntur ſimpliciter *naturales*. Spurii ſunt univerſaliter illegitimi orti ex copula dumtaxat lege humana, ideſt civili & canonica damnata; & horum pariter variæ ſunt ſpecies. Alii ſunt *adulterini*, qui progeniti ſunt vel ex ſoluta & coniugato, vel ex coniugata & ſoluto, vel ex coniugato & coniugata; & alii ſunt *inceſtuoſi*, qui orti ſunt ex iis, qui dum peccaverunt, Matrimonium contrahere non poterant propter aliquod affinitatis vel conſanguinitatis impedimentum ſufficiens ad Matrimonii irritationem; alii qui *ſacrilegi* dici poſſunt, quia procreati ſunt vel ex homine in ſacris conſtituto vel Religionem profeſſo, aut ex Moniali, vel ex utroque: His addi poſſunt illi qui ortum habuere ex ſtupro, & raptu c. *Per venerabilem. Qui filii ſint legitimi*, cap. 1. *& final. de filiis Presbyterorum*; & has varias ſpecies illegitimorum operæ pretium fuit exponere, quia hoc conducere poteſt ad facilitatem vel difficultatem diſpenſationis, cum præcipiat Innocentius III. cap. 10. *de renunciat.* ut inter nothos & mamzeres, naturales & ſpurios diſtinguatur.

Illegitimi tam phyſice quam canonice irregulares ſunt, ſive eorum illegitimitas publica ſit, ſive occulta. Ita enim DD. ex citat. iuribus; & quia ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Illegitimi tamen qui per ſubſequens Matrimonium legitimantur, non ſunt irregulares, cap. *Conqueſtus*, & cap. *Tanta*, *qui filii*

*ſint*

*ſint legitimi;* quia ſubſequens Matrimonium fictione iuris retrotrahit ad tempus conceptionis L. *Conſtantini* 5. L. *Cum quis* 10. Sicuti etiam non ſunt irregulares, ſi ingrediantur aliquam Religionem; nam tunc illegitimi poſſunt ad ſacros Ordines promoveri, licet non poſſint ad Prælaturas, ut expreſſe habetur cap. 1. *de filiis Presbyteror.* Verum circa hoc notandum 1. quod ad hoc ut filii per ſubſequens Matrimonium legitimentur, neceſſe eſt, ut tempore carnalis copulæ parentes Matrimonium contrahere potuerint. Unde ſi vir vivente uxore ſua aliam cognoverit, & ex ea prolem ſuſceperit, licet poſt mortem eam duxerit, nihilominus ſpurius erit filius, ut definitum fuit ab Alexandro III. cap. *Tanta eſt vis* 6. *Qui filii ſint legitimi.* Idemque dicito, ſi conſanguineus eum conſanguinea, affinis cum affine in gradibus ab Eccleſia vetitis rem habuerit, filii inde ſecuti non legitimabuntur per matrimonium deinde contractum; quia conceptionis tempore parentes ob impedimentum conſanguinitatis aut affinitatis valide contrahere non poterant, & hoc verum eſt, etiamſi ante nativitatem parentes ex diſpenſatione legitima Matrimonium contraxiſſent; quia ſemper verum eſt prolem conceptam eſſe eo tempore, quo parentes contrahere non poterant. Sic Suarez, Avila cum aliis. Quidquid tamen ſit, certum eſt, quod ſi impedimentum ſuboriatur poſt conceptionem prolis etiam dirimens inter parentes, non deſinet proles per Matrimonium ſubſequens obtenta diſpenſatione legitimari, quia in hoc caſu verum eſt parentes habuiſſe copulam tempore, quo Matrimonium contrahere poterant.

Nota, legitimos quoque, non ſecus ac illegitimos, aliquando arceri a Beneficiis, & etiam ab Ordinibus, ut ſunt filii Preſbyterorum, qui Beneficium a patre poſſeſſum immediate tenere nequeunt ex cap. 11. *de filiis Presbyteror.* Et hoc locum habet in nepotibus etiam relative ad avos, ex Rebuffo & aliis. Sic fautores & receptatores eorum, ipſorumque filii uſque ad ſecundam generationem paternam, & primam maternam ſunt inhabiles ad Beneficia ex cap. 15. *de hæret.* in 6. Sic tandem filius & nepos hominis, *qui Cardinalem fuerit hoſtiliter inſecutus, vel percuſſerit, aut ceperit, vel ſocius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, ipſo iure privatus eſt, & a fortiori ad alia poſſidenda inhabilis, & ab Ordinibus omnino excluſus* & ex cap. 2. *de pœnis* in 6. Filii expoſiti reputantur pro illegitimis, quia nequeunt parentes ſuos oſtendere per textum in cap. 1. *de infantibus expoſitis.*

Nati tamen de matrimonio nullo, ac ideo invalido propter aliquod impedimentum dirimens, ſed invincibiliter ſaltem ab uno contrahentium ignoratum, habentur pro legitimis, etiamſi impedimentum poſtea innotuerit, & partes per iudicis ſententiam a ſe invicem ſeparatæ fuerint, ut ſtatuitur cap. 2. & 14. tit. *Qui filii ſint legitimi.*

Quamvis etiam ex illegitimitate occulta incurratur irregularitas, nihilominus mater, quæ ſola ſcit filii ſui illegitimitatem, ſi in ipſo comperiat legitima indicia illius vocationis ad ſtatum Clericalem, poteſt illi inculpabiliter perſuadere, ut talem ſtatum ſuſcipiat; quia ipſa non tenetur aperire ſuam turpitudinem filio, niſi graviores cauſſæ id exigant. Nec dici poteſt quod ſit cauſſa cur peccet filius huiuſcemodi ſtatum amplectens cum tali defectu irregularitatem afferente, etiam occulto; quia talis defectus invincibiliter a filio ignoratur. Quod ſi aliquando talem defectum in ſe poſt ordinationem deprehendat, ac proinde irregularitatem, tenetur ab Ordinum officiis ſtatim deſiſtere, & diſpenſationem ſuper ſuam irregularitatem impetrare. Non tenetur tamen fidem habere patri vel matri, qui in extremis declarent eum eſſe illegitimum, niſi rationibus convinceretur; quia alleganti etiam cum iuramento ſuam turpitudinem in præiudicium alterius nulla debetur fides, ut docent Canoniſtæ in Gloſſa cap. 9. *de Pœnitent. & remiſſ.* Item quia favor Matrimonii ſemper prævalet; unde receptum eſt iſtud lib. 5. §. *de iureiurando* 1 *Pater is, quem nuptiæ demonſtrant.* Tandem quia poſſeſſio bonæ fidei cum titulo legitimi Matrimonii non ſatis eliditur per teſtimonium matris, quæ declarando ſe adulterii capacem fuiſſe, ſatis aperit ſe quoque capacem eſſe mendacii. Inter validas autem rationes, quibus mater probare poſſet illegitimitatem filii, eſſet, ſi demonſtraret, maritum ſuum toto tempore conceptionis & nativitatis filii fuiſſe abſentem.

Secunda ſpecies irregularitatis incurritur ex defectu animi. Tres autem enumerantur defectus animi inducentes irregularitatem, ſcilicet rationis, ſcientiæ, & Fidei confirmatæ. Unde 1. irregulares ſunt qui omni uſu carent rationis, cuiuſmodi ſunt pueri & perpetuo amentes, ita ut durante illo rationis deliquio nec promoveri poſſunt ad Ordines, nec ſi forte promoti fuiſſent, eo-



Digitized by Google

rum officia exercere; quia ii nequidem modo humano agere poſſunt, multo minus ſacra Religionis munia exercere. Item ex eodem defectu irregulares cenſentur non tantum ii, qui habitualiter, & perpetuo, ſed ii etiam, qui interpolate, ideſt variis temporum intervallis a rationis uſu deficiunt, ut ſunt Lunatici, Energumeni, qui a malo dæmone vexantur, furioſi, qui irruente furoris acceſſu non ſunt liberæ mentis. Hinc tamen ſub tali nomine non comprehenduntur, qui in febris ardore ad furorem uſque aliquando delirant. Epileptici, qui morbo comitiali, quod caducum vocatur, ita vexantur, ut oppreſſis ſenſibus cadant quaſi exanimes. Horum autem irregularitas ex variis Canonibus colligitur, ut ex can. 2. diſt. 33. ubi qui in furiam aliquando verſus inſanivit cap. *Martium* 2. cap. *Communiter* 3. diſt. 33. c. *Clerici* 4. diſt. 33. & alibi. Clericus tamen qui levi epilepſia ſemel affectus fuit, & deinde per plures annos non amplius dedit ſigna huius morbi, non eſt irregularis, & poteſt promoveri, ut declaravit ſacra Congregatio Concilii in Tudert. 9. Iulii 1704. Iſti tamen omnes, ſi a ſua reſpectiva ægritudine liberati fuerint, ita ut per integrum annum conſtet eos correptos non fuiſſe, ideſt liberos extitiſſe ab omni reſpectivi morbi aggreſſione, poſſunt ſuſceptos Ordines exercere, ut ex cap. *Communiter* 3. diſt 33. Ad Ordines tamen vix unquam admitti poſſunt. Immo amentes ſeu furioſi conſtantia lucidi inſtantia habentes, & epileptici etiam nondum perfecte ſanati, ſi raro deficiant, docet S. Antoninus p. 3. tit. 28. c. 5. in fine, quod poſſint privatim celebrare cum aſſiſtentia unius Sacerdotis ieiuni, qui Miſſam proſequi poſſet, ſi alter deficeret, ut colligitur ex cap. *Illud* 15. & cap. *Nihil* 16. cauſ. 17. q. 1.

Ex defectu animi pariter irregulares ſunt illiterati, ſeu carentes ſcientia competenti cap. *Illiteratos* diſt. 36. Tridentina autem Synodus Seſſ. 23. *de reform.* cap. 4. præſcribit in promovendis ad Tonſuram ut ſciant rudimenta Fidei, legere & ſcribere; ad Minores, ut ſciant ſaltem linguam latinam, & ſententias latinas in patrium ſermonem traducere, ibi cap. 11., in promovendis ad Subdiaconatum & Diaconatum, ut inſtructi ſint literis, & iis quæ ad exercendos tales Ordines pertinent, ſic ibi cap. 13., ad Presbyteratum vero ſcientiam talem, qua docere valeant populum quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, & apti ſint ad Sacramenta rite miniſtranda: in initiando tandem Epiſcopatui, quod tali polleat ſcientia, & doctrina, ut muneris ſibi iniungendi neceſſitati poſſit omnimode ſatisfacere. Hinc vult quod ſit in univerſitate ſtudiorum Magiſter, ſeu Doctor aut Licentiatus in ſacra Theologia, vel Iure canonico ſeſſ. 22. *de reform.* cap. 2. Item irregulares ſunt ex defectu animi omnes Neophyti, ideſt 1. qui nuper ex Iudaiſmo, Paganiſmo, Atheiſmo converſi ſunt ad Fidem ex cap. *Sicut Neophytus* diſt. 48. & cap. *Neophyti de conſecrat.* diſt. 5. *ne in ſuperbiam elati*, ait Apoſtolus, 1. ad Timoth. 3. *in laqueum incidant diaboli*, & non fiant Magiſtri qui nondum didicere eſſe diſcipuli. Si autem venientes a lege Iudaica, Maumetica, vel Ethnica baptizati fuerint ab infantia, vel poſt tranſactum notabile tempus a die ſuſcepti Baptiſmi, iudicio Epiſcopi reperiantur in rebus Fidei bene inſtructi & ſtabiles, cum tunc non dicantur proprie Neophyti, ceſſat irregularitas cap. *Eam te* 7. *de Reſcriptis* Panimol. deciſ. 89. ad art. 1. n. 4. cum aliis ibi allegatis, ubi recte ſubdit cum Corrado, Sayr. & Bonac. verb. *Neophyt.* diſpenſandos eſſe a Summo Pontifice. 2. Qui diu ſæcularibus curis addicti recenter a ſæculari vita tranſeuntes ad eccleſiaſticam, ſtatim ſine mora contendunt ad ſacros Ordines, dignitateſque eccleſiaſticas promoveri ex cap. *Sicut Neophytus* diſt. 4. & alibi. 3. Qui a ſæculo recenter converſi ſunt ad Religionem aliquam, & nondum anno approbationis elapſo contendunt ad ſacros Ordines dignitateſque promoveri, iſti quoque pro tali tempore ſunt irregulares quoad ſuſceptionem Ordinum & dignitatum in Religione acquirendarum, ut expreſſe in cap. *Monaſteriis* 19. p. 3.

Tertia eſt ex defectu corporis, ratione cuius irregulares ſunt omnes, qui ita vitiati ſunt corpore, ut abſolute peragere nequeant Miniſteria Ordinis, vel ſi aliquo modo poſſunt, non tamen ſine aliorum horrore, ut ex cap. *Illiteratos*, ex cap. *Presbyter*, & ex cap. *Tua nos*. Sic irregularis eſt qui ſit aliqua manu mutilatus cap. *Expoſuiſti* 6. *de corpore vitiato*. Presbytero, cui medietas manus fuit abſciſſa, Miſſam celebrare non permittitur; quia nec ſecure propter debilitatem, nec ſine ſcandalo propter deformitatem hoc fieri poteſt. Sic deformiter gibboſus cap. *Hinc etenim* verſ. *Gibboſus* diſt. 49. claudus, qui ſine pede ligneo vel baculo incedere nequit c. *Nullus Epiſcop. de conſecrat.* diſt. 1. Oculo orbatus, ſi aeque gravi deformitate Canonem legere nequeat

cap.

cap. *Si Evangelica* 13. diſt. 55. omneſque notabiliter impediti uſu aliquo membrorum cit. cap. *Si Evangelica*, & cit. tit. *de corpore vitiato*. Si quis vero defectum aliquem corporalem habeat, qui notabilem deformitatem non contineat, ita ut ſcandalum in celebratione non cauſſet, neque exercitium celebrationis impediat, talis non eſt irregularis; quia omnes conveniunt, explicantque DD. quod ſi nulla adſit deformitas in defectu, non ſequitur irregularitas. Sic qui caret viſiva virtute in oculo ſiniſtro ſive canonis, & tanta pollet in dextero, ut commode legere poſſit Canonem, non eſt irregularis. Sic Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop.* c. 2. alleg. 42. n. 31. Navar. Sayr. Bonac. & alii.

Advertendum hic tamen, quod ſi defectus corporis abſque propria culpa superveniat poſt ſuſceptos Ordines, tunc ordinatus non redditur ex toto irregularis, ſed ſolum quoad illum actum Ordinis, quem ob talem corporis deformitatem, vel nullo modo, vel ſaltem ſine notabili deformitate exercere non poteſt ex cap. 2. *de Cleric. ægrotant.* Si vero talis corporis defectus reperiatur in laico ante Ordinationem, licet ſit tantum celebrationem impediens, ut defectus pollicis ſeu indicis ſacræ Hoſtiæ fractionem impediens, ſine diſpenſatione promoveri nequit etiam ad Ordines minores cap. *Non confidat* diſt. 50.

Quarta eſt ex defectu legitimæ ætatis, ratione cuius irregulares ſunt omnes, qui legitimam non habent ætatem ad Ordinum ſuſceptionem requiſitam, ut noviſſime pro quocumque Ordine ſuſcipiendo ſtatutum eſt a Tridentina Synodo ſeſſ. 23. *de reform.* cap. 11. & 12. Et hæc irregularitas durat tantummodo quamdiu durat defectus legitimæ ætatis; ita ut hac completa per ſe ſine ulla diſpenſatione ceſſet cap. ultim. *de tempore ordinat.* Dixi *ut noviſſime ſtatutum eſt*; quia circa ætatem requiſitam ad Ordines varia fuit variis temporibus Eccleſiæ diſciplina. Tempore enim Siricii Papæ pueri ante pubertatis annos Lectores conſtituebantur, iidemque ab obtenta pubertatis ætate uſque ad vigeſimum ætatis annum Acolythi & Subdiaconi eſſe debebant c. 3. diſt. 77. & hoc patet ex Concilio Toletano ann. 531. Lapſu poſtea temporis S. Gregorius Magnus ſtatuit, ut non pueri, ſed provectioris ætatis ad Ordines admitterentur, quod antea ſtatuerat etiam Iuſtinianus Novell. 123. cap. 13. ita ut iuxta illorum temporum diſciplinam tunc ad Presbyteratum ætas requirebatur 35. annorum, ad Diaconatum & Subdiaconatum non minus 25. annorum, & Lectoratum non minus annorum decem & octo. Non tamen invariabilis perduravit hæc diſciplina, ſed mutationi obnoxia fuit. Verum iuxta diſciplinam præſentem, quæ iamdiu viget, nullus ad Subdiaconatus Ordinem admittitur ante annum 22. ad Diaconatum niſi incepto 23. & ad Presbyteratum ſub initio 25. Ita habetur cit. cap. 12. Concilii Trid. ſeſſ. 23. Quoad Minores vero, & primam Tonſuram reſponſum fuit a Congregatione Concilii 20. Maii 1592. nullam præſcriptam eſſe ætatem a Synodo Trid. Communiter quidem docent Theologi & Canoniſtæ, ad Tonſuram & Minores Ordines requiri & ſufficere ſeptennium completum, & nituntur antiquis Pontificalibus, quæ ita præſcribunt in Rubrica de Ordinandis. Verum quia hæc Rubrica ſublata eſt a Pontificali poſt Concilium Trid., cenſent alii attendendam eſſe ætatem a ſacris Canonibus præſcriptam, prout ſæpe repertum eſt a ſacra Congregatione Concilii: cum tamen non una ſemper fuerit præteritis ſæculis circa rem præſentem Eccleſiæ diſciplina, ut antea notatum fuit, ob hoc quoque difficile eſt certam regulam accipere. Hinc alii exiſtimant, Minores Ordines conferri non poſſe niſi poſt annos pubertatis; alii ante, & videntur melius aſſequi mentem Concilii Trid. cuius voluntas eſt, ut prima Tonſura ii ſolum *initientur .... de quibus probabilius conjectura ſit, eos ... ut fidelem Deo cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe*; & vult inſuper, ut nullus prima Tonſura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus, ante 14. annum Beneficium poſſit obtinere. Quocirca qui mentem, geniumque Concilii Trid. ſequi volunt, niſi graves urgeant cauſſæ, & inſolitæ Tonſurandi diſpoſitiones, Tonſuram ante annos 14. conferre non debent, cum antea vix unquam pueri nugis, ludoque potius addicti, probabilem coniecturam hiſce præcipue temporibus iniicere poſſint, ſe Deum fideliter colendi intuitu ſtatum Clericalem amplecti.

Quinta eſt ex defectu libertatis: Et ratione huius defectus irregulares ſunt ſervi proprie dicti, ideſt mancipia cap. *Nullus* 1. cap. *Nulli* 2. *de ſervorum ordinatione* 6. diſt. 54. Poſſunt tamen ordinari, ſi domini petitio aut voluntas acceſſerit. Servi adſcriptitii atque originarii ex iſtis, qui certæ Terræ aut prædio colendo ſunt perpetuo obſtricti, ac proinde ſine dominorum conſen-

ſenſu ordinari nequeunt cap. *Generalis* & cap. *Admittuntur* diſt. 54. Servi vero iuxta hodiernum morem, qui voluntarie ac libere opera ſua alicui locant, ideſt qui pro annua mercede dominis ſuis inſerviunt, cuiuſmodi ſunt famuli, in ſenſu iuris non ſunt irregulares; quia non cenſentur proprie ſervi, ſed potius quoad hoc habentur pro vere liberis. Item irregulares ſunt obligati ad ratiocinia, quales ſunt, qui aliquam habent vel habuere rerum ſæcularium adminiſtrationem, & exinde ſunt obnoxii ad rationes principalibus ſuis reddendas; cuiuſmodi ſunt Rectores, Tutores, Syndici, Officiales, Fiſcales, Curiales publici, & huiuſmodi. Iſti enim ordinari nequeunt niſi depoſito onere ſeu officio, & reddita ratione cap. *Curialis* diſt. 53. cap. *Unico de obligatis ad ratiocinia*. Quia vero Clerici quoque ſumere & exercere poſſunt Tutelam & Curationem ſuorum Agnatorum ex cap. *Pervenit* diſt. 86. & etiam adminiſtrationem rerum Eccleſiarum, pupillorum, viduarum, aliarumque miſerabilium perſonarum, quæ potiſſimum indigent eccleſiaſtico adiutorio ex cit. cap. *Pervenit* & cap. 1. cauſ. 21. q. 3. ideo etiam talia munia ac officia gerentes, ac in his adhuc perſeverantes, non ſunt irregulares, ac ideo poſſunt ad Ordines promoveri, ut Gloſſa magna in cap. Unico *de obligat. ad ratiocin.*

Sextæ irregularitas ex defectu eſt ex deficientia bonæ famæ ſeu ex infamia. Bona autem fama eſt æſtimatio ſeu bona opinio, quæ publice habetur de aliquo ob eius excellentiam. Unde infamia nihil aliud eſt, quam publica diminutio ſeu amiſſio boni nominis, & rectæ æſtimationis. Bonæ autem famæ amiſſio multimode contingere poteſt, ac proinde multipliciter quis affici poteſt infamia, viliſque fieri ſeu dignus vituperio. Duplex tamen diſtingui ſolet infamia, iuris ſcilicet, & facti. Infamia vero iuris tribus modis contrahi poteſt: 1. commiſſione criminis, cui ex utroque iure, civili nempe & canonico annexa eſt infamia. 2. per ſententiam iudicis. 3. per exercitium officii vel profeſſionis licitæ vel illicitæ, quam exercentes ſecundum iuris diſpoſitionem reputantur infames, ac proinde infamia incurri poteſt, & ſic irregularitas & commiſſione culpæ, & ſine ullius culpæ commiſſione. Infamia ac irregularitas, quæ contrahitur ex commiſſione culpæ ea eſt, quæ contrahitur ex commiſſione alicuius delicti enormis & notorii cap. *Infames* 6. q. 1. & de his dicetur, quando ſermo erit de irregularitatibus ex delicto. Irregulares vero ex infamia ſine culpa, de qua in præſenti agitur, ea eſt quæ contrahitur ex exercitio artium vel officiorum ex iure infamium, vel alio modo ſine culpa, ut hiſtriones, mimi, comœdi, filii publicæ meretricis, quamvis coniugatæ, omnes in ſcena ludentes in L. 1. & 2. §. ultim. *de iis qui notantur infamia*; aleatores publici, & pro ludo mutuantes cap. *Inter dilectos*, aurigæ, gladiatores, curſores, citharœdi, lyriſtæ, ſaltatores, caupones per ea quæ tradit Clemen. 1. *in Inſtitutionib.*, macellarii, ſatellites, cloacas emundantes, pelles purgantes, ut habetur in Clementina 1. *de vita, & honeſt. Clericorum* & ibi Gloſſa omnes artes iſtas enumerans. Licet tamen exercentes huiuſmodi artes viles & ignominioſas infamia notentur, ac exinde irregulares reddantur, non tamen infames ſunt, & irregulares eorum filii, ut conſtat ex Antero Papa in epiſt. ad Epiſcopos Bæticos.

Septima eſt ex defectu Matrimonii. Cum Matrimonium conſummatum ſignificet coniunctionem Chriſti cum Eccleſia per carnis aſſumptionem iuxta illud Apoſtoli ad Epheſ. cap. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & Eccleſia:* Deficit hæc ſignificatio in bigamis, ideſt in iis, qui contrahunt & conſummant Matrimonium cum pluribus uxoribus, aut cum una vidua, aut corrupta. Bigamia autem ita dicitur prout opponitur Monogamiæ, quæ eſt coniunctio maritalis cum una tantum uxore, & bigamia eſt coniunctio cum pluribus uxoribus, non quidem ſimul, quod eſſet polygamia, ſed cum pluribus ſucceſſive per priorum mortem. Triplex vero diſtinguitur bigamia, nempe vera ſeu realis, interpretativa, & ſimilitudinaria. Bigamia realis eſt ea, qua quis plures ſucceſſive duxit & cognovit uxores. Interpretativa, quando quis fictione ſeu interpretatione iuris cenſetur plures habuiſſe uxores, licet plures non habuerit cap. *Maritum* diſt. 33. cap. *Si cuius*, & cap. *Si laici*; & hoc multipliciter contingere poteſt, ut notat Auctor *Supplem. Theolog. Tournel.* 1. quando quis ante uxoris ſuæ mortem bona vel mala fide de novo cum alia contraxit, & eam carnaliter cognoſcit, ſeu, ut alii loquuntur, quando quis duo Matrimonia contrahit, unum *de iure, & valide*, alterum *de facto, & invalide*: 2. Cum quis duo contrahit Matrimonia *de facto*, ideſt ambo invalida, ut ſi duas ducat conſanguineas, aut cum quibus propter aliquod impedimentum dirimens con-

tra-

Digitized by Google

trahere nequiverat, & utramque cognoſcat. Etenim, ut advertit Sayrus l. 6. cap. 4. n. 3. nunquam ex Matrimonio ſive iuris ſive facti oritur bigamia vera, vel interpretativa, niſi intercedat carnalis copula. Quare qui legitimo Matrimonio ducit virginem, quam non cognoſcit, eaque mortua alteram ducit, cum qua rem habet, non eſt bigamus, ſicuti qui duceret uxorem alterius nec ab eo, nec ab alio altero cognitam; quia *nec ipſe, nec illa carnem ſuam diviſit in plures* cap. 5. *de bigamis*: 3. Quando quis viduæ alterius nubit ab eo cognitæ, vel puellæ cum alio fornicatæ, & cognoſcit, ſive ſciat eam corruptam fuiſſe, ſive non: is, licet reipſa bigamus non ſit, bigamus tamen reputatur ab Eccleſia, quia eius Matrimonium non habet perfectam ſignificationem Sacramenti Matrimonii, ideſt coniunctionis Chriſti cum Eccleſia: nam unio hæc fuit viri, qui non aliam habuit ſponſam, & ſponſæ, quæ non alium habuit virum. Igitur bigamus cenſendus eſt ſive qui carnem ſuam cum pluribus uxoribus diviſit, ſive qui duxit uxorem, quæ cum viris pluribus carnem ſuam diviſit: 4. Is pariter iuris fictione bigamus cenſetur ob rationem iam adductam, qui unicam virginem duxit, ſed eam poſt adulterium ab ipſa commiſſum carnaliter cognovit: is enim iam incipit eſſe ſponſus illius, quæ adulterando carnem ſuam in plures diviſit. Bigami bigamiæ ſimilitudinariæ ſunt ii, qui poſt emiſſum votum ſolemne caſtitatis in Religione, vel poſt receptionem ſacrorum Ordinum Matrimonium contrahunt, ſive potius contrahere tentant, ſive cum cognita ab alio, ſive cum virgine, & hanc carnaliter cognoſcunt, ſeu Matrimonium huiuſcemodi, invalidum quidem, conſummant. Nam iſti ſunt aliquo modo ſimiles contrahentibus duplex Matrimonium, quatenus poſt Matrimonium ſpirituale cum Chriſto contractum, ab eo recedentes, attentant Matrimonium carnale contrahere, & conſummare; adeoque bigamiam ſimilitudinariam contrahere dicuntur cap. *Nuper a Nobis* 5. cap. *Quotquot*, cap. *Monacho* 27. q. 1. & cap. ultim. *de bigamis non ordinand.* Huiuſcemodi irregularitatem bigamiæ non incurrit igitur qui cum pluribus fornicatus eſt, & poſtea virgini nubit; quia hic non intervenit defectus Sacramenti, cum nullum cum illis liberis præceſſerit Sacramentum ſignificans coniunctionem Chriſti cum Eccleſia cap. *Quia circa de bigamis non ordinandis*. Nec pariter incurrit contrahens cum vidua in articulo mortis conſtituta ad eius honorem tuendum, ſi Matrimonio non conſummato ipſa deceſſerit; ſicut etiam declaravit ſacra Congregatio Concilii in una Burgen. 17. Iulii 1688. Nec qui ducit fœminam a ſe ſolo corruptam, quia talis non diviſit carnem ſuam in plures, ſed adhuc unus eſt unicæ ſponſus, Gloſſa in cap. *Sane* 1. *de Clerico coniugato*, & in cap. *Debitum de bigamis* verſ. *cognita*. Sic Barboſa cum aliis communiter.

Octava eſt ex defectu lenitatis. Defectum autem lenitatis patiuntur non ſolum ii, qui iniuſte, ſed etiam ii, qui iuſte occidunt ſeu mutilant: Nam Eccleſia ſui Sponſi manſuetudinem imitata ab omni ſanguinis effuſione abhorret. Nunc non eſt ſermo de iis, qui iniuſte occidunt aut mutilant, cum hoc referatur ad irregularitates ex delicto; ſed agimus de cæteris, nempe de iis, qui occidunt, vel mutilant iuſte. Et hæc irregularitas incurritur ab omni & ſolo homine baptizato, qui voluntarie, & actu conſummato, licet iuſte, ad homicidium vel mutilationem proxime concurrit, ut Iudices ſententiam mortis, aut mutilationis pronunciantes, accuſatores ſine proteſtatione, teſtes ultronei & voluntarii, Notarii ſententiam ſcribentes, dictantes, ſubſcribentes, legentes, Aſſeſſores, Conſultores, Advocati, & omnes Miniſtri iuſtitiæ ſententiam exequentes ex cap. *Aliquantos* diſt. 51. & cap. *Si quis viduam* diſt. 50. ut carnifex, & qui ad eiuſmodi executionem concurrunt, puta ſatellites, qui comitantur ad defenſionem, cuſtos carceris, qui furcam, ſcalam parant; denique quiſquis damnati accelerat mortem, dummodo tamen hoc non contingeret fieri ex inadvertentia, & præter intentionem, puta ſi quis rogaret Iudicem, ut reus non duceretur per Vicum, ubi ſita eſt domus eius, & commorantur parentes, propter quod via brevior aſſumeretur: in hoc enim & aliis ſimilibus caſibus acceleratio eſt præter intentionem, & nulla videtur mortis acceleratio. Habert. Licet enim omnes iſti ſupradicti culpam nullam committant, cum tamen non perfecte imitentur lenitatem Chriſti & manſuetudinem, qui pronunciare noluit contra dignam morte mulierem deprehenſam in adulterio, & pro iniuſtis perfidiſque Iudæis Patrem in cruce exoravit, ideo merito in Eccleſia inhabiles declarantur, ut in altari immaculatam, & incruentam Deo hoſtiam offerant, & Chriſti manſuetiſſimam perſonam repræſentent; eo vel maxime, quod etiam in lege veteri noluit Deus Templum ſibi ædifi-

cari

cari a Rege Davide, eo quod multum ſanguinem fudiſſet, rametſi hoc factum fuerit in bello iuſto, & David vir fuerit valde probus & ſanctus; ſed voluit ſibi ædificari a Rege Salomone viro manſuetiſſimo. Non ſunt tamen irregulares ex cap. lenitatis 1. Clerici, qui iuriſdictionem temporalem habentes mandant Officialibus ſuis, ut de homicidio aut alio crimine inquirant, etiamſi pœna capitis inde ſequatur. 2. Concionatores, qui declamant contra publica ſcandala, & prædicant, Iudices teneri purgare Rempublicam hominibus perfidis. 3. Confeſſarii, qui obligant reum ad confitendum crimen, de quo iuridice interrogatur, aut declarant Magiſtratibus, ſe non poſſe illos abſolvere, niſi comprimant ſcandala, licet morte punienda. 4. Iuriſperiti, qui interrogantibus reſpondent, leges eos morte damnare, qui commiſerint hoc vel illud delictum. Non debent tamen determinate reſpondere, reum, de quo ſpeciatim interrogantur, morte eſſe plectendum; quia dum generatim aperiunt quid ferat ius, non magis concurrunt ad mortem, quam qui legem condidit; quem Theologi omnes unanimes & Canoniſtæ eximunt ab irregularitate; contra vero ſi pronuncient, hunc reum morte eſſe plectendum, non ſecus ac ipſe accuſator, Advocatus, & Iudex, proxime ad mortem concurrunt.

Medici & Chirurgi non ſunt irregulares, etiamſi ſecundum artis ſuæ regulas membra truncarint; quia in medicis curationibus nullus cernitur defectus lenitatis; immo elucet charitas & miſericordia. Dixi *ſecundum artis ſuæ regulas*; quia conſtat apud omnes, Medicum & Chirurgum irregulares eſſe ex delicto, quando eorum culpa æger intereat, vel contra artis regulas truncatus eſt. In dubio autem, an neceſſariam diligentiam adhibuerit Medicus, vel Chirurgus, debet ſe gerere ut irregularem ex cap. *Significaſti* 2. tit. *de homicidio*.

Clericus Beneficiarius, aut aliquo Ordine inſignitus, ſi peritus ſit, & recte ac caute medicinam aut chirurgiam exerceat, peccat quidem mortaliter, quia hoc Clericis & Monachis eſt vetitum ex Concilio Lateran. IV. & cap. *Tua nos* tit. *de homicidio*, quia alterius officium uſurpat; non eſt tamen irregularis, niſi non ſatis ſit peritus, vel ſi omnem diligentiam non adhibeat. Chirurgia vero eſt vetita Clericis, quæ exercetur *adurendo & incidendo* cap. *ſentent.* 2. tit. *Ne Clerici vel Monachi*, citra quod Sacerdotes licite ac honeſte Medicinam exercere poſſunt pietatis cauſſa, modo tamen caute ac ſobrie id præſtent, ne caſtitas & nominis æſtimatio patiantur aliquod detrimentum ex frequentiori cum mulieribus conſuetudine, & curatione quorumdam membrorum, quæ pudicos oculos offendunt, & mentem inquinant; ſed has ſolum exerceant, ubi deſunt medici ad ſublevandos pauperes; quia, ut notant Navarrus *Enchirid.* cap. 25. & Avila part. 7. diſp. 6. ſect. 1. dubio 10. Canon. *Multa* tit. *ne Clerici vel Monachi*, prohibentur Clerici negotiis ſæcularibus ſe implicare.

Pugnantes in bello iuſto, ſi certi ſint quod neminem propria manu interfecerint, aut mutilaverint, non ſunt irregulares ſecundum communem Theologorum & Canoniſtarum ex cap. *Petitio* tit. *de homicidio*. Secus vero ſi de re ea dubitent, & multo magis ſi pugnent in bello iniuſto, in quo fiunt irregulares, etiamſi neminem propria manu interfecerint, nec mutilaverint; quia ſunt cauſſæ ſaltem morales homicidii iniuſti, quatenus homicidas adiuverunt, aut ſaltem ſua præſentia reddidere audaciores.

Ad hoc autem ut res fuſius illuſtretur, ſupponuntur ſeu adduntur varii ſpeciales caſus a ſacris Congregationibus diverſis temporibus reſoluti. Non ſunt irregulares ex declaratione ſacræ Congregationis, occidentes aliquem ad neceſſariam ſui defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ *Clement. unic. Si furioſ. de homicidio*. Sacra Congreg. Concilii in Aquilana 13. Februar. 1715. apud Urſaiam t. 1. part. 2. diſc. 6. n. 20. & ſæpius alibi. Si tamen talis occidens exceſſerit moderamen inculpatæ tutelæ, dicunt multi quod fiat irregularis, ſed diſpenſari poſſit ab Epiſcopo, & ſic aiunt declaraſſe ſacram Congregationem Epiſcoporum præſertim in Lucerina 1580. & alibi apud Pignatellum t. 7. conſult. 80. Conſultius vero petenda videtur diſpenſatio a ſacra Congregatione Concilii, quam de facili ſolet concedere. Non ita tamen facile concedere ſolet, quando quis voluntarie alium occidit in rixa, ut ipſam denegavit in Panormitan. *irregularitat.* 26. April. 1698. Item non eſt irregularis dans operam rei licitæ, & adhibens omnem diligentiam ne ſequatur homicidium, ſi deinde caſu ſequatur. Sic declaravit ſacra Congregatio Concilii 1. Octob. 1588. & deſumitur ex cap. *Dilect.* 13. Barboſa. Ob homicidium commiſſum caſualiter a Parocho, reſcripſit eadem ſacra Congregatio Concilii pro gratia, dummodo non celebret in loco commiſſi delicti & 20. mil-

liaria circum circa in Aquil. 1. Aprli. 1713. & ſic alibi. Non eſt irregularis Pharmacopola, qui rite ac fideliter ſuam exerceat profeſſionem: S. Congregatio Concilii in S. Marci 5. Iunii 1688. l. 8. Decret. fol. 253. apud Urſaiam. Quoad Medicos tamen & Chrirurgos praxis eſt Romanæ Curiæ, ut eos non admittat ad Ordines ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, ut teſtatur Paniſtrolus deciſ. 89. adnot. 5. n. 37.

Irregularitatem non incurrit Clericus exercens officium aliquod ſeu iudicaturam criminalem, ſi ſævis ſe non immiſceat, nec iudicium proferat in cauſſis ſanguinis. Item nec quævis Eccleſiaſtica perſona interveniens etiam ſine Papæ diſpenſatione tamquam Principis conſiliarius in condendis legibus imponentibus pœnam mortis, vel ſi ipſemet legem huiuſcemodi condat, ubi temporalem habet iuriſdictionem; quia conditores talium legum, illorumque conſiliarii, per legum huiuſcemodi conditionem, & promulgationem, non intendunt homines occidere, ſed timore pœnarum a malis ſeu delictis illos arcere. S. Rota p. 9. recent. deciſ. 172. n. 20. & ſeq. Urſaia l. cit. n. 48. Sic non incurritur per ſolam ſcriptionem proceſſus cauſſarum ſeu querelarum criminalium, neque per exercitium officii Gubernatoris ſine prolatione ſententiæ ſanguinis aut capitalis. Sic. S. Congregatio Concilii in Sutrina *irregularit.* 28. Maii 1695. apud Monacell. t. 4. Suppl. ad 2. tom. num. 70. Nequeunt tamen Prælati Eccleſiaſtici (quibus ex Summi Pontificis diſpenſatione permiſſum eſt in certis caſibus ſententiam ſanguinis proferre) executioni ſententiæ ſe immiſcere, abſque eo quod in irregularitatem non incurrant cap. *Ex literis de exceſſib. Prælator.* Item non incurritur irregularitas ab Epiſcopo permittendo exhumationem cadaveris, ut fiat *Viſum & repertum*. Talis autem recognitio facienda eſt extra Eccleſiam, locumque immunem; alias incurrerent Miniſtri excommunicationem, ut declaravit S. Congregatio *Immunit.* in Macerat. 8. Aug. 1645. in Cremon. 1. Apr. 1704. apud Urſaiam *Inſtit. Criminal.* l. 1. tit. 4. n. 16. Sic neutiquam fit irregularis violans cenſuras per ſe nullas. S. Congregatio Concilii in Herbipol. 19. Iulii 1704. & alibi apud Urſaiam *in Miſcellan. ſacr. & propban.* lit. 1. n. 199. Item irregularis non fit miniſtrans in Ordine ſuſcepto, poſtquam appellavit a ſententia excommunicationis contra ipſum lata. Sic nec læſus in calcaneo, & licet claudus, ambulans ſine baculo. S. Congregatio Concilii in Meſſan. 27. April. 1686. l. 36. Decret. fol. 126. apud Urſaiam l. cit. n. 201.

Non incurritur irregularitas per ſolam adſcriptionem militiæ ſæculari, ſive actibus hoſtilibus. S. Congregatio Concilii in N. 11. Martii 1674 & in Leodien. 30. Sept. 1684. apud Monacel. t. 4. Supplem. ad 2. tom. n. 71. Fit tamen irregularis, ſi inſervierit armatus in bello, & ſtipendium militare acceperit, & expeditionibus militaribus ſe aſſociaverit, tametſi moraliter certus ſit ſe neminem mutilaſſe, læliſſe, aut occidiſſe. S. Congregatio Concilii in Yprenſi 13. Ianuar. 1703. & ipſo iure Beneficium amittit, etiamſi ſit iuriſpatronatus. S. Congregatio Concilii in Firman. 17. Ianuarii 1618. apud Monacelli. Suſpenſus a ſuo Ordinario extraiudicialiter ſine ſcripto, ſi celebrat, non fit irregularis. S. Congregatio Concilii in Vercell. 18. Auguſt. 1703. Secus autem, ſi ſuſpenſus fuerit iuridice.

Irregularis non eſt filius homicidæ Presbyteri, idcirco promoveri poteſt ad Ordines ſine diſpenſatione. S. Congregat. Concilii 2. Aug. 1687. apud Monacel. t. 2. tit. 13. form. 3. n. 39. Nec filii & nepotes hæreticorum, quorum patres & patruos conſtat fuiſſe emendatos. S. Congregatio Concilii in Rom. 26. Septem. 1591. apud Monacell. cit. t. n. 37. Nec qui Baptiſmum in ætate infantili recepit ab hæreticis, ut ead. ſacra Congreg. in Roman. ad 1. dubium apud Theſaurum, ac ſolutionem S. Congregat. Concilii in Decr. ann. 1718

Non eſt pariter irregularis, qui armatus cucurrit cum conſanguineis ad domum conſanguineæ, ut expellat fornicarium, ſi fornicarius e feneſtra ſe proiiciens moriatur. S. Congregatio Concilii in Pampilon. 29. Septemb. 1620. apud Monacel. l. cit n. 34. Nec qui accedit ad domum mulieris coniugatæ fornicandi cauſſa, ſi ſuperveniente viro aut conſanguineo mulier occidatur. Ead. ſacra Congreg. in Poſentina 18. Martii 1684. apud dictum Monacel. cit. n. 34. Nec Iudex qui protulit ſententiam mortis vel mutilationis, nec Notarius qui proceſſum criminalem compilavit, niſi fuerit executa; quocirca nulla indigent diſpenſatione. Ead. ſacra Congreg. de primo in Seſanaten. 1615. apud cit. Monacel. lib. cit. n. 35. de altero in Spolet. 14. Decemb. 1630. apud Monacel. eod. n. 35. Diſpenſandum tamen ad cautelam declaravit ead. S. Congregatio 28. Martii 1676. qui dum per quatuor annos

nos exercuit Prætotiam, ſententias ſanguinis protulit, ſed non conſtabat reſultaſſe eamdem pœnam. Nec Clericus pariter, qui Iudici ſæculari petenti, librum baptizatorum exhibuit, ad effectum recognoſcendi ætatem Rei inquiſiti de delicto, quod mortem mereretur, & ſubiturus credatur. Eadem S. Congreg. in Lycien. 10. Decemb. 1661. apud Monacel. cit. l. n. 36. Nec itidem qui aliquem gladio aut virga percuſſit in oculo, cuius virtutem debilitavit, adeo ut lucis radios obſcure percipiat. Ead. ſacra Congreg. in Feretrana 5. Maii 1705. apud Monacell. t. 4. Supplem. ad 3. n. 11.

Non ſunt quoque irregulares orti ex Matrimonio contracto cum impedimento affinitatis cum mala fide patris, & bona fide matris, cum iſti ſint legitimi. Sic declaratum fuit ab eadem S. Congreg. Concilii in Fermacenſi 14. Maii 1684. l. 31. Decret. fol. 400. apud Monacell. n. 37.

Ex oppoſito vero varii ſunt caſus, in quibus ex pluribus Declarationibus S. Congregationis incurritur irregularitas. Nam condemnatus ad triremes, licet non remigaverit, quando delictum, propter quod damnatus fuit, infamiam irrogat, remanet irregularis. Sic ſacra Congreg. Epiſcopor. in Mantuana 20. Decemb. 1619. apud Monacell. t. 2. tit 13. form. 3. n. 39. & S. Congregatio Concilii in Panormit. 8. Aug. 1715. apud eumdem Monacel. tom. 4. Supplem. ad 3. tom. n. 140. Immo ex ead. ſacra Congreg. videtur, quod remaneat irregularis, etiamſi delictum, propter quod damnatus fuerit triremi, de iure non eſſet infamiam irrogans, nec remigaverit, iuxta decretum S. Congregat. in Comenſi 14. Martii 1671. relatum a Monicello cit. tom. 4 n. 140. dum in eo declaravit, Presbyterum, de quo ſuper huiuſmodi caſum quæſita fuerat, non poſſe rehabilitari ad exercitium Sacerdotalis muneris ſine Papæ diſpenſatione, & ſic alias ſemper definivit; ita ut in ſimilibus ſemper recurrendum ſit ſine ulla hæſitatione: ſi remigaverit, ſive delictum ſuum irroget infamiam, ſive non, talis damnatus irregularis efficitur, & ſolus Papa poteſt diſpenſare iuxta decretum S. Congregationis S. Officii emanatum ann. 1635. ſub Urbano VIII. quod decretum refert per extenſum Nicolius *Lucubrat. Canon.* l. 5. tit. 12. §. 13. & ſequitur Monacell. tom. 1. tit. 4. form. 9. n. 7. Item irregularis ſit qui leviter percutit lethaliter vulneratum, ſi ex his levibus percuſſionibus acceleretur mors vulnerati. Sic ſacra Congreg. Concilii in Caputaquenen. 24. Martii 1725. ubi denegavit etiam gratiam diſpenſationis. Urſaia in *Miſcellan. primo ſacro & profano* liter. 1. ſub n. 200. Sic iacens gladium contra aliquem etiam ſine animo offendendi, ſecuta offenſione, ut tenent Pignatell. tom. 10. conſult. 110. n. 14. Urſaia, aliique paſſim.

Item irregularitatem incurrit Clericus, qui habuit licentiam ab Ordinario querelandi malefactores in foro laicali citra pœnam ſanguinis, ſi querelet, & indicia ac probationes præbeat ad probandum delictum, ſecuta tamen mutilatione delinquentis. Sic ſacra Congreg. Concil. die 4 Febr. 1651. apud Pignat. tom. 1. conſult. 377. Immo etiamſi non querelet, ſed ſolum accuſationem proſequatur, & ſubminiſtret indicia in foro laicali inſiſtendo pro punitione, ſecuta mutilatione, ſit pariter irregularis. Ead. S. Congregatio Concilii ibidem. Non incurreret tamen Clericus irregularitatem; ſi querelaret tantummodo malefactorem cum expreſſa proteſtatione, quod ad vindictam ſeu pœnam ſanguinis omnimode non intendit, ut ex cap. *Prælat. de homicid.* in 6.

Irregularitatem incurrit Sacerdos pluries eodem die celebrans. S. Congregatio Concilii in Seven. 16. Nov. 1686. apud Pignatelli tom. 7. conſult. 43. & alibi. Item irregularis eſt Clericus convictus & damnatus de crimine adulterii, ut declaravit S. Congregatio Concilii in dubio irregularitatis 5. Maii 1657. l. 20. Decret. fol. 233. apud Urſaiam l cit. n. 200. Sic irregularem eſſe etiam Clericum convictum & condemnatum de crimine ſtupri ſuſtinent Theſaurus, Maiolus, aliive apud Monacell. tom. 4. Supplem. ad tom. 1. n. 161. Alii tamen contrarium de hoc ſentiunt.

Mandans aliquem baculo verberari, ſed expreſſe ne occidatur, ſi mandatarius fines mandati excedens percuſſerit, & occiderit, incurrit irregularitatem, ut habetur expreſſe in cap. *Is qui* 3. *de homicidio* in 6. Contrarium tamen ſentit Barboſa in *Sum. Deciſ. Apoſtol.* verb. *irregularit.* n. 2. cit. decret. S. Congregat. Concilii ſub die 2. Septem. 1604. Item irregularis ſit qui voluntarie ſe caſtrare facit, & culpa tua ſeipſum mutilat. S. Congregatio Epiſcopor. in Melevitan. 15. Ianuar. 1694. apud Monacell. tom. 2. tit. 3. form. 3. n. 31. Et hæc diſpenſatio petenda eſt a ſacra Congreg. quam faciliter concedit, ut contigit in Æſina 13. maii 1702. Qui vero ſibi abſcidit pollicem, ad cautelam petere debet diſpenſationem, quia dubium eſt

an per talem mutilationem irregularitatem incurrat, ut bis reſpondit S. Congregatio Concilii, nempe 12. Iulii 1687. & 13. Ianuar. 1688. apud Monacell. tom. 4. Supplem. ad 3. tom. n. 12.

Irregularitatem incurrit Clericus ordinatus ſcienter cum ficto patrimonio vel Beneficio, & Ordines ſic ſuſceptos exercens. S. Congregatio Epiſcopor. in Verulana 6. Iulii 1602. & alibi.

Irregularitatem contraxit qui contra fures clamavit, ſi iſti capti fuere, & capite damnati. S. Congregatio Concilii in Caralan. *Irregularit.* 24. Sep. 1718. apud Theſaurum in Decretis dicti anni. Item irregularis eſt qui cauſſam dedit rixæ, ex qua ſecutum fuit homicidium. Sic eadem S. Congreg. in Caputaquen. 24. Martii 1712. ad 1. dubium in cit. Theſaur. in decretis dicti anni. Hactenus Ferrar. a. 321. ad 324.

## §. III.

### *De Irregularitatibus ex delicto.*

Expoſitis variis ſpeciebus irregularitatum ex defectu, nunc operæ pretium eſt, ut illæ etiam explanentur, quæ oriuntur ex delicto, iuxta ſeriem variorum earumdem generum, quæ ſupra recenſuimus. Unde.

Prima ſpecies irregularitatis ex delicto contrahitur ex homicidio voluntarie patrato. Nomine vero homicidii intelligitur iniuſta hominis occiſio aut mutilatio. Non enim homicidas dicimus Iudices, qui perverſos homines e medio tollunt, ſed eos ſolum ita vocamus, qui ſunt cauſſa iniuſta mortis hominis, aut in aliquo ipſius membro mutilationis.

Homicidium vero tripliciter dividitur, in *voluntarium* ſcilicet, *neceſſarium*, & *caſuale*. Homicidium *voluntarium*, quod alii *iniuſtum* appellant, eſt illud, quod directe intenditur vel in ſe, ut cum alicui caput truncatur, vel in cauſſa adeo cum effectu coniuncta, & ut tali cognita, ut nequear quis cauſſam velle, quin effectum ab ea inſeparabilem voluiſſe cenſeatur, ſcilicet repuretur quis voluiſſe effectum, eo ipſo quo cauſſam voluit, ex qua prævidit mortem ſecuturam; v. g. mortem illius intendiſſe, cui venenum præbere voluit, aut ſi vulnus alicui infligit, ex quo mors neceſſario ſequitur: is enim directe vult & vulnus, & mortem ipſam, etiamſi forte de canon cogitet; aliud enim eſt velle aliquid directe, aliud velle illud explicite: Homicidium *neceſſarium*, quod etiam *iuſtum* dicitur, illud eſt, ad quod aliquis quaſi obligatur, ſive ratione legitimæ defenſionis, ut quando vitam ſuam aliter tueri nequit, ſive ratione officii ſeu profeſſionis, ut cum Magiſtratus ſervato iuris ordine malefactores morti adiudicat, ſeu miles in bello iuſto hoſtem interficit. Unde patet, homicidia huiuſmodi non dici neceſſaria, quaſi ſine libertate facta, ſed quia oriuntur ex quadam neceſſitate propriam vitam vel iuſtitiam tuendi ac ſervandi; quocirca potius quam homicidia, dici poſſunt occiſiones. Homicidium tandem *caſuale* illud eſt, quod præter intentionem agentis contingit, ideſt quod agens nec in ſe, nec in cauſſa cum effectu neceſſario coniuncta voluit. Homicidium autem caſuale duplex eſt: aliud pure caſuale, & aliud caſuale mixtum; *Pure caſuale* illud eſt, quod neque in ſe, neque in cauſſa volitum fuit, nec prævisum, ſed omnino accidit præter intentionem agentis, ex actione, ex qua nec prævidetur, nec moraliter prævideri poteſt eſſe ſecuturum. Exemplum habetur cap. *Exhibita* tit. *de homicidio* de Clerico in ætate puerili, qui iocando, ut ſocium terreret, ſine ullo prorſus animo lædendi proiecit lapidem, quem ſocius effugere volens, corruit, & ex lapſu graviter vulneratus interiit, & cap. *Ioann.* eod. tit. de Sacerdote, qui dum campanas pulſaret ad populum convocandum, cadens tintinnabulum puerum interfecit; de utroque quorum conſultus Honorius III. reſpondit, nec Clericum arcendum ab Ordinibus, nec Sacerdotem ab altaris miniſterio, quia nihil ipſis imputandum eſt propter fortuitos caſus non prævisos, eo vel maxime quod Sacerdos dabat operam rei licitæ. Homicidium vero *caſuale mixtum* illud dicitur, quando quis nec mortem nec mutilationem intendit, nec futuram prævidit, ſed vel debitam diligentiam non adhibuit ne mors contingeret, vel opus periculoſum ſuſcepit temere, quia ſatis peritus non erat, aut quia illud ipſi eſt prohibitum. Unde in homicidio caſuali mixto mors ſecuta partim eſt caſualis, quia ab agente non eſt intenta, partim voluntaria, nempe in cauſſa, nam libere voluit non adhibere debitam diligentiam, quatenus non prævidit quod prævidere potuit, & debuit, & ſic mortem impedire, vel ſuſcipere opus ad quod erat imperitus, aut ſi peritus opus illud ſuſcepit contra Eccleſiæ præceptum, vi cuius ei interdictum erat ſubire periculum interficiendi.

Certum eſt communiter, homicidium voluntarium, etiam occulte patratum, inducere

cere irregularitatem cap. *Suſcepimus de homicidio*, cap. *Clericum* diſt. 50. Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. *de reformat.* ſive homicidium committatur phyſice per ſe, ſive moraliter per alium, ideſt mors proximi directe intendatur vel procuretur; & ſuper hanc irregularitatem, nempe ex homicidio voluntario, difficillime ipſa S. Sedes ſolet diſpenſare, ut ex Ioanne VII. in cap. *Miror.* Hinc Concilium Trid. ubi permittit Epiſcopis diſpenſare in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excipit eam quæ oritur ex homicidio voluntario, & ut plurimum ab ipſo Summo Pontifice talis gratia denegatur. Homicidæ vero voluntarii phyſice & per ſe ſunt omnes cuiuſcumque dignitatis, qui in duello, in bello manifeſte iniuſto, ac in alia quacumque occaſione ex propoſito aliquem iniuſte ac ſpontanee interficiunt, ſive hoc fiat protinus, & abſque temporis mora, ſive ſenſim, & ſero, ut ſi quis præbeat alteri venenum, quo paulatim, & aliquando etiam poſt plures menſes interiit, tametſi, ut notat Suarez, venenum præbuerit, ut eiuſdem vim & efficaciam experiatut; quia & hic directe vult mortem tamquam effectum, in quo innoteſcat vis ſui veneni. Non conveniunt vero Theologi circa eum, qui poſtquam applicuit cauſſam mortis, priuſquam ea ſequatur, ſe facti pœniteat, num irregulatitatem adhuc contrahat. Contendit Suarez, & tutius in ptaxi, hunc incurrere irregularitatem, contra Salmanticenſes, qui pattem negativam ſuſtinent; quia ( ait Suarez ) ſicut pœnitentia irregularitatem iam contractam non tollit, ſic nec impedire poteſt ne eadem contrahatur; præcipue in caſu præſenti non impedit ne homo vere & efficaciter ſit homicida, & dignus pœna tam civili quam Eccleſiaſtica, irregularitate præſertim, ad quam incurrendam magis factum requiritur quam culpa. Licet enim huiuſcemodi homicidium præſenti, & actuali voluntate intentum non ſit, eſt tamen iniuſtum ſeu voluntarium voluntate præcedenti, & ea efficaci actuque operante, ac ideo digna cui pœna retribuenda ſit, quæ per meram velleitatem & diſplicentiam, quæ nihil exterius operatur, tolli nequit. Hæc ſententia, ut in praxi tutior, admittitur etiam ab aliquibus ex iis, ut ab Henriquez apud Avilam, qui negant in tali caſu incurri excommunicationem; quia hæc requirit contumaciam, quam non requirit irregularitas.

Circa vero eum, qui in repentina rixa hominem ſubito interfecit, num ſit reus homicidii ſimpliciter voluntarii, cum in hoc pariter diſcrepent Theologi, notat Auctor *Supplem. Tournel.* ad caſus huiuſce reſolutionem attendendas eſſe circumſtantias: Nam ſi quis tam cito, tamque acriter ira, tumultu, conviciis in eum illatis corripiatur, ut vix compos ſui, & fere ſine reflexione ac deliberatione convicïantem aggrediatur, & occidat, tale homicidium non cenſebitur voluntarium ſimpliciter, ſed mixtum, cum ita occidens non occidat ex pleno propoſito, & deliberata voluntate, ac data opera, ſicut ad homicidium vere voluntarium requiritur, eo ſenſu quo nunc voluntarium expenditur. Secus autem dicendum, ſi rixa locum aliqualis reflexionis relinquat animo, ut cognoſcat quod agit.

Homicidæ moraliter ſeu per alium voluntarii ſimpliciter ſunt mandantes, conſulentes, aliive cooperantes. Hi enim omnes ſunt veræ homicidii cauſſæ. Rei homicidii ſunt mandantes cap. *Si quis viduam* 8. diſt. 50. etiamſi mandantes mandatum revocaverint, ſi revocatio non innotuit mandatario; quia hic quamdiu revocationem mandati ignorat, agit nomine mandantis, ac irregularitatem incurrunt mandantes occaſione ſui mandati, ſi ipſe mandatarius occidatur; quia licet talis mors ſequatur præter intentionem, & directam voluntatem mandantium, poterant tamen, & debebant cogitare illam accidere poſſe cap. ultim. *de homicid.* in 6. Eamque incurrunt mandantes aliquem verberari, licet expreſſe inhibeant ne occidatur, vel membro aliquo mutiletur, ſi mandatarius fines mandati excedens mutilet vel occidat; quia mandando in culpa fuere, & hoc evenire poſſe cogitare debuere cap. *Is qui de homicid.* in 6. Rei pariter ſunt voluntarii homicidii conſulentes efficaciter homicidium iniuſtum, cap. *Si quis viduam* diſt. 50. & cap. *Sicut* §. ultim. *de homicid.* etiamſi conſulentes ante homicidium conſilium ſuum revocaverint; quia etiam in tali caſu conſulentes adhuc cenſentur moralis cauſſa homicidii; maxime ſi rationes, quibus innitebatur conſilium, ſint ita moventes, & convincentes, ut revocatio conſilii non amplius attendatur, ut notat Suarez diſt. 44. ſect. 2. n. 10. cum aliis. Similiter Rei ſunt homicidii voluntarii omnes cooperantes ad homicidium, ac ideo irregulares cap. *Sicut* 6. *de homicid.* & L. unica cod. *de raptu virginis.* Unde ſi plures de communi conſenſu conſpiraverint in mortem alicuius, & is ab uno tantum interfectus ſit, nec ſciatur a quo

ſit inflictum vulnus, omnes ſunt irregulares cap. *Significaſti* 18. §. *Quod ſi de homicid.* Immo etiamſi plures ſine prævio deliberato animo, & ſine communi conſenſu occidendi, in ſubita rixa eumdem aggreſſi fuerint, nec deprehendi poſſit, a quo lethale vulnus prodierit, tunc pariter pro foro externo omnes ſunt irregulares cap. *Ad Audientiam*, & cap. *Significaſti de homicid.* Quod ſi ſciatur qui illum occiderit, tunc iſte ſolus erit irregularis cap. *Significaſti* 18. §. *Nos in promiſſo de homicid.* Itidem obligati ad impediendum homicidium, & non impedientes, quia tales cenſentur moraliter occidere, peccant contra iuſtitiam, ac ideo tenentur etiam ad reſtitutionem cap. *Sicut* 6. §. *Illi etiam de homicidio*. Procurans abortum fœtus animati ſecuto effectu, eſt irregularis cap. *Sicut literatum de homicid.*

Cum autem mutilare & occidere quoad incurrendam irregularitatem æquiparentur ex Gloſſa in Clement. *Si furioſus de homicid. voluntar.* hinc quod dictum eſt de occiſione, intelligendum eſt etiam de mutilatione. Unde circa mutilationem reſtat ſolum advertere, quod ut mutilatio inducat irregularitatem, neceſſe eſt ut fiat per ſeparationem, & truncationem membri alicuius principalis habentis officium peculiare, & diſtinctum in corpore humano, ut manus, pedes, brachia, nares, aures &c. cap. *Clerici vel Monachi*. Idcirco abſciſſio digiti, cartilaginis, excuſſio dentis non eſt proprie mutilatio ſufficiens ad inducendam irregularitatem, Gloſſ. cit. in Clement. *Si furioſus* &c. Abſcindens tamen digitum pollicem vel indicem, petere debet diſpenſationem ad cautelam, ut vidimus antea ex S. Congregat. Irregulares pariter evadunt qui ſe ipſos mutilant, aut mutilationem ſine iuſta cauſſa procurant aut permittunt in quacumque ſui corporis parte cap. *Si quis abſcidit*, & cap. *Ii qui ſe* diſt. 55. ita ut ſi quis etiam ex zelo indiſcreto, v. g. animo ſedandi libidinem, vel putando eo modo ſe obſequium præſtare Deo, ſeipſum mutilaverit vel caſtrari permiſerit, præter gravem culpam incurret irregularitatem cit. cap. *Ii qui ſe* diſt. 55. & cap. *Significavit* 4. *de corpore vitiat.* & hoc multo magis intelligę, ſi ſe caſtrari permiſerit ad vocem muſicam conſervandam; quia vere & voluntarie ſine neceſſitate ad ſui membri mutilationem concurrit, & nullus eſt dominus membrorum ſuorum, nec in eorum abſciſſione conſentire poteſt, niſi quando ita exigat conſervatio ſui corporis, vel alicuius principalis membri: Unde in tali caſu neceſſitatis nec medici nec chirurgi irregularitatem contrahunt; dum in tali caſu potius exercent, quam lædant charitatem. Mutilationem vero patientes *ignoranter*, ut pueri ſecti in infantia, *invite*, ut violenter a latronibus vel Barbaris mutilati, vel ad evitandum gravius malum corporis de conſilio Medicorum, non fiunt irregulares; quia ceſſat hic ratio incurrendi irregularitatem, puta perverſa voluntas, & ſævitia in ſeipſum cap. *Si quis a Medicis* diſt. 55. & cap. 3. & 5. *de corpore vitiat*

Ut autem res melioti quo fieri poteſt modo illuſtretur, operæ pretium eſt exponere, quando ex homicidio patrato in ſui, ſuorumque neceſſariam defenſionem, quis evitet vel non irregularitatem. Sit igitur.

Occidens alium ad vitæ ſuæ defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non fit irregularis Clement. *Si furioſus*, *de homicidio*, & ex cap. *Significaſti* 18. Ad ſervandum autem hoc moderamen inculpatæ tutelæ tria potiſſimum requiruntur, ſcilicet cauſſa, modus, & tempus. Primo requiritur cauſſa, ideſt iniuſta invaſio præcedens occiſionem, vel mutilationem, vel certo imminens; quia ſi quis ante hanc occidat, vel mutilet, non eſt alias ſui defenſio, ſed aggreſſio, & tunc non evadit irregularitatem; & hæc invaſio præcedens vel imminens debet eſſe iniuſta. Unde pro defenſione vitæ ſuæ non poteſt quis ſine irregularitate occidere invadentes Miniſtros iuſtitiæ; quia iſti iuſte invadunt, ut cum multis tenet Pirhing. 2. Requiritur debitus modus defenſionis, proportionatus ſcilicet offenſioni & invaſioni; neceſſariamque defenſionem non excedens cap. *Ut famæ* 35. *de ſentent. excommun.* Quocirca defectu huiuſmodi pro moderatione requiſiti irregularitatem incurrit, qui baculo aggreſſorem potens repellere, pugione, enſe, vel aliis armis mutilat & occidit; vel qui, dum poteſt ſe ſalvare fugiendo, clamando, auxilium implorando, tamen occidit; qui potens ſe defendere pugnis, vel aliis inſtrumentis leviter ferientibus iniuſtum aggreſſorem, adhuc mutilat vel occidit. Communis eſt cum cit. Pirhing. 3. Requiritur tempus; ut ſcilicet occiſio vel mutilatio ad ſui defenſionem ſtatim, & in continenti fiat, quo quis iniuſtam aggreſſionem patitur, ſeu certo imminentem cognoſcit; quia ſi ex intervallo, poſtquam aggreſſor iam abiit, aut nocere & aggredi deſtitit, ceſſante ſcilicet omni periculo, illlum adhuc occi-

occidat, non amplius eum occidit ex neceſſaria ſui defenſione, ſed ex mera vindicta, adeoque irregularitatem incurrit cap. *Si vero de ſentent. excommun.*

Occidens aggreſſorem, ne fugiendo timiditatis notam incurrat, fit irregularis, quia nota timiditatis fugiendæ non eſt ſufficiens ad excuſandum a gravi culpa virum equeſtrem provocatum ad duellum, ſi illud acceptet, iuxta definitionem Alexandri VII. in proſcriptione propoſitionis in ordine 2. *Vir equeſtris ad duellum provocatus, poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam incurrat.* Igitur ſi nota timiditatis non ſatis eſt ad excuſandum a gravi culpa, nec pariter ab irregularitate.

Occidens iniquum accuſatorem, falſum teſtem, vel Iudicem ſibi iniuſtam mortem parantem, quam aliter effugere nequit, incurrit irregularitatem, ut conſtat ex declaratione cit. Alexandri VII. in propoſitione ab ipſo damnata ordine 18. *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Iudicem, a quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare*; ex quibus ſequitur, quod ſi interficeret, iniuſte interficeret; ex iniuſta vero interfectione reſultat irregularitas.

Occidens calumniatorem & inhonorantem pro defenſione ſui honoris & famæ, licet non ſit alia via ſe defendendi, incidit in irregularitatem iuxta declarationem cit. Alexandri VII. qui propoſitionem n. 17. proſcripſit: *Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit; uti ſuppetere non videtur ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni publice, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.*

Occidens invaſorem propriorum bonorum fortunæ etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ fit irregularis; quia ſi fit irregularis occidens calumniatorem pro defenſione bonæ famæ, & honoris, quæ ſunt bona ſuperioris ordinis bonis fortunæ, a fortiori fiet irregularis occidens invaſorem bonorum fortunæ: tum quia in Clement. *Si furioſus* liber declaratur ab irregularitate ſolum occidens aggreſſorem ad defenſionem ſui, & cap. *Significaſti de homicid.* declaratur irregularis Clericus percutiens lethaliter latronem pro defenſione rerum Eccleſiæ.

Item occidens aliquem in defenſionem proximi, quantumvis propinqui, ut patris, matris, filii, uxoris, fratris, &c. licet non peccet occidendo, incurrit tamen irregularitatem ex defectu lenitatis, quidquid ſentiant aliqui in contrarium; quia Clementina *Si furioſus de homicidio* excipit ab incurſu irregularitatis ſolum homicidam pro neceſſaria defenſione propriæ vitæ; dicit enim præciſe *invaſorem ſuum*. Igitur cum ius commune ſtatuat irregularem omnem homicidam, ut ex cap. *de iis* 6. & cap. *Si quis viduam* 8. diſt. 50. colligunt DD. & a Clementina excipiatur ſolum occidens pro neceſſaria defenſione propriæ vitæ, ſicuti alia homicidia, illud etiam quod committi poteſt in defenſionem conſanguineorum, idem ius commune ſupponit irregularitati. Sic Gloſſa in Clement. verb. *ſumm.* Panormit. Fagn. Covaruv. Sylv. S. Antonin. Navarr. cum aliis communius.

Non minus ac ex homicidio voluntario, certum eſt etiam ex homicidio caſuali mixto contrahi irregularitatem, ut patet ex variis Canonibus tit. *de homicidio voluntario & caſuali*, cap. *Presbyterum*, & Alexander III. declaravit irregularem Presbyterum, qui diſciplinæ cauſſa puerum ita percuſſit in capite, ut poſt aliquot dies interierit; quia licet eum graviter vulnerare non intenderet, modum tamen, & diligentiam non adhibuit; idemque ſtatuit de Diacono, qui ludens non depoſuit falcem, qua laicus colludens fortuito fuerat confoſſus; & ſic alibi.

Non contrahitur vero ex homicidio mere caſuali, niſi quis dederit operam rei illicitæ, & periculoſæ. Et hoc quoque conſtat ex variis canonibus, ut ex cap. *Exhibita*, cap. *Ioannes*, cap. *Cum dilect.* cap. *ex litteris* eod. tit. *de homicidio*, ubi reſpondet Innocentius III. non imputandum homicidium caſuale Presbytero, qui rei licitæ vacabat adhibita omni diligentia: & ita cenſuit Gregorius IX. cap. *Quidam* eod. tit. Dixi *niſi quis dederit operam rei illicitæ, & periculoſæ*; quia ad hoc ut homicidium non imputetur ei qui fuit cauſſa per accidens, omnes ſacri Canones ſemper duas apponunt conditiones, unam nempe ut omnem adhibuerit diligentiam, ne mors, aut mutilatio ſequatur; alteram, ut operam dederit rei licitæ, ut ait Gregorius IX. ſupra laudatus, *attendentes quod Sacerdos ipſe dabat operam rei licitæ, ſtuduit etiam quam debuit diligentiam adhibere:* & ſimilia habet Bonifacius VIII. cap. *Si quis* tit. *de homicidio*. Unde irregularitatem non contrahunt infirmos, ut commodius quieſcant, diligenter

vertentes in lecto, vel de lecto ad lectum ttansferentes, vel cibum aut medicinam potrigentes, ſi infirmi ex illa verſione, & translatione, & cibi ſeu medicinæ porrectione moriantur, ideſt mors caſu eis acceleretur, niſi tamen cibus contra prohibitionem Medici fuerit ſubminiſtratus; & ſic ſi dum qui tecta reficiunt, & poſt adhibitam conſuetam diligentiam tegulas vel lapides proiiciunt, pertranſiens ex illis percuſſus intereat, & ſic in aliis omnibus huiuſce generis caſibus. Verum, etiamſi detur opera rei licitæ, ſi non adhibeatur debita diligentia ne ex tali opere mors aut mutilatio ſequatur, ſi ob diligentiæ omiſſionem mors ſequatur vel mutilatio, incurritur etiam ex hoc opere licito irregularitas. Sic lapides per aerem proiicientes, tegulas ex tectis, pilas niveas tempore hyemali, arbores cædentes, ſi ex eo quod hi debitam non adhibuerint diligentiam, aliquis caſu interficiatur, irregulares fiunt ex cap. *Is qui arborem* diſt. 50. & ſic in aliis huiuſmodi caſibus.

Additum fuit *& periculoſæ;* quia plures Theologi & Canoniſtæ cenſent, eum non eſſe irregularem ob homicidium pure caſuale, ſi res illicita cui vacabat, nullatenus fuerit periculoſa, & debitam adhibuerit diligentiam, eo quod tale homicidium nullo modo ſit voluntarium, ne quidem in cauſſa, utpote quæ homicidium ex ſe inferre non valeat: ſed contrarium expreſſe habetur in cap. *Finali de homicidio*, ubi dicitur, homicidium caſuale non imputari ei, qui dedit operam rei licitæ, & debitam adhibuit diligentiam. Ex quo clare deducitur, quod alterutra iſtarum conditionum deficiente incurritur irregularitas. Unde ſi declaratur non incurri irregularitatem ex homicidio caſuali, per hoc quod dederit operam rei licitæ, ſine ulla diſtinctione *periculoſæ a non periculoſa*, ſed ſolum excipiendo ſi adhibuerit debitam diligentiam ad ipſum evitandum, a ſenſu contrario inferendum eſt incurri irregularitatem ex homicidio caſuali per hoc quod detur opera rei illicitæ, licet adhibeatur debita diligentia ad eam evitandam, nec ſit per ſe periculoſa, ut expreſſe ex cap. *Suſcepimus* 10. & ex cap. *de cætero* 11. *de homicidio*. Hinc Innocentius III. mulieris mortem non imputat Monacho, qui vulnus in eius gutture aperuerat, quia mors ſecuta non eſt ex illa curatione, licet periculoſa, ſed ex temeritate eiuſdem mulieris, quæ contra conſilium Monachi vento ſe expoſuerat. Igitur differentia, quæ intercedit inter irregularitatem dantis operam rei illicitæ, & dantis operam rei licitæ, non reſultat ex periculo in re illicita, nec ex diligentia, quæ adhibeatur, cum utrumque concurrere poſſit & in re licita & in re illicita, ſed ex ipſa re licita vel illicita; ita ut quamvis res illicita non ſit periculoſa, & diligentia in dando ei operam adhibita ſit, ſi mors vel mutilatio ſequatur, adhuc incurritur irregularitas, eo quia agens dederit operam rei illicitæ.

Cum homicidium dici nequeat voluntarium; niſi interfector plenum uſum rationis habeat, & pueri ac ebrii in hoc deficiant; hinc homicidia ac mutilationes, quæ poſſunt ab his committi, ad homicidium caſuale reducuntur. Quare de his quoque difficultas occurrit, num in eorum homicidio vel mutilatione incurrere poſſint irregularitatem. Et quoad pueros, certum eſt ex Clement. tit. *de hæreticis* cap. Unico *ſi furioſus*, ante ſeptennium eos non incurrere irregularitatem, ſi occidant, vel mutilent. Infans autem dicitur minor ſeptennio, etiamſi dubitetur num habeat ſufficientem uſum rationis ad peccandum mortaliter, quia lex generalis excipit illam ætatem. Maior difficultas eſt, ſi dubium ſit circa infantem ſeptennio maiorem, & Oſtienſis ſuſtinet, eiuſmodi eſſe irregularem, negat vero Avila. Circa vero Ebrium diſtinguendum videtur cum Henriquez, & Avila, nempe num vel ante ebrietatem prævidèrit, aut prævidere debuerit periculum, cui ſe exponebat occidendi, utpote qui expertus fuerit ſe per ebrietatem furioſum reddi. Si primum, procul dubio irregularitatem incurrit, ſi occidat, quia homicidium illud eſt voluntarium ſaltem in cauſſa ex cap. *Si confiterit de accuſationib.* Si ſecundum, minime irregularitatem incurrit, quia homicidium prorſus involuntarium eſt in ſe, & in cauſſa, ac proinde omnino, & ſimpliciter caſuale.

Si quis ſciat, dormiendo ſe conſueviſſe e lecto ſurgere, enſem evaginare, & ferire, ſi diligentiam non adhibuit claudendo oſtium, vel removendo arma, ne in ſomno mutilationem vel occiſionem committat, ſi occideret, vel mutilaret, irregularitatem incurreret ex cap. *Ad audientiam de homicidio*. Item tenens animalia nociva, ut urſum, leonem &c. ſi ab eis quis interficiatur, ex eo quod ipſa debito modo ligata non cuſtodierit, ut colligitur ex cap. *Is qui arborem*, & cap. *Sæpe contingit* 50.

§. IV.

## §. IV.

### *De irregularitate ex iteratione Baptiſmi.*

Irregularitas ex iteratione Baptiſmi æque contrahitur tam a rebaptizato, quam a rebaptizante. Et de rebaptizato habetur in cap. *Confirmando*, quod refertur ex Concilio Carthaginen. IV. diſt. 50. & cap. *Qui bis* diſt. 4. *de conſecrat.* De rebaptizantibus vero habetur cap. 2. *de apoſtatis*, ubi iunior Acolythus, qui in fratris ſui rebaptizatione miniſterium in reſpondendo Presbytero rebaptizanti exhibuerat, irregularis declaratur; ex quo a fortiori inferunt DD. unanimes, irregularem eſſe dicendum, qui per ſemetipſum rebaptizat: non ſecus ac ſi irregularis eſt qui cooperatur occiſioni, multo plus eſt irregularis qui occidit. Non eſſet tamen irregularis, qui rebaptizaret infantem, quem ignoraret fuiſſe baptizatum, aut de eius priori Baptiſmo legitime dubitaret; *quia non intelligitur iteratum quod neſcitur vel ambigitur eſſe factum* cap. 3. *de Presbytero non baptiz.* Circa vero Sacerdotem baptizantem denuo ſub conditione infantem domi baptizatum ab obſtetrice, ob timorem, & dubium, ne illa ex imperitia ſecundum formam communem dictum infantem vere baptizaverit; vel abſolute eum baptizantem, de quo ex oblivione non interrogavit, fuerit ne iam baptizatus; reſpond. quoad caſum priorem, in quo maior eſt difficultas, & ideirco non conveniunt DD. nempe illum Sacerdotem vere non rebaptizare, cum intentionem non habeat baptizandi, ſi is qui ſibi præſentatur, iam fuerit baptizatus, idcirco non incurrere irregularitatem, quidquid alii in contrarium ſentiant. Nam hic idem ſe habet cum eo, qui cum conſanguinea contraheret ſub conditione, ſi non ſit conſanguinea, qui proinde ita contrahendo non ſubiaceret excommunicationi poſitæ contra eos, qui ſcienter in gradibus vetitis contrahunt. Peccaret quidem hic Sacerdos, quia non licet rebaptizare nequidem ſub conditione, ſi res ſit dubia. Ad caſum ſecundum vero reſpond. quod non incurreret irregularitatem, cum probabile ſit illum Sacerdotem nullo infectum errore intendiſſe novum baptizato conferre Baptiſmum, ac ideo eius intentio legitime præſumpta, fuit virtualiter conditionalis, ita ut non intenderet baptizare illum infantem, ſi iam eſſet baptizatus.

Baptizans, & qui rebaptizatur ex metu gravi, ſi quantum eſt de ſe habeat unus vere intentionem baptizandi, alter Baptiſmum ſuſcipiendi, fiunt irregulares; ſecus vero ſecundum plures, ſi unus abſque intentione ac ficte baptizet, & alter ita ſuſcipere intendat. Ex iteratione tamen cuiuſvis alterius Sacramenti, etiam characterem imprimentis, ut ſunt Ordo, & Confirmatio, non incurritur irregularitas; quia nullibi hoc expreſſum eſt in iure, cum expreſſe de ſolo Baptiſmo iura loquantur.

## §. V.

### *De Irregularitate ex mala Ordinum ſuſceptione.*

Pro mala Ordinum ſuſceptione, ob quam irregularitas contrahitur, non intelligitur quæcumque indigna ſeu culpabilis Ordinum ſuſceptio, ſed ea quæ ex Canonum præſcriptione interdicitur. Hinc irregularitatem incurrunt qui Ordines furtive ſuſcipiunt, ideſt ſine Epiſcopi ordinatione, ſcientia, & voluntate, non vocati, nec legitime examinati, aut non admiſſi, nec approbati, aut per dolum, puta nomen alterius approbati uſurpantes, vel alium in examine ſub ſuo nomine doloſe ſubſtituentes, aut quavis alia fraude ignorante Epiſcopo Ordinandis ſe immiſcentes cap. *Veniens de eo, qui furtive Ordines ſuſcipit;* ubi dicitur, quod qui furtive Diaconatum ſuſcepit, non poteſt initiari Sacerdotio ſine diſpenſatione; igitur, concludit Suarez, canonicum contraxit impedimentum, quod aliud profecto eſſe nequit, niſi irregularitas, cuius eſt removere directe ab Ordinum ſuſceptione, & cuius primarius effectus eſt prohibitio eorumdem Ordinum. Super hanc irregularitatem iuxta decretum Alexandri III. ut cit. cap. *Veniens* tit. *de eo qui furtive*, diſpenſare poteſt Epiſcopus, ſi non fuit ſub anathematis interminatione prohibitum .... *condigna ſatisfactione impoſita .... pro arbitrio diſpenſantis.* Cum autem iuxta hodiernum ſtylum Pontificalis Romani Archidiaconus ex mandato Epiſcopi moneat ſub excommunicationis pœna, *ne quis non deſcriptus, examinatus, approbatus audeat ad ſacros Ordines accedere*, & ita excommunicatio ſit publica, non poteſt furtive ordinatus diſpenſari niſi a Papa, & minime ab Epiſcopo, niſi ſub conditione, ut in aliquo Monaſterio ſeu Canonia habitum ſuſcipiat Regularem, qua conditione impleta (ſequitur cit. cap.) *ſi in illo habitu aliquanto tempore fuerit laudabiliter, converſatus*, poterit cum eo Epiſcopus diſpenſare.

Ve-

Verum, licet dicatur furtive ordinatus qui ficto titulo, aut ſine veris litteris dimiſſoriis ordinatus fuit, hic tamen non incurrit irregularitatem, ſed ſuſpenſionem.

Si excommunicatione maiori innodatus ſuſcipiat Ordines, num irregularitatem incurrat, incertum eſt; quia in cap. 32. *de ſentent. excommunic.* ubi ſolum fit mentio de eo qui in excommunicatione ob Clerici percuſſionem Ordines ſuſcipit, nihil eſt, unde expreſſe colligi poſſit irregularitas. Vult quidem Innocentius III. ut Clericus ſæcularis, qui hoc ſcienter fecerit, deponatur in perpetuum, ideſt careat omni ſpe diſpenſationis. Si vero ex craſſa ignorantia hoc fecerit, ſpes huic relinquitur diſpenſationis recipiendæ, a Papa tamen, cui reſervatur: Sed hæc iuris diſpoſitio ſuſpenſioni utcumque accommodari poteſt. Verum huiuſmodi diſcuſſio eſt prorſus inutilis; quia parum intereſt ſcire, an ſuſpenſi ſint, vel irregulares, quando iam talis culpæ conſcii recurrere debent ad Pontificem, ut facultatem recipiant exercendi Ordinem quem receperunt tempore, quo excommunicationis cenſura erant ligati.

Nota, quod cum cit. cap. 32. *de ſententia excommun.* loquatur abſolute, & indiſtincte de iis, qui in excommunicatione poſiti ſuſceperunt Ordines, iuxta probabiliorem incurritur cenſura etiam ſuſcipiendo minores Ordines, cum hi quoque ſub nomine Ordinis veniant, & intelligantur; non vero ſi tali cenſura ligati recipiant Tonſuram, quæ nullatenus, ſaltem in materia pœnali, venit nomine Ordinis.

Suſcipiens Ordines ante Confirmationem minime incurreret irregularitatem, quamvis graviter peccet, ut notat Sayrus, ſicut nec ii, qui eadem die approbante Epiſcopo acciperent Ordines minores, & Subdiaconatum; quia talis irregularitas quoad utrumque in iure nullibi exprimitur. Quoad poſteriores, ſi hoc attentaverint inſcio Epiſcopo, ſuſpenſi erunt ab exercitio Subdiaconatus, & a ſuperioribus Ordinibus, *niſi domum Religionis intraverint: tunc enim, ſi ita mores eorum exegerint, in aliis Ordinibus poterunt diſpenſari*. Abbas, cap. 2. *de eo, qui furtive*. Hoc idem dicendum, ſi eodem die, præſertim ſi Epiſcopus prohibuerit ſub pœna excommunicationis, Subdiaconatum & Diaconatum recipiant, cap. 3. ibid. Secus vero de eo, qui minores eodem die, & Tonſuram reciperet; quia hoc nullibi vetitum eſt ſub pœna irregularitatis. Sic Navarrus, Avila, & alii.

Num vero irregularitatem incurrerit, qui per ſaltum, ſeu omiſſo Ordine inferiore, Ordines ſuſceperit, incertum eſt; quia hoc clare expreſſum non habetur in iure, quia duo canones qui verba faciunt de Clerico per ſaltum promoto, bene intelligi poſſunt de ſuſpenſione, ſicuti iam a maiori Doctorum parte intelliguntur, ut advertit Bonacina. Quidquid tamen ſit, ſtando ſententiæ Sayri, nempe quod taliter ordinatus irregularitatem incurrat, etiamſi talis irregularitas ſit publica, dummodo ſic promotus non miniſtraverit, ut ait Tridentinum ſeſſ. 23. tolli poteſt ab Epiſcopo.

Similiter incertum eſt, an irregularitatem incurrat ſuſcipiens Ordines ab Epiſcopo, qui ſuæ dignitati, ideſt iuriſdictioni ac executioni Ordinis Epiſcopalis renunciavit; quia de huiuſcemodi caſu nullibi habetur aliquid expreſſum in iure, præterquam in cap. 1. *de ordinatis ab Epiſcopo*, ubi ſic: *Quia indignum ſe fecit, executionem officii non habebit*. Hæc autem verba non tam indicant irregularitatem, quam ſuſpenſionem, cuius eſt primario privare Ordinum exercitio.

Suſcipiens ſcienter Ordines ab Epiſcopo excommunicato excommunicatione maiori, & nominatim denunciato, ſuſpenſo, interdicto, depoſito, vel degradato, iam mortaliter peccat, & eſt ſuſpenſus ab Ordinis exercitio, & fit irregularis Can. 4 IX. c. 1. ubi vetatur ita ordinato tum Ordines ſuſceptos exercere, donec pœnitentiam ab Epiſcopo iniunctam expleverit, tum ſubſequentes Ordines ſuſcipere, niſi neceſſitas vel utilitas maxima flagitaverit, & ipſius ſancta converſatio promeruerit.

Suſpenſus & interdictus, ſi Ordines recipiat, quando tamen eos non exerceat, non eſt irregularis; quia irregularitas non eſt expreſſa in iure contra eos qui hiſce cenſuris affecti recipiunt Ordines: nam cit. cap. *de ſentent. excommun.* de iis ſolum loquitur, qui in excommunicatione Ordines ſuſcipiunt, & pœna extendi non debet, & eo vel maxime, quod dictum cap. ut antea notavimus, non ſatis manifeſte irregularitatem concludit. Si tamen tempore ſuæ Ordinationis Ordinem ſuum exerceat, nempe ſi Diaconi, vel Subdiaconi exerceat functiones, canendo ſcilicet Evangelium vel legendo Epiſtolam, certe erit irregularis. Quocirca docet Avila cum Covaruv. Navar. & aliis contra Sayrum, eum, qui ſuſpenſus Sacerdotio conſecratur, fieri irregularem, quia cum Epiſcopo concelebrat.

Irre-

Digitized by Google

Irregulares fiunt coniugati, qui etiam nondum Matrimonio conſummato aliquem ſacrum Ordinem ſuſcipiant Extravag. *Antiquæ conſecrationi de voto, & voti redemptione;* ita ut etiam ſoluto Matrimonio nec exercere poſſunt ſuſceptos Ordines, nec ad ſuperiores Ordines provehi. Sic Ioannes XXII. tit. 6. *de voto* &c. Cui autem vetatur Ordinis ſuperioris ſuſceptio, hic vere eſt irregularis.

## §. VI.

### *De Irregularitate ex malo uſu Ordinum.*

Uſus Ordinis dupliciter, ſeu in duplici ſenſu poteſt eſſe illicitus, & culpabilis 1. Si quis male exerceat Ordinem, quem habet. 2. Si actus exerceat Ordinis, quem non habet. Num vero ſemper incurratur irregularitas per illicitum uſum, & quando, paucis res exponetur. Sit igitur.

Qui innodatus eſt excommunicatione maiori, ſuſpenſione, vel interdicto, tametſi toleratus ſit & occultus, ſi ſolemniter, ſeu ex officio exerceat actus maioris Ordinis, niſi legitimam habeat excuſationem, fit irregularis ex cap. 7. 11. q. 3. ubi tollitur omnis ſpes reconciliationis, ac diſpenſationis ei, qui excommunicatione maiori innodatus functiones ſui Ordinis auſus ſit exercere; idque colligitur ex cap. 10. *de Cleric. excommun. miniſtr.*, quia cum ibi ſtatuatur, *eum, qui celebrat minori excommunicatione ligatus, nullam notam irregularitatis incurrere*, aperte oſtenditur eum ſubiacere irregularitati, qui maiori excommunicatione innodatus audeat celebrare. Secunda vero pars, ſcilicet de ſuſpenſo, patet ex cap. 1. *de ſent. & re iudic.* in 6. ubi: *Qui ſuſpenſione durante ingerit ſe divinis celebrandis, irregularitatis laqueo ſe innodare* dicitur. Ideoque decernitur cap. 1. *de ſentent. excommunic.* in 6. quod qui incurrerunt pœnam excommunicationis ad menſem unum, ſi divina exequantur officia, irregularitati ſubiiciuntur. Altera tandem pars, ſeu tertia de interdicto patet ex cap. 18. & 20. *de ſentent. excommun.* in 6. ex quorum priori, qui ſcienter in loco celebrat interdicto, niſi ſuper hoc privilegium exiſtat, aut a iure eidem ſit conceſſum, irregularitatem incurrit. In poſteriori autem in eamdem incidit pœnam, qui perſonaliter interdictus ab Eccleſiæ ingreſſu, ac proinde a divinorum celebratione, *divinis ſe ingerit* in ſuo agens officio, ſicut prius. Hinc tamen revocandum ad montem, ſuſpenſum, aut interdictum ab uno Ordine vel officio, non ſemper ab aliis ſuſpenſum eſſe, & interdictum. Unde ſi exerceat eos, a quibus non eſt ſuſpenſus, non incurrit irregularitatem. Aliud dicendum de excommunicatione maiori, quæ removet ab actibus cuiuſvis Ordinis.

Dixi 1. *tametſi occultus ſit* &c. quia in Conſtitutione *Ad vitanda ſcandala* nullum privilegium conceſſum eſt excommunicatis etiam occultis. Dixi 2. *actus maioris Ordinis;* quia actus minorum Ordinum a Laicis æque ac a Clericis exercentur. Dixi 3. *niſi legitimam habeat excuſationem* v. g. ignorantiæ invincibilis, inadvertentiæ, oblivionis, neceſſitatis vitandi ſcandali, ut alias notavimus. Hinc irregulares fiunt.

Qui cenſura ligati officium in Eccleſia peragunt Hebdomadarii, vel extra Eccleſiam, ut in exercitu. Ad hoc tamen neceſſe eſt ut dicatur *Dominus vobiſcum*: Nam qui illud omittit, idem facit quod facere ſolent Moniales; quia pſallere cum aliis in Choro non eſt officium Ordinis ſacri, ſicuti eſſet ſi præmittatur Collectæ *Dominus vobiſcum*: Qui legunt ſolemniter Epiſtolam, & canunt Evangelium, ideſt cum Manipulo & Stola. Si enim Subdiaconus ſine Manipulo, Diaconus ſine Stola, unus legat Epiſtolam, alter Evangelium canat, neuter cenſetur exercere Ordinem ſacrum, ſed vices Lectoris aut Cantoris. Sic Bonacina; & alii, qui hoc extendunt, licet uterque tangat vaſa ſacra; nam & laici hoc aliquando licite faciunt. Circa Concionatoris exercitium, ſi contingat talis actus in excommunicato, an ſubiaceat irregularitati non conveniunt Theologi: Sed præferenda videtur ſententia, quam Henriquez & Avila ſuſtinent contra Navarrum, nempe excommunicatum exercentem miniſterium verbi Dei, non incurrere irregularitatem; quia licet concionandi munus ſolis Presbyteris ac Diaconis committatur, ex eo tamen non colligitur eſſe proprium Ordinis ſacri; alias Subdiaconus aut ſimplex Clericus, qui ſine Epiſcopi facultate concionator eſt, eſſet irregularis, quod eſt contra communem hominum opinionem, nec in ullo iure expreſſum habetur. Qui cenſura ligatus etiam in occulto ſacramentaliter abſolvit, irregularis eſt, quia actus abſolvendi non aliam de ſe habet ſolemnitatem. Idemque dicendum de eo, qui extra Miſſarum ſolemnia Confirmationis, & Ordinis Sacramenta miniſtrat.

Secundo incurritur irregularitas in Ordinum

num uſu a quocumque, qui ſerio, ſcienter, & quaſi ex officio ſolemniter exerceat actum Ordinis ſacri, quo non eſt inſignitus; eſt communis ex cap. 1. & 2. *de Cleric. non ordin. miniſtr.*, eamdemque pœnam decernit Urbanus III. cap. *ex litteris* eod. tit. contra Diaconum, qui Miſſarum celebrationem uſurpare præſumpſerat. Unde irregulares fiunt Clerici in Minoribus exercentes ſolemniter, & ſcienter adhibitis eorum inſignibus, Ordines Maiores cit. cap. *Clerici, & Subdiaconi ſolemniter miniſtrantes*; Diaconi nondum Sacerdotes Miſſam celebrantes, aut alios a peccatis abſolventes ex cit. cap. 1. & 2. *de Cleric. non ordin. miniſtr.* Benedicentes ſponſos; benedicentes aquam luſtralem; cum omnia munia hæc propria ſint Sacerdotis. Item non Epiſcopi confirmantes, & Ordines conferentes, ut ex communi teſtatur Suarez diſp. 42. ſect. 4. n. 7. Immo etiam Epiſcopi ordinati per ſaltum, ſi conferant illum Ordinem, quem non receperunt, ut conſtat ex cit. cap. 1. *de Cleric. non ordin. miniſtr.*

Dixi 1. *a quocumque*: quia licet aliqui cum Sayro exiſtiment, laicum officia ſacrorum Ordinum exercentem, baptizando ſolemniter, Miſſam celebrando &c. non fieri irregularem, eo quia iura loquantur ſolum de Clericis, ut patet ex ipſo titulo *de Cleric. non ordin. miniſtr.* communius tamen, & conformius cap. *Si quis baptizaverit*, contrarium ſuſtinetur; cum ibi S. Pontifex Hormiſdas abſolute loquatur de quolibet uſurpante officium Ordinis, quem non habet. Nec nocere poteſt tituli diſpoſitio; & quia Decretalis eſt titulo antiquior, idcirco per titulum reſtringi non debet, & quia, ut notat Suarez *de Baptiſ.* 3. part. ſect. 4. (& ſic docent Valentia, Avila cum aliis citatis a Bonacina) in ſeptem antiquis Manuſcriptis Codicibus non legitur in cit. titulo *de Clerico non ordin. miniſtr.* ſed ſimpliciter *de non ordin. miniſtr.* Dixi 2. *ſi ſerio*; quia ſi quis id faciat ad diſcendas puta, aut docendas Miſſæ cæremonias, aut etiam iocoſe, & per ludum, non erit irregularis, etſi iocoſe hæc agendo peccet. Dixi 3. *ſcienter*; Nam cit. canon requirit temeritatem, & præſumptionem; ita ut ſi quis hoc faciat bona fide, & ex ignorantia non affectata, in Ordine, quem non habet, miniſtraverit, putans ſe eum habere, aut miniſterium quod exercet, eſſe ſui Ordinis, non fit irregularis. Dixi 4. *Sacri Ordinis*; quia cum officia minorum Ordinum nunc promiſcue peragantur a laicis quoque, propter eorum exercitium ſuſpenſus vel excommunicatus irregularitatem non contrahit, niſi in Eccleſiis, ubi iuxta Decretum Concilii Trident. reſtituta ſunt officia minorum Ordinum, nec exerceri ſolent niſi ab iis, qui ad huiuſmodi Ordines promoti ſunt. Dixi 5. *ſolemniter*; quia ſi Diaconus aut Presbyter ſuſpenſus, ſine ſolemnitate baptizet etiam extra caſum neceſſitatis, licet graviter peccet, non incurrit tamen irregularitatem, cum actum Ordinis non exerceat, cum laici quoque ita baptizare poſſint, & quandoque baptizent.

Si Diaconus non ſuſpenſus, iuſſus ab Epiſcopo vel Presbytero, ſolemniter Baptiſmum, aut Euchariſtiam miniſtret, non incurrit irregularitatem; ſecus, ſi propria auctoritate. Et primum patet ex antea dictis de Miniſtro Baptiſmi & Euchariſtiæ; ubi vidimus illum eſſe Miniſtrum extraordinarium eorumdem Sacramentorum, & patet ex uſu priorum ſæculorum, in quibus Diaconi miniſtrare ſolebant Sacramenta Baptiſmi, & Euchariſtiæ, & ex ritu ipſo Ordinationis, ubi Epiſcopus in Diacono initiando ait: *Diaconum oportet miniſtrare ad altare, baptizare, & prædicare*. Altera pars, nempe incurrere Diaconum irregularitatem, patet ex S. Epiphanio *hæreſi* 79. ubi ait: *Nec Diaconis in Eccleſia concreditum eſt, ut aliquod miniſterium celebrent, ſed ſolum adminiſtrent dum celebratur*. Diaconus igitur inſtitutus eſt a Chriſto Domino tamquam Miniſter Epiſcopi & Presbyteri, qui ipſis inſerviat, nihilque propria auctoritate præſumat, ſed omnia ex eorum conſilio & mandato, veluti ipſorum organum & inſtrumentum, operetur, & eo primis ſæculis frequentius utebantur ad Cathecumenos Baptiſmo initiandos, & Fideles ſacra Communione reficiendos.

Verum duo hic notanda ſunt iuxta Habertum; 1. nempe ſecundum præſentem Eccleſiæ diſciplinam peccare Parochum ſeu Presbyterum, qui abſque neceſſitate talia officia Diacono committeret, nec Diaconum obtemperare debere, ſi clare cognoſceret Presbyterum ſine cauſſa hoc ſibi committere. Alterum, Diaconum ab Epiſcopo deputatum ad ſolemniter baptizandum, aut Euchariſtiam miniſtrandam, prætermittere debere quæ in ritu illorum Sacramentorum propria ſunt Sacerdotis, ut benedictiones, abſolutionem, quæ dari ſolet in Euchariſtiæ diſpenſatione per illa verba *Indulgentiam, abſolutionem* &c. nam hæc conveniunt ſolis Sacerdotibus. Poteſt dare quidem benedictio-

Digitized by Google

ctionem, quæ non ſit ſolemnis, ut eſt benedictio communis menſæ, quæ fieri poteſt tam a laico quam a Clerico excommunicato. Nec dici poteſt, Diaconum benedicere Cereum Paſchale, quia benedicitur a Sacerdote in benedictione granorum incenſi, ſed canit præconium lætitiæ, in ſolam gratiarum actionem.

Diaconus in caſu neceſſitatis, abſente Presbytero, poteſt ſolemniter baptizare, viaticum ad infirmum deferre, ut ex cap. *Diaconus* diſt. 93. ubi ſic ait Gelaſius: *Abſque Epiſcopo aut Presbytero non audeant* (Diaconi) *niſi prædictis fortaſſis Ordinibus longius conſtitutis neceſſitas extrema compellat*; in quem locum ſic Gloſſa. *Ubi neceſſitas exigit, & Presbyter eſt abſens, poteſt Diaconus etiam iure ſuo baptizare, & corpus Chriſti erogare infirmis, ſed in Eccleſia in præſentia Presbyteri non poteſt, etiamſi neceſſitas exigat, niſi iuſſus a Presbytero*.

Prohibitus exercere Ordines ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, non fit irregularis prima vice in qua exercet; quia prima vice non violat cenſuras, cum incipiat tantum his ligari, dum per Ordinis exercitium Superioris præceptum tranſgreditur. Qui ligatus duplici cenſura Ordinem ſacrum exercet, duplicem incurrit irregularitatem; quia duplicem committit culpam, quarum unicuique ſua reſpondet pœna. Verum dici etiam poteſt, quod unam irregularitatem duplici æquivalentem incurrat, & quæ idcirco in petenda diſpenſatione explicari debet. Celebrans in Eccleſia interdicta, incurrit irregularitatem; quia violat cenſuram per exercitium Ordinis ſacri. Celebrans vero in Eccleſia polluta, vel in loco profano, licet graviter peccet, nullam tamen irregularitatem incurrit; quia talis pœna in nullo iure exprimitur.

Irregularis exercens aliquod officium proprium Ordinis ſacri, non incurrit novam irregularitatem, cum hoc in nullo iure habeatur expreſſum. Sic Navar. in *Enchirid.* cap. 27. n. 194. ubi monet, quod quando Curia Romana diſpenſat cum iis, qui celebrarunt in irregularitate, diſpenſat tantummodo in illa irregularitate, in quam ante celebrationem incurrerant. Qui autem ob diverſa delicta, puta ex homicidio, & ex Ordine furtive ſuſcepto, pluribus ligatus eſt irregularitatibus, exprimere debet ſpecies illas irregularitatis. Sic Suarez, Bonacina cum aliis.

## §. VII.

### *De Irregularitate ob violationem cenſuræ.*

Irregulares fiunt Clerici, qui cenſuras temere violant, v. g. ſi excommunicati, interdicti, vel ſuſpenſi Ordinum munera exercent, divinis ſcienter ſe ingerendo, ſcienter celebrando in loco interdicto, in caſibus non permiſſis, ut ſupra iam diximus, cap. *Si quis Epiſcopus* 11. q. 3. cap. *Is de ſentent. excommunic.* in 6. & alibi.

Irregularitatem incurrunt, ita ut nequeant ad Ordines promoveri, omnes enormiter criminoſi, ſi eorum crimina ſint notoria, & publica, quæ habeant annexam infamiam, ut Sodomia, Inceſtus, Raptus virginum, Maleficium, Veneficium, Adulterium, Simonia, Sacrilegium, Periurium in iudicio, crimen læſæ Maieſtatis, aliave ſimilia, cap. *Infames* 6. q. 1. ubi ſic concluditur: *Hi omnes, inquam, nec ad ſacros gradus debent promoveri*. Notanter dicitur *ſi eorum crimina ſint notoria, & publica*; quia ſi ſint occulta, excepto homicidio, non inducunt irregularitatem cap. *Ex tenore* 4. & ultimo *de temporibus Ordinationum*.

## §. VIII.

### *De Irregularitate ex hæreſi.*

Ex iure communi irregulares ſunt hæretici & apoſtatæ a Fide cap. *Presbyteros* diſt. 50. & cap. *Qui in aliquo* diſt. 51. eorumque receptores, fautores, defenſores cap. *Quicumque de hæreticis* in 6. ac eorum filii uſque ad ſecundam generationem ratione hæreſis patris, & uſque ad primam ratione hæreſis matris, niſi parentes ante mortem adiuraverint hæreſim cap. *Statutum* 15. *de hæreticis* in 6. Eidem pœnæ ſubiacent ex ipſo iure communi apoſtatæ a Fide diſt. 50. cap. *Presbyteros*, quod refertur ex Concilio Ancyrano. Schiſmatici pure tales non ſunt irregulares; quia nullibi in iure hoc ſtatutum eſt. Erunt quidem, ſi ſimul ſint hæretici, ut eſſe ſolent, ſed irregulares erunt ratione hæreſis, non ſchiſmatis. Item non ſunt irregulares ii, qui ex Neophytis, Paganis, Iudæiſve deſcendunt, cum id non ſit expreſſum in iure.

## §. IX.

### *De diſpenſatione in Irregularitate.*

Quoad diſpenſationem ab irregularitatibus

bus certum eſt, quod omnes irregularitates ex defectu, ſi defectus ſint eorum, qui cauſſam habent tranſitoriam, ut contingit in defectu ætatis, ſcientiæ, libertatis, corporis, animi, & natalium, eodem ceſſante, abſque ulla Superioris diſpenſatione ceſſat irregularitas arg. cap. ultimo *de temporibus ordinationum*, cap. *Neophytus* diſt. 61. Et ſic etiam in obligato ad publica ratiocinia, ſtatim ac ab ipſo ſunt redditæ rationes, ceſſat irregularitas arg. cap. ultimo *de obligatis ad ratiocinia*.

# TRACTATUS
## DE STATU RELIGIOSO.

### CAPUT I.

*De origine & progreſſu vitæ Monaſticæ.*

Chriſtiani omnes, qui Eccleſiæ Catholicæ gremio, ſeu in eius fide & obedientia verſantur, Regulares ſunt ſeu Monachi (ut norat Claudius Fleruy) vel ſæculares. Regulares ſeu Religioſi ii dicuntur, qui ex voto vivere tenentur ad certam regulam, non ita tamen, ut certa regula unice Regulares faciat, cum Clerici quoque ſæculares ad regulas vivendi adſtringatur a ſacris Canonibus iiſdem præſcriptas; ſed potius votum paupertatis, in quo ſpecialis vitæ ineſt perfectio & ſanctitas, cui vinculo non ſunt obnoxii Clerici ſæculares, utpote qui rerum proprietate non ſeſe abdicaverint. Sæculares ſunt cæteri Fideles, qui in ſæculo, ideſt in humano conſortio vitam agunt.

Religioſi nomen, quod antiquum eſt, derivat a Religione, ac ſignificat Dei cultorem. Verum licet commune ſit hoc vocabulum quibuſcumque veram Religionem profitentibus, uſitatius tamen appropriatur iis, qui rebus omnibus curiſque ſæculi abdicatis, ſe totos divino cultui mancipant, ac ſimpliciter, ut advertit D. Thomas, appellari ſolent *Religioſi*, Græce *Therapeutæ* ideſt Dei cultores, & *Aſcetici*, Latine *ſupplices* a præcipuo eorum munere, quod eſt Deum precari. Nomen autem *Monachi*, quod Latine *Solitarium* ſignificat, deducitur a ſolitaria vita indiviſa ac ſingulari, quam bi ducere ſuſceperunt. *Vere enim Solitarius* (ait Auctor Eccleſiaſticæ Hierarchiæ) *qui ſeipſum, ac omnia reliquit, ut ſoli Deo vacet*. Nomina igitur Religioſi ac Monachi ſunt ſynonima quæ idem ſignificant, cum uterque, Religioſus nempe & Monachus, eodem modo in eumdem finem intendant ac colli-neent. Hinc a Veteribus, iuxta laudatum Auctorem, promiſcue accepta fuerunt & uſurpata. Uſu tamen & conſuetudine factum fuit, ut nomen Monachi nunc tribuatur iis dumtaxat, qui longe a frequentia hominum vitam ſolitariam ducunt, ut Baſiliani in Oriente, Benedictini in Occidente, Bernarditæ, ſeu Ciſtercienſes, Carthuſiani, Camaldulenſes, &c. Religioſi autem ii dicuntur, qui in populis verſantur, ac Eccleſiæ Paſtorum ſunt coadiutores ſeu cooperatores in exercitiis hierarchicis, in Concionibus præcipue, & Sacramentorum adminiſtratione, ut Mendicantes, Clerici, ac Canonici Regulares. Verum cum & Monachi & Religioſi vivant omnes ſub certa data regula, ab hac & Monachi, & Religioſi omnes indiſcriminatim Regulares appellantur.

Unde Monaſticam ac ſolitariam vitam, ſeu eam vivendi rationem, uti iam patet, non ob publicum Eccleſiæ bonum (ſalvo quod ſanctitas vitæ toti Eccleſiæ ſemper decus eſt ac iuvamen) ſed ob particulare ac privatum ſuum commodum & utilitatem, ſeu propriam eorum ſalutem ſecedentes e ſæculo primi Eccleſiæ Monachi ſuſcepere, ſicuti manifeſte colligitur ex iis, quæ paſſim de Monachis eorumque inſtituto a Patribus traduntur, præcipue a SS. Baſilio, & Hieronymo, quorum primus ita habet: *Monachorum vitæ ratio unum ſibi tantummodo propoſitum habet, animæ ſalutem, & quidquid prodeſſe ad eum finem poteſt*. S. vero Hieronymus de ſe & de Vincentio Monacho loquens idem repetit: *Ob id enim & ego Antiochiam, & ille Conſtantinopolim urbes celeberrimas reliquimus ... ut in agris & ſolitudinibus adoleſcentiæ peccata deflentes, Chriſti in nos miſericordiam deflecteremus*. Et rurſus in lib. adverſus Vigilantium ita de Monachis ait: *Monachus non Doctoris, ſed plangentis habet officium, qui vel ſe, vel mundum lugeat,*

Digitized by Google

*geat, & Domini pavidus præſtoletur adventum.*

§. I.

*De initio vitæ Monaſticæ.*

Monachalis ac Regularis vitæ Inſtitutum adumbratum, figuratumque fuit in veteri Teſtamento in multis, qui perfectionis ſtudio in deſertis ſolitariam vitam in oratione, pœnitentia, aliarumque virtutum exercitio ducebant; ut habetur de Elia, Eliſeo, eorumque diſcipulis, qui dicuntur filii Prophetarum, ut 4. Regum cap. 2. De Rechabitis, de quibus fit mentio 1. Paralipom. de Heſſenis, quorum vita extollitur a Philone *de vita contemplat.* & a Ioſepho lib. 18. *Antiquit.* & lib. 2. *de Bello* cap. 2. Sed præcipuum huiuſce Inſtituti exemplar agnoſcit D. Hieronymus in S. Ioanne Baptiſta, quem principem vocat & magiſtrum vitæ Monachalis ſeu Anachoriticæ, dum hic ſub teneris annis antra deſerti petiit, & fragranti ac ſuaviſſimo odore ſuæ virtutis multos diſcipulos ſeu aſſeclas accerſivit. Sic enim de vita Anachoritarum agens S. Pater in ep. 22. ad Euſtochium, ait: *Huius vitæ Auctor Paulus, Illuſtrator Antonius, & ut ad ſuperiora conſcendam, princeps Ioannes Baptiſta.*

Verum quidquid ſit de figura & exemplo vitæ Monaſticæ ſeu Regularis expreſſo ac propoſito a multis Religioſis viris veteris Teſtamenti, certum tamen eſt, vitam Monaſticam, ſeu Regularem, & præcipue Cœnobitarum, ſive in communi viventium, exordium ſeu potius normam ſumpſiſſe ex vivendi inſtituto Apoſtolorum & primorum fidelium, præcipue Eccleſiæ Ieroſolymitanæ, de quibus habetur in Actibus Apoſtolorum: *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Hoc habetur etiam ex Caſſiano, qui poſtquam tria Monachorum genera notavit & expreſſit Collat. 18. cap. 4. deinde cap. 5. Cœnobitarum originem ita deſcribit: *Cœnobitarum itaque diſciplina a tempore prædicationis Apoſtolicæ ſumpſit exordium: nam talis extitit in Ieroſolymis omnis illa credentium multitudo.... quæ in Actibus Apoſtolorum deſcribitur: Multitudinis credentium erat cor unum ... erant illis omnia communia ... Dividebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat. Verum quia multi etiam ex Gentilibus ad Fidem confluebant, cum eorum infirmitati opus eſſet indulgere, & primæ Fidei refrigeſceret fervor, non ſolum qui recenter ad Fidem confluxerant, verum etiam qui erant Eccleſiæ principes, ab illa diſtrictione laxati ſunt. Ii autem, quibus adhuc Apoſtolicus inerat fervor, memores illius priſtinæ perfectionis, diſcedentes a Civitatibus ſuis, illorumque conſortio, qui ſibi vel Eccleſiæ Dei remiſſioris vitæ negligentiam licitam eſſe credebant, in locis ſuburbanis ac ſecretis commanere, & ea quæ ab Apoſtolis per univerſum corpus Eccleſiæ generaliter meminerunt inſtituta privatim ac peculiariter exercere cœperunt. Et ii ſunt, qui paulatim ſegregati ſunt a credentium turbis; ab eo quod a coniugiis abſtinerent, ac parentum ſe conſortio, mundique iſtius converſatione ſecernerent, Monachi ſeu monazontes ſingularis ac ſolitariæ vitæ diſtrictione nominati ſunt. Unde conſequens fuit, ut ex communione conſortii Cænobitæ, cellæque, ac diverſoria eorum, cænobia vocarentur.* Hæc ex Van-Eſpen.

Ex Caſſiano clare colligitur, quod nonnulli ſalutis ſuæ ſecurius faciliuſque agendæ deſiderio ſuccenſi, privata ac propria electione & inſtinctu ſeceſſerint, & quod hodie Monachale vocatur Inſtitutum aſſumpſerint, eique originem dederint. Huiuſce generis homines principio ſtatim præcipue prope Alexandriam in Ægypto vivere cœperunt inter privatos parietes occluſi; meditantes Scripturam, & victum manuum labore quærentes. Alii vero præruptos montes & loca ab hominum veſtigiis deſerta petiere, præſertim quando perſecutionum æſtus Eccleſiam crudeliter vexabat. Sic Paulus Decii perſecutionem fugiens, adoleſcens in Thebaidæ deſertum confugit, ibique moratus eſt ad annum ætatis ſuæ 113. quo e vivis deceſſit.

Antonius item Ægyptius primus ingentem numerum Solitariorum in deſerto collegit, eoſque in communi vivere iuſſit, unde Cœnobitarum ſeu Monachorum nomen. Antonio ſine dubio natales huius vitæ ſolitariæ debentur, quippe qui primus fuit qui diſcipulos adſciſceret, & morem vivendi in deſertis inculcaret, traderet, atque ad Æſſeorum ſive Heſſenorum Inſtituta quodammodo componeret. Paulus Thebæus diſcipulos nullos habuit, & ſoli fere Antonio innotuit. Cænobitarum origo debetur pariter Pachomio, qui diſcipulos ſuos a vita ſolitaria ad communem traduxit, ut in una domo, in deſertis tamen, vitam agerent, uniuſque imperio parerent. Pachomius enim paulo poſt Antonium in eadem Provincia Ægypti celebria Monaſteria Tabenienſia condidit, rexitque ſecundum regulam ab Ange-

lo

Digitized by Google

lo quopiam dictatam. Huius diſcipuli triceni vel quadrageni ſingulis domibus includebantur, quatum triginta vel quadraginta conſtituerunt Monaſterium: quorum unumquodque mille ducentos vel ſexcentos habuit Monachos, qui ſingulis diebus dominicis in communi oratorio convenerunt. Singula Monaſteria Abbatem, ſingulæ domus Superiorem vel Præpoſitum, ſingulæ decennæ Decanum habuere. Omnia Monaſteria unum eumdemque agnovere Superiorem ſeu Præſidem, in cuius regione Paſcha celebraturi, confluxere nonnunquam Monachorum capita quinquaginta mille; idque ex ſolis Monaſteriis Tabenienſibus. Præter quæ in cæteris Ægypti partibus alia ſuere, veluti Scetenſia, Oxyriagica, Nitroſienſia, Mareotenſia. Atque hi Monachi Ægypti habebantur omnium perfectiſſimi, & veluti exempla cæterorum omnium.

Antonii diſcipulus Hilarion per Palæſtinam ad exemplum Ægyptiorum plura conſtruxit Monaſteria, quod Inſtitutum per Syriam quoque receptum eſt. Baſilius in Ægypto inſtitutus fundavit in Ponto & Cappadocia nonnulla Monaſteria, quibus regulam præſcripſit compoſitam melioribus Chriſtianæ Philoſophiæ principiis. Ex eo tempore vita Monaſtica propagata eſt per omnem Orientem, per Æthiopiam, Perſiam, ad Indos uſque. Nec Occidens in imitando hoc Inſtituto ſegnior fuit, tametſi huiuſcemodi vivendi ratio in Occidente non levia incurrerit obſtacula, utpote quæ non magis approbata quam reprobata, ut conſtat ex D. Hieronymo ep. 24. ad Paulum; auctoritate tamen Hieronymi & Athanaſii valde fuit accepta. Celebrabatur in Lerina Provinciæ inſula magnum Monaſterium; cæteræque ad oram Dalmatiæ, & Littoris italici Inſulæ Monachis ſcatere cœperunt, quamvis hi Orientalium diſciplina neglecta, laborem fugerent, & in ieiuniis eſſent remiſſiores.

Fuerunt pariter Eremitæ ſeu Anachoretæ, qui Cœnobitas præceſſerunt, in mo ipſorum Seminarium fuerunt, unde Cœnobitarum conſortia ſunt enata. Hi ſoli in ſylvis & antris vivebant, perfectioremque quam Monachi, vitam ducebant. Unde factum fuit, quod non pauci ex Monachis ipſis perfectioribus, cum diu vixiſſent inter cæteros, ſtudio domandi affectus, & omnis generis virtutes exercendi, ab omni prorſus hominum conſortio fugientes remotiora deſerta petierint, ut Deo propiores fierent: hi in cellulis ſeparatis habitabant. Atque hoc pacto ſanctiſſimus quiſque ad perfectionem enitebatur. Caſſian. *Inſtit.* lib. 5. cap. 36. *Collat.* 18. cap. 6.

Utrumque vitæ genus fœminæ quoque ſectatæ ſunt, quarum multæ principio in communione, vel in deſerto vixere, gubernatæ ab Epiſcopis & Monachis. Cum vero Virginibus non æque conveniens eſſet vita ſolitaria in deſertis; inde factum eſt, ut Cœnobia in earum uſum in Civitatibus conſtruerentur. Cæterum virgines & viduæ Deo conſecratæ ſemper fuerunt in Eccleſia, vixeruntque in ſeparatis domibus, & poſtea in communione; ſic tamen, ut neque civitates, neque hominum fugerent conſortium.

Monachi fere omnes fuere Laici. Hinc offerebant in Eccleſiis more cæterorum laicorum. Diſtinguebantur tamen a Clericis tempore Iuſtiniani Leg. 52. cap. *de Epiſ. & Cleric.* 3. Pœnitentiæ publicæ, æque ac cæteri Laici ſubiiciebantur, a qua immunes erant Clerici, ut ex Morino *de adminiſt. Pœnit.* lib. 6. cap. 13. n. 14. Nihil enim in his requirebatur quam ſincerum propoſitum agendi pœnitentiam & proficiendi perfectione Chriſtiana. Hinc admiſſi ſunt omnis generis, omniſque ætatis homines, ne infantibus quidem exceptis, quos parentes offerebant ad pietatem erudiendos. Admiſſi ſunt, volentibus dominis, ſervi, illiterati æque ac docti; nam multi eorum nec legere quidem poterant. Nec vires ingenii, nec corporis qualitates ſpectabantur, cum pro ſuarum quilibet virium modulo pœnitentiam in ſe ſuſciperet. Ita in Regula Fructuoſi Braccarenſis.

Primis temporibus uſque ad S. Benedictum, ideſt ſexto ineunte ſæculo, nullam Monachi expoſitam habebant regulam, niſi id, quod pro temporum, locorum, & perſonarum circumſtantiis, tamquam utilius & opportunius in eum finem ab eorum Præpoſitis & Superioribus ſtatuebatur, ita ut voluntas Superiorum eis erat pro regula, atque Superioribus obedire prima Monachorum virtus & Monaſticæ diſciplinæ fundamentum. Unde Monachi prioribus ſæculis nullam certamque regulam profitebantur, aut promittebant, ſed quidquid ad Monachorum profectum hic & nunc videbatur conveniens, a Superioribus ordinabatur, ac proinde Monachis id erat pro regula. Van-Eſpen tit. 23. cap. 1. De Patribus enim Cœnobitarum ſeu Monachorum in communi viventium ſcribens D. Aug. lib. 1. *de Moribus Eccleſiæ* ait: *Nulla ſuperbia conſu-*

*ſulunt iis, quos filios vocant magna ſua in iubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate.*

Si quis autem, notat hic Van-Eſpen, Orientalium ſeu Occidentalium antiquas Monachorum regulas, quas Lucas Holſtenius ſub titulo *Codicis Regularum* evulgavit, attentius expenderit, facillime deprehendet, pleraſque earum non eſſe niſi particulares aliquibus Monachis ex tempore, aut data occaſione datas vivendi formulas, ſive privatas inſtructiones ſucceſſu temporis aliis communicatas, & a pluribus tamquam diſciplinæ Monaſticæ utiles ac convenientes regulas receptas. Immo & ipſe Holſtenius loquens de antiquis regulis in ſuo Codice contentis ita ſentit, & ait: *Primaria ſane & quaſi fundamentalis Monachorum Regula Evangelium erat, illa inquam Chriſti conſilia, nempe ſe ipſum caſtrare propter regnum cœlorum, abnegare ſe, & crucem tollere, patrem, matrem, uxorem, agros propter Chriſtum relinquere, vendere patrimonia, & dare pauperibus, ſicque nudos ſequi Chriſtum.* Regulæ particulares nil aliud, niſi eius primæ ac univerſalis Regulæ applicationes & declarationes locis & perſonis plerumque aptatæ habebantur, quin & Regula ipſa S. Auguſtini, de qua ſuo loco dicemus, nunc tam diffuſa per Religioſos utriuſque ſexus Ordinis, habetur ab eruditioribus Criticis nonniſi plane extemporanea. Hinc antiquitus mutatæ paſſim Regulæ, & plures etiam in eodem Monaſterio non raro obſervatæ, uti de Athanenſi teſtatur Gregorius Turonenſis lib. 10. *Hiſtoriæ* cap. 29. in quo ait, ſervatas fuiſſe Regulas S. Baſilii, Caſſiani, & reliquorum Abbatum, detractis ſcilicet & uſurpatis iis, quæ pro locorum, ac temporum conditione, tempeſtiva aut opportuna videbantur. Van-Eſpen tit. cit.

Poſt ducentos circiter annos, quibus vita Monaſtica floruerat, S. Benedictus, qui diu in ſolitudine vixerat, ac diu Monachos rexerat Monaſterio in Monte Caſſino, Romam inter & Neapolim poſito, quod ipſe fundaverat, Regulam præſcripſit, ac ſimul (ſi eruditiſſimo Mabillonio fidem habere velimus) primus vagam illam Regulas identidem mutandi licentiam coercuit aliquantulum, & caſtigavit, cuius diſcipulis ſuſceptam ſemel Regulam abdicare nunquam fas fuit. Et ita S. Benedictus, ſi non primus, ſaltem inter primos fuit, qui profeſſionis ſolemnis ritum præſcripſerit. *Id vero* (ait P. Mabillonius in præfat. ad 2. part. ſæculi quarti Benedict. n. 93) *inde proceſſit, quod cum SS. Legiſlator primus, aut certe inter primos ſolemnis profeſſionis formam, modumque præſcripſit, intra profeſſionis terminos includerit Regulæ ſuæ obſervationem, a qua deinceps recedere non liceat.* Hinc ſuam Regulam efformavit S. Benedictus Orientalium Inſtitutis mitiorem, dum in hac uſus modici vini permittitur, ac duorum ferculorum præter panem, ac remiſſo quotidiano ieiunio, ſervatis exacto ſilentio & ſolitudine. Tam ſapienter hæc Regula concepta videbatur, ut quamplurimi Monachi Occidentales hanc amplexi ſint. Verum obſervat Holſtenius citatus a Van-Eſpen, nec ipſum S. Benedictum Regulam hanc univerſaliter pro ſuis ubique omnibus promulgaſſe, ſed peculiarem dumtaxat Caſſino Monaſterio, cui præerat, licet inde privata diligentia deſcripta & imitandi ſtudio ſit publicata. Et equidem cum varius ſit hominum genius (conſiderat hic citatus Doctor) pro varietate locorum ac temporum plurima uni populo conveniunt, quæ non alteri pro morum & climatis diverſitate: convenientior videtur fuiſſe diſciplina quæ viguit inter Monachos, videlicet, Regulam, normamque vivendi pro cuiuſque Monaſterii temporum ac locorum diverſitate moderandi ac præſcribendi, quam hodierna, quæ ſub una generali Regula univerſum Ordinem per diverſas Provincias inter ſe diſſitas diffuſum immutabiliter vigore eiuſdem Profeſſionis obſtringit, ſignanter quoad ea quæ trium votorum ſolemnium, vitæque Monaſticæ ſubſtantiam non attingunt.

Cum autem a Longobardis per Italiam, Saracenis per Hiſpaniam everſa fuiſſent Monaſteria, & in Gallia ob frequentia bella ſub Merovingico regimine acta everſi fuiſſent mores, Monaſteria bonis, quæ vel ex largitione fidelium, vel ex Monachorum induſtria ad eadem Monaſteria obvenerant, expoliata, diſciplina quoque Monaſtica fere penitus everſa eſt. Carolus Magnus religioſiſſimus Princeps, Eccleſiaſtici decoris, & ſacrarum Literarum vigilantiſſimus zelator ac promotor, ſicuti teſtantur eius Capitulares, & tot Litterarum Academiæ florentes in Gallia, quæ ſunt veſtigia & veluti partus eiuſdem ſolicitudinis pro ſcientiarum ac præcipue ſacrarum ſtudiis, ſicuti elaboravit pro Eccleſiaſtica, ita & Monaſticam inſtaurare diſciplinam conatus eſt opera S. Benedicti Aniani, qui conſtitutus etiam a Ludovico Pio Monaſterio-

rum omnium Præſes, prima Reformationis Aquiſgranenſis elementa delineavit. Multum tamen veteris licentiæ ſuperfuit. Nam labor corporis, obtentu ſtudiorum & orationis, neglectus eſt. Abbates facti ſunt *domini ſæculares*, inſtructi vaſallis, & cum Epiſcopis ad Parlamenta admiſſi, cum quibus paria facere cœperunt. Bellis civilibus ut cæteri domini, immixti, armatis vaſallis & ſervis ante prima ſigna ibant, nec ſere alio modo deprædationes vitare poterant. Fuerunt etiam domini laici, qui obtentu protegendi Monaſteria, vel a Rege, vel a ſemetipſis impetrarunt Monaſteriorum poſſeſſiones, adſcito Abbatum titulo, Normanni Franciam percurrentes cuncta penitus peſſum dederunt. Monachi, quibus effugium patuit, depoſito habitu monachali, reverſi ad penates, vel arma ſumpſerunt, vel aliud vitæ genus ſecuti ſunt. Quæ ſuperfuere Monaſteria inſidebantur a Monachis tam rudibus, ut ne quidem Regulam legere poſſent, & ſuperiores habentibus vel peregrinos vel intruſos.

Prolapſam diſciplinam Monaſticam inſtauravit S. Odo in domo Cluniacenſi, quam Berno Abbas anno 910. fundaverat. Secutus Regulam Benedicti paullulum immutatam, *atrum* amictum prætulit. Monachos iugi orationi intentos eſſe voluit, qui pſalmodiis ſic diſtrahebantur, ut labori corporis parum temporis relinqueretur. Horum regula admodum adamata brevi tempore magnos progreſſus fecit. Non ſolum nova Monaſteria iis ædificata, ſed & vetera aſſignata ſunt, quæ reformarunt, atque Abbati Cluniacenſi ſubiecerunt. Fuere & Monaſteria huius Ordinis aggregata, quæ Cluniacenſem Abbatem Superiorem non agnoverunt. Sæculo decimo & undecimo nihil in Eccleſia fuit hoc Ordine illuſtrius. Domus Cluniacenſis primis fundationis litteris peculiari S. Petri & Papæ tutelæ commendata eſt, admonitis cunctis ſæcularibus & eccleſiaſticis Poteſtatibus, ne quid committerent, quo minus Monachi bonis ſuis, & libera Abbatem eligendi facultate gauderent. Hoc titulo ab Epiſcopi iuriſdictione ſe exemptos putarunt, & ſimilem exemptionem ad omnia Monaſteria, a domo Cluniacenſi propagata, extenderunt. Hæc eſt prima plurium familiarum uni capiti parentium congregatio Pontifici ſoli ſubiecta, & unum corpus, ſeu, noſtro more loquendi, unum Ordinem Monaſticum conſtituens. Nam antea licet cuncti Monachi ſequerentur Regulam S. Benedicti, Monaſteria tamen nec omnia uni capiti ſubiecta erant, nec Epiſcopis obedientiam detrectabant. Sed & Ordo Cluniacenſis quo latius propagatus eſt, eo maius diſciplinæ detrimentum ſenſit, dimiſſis melioribus Monachis ad novas Sedes quærendas. Sic inter ducentos annos mira morum corruptione deformatus eſt.

Succeſſit anno 1098. novus vitæ Monaſticæ inſtaurator, Robertus, Molemienſis Abbas, fundata domo Ciſtercienſi. Ille ſecutus ad verbum ſine additamentis *Regulam Benedicti*, laborem corporis, exactum ſilentium, ſolitudinemque reduxit, renunciavitque omnis generis diſpenſationibus & privilegiis. Reſumpſit veſtem *candidam*. Unde Ciſtercienſes *candidi*, quemadmodum Cluniacenſes *atri* vocantur Monachi. Huius Ordinis Monaſteria anno 1119. peculiari pacto, quod *chartam charitatis vocant*, in unum corpus coierunt, ac veluti *Ariſtocratiam* quandam conſtituerunt, ut evitaret incommoda regiminis monarchici Cluniacenſis. Placuit enim, ut Abbates alter alterius viſitarent Monaſterium, haberetur que ſingulis annis conventus Abbatum, quorum placita totum Ordinem obligarent. Quod inſtitutum tam ſalutare viſum eſt, ut reliqui Ordines idem facerent, & exemplum Concilio Lateran. magno c 12. commendaretur. Admiratione virtutum, quibus Ciſtercienſes excellebant, ordo ille brevi tempore omnem Europam peragravit: Nam intra annos quinquaginta ſeptem iam quingenta Monaſteria numerabantur. Primæ Ciſterciæ filiæ fuerunt Monaſterium La-Fertœum, Pontinienſe, Claravallenſe, Morimontenſe, ſuis adhuc privilegiis clara. Claravallenſe conditum fuit anno 1115. a S. Bernardo, Ciſtercienſi Monacho. Sed huius viri ſanctitas tam illuſtris fuit, ut a plurimis ipſe habeatur totius Ordinis conditor, & Ciſtercienſes Monachi audiant Bernardini.

Quia, ut iam vidimus, Monachorum Regulæ a Præpoſitorum voluntate primitus generabantur, mirum non eſt ſi in antiquis Patrum Regulis, neque Epiſcoporum, neque Sedis Apoſtolicæ approbatio vel confirmatio appareat. Innocentius III. primus fuit, qui in Concilio Lateran. in cap. *Fin. §. de Religioſis domibus* decrevit, ut qui voluerit Religioſam domum de novo fundare, Regulam & inſtitutionem accipiat de approbatis. Ita decreto hoc vetitum creditur ſine auctoritate ſeu approbatione Sedis Apoſtolicæ novam Religionis Regulam condere,

re, & dicitur ipſe Innocentius III. B. Dominico Ordinis ſui confirmationem petenti reſpondiſſe, ut Regulam aliquam approbatam eligeret, & Regulam elegit S. Auguſtini, quæ tunc totius Eccleſiæ conſenſu accepta erat, & approbata. Quare, ut hic monet Cardinalis Bellarminus lib. 2. *de Monachis* cap. 4. quod ante Concilium Lateran. ſub Innocentio III. novi Ordinis ſeu Religionis Inſtitutio non indigebat approbatione ſeu confirmatione Sedis Apoſtolicæ, bene quidem poſtea, ſtante eiuſdem Concilii citato decreto. Primi, qui poſt eiuſdem Concilii decretum petierunt ſui Ordinis confirmationem, fuerunt SS. Dominicus & Franciſcus. Si Bellarmino credendum, Sedis Apoſtolicæ approbatio requiritur vice teſtimonii, quo conſtet, ex iudicio Sedis Apoſtolicæ novum hoc Inſtitutum nihil doctrinæ Evangelii aut Eccleſiæ diſſentaneum continere.

Quidquid tamen ſit, id certum eſt, nullam hodie Religionem de novo inſtitui, aut admitti poſſe ſine prævia Sedis Apoſtolicæ approbatione ſeu confirmatione, & admiſſio ac inſtitutio novæ Religionis numerari ſolet inter cauſſas Sedi Apoſtolicæ reſervatas. Inſuper declaravit Bonifacius VIII. in cap. unico *de voto* in 6. Votum Religionis demum eſſe ſolemne, atque ad dirimendum Matrimonium contractum efficax, per profeſſionem tacitam vel expreſſam factam alicui de Religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis. *Igitur*, ait Gloſſa, *ſi profitetur Religionem non approbatam*, *& contrahat*, *tenet Matrimonium*. *Quod verum puto*, (pergit Gloſſa,) *etiamſi quando profitebatur*, *credebat illam approbatam*. Neque iuxta præſentem diſciplinam Regulares ſive Religioſi dicuntur, tametſi in communi vivant, & tria vota emittant, ſi ea non emittant in Religione approbata. Hæc vero Pontificia, ſive Epiſcopalis approbatio Regulæ vel Inſtituti Monachalis, nihil Regulæ vel Inſtituto addit, cum ſolummodo tali remedio viſum ſit providere, ne ſub prætextu novæ Religionis improba conventicula in Eccleſiam irreperent. Nam hodierni Religioſi, licet profiteantur Regulam approbatam, & in Religione a S. Sede approbata, nihilo minus ac veteres Monachi in ordine laicorum remanent; unde non ſecus ac priſtini Monachi ratione profeſſionis in Religione approbata ad Ordinem Clericalem ac Hierarchicum minime pertinere noſcuntur, donec ab Epiſcopis per Ordinem Clericalem & Hierarchicum ordinati non ſint.

Quamdiu Monachis præcepta & ordinationes Superiorum pro regula fuerunt, quidquid pro bono diſciplinæ & vitæ Monaſticæ obſervantia a Præpoſitis ordinabatur, vice Regulæ erat; nota non erant diſcrimina inter Regulam Monaſticam & Conſtitutiones Ordinis, quæ poſtrema ætas invexit, quorum hæc præcipua a recentioribus allegantur. Primum deſumitur a diverſitate Auctorum: Regulæ enim dicuntur quæ a SS. Patribus Ordinum fundatoribus, aut ab aliquibus Epiſcopis iam pridem præſcriptæ ſunt, & ipſius profeſſionis formulæ ſolent ſub nomine Regulæ includi. Conſtitutiones vero dicuntur, quæ a Capitulis Generalibus aut Ordinum Congregationibus diverſis temporibus emanarunt.

Poſtquam receptum fuit, ideſt poſt Decretum Concilii Lateranenſis, Regulam debere eſſe a Sede apoſtolica approbatam, ut vera eſſet Religio, neque verum eſſe Monachum vel Religioſum, qui iuxta Regulam ſic approbatam profeſſionem non emiſit, clare conſequitur, neminem præter ſummum Pontificem in Regula ſic approbata poſſe diſpenſare. Unde hæc inter Regulam & Conſtitutiones Ordinis differentia intercedit, quod Regula approbata perpetua ſit, non vero Conſtitutiones Ordinis. Secundum diſcrimen deſumitur pariter a duratione, ex eo quod Regula vix, aut ne vix quidem mutari ſolet: Conſtitutiones vero pro temporum locorumque varietate non raro mutantur. Unde S. Antoninus part. 1. tit. 16. cap. 1. §. 4. ſcribit, quod Regulæ mutari non poſſunt niſi a Summo Pontifice; Conſtitutiones vero mutari poſſunt per Prælatos Religionum, qui tantæ ſunt auctoritatis, quantæ fuerunt qui illas inſtituere. Et hoc clare evincitur ex moderna Religioſorum praxi; nam paſſim Religioſi Ordines poteſtate mutandi ſuas Conſtitutiones ſive ſtatuta utuntur, minime vero Regulam. Tertium diſcrimen ſtatuunt nonnulli inter Regulam & Conſtitutiones, quod illa arctius & ſub graviori culpa obliget quam hæ: Regula enim, exceptis votis & Officio divino, ad minus in aliquibus Ordinibus obligat ad veniale: Conſtitutiones autem minime ad culpam, ſed ad pœnam impoſitam, vel a Superiore imponendam, niſi adſit contemptus, aut contrarium eius quod ſtatuitur, ex natura ſua, aut aliunde ſit mortale.

## §. II.

### *De diverſitate & multiplicitate Religioſorum Ordinum.*

Tametſi olim etiam inter Monachos pro temporum locorumque varietate varia eſſet aliquantulum exterior eorum diſciplina, quatenus hanc vel illam Monaſteriorum præpoſiti magis convenire cenſebant; hæc tamen varietas exterioris diſciplinæ non conſtituebat illam Ordinum diverſitatem, quæ poſtea ex variis Religionum fundationibus & Regularum inſtitutionibus orta eſt: *Una quippe erat antiquitus Monachorum ſocietas*, ( ait eruditiſſimus Mabillonius in præfat. ad 1. part. ſæculi quarti Benedictinorum n. 82. ) *facilis & promiſcuus in alia Monaſteria Monachorum invicem cum Præfectorum licentia commeatus; licet omnia ſeparata eſſent, una tamen charitatis lege confœderata.* Primaria vitæ Monaſticæ regula erat abdicatio rerum omnium, qualis in Evangelio præſcribitur. Ad hæc, ſeceſſio a ſæculi tumultu, Officia divina ſtatis horis, obedientia ſumma, iuge ſilentium, labor manualis, ciborum tenuitas & delectus, corporis caſtigatio, delictorum etiam levium pœnæ graves, propriæ ſalutis una fere & maxima cura, pro aliena continuæ ac ſolicitæ preces, pro Eccleſia etiam ſuſcepti labores, ubi poſtulabat charitas aut neceſſitas, & quod ad id magis ducere videbatur, ſuſcipiebantur Monachi cuiuſque Monaſterii pro Rectorum arbitrio & voluntate apud Occidentales ſeu Latinos. Hanc Monachorum uniformitatem perduraſſe uſque ad ſæculum undecimum obſervat eruditiſſimus Scriptor alias laudatus Lucas Holſtenius in præfat. ad *Codicem Regularum*, & aſſerit, diverſitatis Ordinum, qualis nunc cernitur, inter varios Ordines, præcipue Mendicantium, ne veſtigium quidem ante ſexcentos annos apparere. Et hoc teſtatur etiam Chriſtianus Lupus tom. 5. *Scholior.* ubi notat, tempore Gregorii VII. nempe ſub fine ſæculi undecimi, nullos fuiſſe diverſos Monachorum ſeu Religioſorum Ordines.

Sæculo undecimo & ſequenti apparere cœpit multiplicitas Ordinum Religioſorum & diverſitas, quam non ſolum Sectarii, non ſine impia quidem procacitate, damnant, quia in plurimis Religionibus plures etiam ſuorum errorum hoſtes ac ſtrenuos oppugnatores experiuntur, ſed quidam etiam non infimæ notæ ſapientes Catholici, qui Chriſtiana, nec alias mere humana prudentia, ut eos arguit Rotharius, ac ideo caſtigato & pio ſenſu, non multiplicitatem Religionum, quæ utilis Eccleſiæ plane fatenda eſt, ſed tantam multiplicitatem laudare ac approbare neſciunt, cum ex ipſa experientia manifeſtiſſime conſtet, in tanta Religionum multitudine geminari poſſe gemitus Ieremiæ: *Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam*, ita ut ſi numero pauciores eſſent Religioſi Ordines, melius forſan in Religioſa obſervantia retinerentur, ac eorum zelus in Chriſtianam rempublicam magis ferveſceret, ac proinde maior quoque profectus in fidelem populum redundaret. Et revera, cum ſæculis undecimo & duodecimo multiplicari, ac tot novæ continuo Religiones exurgere cœpiſſent, non levi timore affectam ſe ſenſit Eccleſia, ne ex earumdem multitudine ac diverſitate confuſio fieret, quin & ſubinde, ne ſub ſpecie virtutis ac Religionis ſuſcitaretur ſuperſtitio, immo impietas etiam & hæreſis nonnunquam intermiſceretur; ut contigit in iiſ, qui ſe *humiliatos & pauperes de Lugduno* vocabant. Ut hæc incommoda præveniret, iiſdemque conſuleret ſæculo tertiodecimo Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. ſtatuit, *ne nimia Religionum diverſitas gravem in Eccleſia confuſionem inducat .... ne quis de cætero novam Religionem inveniat, ſed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis aſſumat.* Van-Eſpen.

Cœperat ſæculo decimo aliqua diverſitas in Benedictino Ordine, occaſione reſtaurationis Monaſticæ diſciplinæ factæ a S. Oddone Abbate Cluniacenſi in Cluniacenſi Monaſterio; cum enim Congregatio Cluniacenſis propriis ritibus adſtricta eſſet Regulæ S. Benedicti, Monaſteria quæ antiquos ritus retinebant, alterius Ordinis dici cœperunt: ſed exigua erat hæc diverſitas, cum cæteroquin eiuſdem Regulæ unione hæc Monaſteria Cluniacenſi Congregationi eſſent confœderata. Verum ſæculo undecimo exortis Carthuſiana, Camaldulenſi, Wallumbroſa, Grandimontenſi, ac Ciſtercienſi familiis, in ipſo Monachatu facta eſt magna diverſitas ob varias veſtes aut Regulas, varioſque ritus, quibus ſinguli utebantur. Veteres enim Benedictinos *Nigros* appellabant, quia in Cluniacenſi reformatione aſſumptus fuit a S. Oddone color ater ſeu niger. Ciſtercienſes priorem ſeu album habuere, quo antea Benedictini utebantur. Multo tamen maior facta eſt Religionum multiplicitas &

diver-

Digitized by Google

diverſitas ſæculo undecimo & duodecimo, quando non ſolum multiplicati ſunt Monachorum Ordines paulo ante recenſiti, ſed & Canonicorum, quorum Ordo ſuſcitatus eſt eodem ſæculo undecimo, Hoſpitalariorum, Mendicantium, & ſæculo decimo ſexto Clericorum. Sæculo etenim undecimo ſuſcepit Eccleſia in Romano Concilio habito anno 1059. inſtaurare diſciplinam Cleri, qui in graviſſimas prolapſus erat corruptelas, non ſecus ac alias jam factum fuit, [illegible] tempore Crodogangii Metarum Epiſcopi octavo [illegible] conatus eſt, & alii ad ipſius exemplum, reducere ſuum Clerum ad veterem diſciplinam vitæ communis ſeu Monachalis, ita ut communi Dormitorio & Refectorio uterentur, & ea quæ ab Eccleſia recipiunt, in commune afferrent, vitamque agerent apoſtolicam, omni ſcilicet proprietate deſtitutam. Idem decretum innovatum fuit in alio Concilio ſub Alexandro II. anno 1063. Qui igitur Clerici proprietate abdicata per paupertatis votum ad nutum horum Decretorum vivere ſtatuerunt, ii Canonici Regulares; qui vero laxiorem diſciplinam mordicus tenuere, Canonici ſæculares fuere appellati. Et quia talis nova Cleri reformatio accepta fuit ab iis, qui ſanctitatem, & perfectionem apoſtolicam quærebant in vita communi; hinc, ut hæc diſciplina ſtabilius in ipſis firmaretur, Regulam S. Auguſtini, ſeu quæ S. Auguſtino tribuitur, ſequi ſtatuerunt. Claudius Fleury.

Canonicorum Regularium ſæculo undecimo & duodecimo magna fuit auctoritas, cum in pleraſque Eccleſias Cathedrales reciperentur. Ipſe Alexander II. eos recepit in Eccleſiam ſuam Parochialem S. Ioannis in Laterano, quæ Congregationis cujuſdam caput fuit. In Francia idem contigit, teſte Eccleſia S. Rufi prope Valentiam ad Rhodanum, & S. Victoris apud Pariſios anno 1110. Sic ad exemplum novorum Ordinum Monaſticorum *Canonici* ſeparata corpora conſtituere cœperunt, in quibus Ordo Præmonſtratenſium, a S. Norberto anno 1120. fundatus, omnium eſt illuſtriſſimus.

Expeditiones Cruciatæ novum, atque hactenus inauditum genus Religioſorum pepererunt, Equeſtres ſcilicet Ordines, quorum celeberrimus eſt Ordo S. Ioannis Hieroſolymitani, qui originem ſuam debet Xenodochio. Inde a temporibus Raymundi de Puteo, qui tertius fuit Xendochii illius Rector, tria hominum genera, videlicet *Equites, Fratres ſervientes, & Clerici*, hunc Ordinem conſtituerunt, quod patet ex Bulla Anaſtaſii IV. anno 1154. Amiſſa Terra ſancta, Rhodum anno 1310., indeque anno 1530. Melitam Inſulam petierunt.

In Hiſpania, cum ea ex parte a Saracenis etiamnum premeretur, plures Ordines militares inſtituti fuerunt, quorum alii Auguſtini, alii Benedicti, alii Ciſtercienſium Regulam ſecuti ſunt. Intra ſolos Hiſpaniarum fines contenti, maxima pars in ſtatum ſæcularem, & Confraternitates Equitum abiit, & hi matrimonia contrahunt, [illegible] aliis Equitibus diſtinguuntur, niſi quod inſigne Ordinis ſuper amictu geſtant, & Commendis potiuntur. Cujus generis Confraternitates ſunt Ordines S. Michaelis, S. Spiritus, aurei velleris, periſcelidis, & ſi qui alii Principum privata devotione inſtituti.

Sunt etiam plures Ordines *Hoſpitalaliorum*, qui vel ægrotantium, vel viatorum, religionis cauſſa, curam habent. Hi omnes ſequuntur Regulam Auguſtini, quippe a Clericis originem habent; nec Equites Ioannitici ob aliam cauſſam Auguſtini Regulam obſervant, quam quod ſunt *Hoſpitalarii*. Alii *redemptioni captivorum* ſpeciatim ſemet addixerunt.

Sed omnium Religioſorum celeberrimus eſt Ordo *Mendicantium*. S.Dominicus Oximenſis in Provincia Caſtellana Canonicus, Epiſcopi ſui in itinere comes, anno 1206. in Septimania ſubſtitit, ad converſionemque Albigenſium animum adjecit, una cum aliis nonnullis Presbyteris. Cum rem bene gereret, Honorius III. anno 1216. Clericis, in Prioratu S. Romani Toloſani ad Regulam S. Auguſtini viventibus, ad quam Dominicus, veluti Canonicus jam obſtrictus erat, qui Clericos illos regebat, peculiare privilegium impertivit, & vocati ſunt *Fratres Prædicatores*.

Iiſdem temporibus Franciſcus mercatoris Aſſiſienſis filius, qui extremam paupertatem profeſſus voce & exemplo omnes ad pœnitentiam excitabat, nonnullos ſocios, partim Clericos, partim laicos, adſcivit, ipſe literarum pœne rudis, &, ſpreto Presbyteri gradu, Diaconi Ordine contentus. Ille laborem corporis exercuit, ſuiſque commendavit, ſic tamen, ut ſi opus eſſet, panem emendicare non erubeſcerent. *Eos Fratres minores*, quaſi cæteris inferiores, appellavit, formavitque ad certam regulam, ab Honorio III.an.1223. confirmatam, quam eodem tempore civis ejus, S. Clara, cum Virginibus ſuis amplexa eſt, quarum Ordo vocatur



Digitized by Google

catur ſecundus S. Franciſci Ordo, quemadmodum tertius conſiſtebat ex viris & fœminis, in hominum cœtu, immo etiam in matrimonio viventibus, ſed tamen peculiari voto ad pietatem & ad regulam Franciſcanam, quoad fieri poterat, obſtrictis.

Eodem ſæculo ineunte Albertus, Patriarcha Hieroſolymitanus, Eremitis in Monte Carmelo auſteram vitam viventibus, regulam præſcripſerat: quorum nonnulli in Europam profecti confirmationem regulæ impetrarunt anno 1226. Ludovicus IX. Pariſios eos traduxit anno 1254. quos *Carmelitas* appellamus.

Iiſdem temporibus Alexander IV. plures Eremitarum, cum nomine, tum inſtitutis differentes, Congregationes coniunxit ſub appellatione *Eremitarum S. Auguſtini*. Atque hæ ſunt quatuor potiorum *Ordinum Mendicantium* origines. Nam hi omnes præ ſe tulerunt abdicationem plenam omnis proprietatis, ut ne quidem in commune quid proprii poſſiderent, ſed diurna fidelium ſtipe viverent. Plerique eorum Clerici fuere, litteris, prædicationi, adminiſtrationi Sacramentorum, converſioni hæreticorum & peccatorum inſudantes. His officiis Dominicani præcipue vacabant, quemadmodum extremum paupertatis ſtudium Franciſcanos potiſſimos auctores habet. Sed paulo poſt eadem prorſus horum Ordinum, qui ſubito in immenſum excrevere, facies emerſit. Propoſitum iis fuit, coniungere perfectiones vitæ Monaſticæ & vitæ Clericalis; auſteritatem vitæ & veſtitus, Orationem, litteras, & aliorum hominum emolumentum. Sed functiones Clericales obfuerunt labori corporis, ſolitudini & ſilentio veterum Monachorum; quemadmodum obedientia Superioribus præſtanda; qui eos ſæpe ex domo in domum, ex Provincia in Provinciam tranſtulerunt, impedivit ſtabilitatem veterum Clericorum, qui Eccleſiis ſuis unice affixi, Epiſcopis pleniſſime paruerunt.

Inde ſæculo decimo ſexto plures novæ Clericorum Congregationes emerſerunt, quibus emendatio morum & diſciplinæ eccleſiaſticæ, necnon novarum hæreſum impugnatio fuit propoſita.

Quidquid tamen ſit de huiuſmodi Religioſorum Ordinum Clauſtralium diverſitate, cum omnes conveniant in profeſſione trium Votorum ſubſtantialium, & in fine principali tendendi mediis ipſis Votis ad perfectionem, idcirco non differunt niſi in accidentalibus, & præcipue in duobus, nempe 1. in fine cuiuſque Religionis proprio ac particulari, ad quem quævis Religio inſtituta eſt; & 2. in diverſis mediis & ſpiritualibus exercitiis, quibus quælibet utitur, tum ad tria dicta Vota ſubſtantialia exacte obſervanda, tum ad ſuum proprium & particularem finem melius obtinendum. S. Th. 2. 2. q. 188. art. 1.

Hinc Religio alia eſt *contemplativa*, alia *activa*, & alia *mixta*. *Contemplativa* ea eſt, quæ præter obſervantiam trium Votorum ſubſtantialium, ex primæva [illegible] contemplatione rerum cœleſtium & divinarum ſe exercet, ſicque ad vitam contemplativam potiſſimum ordinatur. *Activa* eſt, quæ principaliter & ex primæva ſua inſtitutione ordinatur ad vitam activam, & opera miſericordiæ & charitatis erga proximum ſive ſpiritualia ſive corporalia exercenda. *Mixta* eſt, quæ utramque includit, ſcilicet contemplativam & activam, eo quod ex primæva ſua inſtitutione ordinata ſit tam ad contemplationem rerum cœleſtium & divinarum, quam ad actionem operum miſericordiæ & charitatis erga proximum. Ita Suarez tom. 4. *de Relig.* tract. 9. lib. 1. cap. 5. n. 7.

Inſuper Religiones aliæ ſunt *Clericales*, aliæ *Monachales*, aliæ *Medicantes*, & aliæ *Militares*, ut iam antea notavimus. Religiones *Clericales* ſunt illæ, quæ ex primæva ſua inſtitutione principaliter ordinantur ad miniſteria Clericorum in divino cultu promovendo, & ſalute animarum procuranda, ac proinde ex ſua inſtitutione exigunt promotionem ad ſacrum Sacerdotalem Ordinem. Et hæc Religio diſtinguitur in duas claſſes, altera eſt *Canonicorum*, & altera *ſimplicium Clericorum*. Quia tamen utriuſque finis eſt idem, differentia inter has duas claſſes non alia eſt, niſi quod nomen Canonici eſt nomen dignitatis in Clero, & excellentiæ, cum nomen Canonici deſumatur a canonica, per quam habetur ius aliquod ad ſtandum in Choro Eccleſiæ Cathedralis vel Collegialis, ac proinde Eccleſiæ Canonicorum Regularium recenſentur inter Eccleſias Collegiales ſeu Maiores: & ideo iuxta ritum Eccleſiarum Collegialium & Maiorum divina celebrant Officia; & Canonici locum habent cum ſuffragio in Capitulo: Nomen vero Clerici eſt nomen ſimplicem aggregationem & comprehenſionem in Clero importans. Et licet Clerici Eccleſiaſtica Miniſteria exerceant in eorum Eccleſiis, iſtæ tamen nec Cathedrales ſunt nec Collegiatæ, quibus præſideant cum titulo di-

dignitatis Eccleſiaſticæ, ſed ſunt ſimplices Eccleſiæ Regularium cum titulo Regularis Prælaturæ iuxta eorum conſtitutionem & morem, ac proinde, non ſecus ac aliæ Regularium Eccleſiæ, inter minores Eccleſias recenſentur. Unde clarum eſt, Clericos Regulares medios eſſe inter Clerum ſæcularem & Regularem, & habere cum Clericis ſæcularibus communem habitum, modeſtum tamen & magis pauperem, miniſteria eccleſiaſtica, immo ritus etiam cæremoniales & accidentales in pſallendi modo & ordine, & differunt ab ipſis per vota ſolemnia & profeſſionem, & reliqua, quæ ad eamdem conſequuntur. E contra conveniunt cum cæteris Regularibus in habitu, miniſteriis, quibus ex inſtitutione incumbunt, & in pluribus ritibus & cæremoniis. Uterque vero Clerus Regularis, Canonici nempe & ſimplices Clerici Regulares, differunt ab aliis Ordinibus Regularium, nempe a Monachis & Mendicantibus, per hoc, quod Clericorum Religio eſſentialiter conſtituitur, ut tendat quidem ad perfectionem acquirendam per tria vota ſubſtantialia Religionis, ſicuti Monachi & Mendicantes, & hoc eſt veluti illorum genericum prædicatum, & præterea per hoc quod aſſumat exercenda erga Deum & proximum opera propria Clericalis Hierarchiæ, quæ nimirum ſunt divina Miniſteria peragere, & proximorum ſaluti invigilare docendo, concionando, Sacramenta miniſtrando, infirmis aſſiſtendo, & ea demum omnia exercendo, quæ Epiſcopi ex Paſtorali zelo converſionis animarum eis ſolent tamquam eorum adiutoribus committere. Differunt vero a Monachis, quia Monachiſmus propriæ quieti & ſilentio vacat, & a mendicantibus, quia iſti arctiorem paupertatis perfectionem ſequentes ab inſtitutione de mendicantis vivunt. Ita S. Th. 2. 2. q. 189. art. 8. ad 2. Suarez, Rotharius, & alii paſſim.

Religiones Monachales ſunt quæ ex primæva ſua Inſtitutione principaliter ordinantur ad vitam contemplativam & ſolitariam. S. Th. 2. 2. q. 189. art. 8. ad 2. Suarez loco cit. Barboſa, & alii communiter ex cap. *Placuit* 1. cauſ. 16. q. 1. ubi Monachus idem ſignificare dicitur quod *ſingularis* cap. *ſi cupis* 5. ead. cauſ. & quæſt. ubi ſic: *Si cupis eſſe, quod diceris, Monachus, ideſt ſolus, quid facis in urbibus? quæ utique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum*, cap. *Placuit* 8. ead. cauſ. & quæſt. ubi ſic: *Sedeat itaque ſolitarius & taceat, quia mundo mortuus eſt, Deo autem vivit, Agnoſcat nomen ſuum: Monos enim græce, latine eſt unus: achos græce latine eſt triſtis, unde dicitur Monachus, ideſt unus triſtis. Officium enim Monachi eſt plangere* cap. *Monachus* 4. ead. cauſ. & quæſt. ubi ſic: *Monachus non docentis, ſed plangentis habet officium*. Tales Monachi vi primævæ ſuæ inſtitutionis ſunt Benedictini, Ciſtercienſes, Carthuſiani, Camaldulenſes, & huiuſmodi.

Religiones mendicantes ſunt eæ, quæ ex primæva ſua inſtitutione paupertatem non tantum in particulari, ſed etiam in communi obſervant, nulla penitus bona immobilia poſſidentes, contentæ iis ſolis, quæ vel mendicantur humiliter, vel donantur liberaliter, vel honeſto acquiruntur labore & induſtria ut ex cap. *Exiit* 3. *de verbor. ſignificat.* & hi ſunt qui ex regula poſſeſſiones habere nequeunt, cuiuſmodi ſunt qui Regulam obſervant ad verbum S. Franciſci, & ii qui gratias & privilegia Mendicantium participant, quibus ex Regula vetitum non eſt bona in communi poſſidere, cuiuſmodi ſunt alii Ordines Mendicantium, ut Dominicanorum, Carmelitarum, Auguſtinianorum &c. Quoad rigoroſam paupertatem ex primæva ſua inſtitutione tenentur etiam Patres Societatis Ieſu, quibus ex Regula vetitum eſt, quod eorum domus bona immobilia nequidem in communi poſſideat. Præcipuæ Religiones Mendicantes ſive ex Regula, ſive ex participatione privilegiorum de iure communi quatuor approbatæ ſunt, ſcilicet Religio Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum, ut in cap. *Religionum diverſitatem* unico *de Religioſis domibus* in 6. Huiuſcemodi enim Religiones, quæ etiam non ſunt exceptæ a propria Regula a poſſidendo bona immobilia, inter proventus quibus ſuſtentantur, habent etiam ex mendicitate quæſita, utpote quæ gaudeant ex iure communi gratias & privilegia Mendicantium.

Dicitur autem notanter *ex primæva ſua inſtitutione*, quia ex variis poſterioribus conceſſionibus & privilegiis Apoſtolicis, & ex ordinatione Concilii Trid. ſeſſ. 25. *de Regular.* cap. 3. conceſſum eſt omnibus Religionibus tam virorum quam mulierum, etiam olim vere ex Regula Mendicantibus, (ſola Religione S. Franciſci *Minorum de Obſervantia & Capuccinorum* excepta) bona immobilia, dominiumque habere in communi, ita ut ſoli dicti Minores de Obſervantia & Capuccini in propria acceptione iuris antiqui Mendicantes ſunt. Idem tamen nomen & ampliſſima Mendicantium privilegia adhuc

retinent, non obſtante poſſeſſione bonorum immobilium a iure ipſis conceſſa Religiones Prædicatorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitæ, quibus plures aliæ Religiones ex poſt a Sede Apoſtolica fuerunt annumeratæ.

Religiones Militares ſunt eæ, quæ in primario ſuæ inſtitutionis fine potiſſimum ordinantur ad militandum pro defenſione Religionis Chriſtianæ & Eccleſiæ, & tales ſunt Ordo Theutonicus & Melitenſis, & plures alii apud Barboſam: Sic Suarez, Reiffenſtuel, & alii communiter. Ordo tamen Melitenſis ab initio non Equeſtris, ſed mere Monaſticus fuit, pauperum, infirmorum, & maxime peregrinantium in uſum erectus. In equeſtrem transformatus eſt poſtquam anno 1118. Templarii coaluere, quibus Militia ſacra pro ſcopo fuit, quorum veſtigiis inhæſerunt, & per univerſam Europam immenſum bonorum cumulum acquiſierunt, & huic Ordini Principes, Magnates, Nobiles ſe adiunxerunt, & continue adiunguntur. Profeſſi in his Religionibus Miliraribus, in quibus præter votum paupertatis & obedientiæ, etiam emittitur perfectum & totale votum caſtitatis, qualis eſt Ordo militaris S. Ioannis Hieroſolymitani ſeu Equitum Melitenſium, ſunt veri ac proprie dicti Religioſi, cum habeant omnia requiſita ad eſſentiam veræ & propriæ Religionis, nempe tria vota ſubſtantialia, & Pontificis approbationem. Ira communiter Doctores. Profeſſi autem in iis Religionibus Militaribus, in quibus non emittuntur omnia tria dicta vora ſubſtantialia, ideſt perpetuæ caſtitatis, paupertatis & obedientiæ, num dici poſſint abſolute & ſimpliciter proprie & rigoroſe Religioſi, eo quia de eſſentia Religionis proprie dictæ ex iure divino ſunt tria dicta vota, controvertirur inter Doctores.

Religiones in ſpecie quamvis plures ſint, tamen fere omnes ſub quatuor principalioribus Regulis S. Baſilii nempe, S. Auguſtini, S. Benedicti, S. Franciſci militant, exceptis aliquibus infra ſignandis, quæ in pluribus quatuor præfatis Regulis ſe conformantes, propria ſtatuta & peculiares Conſtitutiones pro Regulis habent. Barb. lib. 1. *Iuris eccleſ. univerſ.* cap. 41. n. 20. Pithing, Reiffenſtuel, & alii communiter.

## §. III.

*De prima Regula, quæ eſt S. Baſilii.*

Prima igitur principalior Regula eſt S. Baſilii ab eodem Sancto inſtituta anno 369. Pontifice Felice II. Imperatore Iuliano apoſtata iuxta Barboſ. loco iam alias cit. num. 21. vel circa annum 350. plus minuſve, ut tradit Miranda in *Manuali Prælatorum* tomo 1. q. 4. art. 5. Sanctus hic Monachorum antiquorum Orientalis Eccleſiæ Patriarcha fuit primus, qui Monaſticum ſtatum reformavit, & ea omnia, quæ ab Antonio Magno, Hilarione, Pachomio, & utroque Macario pro inſtituendis illius temporis Monachis & Religioſis verbo tenus audierat, & ſibi tradita fuerant, litteris mandavit, atque quibuſdam demptis Regulam confecit, de qua mentio fit in Concilio generali ſeptimo, quod eſt ſecundum Nicænum.

Monachi S. Baſilii in Provincia Siciliæ, Calabriæ & Apuliæ fuerunt Reformati, & eorum Conſtitutiones fuerunt approbatæ, & forma regiminis circa Superiorum electiones cum reliquis fuit eis præſcripta ab Eugenio IV. Conſtitutione 26. quæ incipit *inter cunctas*.

Baſilianorum Religioni, ſeu Congregationi unitum fuit Eremitorium dictum *del Tordon*, & alia ſimilia, & forma gubernandi illa cum Religioſis in eis exiſtentibus fuit ſtatuta a Gregorio XIII. Conſtit. 58. quæ incipit *Cogitat*.

Monachi omnes S. Baſilii ad unam tantum Congregationem fuerunt redacti ſub uno Abbate Generali, & forma gubernii fuit ei præſcripta a Gregorio XIII. Conſtit. 59. quæ incipit *Benedictus*, & iterum a Clemenre VIII Conſtit. 14. quæ incipit *Quæ ad reſtituendos*.

Monachi Baſiliani obtinuerunt licentiam habendi in Hiſpania duo Monaſteria pro Reformatis, & recipiendi in eis Novitios, & propriæ Conſtitutiones pro his fuerunt ſtatutæ a Clemente VIII. Conſtit. 103. quæ incipit *Altiſſimi*.

Sub D. Baſilii Regula militant ferme omnes Monachi Græci & Orientalis Eccleſiæ, & eiuſdem Regulæ profeſſores fuerunt inter alios Sanctos, etiam S. Effrem, S. Ioannes Damaſcenus, Pachomius, Eiychius, Caſſianus, Eraclides, & alii quamplures, fuitque hæc Religio primis ſæculis celeberrima.

Sub hac Regula militavit aliquando Congregatio Armenorum, ſic appellata, eo quod ex Armenia in Italiam tranſlata ſit, ubi habitus S. Baſilii per aliquot annos portavit, eiuſque Regulam ſervavit utendo cæremoniis Græcis: at progreſſu temporis, eo quod videretur inſolitus apud Latino

eius

Digitized by Google

eius vivendi mos, Religioſi Regulam S. Auguſtini aſſumpſerunt cum habitu parum diſſimili ab habitu Religioſorum S. Dominici, & Monaſterium principale & caput huius Congregationis Genuæ ſitum eſt, & dicitur S. Bartholomæus, unde Armeni per Italiam dici ſolent Bartholomiſtæ. Sic Barboſa, Tambur. *de iure Abbatum* tom. 2. diſp. 24. q. 3. n. 4. & ſeqq. ubi etiam de Monialibus & Equitibus S. Baſilii.

## §. IV.

### *De ſecunda principaliori Regula dicta S. Auguſtini.*

Secunda ex principalioribus Regulis ea eſt, quæ fertur ſub nomine D. Auguſtini, & circa hanc Regulam non levis controverſia eſt inter Doctores, num revera ſit opus genuinum S. Auguſtini, nempe Regula ab ipſo tradita, quod eruditiores Critici negant. Obſervant enim, quod habetur quidem in Operibus huius S. Doctoris epiſtola 109. nunc 211. ſcripta pro Religioſis fœminis virginibus ad uſum unius ſolius Parthenopis, in quo ipſius S. Doctoris Soror præpoſita fuerat, ut notat R. P. Papebrochius ad vitam S. Alberti 8. Aprilis: dempto in dicta Epiſtola, quod ad Virgines tantummodo ſpectat, & mutato fœminino ſenſu in maſculinum, ut Religioſis viris aptaretur, nulla ipſius S. Auguſtini Regula ſcripta invenitur. *Etenim* (ait cit. Papebrochius) *neque Poſſidius, qui vitam Magiſtri ſui ſcripſit, neque ipſe S. Doctor, ex cuius ſcriptis plurima pars rerum ab eo geſtarum nobis innoteſcit, uſpiam mentionem fecerunt curæ impenſæ Sanctimonialibus per Regulæ ſcriptionem, & ipſa Regula nuſquam inter Auguſtini ſcripta numeratur, licet Poſſidius poſt vitam catalogum texuerit omnium, quorum potuit notitiam conſequi, etiam ſingularum epiſtolarum, adeo ut videatur plane extemporanea, quamvis in ſe digniſſima, fuiſſe ſcriptio, cuius tamquam alium deinceps uſum non habituræ, exemplar ſervare S. Doctor neglexerit; & tamen ex illis aliquando producta anguſtiis quantam approbationem non retulit!*

Notavimus ſupra, P. Danielem Papebrochium aſſerere, Regulam S. Auguſtini nonniſi plane extemporaneam fuiſſe ſcriptionem ad unius ſolius Parthenopis uſum, in quo S. Auguſtini Soror præpoſita fuerat. Verum P. Sebaſtianus a S. Paulo Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo *in exhibitione errorum*, quos in Actis SS. per Papebrochium evulgatis ſe reperiſſe contendit, inter alios exhibet & hunc art. 13. *Papebrochius cum Eraſmo Rotherodamenſi S. Auguſtini Regulam negat eſſe ſcriptam viris*. Huic errorum exhibitioni reſponſionem apologeticam reponens Papebrochius, oſtendit in reſponſo ad articulum 13. non ſolum Eraſmum Rotherodamenſem (uti prætendere videbatur P. Sebaſtianus) ſed & plures alios viros doctiſſimos ita aſſeruiſſe, quod pluribus ibidem relatis eorum textibus evincit.

Tantum abeſt quod nulla habeatur S. Auguſtini Regula nec pro viris nec pro fœminis ſcriptis tradita, excepta citata epiſtola 109. nunc 211. quod S. Benedictus Abbas Monaſterii Anianenſis, qui vivebat nono ſæculo, & compilavit ſeu collegit Regulas omnes Religioſorum, quas habere potuit, & Regulas ſeu Inſtructiones primitus ſolis fœminis datas viris adaptavit, nullam agnovit nec pro viris nec pro fœminis D. Auguſtini, ut ſub eius nomine eam evulgaret, ut obſervat P. Calmet in Præliminaribus ſuæ *Hiſtoriæ ſacro-prophanæ* tomi 8. Habentur etiam Sermones 66. ſub nomine S. Auguſtini cum titulo *Sermones ad Fratres in Eremo*, qui ſunt cuiuſdam Auctoris, qui vivebat poſt ſæculum decimum quartum; idcirco ſine ullo certo fundamento adſcribitur Regula, quæ circumfertur ſub nomine S. Auguſtini, ipſo S. Doctori, ut ipſius opera.

Quidquid tamen ſit, cum hæc Regula plena ſit ſapientia, hinc facile Eccleſia indulſit, ut ipſi S. Doctori adoptaretur, & a permultis Ordinibus accepta fuit, ut ſub ipſa militarent, ac ſub ipſa militant quamplurimæ Congregationes utriuſque ſexus, ut ex Bordono refert Reiffenſtuel, triginta ſeptem Congregationes, triginta quatuor Canonicorum Regularium, & Congregationes decem & octo Eremitarum, & inter omnes, comprehenſis etiam Ordinibus Militaribus, nonaginta ſeptem refert Tamburinus *de iure Abbatum* tom. 2. diſp. 24. q. 4. quas iuxta ipſius ordinem hic breviter referre cenſeo.

Canonicorum Lateranenſium Ordo, ut iam vidimus, initium habuit in reformatione Cleri ſtatuta in Concilio Romano an. 1059. ſub Nicolao II. & confirmata fuit ab Alexandro II. an. 1063. quibus Conciliis ordinata fuit Clericis abdicatio proprietatis, cui diſciplinæ adhærentes cœperunt conſtituere Ordinem Canonicorum Regularium, receptum a dicto Alexandro II. in ſuam Patriarchalem Eccleſiam S. Ioannis in Laterano, quæ Congregationis cuiuſdam caput

fuit,

Digitized by Google

fuit, & licet amplius non eſſent in Eccleſia & Monaſterio in Laterano, ſed redacti in unam Congregationem, ſtatuit tamen Sixtus IV. in ſua Conſtit. 10. quæ incipit *Cum ad univerſos*, in qua ipſis aliquas etiam Conſtitutiones præſcripſit, ut nomen retinerent Lateranenſium, & plurima privilegia eis conceſſit. Canonici Lateranenſes tenentur portare veſtem lineam ſuper habitum, ut ex Concilio Sennonenſi in Decreto *Morum* cap. 22. Dicti Canonici cum ſiunt Epiſcopi uti poſſunt eodem habitu, quo alii Epiſcopi qui ſæculares erant Presbyteri: Leo X. Conſtit. 34. quæ incipit *Dudum*. Canonici non ſunt cogendi intereſſe proceſſionibus publicis ultra ſolitum. S. Congregatio Rituum in cauſſa Canonicorum Regularium Lateranenſium 30. Iulii 1616. Præcedunt omnes Regulares, & vâdunt immediate poſt Clerum ſæcularem. S. Pius V. Conſtit. 116. quæ incipit *Ex Ordinum*. Hæc Congregatio Canonicorum Lateranenſium occaſionem dedit inſtitutioni aliarum Congregationum Canonicorum Regularium, nempe in Francia S. Rufi prope Valentiam ad Rhodanum, & S. Victoris apud Pariſios. Ordo Præmonſtratenſium, qui eſt illuſtriſſimus inter Canonicales Ordines, fundatus eſt a S. Norberto anno 1120. Sic ad exemplum novorum Ordinum Monaſticorum, ut antea diximus, Ordo Canonicorum quoque ſeparata corpora conſtituere cœpit. Ordo Præmonſtratenſium confirmatus fuit ab Honorio II. Conſtit. quæ incipit *Honorius Epiſcopus* ſub data Kalend. Martii 1126. quæ reperitur impreſſa in ſtatutis Ordinis renovatis anno 1628. & ſic habetur etiam in Barboſa verb. *Canonicor. Regular. Præmonſtrat.* Variæ poſtea ſubſecutæ ſunt inſtitutiones Canonicorum Regularium, ut Mortarienſis, Marbacenſis, S. Quintini, Belvacenſis, S. Laurentii de Plebe Martyrum, S. Victoris Pariſienſis, S. Mariæ ad Rhenum, S. Iacobi de Cella Wallona, S. Mariæ de Creſcenſiaco, Vallis Viridis, S. Antonii de Vienna tempore Bonifacii VIII. Cruciferorum, Muſſienſium in Diœceſi Colonienſi, S. Spiritus Venetiarum, ſic dicta a Monaſterio S. Spiritus, S. Salvatoris, ſic dicta a primo Monaſterio quod habuit in Sylva Lacus non longe a Senis, inſtituta a Venerabili P. Stephano Cioni Senenſi prius Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Coadiutore Iacobo Andrea Senenſi eiuſdem Inſtituti circa annum 1408. & iſti Canonici vulgo appellantur *Scopetini* a Monaſterio quod initio inſtitutionis habuerunt prope muros Florentiæ ſub titulo S. Donati Epiſcopi Feſulani. Sic Barboſ. verb. *Canonici Regul. S. Salvatoris*; S. Georgii *de Alga* ſic dicta ab Alga ſive Alega parva Inſula diſtante a Venetiis, ubi ſitum eſt primum huius Familiæ Monaſterium, & hæc Congregatio inſtituta eſt a Domino Antonio Corrario Epiſcopo Oſtienſi Cardinali Bononienſi, ut conſtat ex Inſcriptione inſculpta in eius ſepulchro in Eccleſia Maiori Alegæ; in qua Congregatione floruit inter alios S. Laurentius Iuſtinianus, qui fuit Venetiarum Epiſcopus & primus Patriarcha. Hanc Congregationem approbavit, ſtatuta, vivendique formam eis præſcripſit Gregorius XII. Conſtit. 1. quæ incipit *Illis* 5. Kalend. Iulii 1406. Ita Paulus Morigia *de Origine Religionum* lib. 1. cap. 44. De his omnibus Ordinibus, qui omnes ſequebantur Regulam S. Auguſtini, habet inter alios Tamburinus *de iure Abbatum* tom. 2. diſp. 24.

Eremitarum vero, qui militant ſub Regula S. Auguſtini, varii ſunt Ordines, & præcipuus, Ordo Eremitarum, qui dicitur Eremitarum S. Auguſtini. Quo tempore cœperit hic Ordo incertum eſt; variant enim Hiſtorici; nam alii dicunt cœpiſſe tempore D. Auguſtini, quos fuſe reiicit Pennottus in *Hiſtoria tripartita Canonicorum Regularium* lib. 1. Alii in D. Gullielmum Aquitaniæ Ducem & Pictavienſium Comitem originem referunt. Communior tamen eſt apud Auctores, quod cœperint a quodam Ioanne Bono, cuius circa ſæculum tertiumdecimum quidam videbantur diſcipuli in Italia, qui vocabantur Eremitæ S. Auguſtini, & vivebant ex eleemoſynis, accipientes pecuniam, & quid aliud ipſis dabatur, deferentes tunicas cinctas cingulo ex corio, & illorum veſtis erat cinericia, ſicuti deferebant Franciſcani, unde factum fuit, ut ſæpe pro Fratribus Minoribus acciperentur, & idcirco imminuebantur eleemoſynæ, quæ Minoribus fieri ſolebant. De hoc Fratres Minores conqueſti ſunt apud Legatos Gregorii IX. qui a ſuis Legatis de hoc inſtructus ſtatuit, ut ad diſtinguendos hoſce duos Ordines Religioſorum, Eremitæ Auguſtiniani deferrent in poſterum habitum nigrum vel album cum manicis latis & longis ad inſtar pallii, cum cingulo corii, & potius longo, ut facile videri poſſet; & tandem quod in exquirendis eleemoſynis dicerent cuius Ordinis eſſent: aliqui tamen non acquieverunt, qui erant de Marca Anconitana, & appellarunt ad Papam melius inſtructum, qui tandem eis conceſſit, ut

poſ-

Digitized by Google

poſſent deferre pallium ſine cingulo ; unde ſatis eſſent diſtincti a Minoribus, qui deferebant ſuper habitum cingulum ex chorda : & exinde orta eſt nova Congregatio quæ vocabatur Britiniana, a loco *Britini* ubi morabantur : Et qui acquieverunt primæ ordinationi Pontificis, vocabantur a ſuo Inſtitutore, nempe a Ioanne Bono, *Boniti*. Erant eo tempore variæ Eremitarum Congregationes, quarum aliæ ſequebantur quas omnes Alexander Papa IV. electus anno 1254. collegit in unum corpus Congregationis anno 1256. & ordinavit, quod in poſterum non conſtituerent niſi ſolum Ordinem, cuius primus Generalis fuit Lanfrancus Setola Mediolanenſis. Talis fuit origo Religioſorum Auguſtinianorum Mendicantium. Verum *Gullielmini*, qui erant huius Congregationis a dicto Alexandro IV. collectæ, non contenti de tali unione, curarunt apud dictum Pontificem, quod eis permitteret ut remanerent ſicuti antea ſub Generale ipſis particulari, ſicuti habetur ex dicti Pontificis Bulla data Anagni 1256. Hinc talis Congregatio communiter vocatur Gullielmitarum Ordinis S. Auguſtini. Sic Tamburinus loco cit. & P. Calmet in ſua *Hiſtoria ſacro-profana* tom. 10. lib. 122. Ordini Eremitarum S. Auguſtini ſubſecutæ ſunt aliæ novæ Congregationes, ut Carbonaria in Regno Neapolitano, nunc S. Ioannis de Neapoli, Peruſina, alias S. Mariæ de Populo in Provincia Umbriæ anno 1424. Lombardiæ quæ ortum habuit anno 1444. a Patre Ioanne Rocho Papienſi, S. Mariæ Montiſtortonæ quinto ab Urbe Patavii Milliario, quæ initium habuit a P. Simone de Camerino 1460. & aliæ, quæ brevitatis gratia ut non certi momenti omittuntur, & videri poſſunt apud Barboſ. Tamburin. loco cit. & apud P. Ferrari in ſua *Bibliotheca* verb. *Religiones Regulares* art. 3.

Exorta eſt pariter nova Congregatio Eremitarum S. Auguſtini Excalceatorum. Hæc admiſſa & inſtituta fuit in Urbe Roma circa annum Domini 1599. ut in Conſtit. 63. Clementis VIII. quæ incipit *Decet Romanum Pontificem* ſub die 5. Novembris 1599. Hæc Congregatio Diſcalceatorum diviſa eſt in Hiſpanam & Italam. Conſtitutiones Congregationis approbatæ fuerunt a Paulo V. Conſtitut. 2. quæ incipit *Sacri Apoſtolatus* ; in ſupradictarum Congregationum S. Auguſtini formis & Regula reperiuntur etiam propriæ cuiuſque Generalis Conſtitutionis Sanctimoniales. Sic Tambur. loco cit. cum aliis.

Militant ſub eadem Congregatione Eremitarum Ordines erecti ſub titulo S. Hieronymi, quarum prima eſt in Hiſpania, & inſtituta fuit a Domino Petro Fernandez Nobili Caſtellano anno 1370. tempore Urbani V. licet alii alium huius Ordinis faciant auctorem, ut Barboſa lib. 1. *Iuris eccleſiaſt. univerſi* cap. 41. n. 144. Hic Ordo approbationem & confirmationem ſub Regula S. Auguſtini a Gregorio XI. anno [illegible] S. Bartholomæi Apoſtoli ad Ulpinæ locum Toletanæ Diœceſis, unde S. Bartholomæi Monaſterium conſtitutum eſt caput huius Congregationis, quæ in Hiſpaniis plurima ſatis pulchra habet Monaſteria, & præcipue celeberrimum illud S. Laurentii in Eſcuriali a Philippo II. Hiſpaniarum Rege magnificentiſſime extructum.

Tempore Martini V. aliquis huius Ordinis Monachus Regulam ex ſcriptis D. Hieronymi compoſuit, quam Martinum V. approbaſſe refert Marianus Victor. Hanc cum acceptare noluerint Monachi qui erant in Hiſpania, fortiter primæ Regulæ inhærentes, Petrus de Olmedo adunatis ſociis cœpit in Italia ædificare Monaſteria, in quibus illam ſequebantur, & hinc Hieronymina Religio ſub duplici capite ſeu Generali, in Hiſpania altero, & altero in Italia militare cœpit, & hæc altera Hieronymina Congregatio dicitur de Lombardia.

Congregatio pariter altera Eremitarum S. Hieronymi militans ſub Regula S. Auguſtini eſt Piſana, quæ inſtituta fuit a Nobili Viro Piſano Petro Gambacurta anno Domini 1380. Primum huius Congregationis Monaſterium, & caput Ordinis extructum eſt in honorem SS. Trinitatis apud Ceſſanam in Territorio Urbini in Monte Bello, quæ Congregatio cum approbata fuerit cum profeſſione votorum ſimplicium, iuſſa fuit a felic. memor. Pio V. profiteri ſolemniter eadem vota, ut habetur in Hiſtoricis Monumentis Reverendiſſ. P. Ioannis Baptiſtæ Saianelli, qui fuit huiuſce Ordinis Generalis Moderator.

Altera tandem Congregatio ſub titulo & patrocinio S. Hieronymi Fratrum de Feſulis, ſic dicta quod Feſulis antiquiſſima Tuſciæ Urbe, cuius nunc veſtigia vix extant non longe a Florentia, incœperit: inſtituta eſt ſub Regula S. Auguſtini an 1406. a Carolo Romena ſeu Romenſi Comite Montis Granelli, & fuit approbata ab Innocentio VII. & Gregorio XII. Conſtitut. quæ incipit *Sacrum*, in qua confirmat Bullam Innocentii VII.

VII. quæ non fuerat expedita ob mortem ipſius Pontificis, & eam iterum confirmavit expreſſe ſub Regula S. Auguſtini Eugenius IV. Conſtit. 21. quæ incipit *Super Gregem*.

Congregatio Hoſpitalitatis, & infirmis ſervientium S. Ioannis Dei, ab eodem Sancto inſtituta eſt ſub Regula S. Auguſtini anno 1538. & vulgo per Italiam eiuſdem Religioſi appellantur *Fate ben Fratelli*. Hanc Congregationem confirmavit S. Pius V. Conſtit. [illegible] & eam incipit *Romani Pontificis*. Hæc Congregatio modo diviſa eſt in duas, ſcilicet Hiſpanam & Italam; utraque tamen vivit ſub Regula S. Auguſtini. Tambur. loco cit. Barboſ.

Congregatio pariter Luſitana S. Pauli primi Eremitæ inſtituta eſt ſub Regula S. Auguſtini circa annum Domini 1502. Tambur. loco cit. Pennottus in *Hiſtoria tripartita* lib. 2. cap. 74. ubi dicit fuiſſe iam antea inſtitutam in Oſſa rupe quadam ſatis aſpera eiuſdem Provinciæ.

Sic etiam ſub eadem Regula S. Auguſtini inſtituta eſt Congregatio S. Antonii Abbatis in Flandria anno 1615. ſub Pontificatu Pauli V. a quo ei data fuit S. Auguſtini Regula.

Congregatio pariter Ieſuitarum S. Hieronymi inſtituta fuit a S. Joanne Columbino Senenſi ſub Regula S. Auguſtini & tutela ac patrocinio S. Hieronymi anno 1354. & confirmata fuit a Martino V. Conſtit. 10. quæ incipit *Pie*. Iſti Religioſi dicti ſunt *Ieſuati*, quia in ore primorum Patrum huius Ordinis frequens erat dulce nomen Ieſu. Dictus S. Joannes inſtituit etiam Congregationem Monialium Ieſuitarum. Aliæ præterea fuerunt, quæ cum non ſint magni momenti, brevitatis gratia hic omittuntur.

Præter Canonicorum & Eremitarum Congregationes militant etiam ſub Regula S. Auguſtini quidam præcipui Religioſi Ordines, primus quorum celeberrimus Ordo & valde illuſtris Patrum Prædicatorum. Hic Ordo inſtitutus eſt a S. Dominico Hiſpano Canonico Regulari S. Auguſtini ſub initio decimi tertii ſæculi Pontifice Innocentio III. & approbatus, confirmatuſque fuit ſolemniter ſub Regula S. Auguſtini, & propriis Conſtitutionibus 2. Kal. Ianuarii 1216. Conſt. 2. quæ incipit *Religioſam vitam*. Tambur. Barb. & alii paſſim. Et ſub eadem Regula militant etiam Moniales S. Dominici, & Congregatio tertii Ordinis *de Pœnitentia* eiuſdem S. Patris.

Ordo Servorum B. Mariæ, ſic dictus eo quod B. Mariæ Virgini peculiaribus obſequiis addictus ſit. Hic inſtitutus fuit ſub Regula S. Auguſtini ſub anno Domini 1216. a ſeptem Nobilibus viris Florentinis, nempe Bonfilio de Monaldis, Bonaiuncta Manetti, Manetto de Anteilis, Alexio Falconerio, Amadeo de Amideis, Soſtenio de Soſteneis, Ugotione de Ugotionibus, & denuo confirmatus fuit a Benedicto XI. 1304 Conſt. 1. quæ incipit *Dum levamus*. Sic Tambur.

Servorum B. Mariæ Reformatorum Con- annum Domini 1285. auctore S. Philippo Benitio, & hanc approbavit, iterumque reformationem indixit Clemens VI. anno 1346. Conſt. 2. quæ incipit *Regimini*.

B. Mariæ Servorum Eremitarum Congregatio incœpit anno 1593 & habet Eremitas in Monte Senario tertio tantum Lapide a Florentia diſtante, qui primævi Inſtituti modum ſequentes, die ac nocte Deo laudes perſolvunt. Et hæc confirmata fuit cum præſcriptione modi recipiendi Novitios ad habitum & profeſſionem, & cum peculiaribus Conſtitutionibus a Clemente VIII. Conſtit. 8. quæ incipit *Decet*. Barb. Tamb. & alii,

Tertii Ordinis Servorum B. Mariæ Congregatio cum ſua Regula & Conſtitutionibus confirmata fuit a Martino V. anno 1424. Conſt. 15. quæ incipit *Sedis*.

Inter Ordines Regulares prodierunt etiam, ut vidimus, quædam Clericorum Regularium Congregationes, inter quas prima recenſetur Congregatio Clericorum Hoſpitalariorum inſtituta ſub Regula S. Aug. circa annum 1300. a P. Aug. Novello Cancellario primum Manfredi Regis Siciliæ, deinde Pœnitentiario & a ſecretis, & Confeſſionibus Bonifacii VIII. electo in ſeptimum Generalem Eremitarum S. Auguſtini; qui tali muneri renuncians Familiam hanc Senis excitavit, & hanc Congregationem confirmavit idem Bonifacius VIII. Barb. Tamb.

Congregatio Clericorum vitæ communis, ſic dicta eo quod eius alumni in commune vivant Apoſtolorum more, inſtituta fuit ſub Regula S. Auguſt. anno 1376. a Gerardo Daventrenſi in Germania; Barb. Tamb.

Cum autem in maiori numero prodierint ſæculo decimo ſexto Clericorum Regularium Inſtituta, fere omnia elegerunt militare ſub Regula S. Auguſt. & talis fuit Congregatio Clericorum Theatinorum inſtituta circa annum 1524. a Joanne Petro Caraffa Neapolitano Archiepiſcopo Theatino, poſtea Summo Pontifice Paulo IV. una cum S. Caietano Thienenſi, Domino Bonifacio Alexandrino,

Digitized by Google

no, & Domino Paulo Conciliario Romano, quam confirmavit Clemens VII. Conſtit. 15. quæ incipit *Exponi*. Barb. Tamb. & alii.

Alter Ordo ſeu Congregatio eſt S. Pauli Decollati ſeu Barnabitarum, ſic dicta quod S. Paulum præcipue elegerit in patronum; & inſtituta fuit a Bartholomeo Ferrario, Iacobo Antonio Morigia. & Antonio Maria Zacharia Nobilibus Mediolanenſibus anno 1526. & Clemens VII. hunc inſignem Ordinem approbavit & confirmavit Conſt. 37. quæ incipit *Vota*. Dicuntur hi Religioſi vulgo *Barnabitæ* a Collegio S. Barnabæ Apoſtoli, quod primum Mediolani habuerunt.

Congregatio altera Clericorum Regularium Boni Ieſu inſtituta fuit anno 1526. in Civitate Ravennæ ſub Regula S. Auguſtini cum propriis Conſtitutionibus, opera duorum Sacerdotum eiuſdem Urbis.

Item Congregatio Clericorum Regularium Somaſchæ ſeu S. Maioli, ſic dicta a prima Domo conſtructa in Somaſcha Pago inter Mediolanum & Bergomum, inſtituta fuit a B. Hieronymo Æmiliano Patritio Veneto, & confirmata a Paulo III. Conſtit. quæ incipit *Ex iniuncto*, & ſub Regula S. Auguſtini a S. Pio V. repoſita fuit. Initio coniuncta erat Congregationi Theatinorum, ſed poſtea a Paulo IV. ſeiuncta fuit.

Sub eadem Regula S. Auguſtini inſtituta fuit Congregatio Clericorum Regularium a S. Camillo de Lellis Sacerdote Neapolitano ex Oppido Buccianico Theatinæ Diœceſis circa annum 1586. quam approbavit Sixtus V. Conſtit. 25. quæ incipit *Ex omnibus*, & poſtea, addito quarto voto de perenni miniſterio ægrotantibus exhibendo etiam peſte laborantibus, confirmata fuit a Gregorio XIV.

Altera itidem habetur Congregatio Clericorum Regularium inſtituta circa annum 1588. ſub Pontificatu Sixti V. ab Auguſtino Adorno Sacerdote Genuenſi, & Auguſtino ac Franciſco de Caracciolis Neapolitanis. quam prædictus Sixtus V. confirmavit Conſtit. 8. quæ incipit *Sacræ Religionis*. Huius Congregationis Alumni tribus communibus quartum addunt votum ſolemne, non ambiendi dignitates, & hoc quotannis in die Epiphaniæ communiter renunciare tenentur. Tambur. loco iam cit. Barb. & alii.

Sub Regula S. Auguſtini militarunt & militant plures etiam Ordines militares ſive Equeſtres, & in primis Ordo S. Lazari inſtitutus, & a Gregorio IX. ſub Regula S. Auguſtini confirmatus; ſed ut verius videtur, approbatus fuit ab Alexandro IV. Conſtit. 1. quæ incipit *A nobis*. Hic tamen Ordo unitus fuit Ordini S. Mauritii a Gregorio XIII. Conſtit. quæ incipit *Pro commiſſa*, & Clemens VIII. unionem hanc approbavit Conſtit. 102. quæ incipit *Decet*.

Equeſtris Ordo S. Sepulchri inſtitutus ad cuſtodiam S. Sepulchri Domini Noſtri Ieſu Chriſti. Variant Doctores in aſſignando huiuſce Ordinis Fundatore. Hic Ordo anno 1484. unitus fuit ab Innocentio VIII. præclariſſimo Ordini Equeſtri tunc Rhodiano, nunc Melitenſi. Alexander vero VI. anno 1496. conſiderans quod Equites Melitenſes votum emittunt caſtitatis, quod non emittunt Equites S. Sepulchri, de novo iſtos ab illis ſeiunxit, concedendo facultatem Guardiano ſacri Montis Sion Hieruſalem creandi Equites S. Sepulchri.

Equeſtris Ordo S. Ioannis Hieroſolymitani ſeu Melitenſis ſub Regula S. Auguſtini, & propriis Conſtitutionibus, de cuius inſtitutione antea iam diximus.

Equeſtris Ordo S. Mariæ Teutonicorum, ſic dictus quod ſub patrocinio S. Mariæ Virginis a Teutonicis eſt inſtitutus pro Natione Teutonica Ieroſolymis ſub Regula S. Auguſtini 1119. a quodam Viro Nobili Teutonico. Hic Ordo primo inſtitutus fuit ad recreandos & recipiendos Ieroſolymis peregrinos Gentis Germanicæ, deinde ad tutandum eoſdem ab incurſionibus Barbarorum. Confirmavit hunc Ordinem Cœleſtinus III. anno 1192. Barb. Tamb. & alii.

Item Ordo Equeſtris S. Ioannis Acconenſis, & S. Thomæ Martyris electus ſt ſub Regula S. Auguſtini, & protectione S. Thomæ Martyris.

Item duo Ordines Equeſtres S. Iacobi in Hiſpania, & S. Iacobi in Luſitania, qui habuerunt eadem initia & eamdem Regulam S. Auguſtini profitendam.

Militant pariter ſub eadem Regula Equeſtres Ordines S. Mariæ Glorioſæ apud Italos, S. Mariæ de Mercede inſtitutus a Iacobo I. Aragoniæ rege, S. Mariæ de Monte Carmelo inſtitutus apud Gallos a Philiberto Nereſtano anno 1607. regnante Pontifice Paulo V. a quo fuit approbatus Conſtit. 41. quæ incipit *Romanus*. Barb. loco cit. cap. 41. & alii.

§. V.

Digitized by Google

## §. V.

*De tertia principaliori Regula quæ eſt S. Benedicti, & de his, qui ſub ipſa militant.*

Tertia principalior Regula eſt S. Benedicti ab eodem Sancto inſtituta circa annum 500. ſub Pontifice Simmaco, ut refert Barboſ. lib. 1. *Iuris eccleſ. univ.* cap. 41. n. 35. vel circa annum 520. ut volunt alii. Sub hac Regula plures erectæ ſunt & militant Congregationes & Ordines, quorum 85. adducit Tamburinus, Bordonus & alii, quas omnes tamen hic minutatim exponere haud cenſeo, ſed quantum ſatis, ſolummodo principaliores.

Prima & principalior omnium Congregationum Benedictinarum eſt Specuenſis ſive Caſſinenſis, fundata ab ipſo S. Patriarcha Benedicto anno 520. in ſacra Specu Sublacenſi, quo in loco ipſe S. Benedictus primis ſuis diſcipulis Mauro, Placido & Fauſto, & aliis viva Regula extitit, & poſtmodum anno 528. ad Montem Caſſinum tranſlata fuit; idcirco a Scriptoribus dicitur *Specuenſis* a prima S. Benedicti converſionis habitatione in dicta ſpecu, *Caſſinenſis* a traditione Regulæ, quæ in Monte Caſſino a S. P. tradita eſt, *Benedictina* ab ipſius Sancti nomine. Caſſinenſis tamen appellatio eſt frequentior, cum addito alias S. Iuſtinæ de Padua, de qua infra. Tamb Ioannes Trithemius, & alii. Sicula Congregatio inſtituta fuit circa annum Domini 536. a S. Placido Abbate & Martyre, uno ex primis S. Benedicti diſcipulis & eius conſanguineo, qui poſtea Meſſanæ una cum ſociis a Manuca Barbaro pirata martyrio coronatus eſt. Gallica Congregatio a S. Mauro Abbate uno pariter ex primis S. Benedicti diſcipulis, & eius conſanguineo, & condiſcipulo S. Placidi inſtituta fuit in Gallia circa annum Domini 541. & a ſuo Fundatore *Mauriana* nuncupatur: Bencorenſis Congregatio fundata circa annum 570. appellata eſt *Bencorenſis* a primi Monaſterii nomine. Congregatio S. Auguſtini Cantuarienſis in Anglia inchoata fuit circa annum 596. a prædicto S. Auguſtino Cantuarenſi Epiſcopo, & ſic ab eius nomine appellata fuit. Valleclarenſis ſeu Sirbitana Congregatio inchoata fuit circa annum Domini 620. Lyrinenſis Congregatio in Gallia ſic dicta a celeberrimo Monaſterio Lyrinenſi in Inſula Lyrini prope mare erecto a S. Honorato circa annum 470. ab Honorato Nicomediæ regis filio a primo illius loci Abbate, & deinde Arelatenſi Archiepiſcopo, cuius inſtituta & Conſtitutiones retinuit uſque ad annum 641. tempore S. Amandi Abbatis, quando relictis Conſtitutionibus primi huius Congregationis Fundatoris Regulam S. Benedicti adamuſſim in Lyrinenſi Monaſterio cum ſuis Monachis obſervavit. Floriacenſis fundata circa annum 651. a quodam Floro Comite Theoberti Francorum regis clariſſimi, & ita nominata ob præcipuum eius Monaſterium Floriacenſe, ab eodem in uno ex propriis prædiis ædificato, quod poſtea receptum fuit ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, ac multis privilegiis & ſtatutis decoratum anno 1063. ab Alexandro II. Conſt. quæ incipit *Si in Apoſtolica Sede*.

Congregatio Ingirvienſis ſeu Giribena inſtituta in Anglia circa annum 700. a SS. Wilphrido & Benedicto Biſcopio: huius Congregationis Alumnus fuit Vener. Beda. Tamburinus & alii.

Fuldenſis Congregatio nunc eam inſignis & celebris in Germania, erecta fuit circa annum 750. a S. Bonifacio Anglo regii ſtematis primum Monacho, deinde Archiepiſcopo Moguntino. Hæc Congregatio nuncupata eſt *Fuldenſis* a Monaſterio Fuldenſi in Bucconia Sylva conſtructo. Tambur.

Celebrior tamen Congregatio orta ex Benedictina Familia eſt Cluniacenſis, inſtituta anno 913. per S. Odonem Abbatem iuxta D. Bernardum. S. enim Odo in tali Monaſterio Cluniacenſi Ordinem Benedictinum in ſua Monaſtica diſciplina valde collapſum ita reformavit ſeu reſtauravit, ut diſtinctæ Religionis initium videatur. Hæc eadem reformatio ab Odone Abbate incœpta, propagata fuit in Italia a Ludovico Abbo in Abbatia S. Iuſtinæ de Padua, & diffuſa ad Monachos Caſſinenſes, ut patet ex Bulla Iulii II. edita anno 1503. in qua Congregationi S. Iuſtinæ de Obſervantia aggregavit Caſſinenſes, & ab hac ultima denominatione voluit eamdem Congregationem ab antiquiſſimo illo Monaſterio, quod caput eſt nobiliſſimi huius Ordinis, etiam nomen deſumere.

Alia pariter reformatio Ordinis S. Benedicti quæ *Camaldulenſium* dicitur, ſumpto nomine a Camaldulo Monte Apennini in Etruria, orta eſt anno 967. Huic reformationi, quæ novam Monachorum Benedictinorum Congregationem excitavit, initium dedit S. Romualdus Abbas, quamvis eo vivente reliqua S. Benedicti familia ſeparata

non

non fuerit quoad ſubiectionem, & obedientiam, licet ab ea multum in modo vivendi & Regulari diſciplina, maxime quoad habitationem, aſperitates, ieiunia, ſilentium multum differret; & quia tanta diverſitas non poterat commode ſub uno capite & regimine conſervari, auctoritate Alexandri II. a toto corpore familia hæc ſeparata fuit.

Ex hac Congregatione Camaldulenſium orta eſt Congregatio alia Eremitarum S. Romualdi, qui *Protani* ſeu Montis Coronæ Eremitæ dicuntur. Hæc Congregatio initium habuit anno Domini 1620. a Paulo Iuſtiniano Veneto Monacho Camaldulenſi, qui arctiſſimam ſolitudinis legem ſuis ſociis mandavit, illiſque in diſtinctis & ſeparatis cellulis novam eremum in eremo contruxit, ut ſeiuncti non ſolum a ſæcularium, ſed ut plurimum a confratrum ſuorum conſortio liberius contemplationi vacent.

Anno 1030. iuxta Tamburinum *de iure Abbatum* tom. 2. diſp. 2. q. 15. orta eſt Congregatio, quæ dicitur *Valliſumbroſa*. Huius auctor fuit S. Ioannes Gualbertus, qui Monachus factus in Cœnobio S. Miniatis Ordinis Cluniacenſis, arctioris vitæ deſiderio poſtea flagrans, ad eremum S. Romualdi receſſit, a quo in eremitica & monaſtica vita edoctus, tandem in Etruria novum Ordinem in Umbroſa Valle, a qua hic Ordo nomen accepit, inſtituit. Ex hac Congregatione circa annum 1232. ortum habuit Congregatio quæ *Sylveſtrina* dicitur ſumpto nomine a Sylveſtro Monacho, qui eam erexit in Monte Fano prope Fabrianum in Picæno, iuxta Tamburinum. Ex hac eadem Congregatione alia orta eſt, quæ Valliſumbroſella dicitur in Gallia, cuius præcipuum Monaſterium extructum fuit a S. Ludovico rege Galliæ in honorem S. Ioannis Gualberti. Tamburinus, qui de hac loquitur, nihil habet de anno, in quo Congregatio hæc fuerit inſtituta.

Alia celeberrima reformatio ac Congregatio Ordinis S. Benedicti, nempe Ciſtercienſis, cœpit circa annum 1098. quæ adeo illuſtris fuit & ampliata, ut in novum & ſanctiſſimum Ordinem creverit ſub ſpeciali protectione & devotione Beatiſſimæ Virginis. Hæc *Ciſtercienſis* appellata eſt a Sylva Ciſtercii, ubi primum eius Monaſterium extructum eſt in Diœceſi Cabilonenſi in Burgundia apud Gallos a S. Roberto Abbate, (antea Moliſmenſis Abbas) ut ſupra vidimus. Confirmata fuit ab Eugenio III. Conſtit. 2. quæ incipit *Sacroſancta*. In Monaſterio Ciſtercienſi receptus fuit ad habitum Monaſti cum S. Bernardus ab Abbate Stephano, quem poſt triennium aliis Monachis aſſociatum dimiſit ad fundandum Monaſterium quod *Claravallis* vocatum eſt, cui Abbatem eumdem S. Bernardum deſignavit, in qua Abbatia ipſe uſque ad mortem permanſit. Plurima huius Reformationis Monaſteria D. Bernardus erexit, & propter eius ſanctitatem, miracula, & doctrinam, tantæ famæ & exiſtimationis fuit tam apud ſuos quam apud exteros, ut licet huiuſce Ordinis filius, tamquam illius parens & inſtitutor veneratus ſit.

Ab hoc Ordine tamquam puriſſimi ſanctitatis rivuli dimanarunt duo alii Ordines, alter ſcilicet *Vallis collium*, qui ſua Monaſteria obtinet in Gallia apud Heduam & Sedelocum, & alibi; alter eſt Ordo Monachorum *Reformatorum Ciſtercienſium* Congregationis Fulienſis, S. Bernardi dictus. Hæc Congregatio confirmata fuit a Sixto V. & gaudet privilegiis Monachorum Ciſtercienſium non reformatorum. Ex hoc Ordine ſanctiſſimo hiſce noſtris temporibus prodierunt duo clariſſimæ Doctrinæ lumina inter Purpuratos S. R. Eccleſiæ Cardinales fulgentia; unus ſcilicet Cardinalis Bona, alter Cardinalis Ioannes Maria Gabrielli.

Item ortum habuere ſub Regula S. Benedicti Congregatio *Gulielmina* dicta a Guilielmo Vercellenſi, qui anno 1124. eam inſtituit in Virgiliano Monte prope Neapolim, unde etiam appellari ſolet Congregatio Montis Virginis, & Congregatio *Humiliatorum* inſtituta anno 1196. a Ioanne Cumenſi, & ſociis, quæ mandato S. Pii V. extincta fuit, ut vindicaret gravem iniuriam illatam S. Carolo Borromæo Cardinali & Archiepiſcopo Mediolanenſi, & eiuſdem Congregationis Reformatori, dum neſcio quis ex Humiliatis, aliorum ſuaſu, in eum ſclopetum duabus glandibus plumbeis onuſtum exoneravit, illæſo interim non ſine divino miraculo S. Præſule. Barb. Tamb. & alii.

Militat etiam ſub Regula S. Benedicti Ordo *Cæleſtinorum*, ſumpto nomine a Cæleſtino V. Papa, qui communiter, ut eius Inſtitutor habetur: annum huius inſtitutionis ſcire non potuimus propter diverſas Auctorum opiniones, quorum aliqui Inſtitutionem eius S. Petro Damiano attribuunt; placet tamen ſentire cum Breviario Romano, quod Inſtitutionem Cæleſtinorum refert ad S. Petrum Cæleſtinum.

Anno 1371. B. Bernardus Ptolomæus Patri-

tri-

tritius Senenſis prope Senas in Monte Oliveto, a quo nomen accepit, *Olivetanam* Congregationem inſtituit. Extant & plures aliæ Congregationes, quæ potius Congregationum reformationes, quam Ordines diſtinctos appellant tam Suarez, quam Tamburinus.

Anno Domini 1080. quidam Vir religioſiſſimus nomine Stephanus Albanenſis inſtituit Ordinem *Grandimontenſium*. Aliqui Ordinem hunc ſub Regula S. Auguſtini, ſub illa S. Benedicti alii poſuerunt.

Congregationes Benedictinorum aliquæ habent etiam Sanctimoniales, quæ militant ſub Regulas S. Benedicti, & reſpectivæ Congregationis Conſtitutionibus.

Adſunt inſuper Congregationes aliæ, quæ Regulam ſequuntur S. Benedicti, Conſtitutioneſque alicuius eiuſdem Ordinis Congregationis, ut S. *Michaelis de Muriano*, *Montis Coronæ*, *Valliſoletanæ*, dictæ de Obedientia, *Luſitanæ*, *Melidenſis*, *Fulienſis*, *Ciſtercienſis* in Aragonia; aliæ pariter, quæ cum non ſint magni momenti, hic prætermittuntur.

Permulti ſunt Ordines Militares ſeu Equeſtres inſtituti ſub Regula S. Benedicti, cuiuſmodi eſt Ordo *S. Salvatoris* inſtitutus in Aragonia ſub Regula S. Benedicti; & inſtitutis ac legibus Templariorum ab Alphonſo Navarræ & Aragoniæ Rege, *Aviſienſium* ſive de Avis, *Caltravæ*, *Gladiferorum*, *S. Iuliani de Pereiro*, *Montis Gaudii*, *S. Gregorii de Aſclama*, *S. Michaelis*, *ſeu de Ala*, *Alcantaræ*, *Montis Francii*, *Truſilleſium*. *Monteſiæ*, *Ieſu Chriſti*, *S. Stephani*, *S. Mauritii ac S. Bernardi*.

## §. VI.

### *De quarta principaliori Regula, quæ eſt S. Franciſci, & de militantibus ſub ipſa.*

Quarta principalior Regula eſt S. Franciſci, qui eam ſibi immediate a Deo revelatam, & verbo ad verbum ſibi dictam & traditam conſcripſit, prout non tantum ipſemet S. Pater ſæpe faſſus eſt, ſed plures Pontifices conteſtati ſunt, inter quos Gregorius IX. in Regula Fratrum Minorum cap. 1. Nicolaus III. cap. *exiit* 3. *de verbor. ſignificat.* in 6. Incœpit hæc Religio, quam S. Pater *Fratrum Minorum* appellari voluit, circa annum 1208. Pontifice Innocentio III. qui eamdem ſolo tamen vivæ vocis oraculo confirmavit, ut ait hic P. Ferrari in ſua *Bibliotheca* anno 1210. Verumquia ab ipſo Innocentio III. *ſcriptis* tradita non fuerat dicta confirmatio, eamdem ſcriptis confirmavit anno 1223. eiuſdem ſucceſſor Honorius III. Conſt. 5. quæ incipit *Solet annuere*.

Sub Religione Seraphici S. Franciſci eiuſque ſanctiſſima Regula divinitus accepta militant illi omnes Fratres Minores Franciſcani, qui dictam Regulam, ſine ulla diſpenſatione, ad litteram obſervant, ſcilicet Regulam, deſumpto nomine ab Obſervantia Regulæ, in quamet puritate. Alii, ut in Gallia & Belgio, vocantur *Recollecti*. Alii, ut in Hiſpania, & partim in Italia, appellantur *Diſcalceati*. Alii, ut in Italia & Germania, nuncupantur *Reformati*.

Supradicti omnes Franciſcani, ſeu Fratres Minores Regularis, & ſtrictæ Obſervantiæ, degunt ſub Obedientia unius eiuſdemque Generalis ſerie non interrupta a S. Franciſco in Generalatu ſuccedentis, ut declaravit Leo X. Conſtit. 26. quæ incipit *Licet alias*. Unde ſolus ipſe utitur ſigillo totius Ordinis, & ſolus ipſe ſe nominare poteſt, & nominat Generalem totius Ordinis S. Franciſci, ſeu Fratrum Minorum, ut ſtatuit Leo X. Conſt. quæ incipit *Ite & vos in vineam meam*, & expreſſe definivit de mente SS. ſacra Rituum Congregatio in controverſia ſuperhoc mota anno 1625., quæ perduravit uſque ad annum 1631 in quo per ſacram Congregationem prædictam definita fuit ſub die 22. Martii, mandans inſuper, ut ita res ſervaretur. Hinc eſt, notat cit. P. Ferrari, quod inter Generales Ordinis Minorum S. Franciſci, ſolus Generalis Fratrum Minorum de Obſervantia, una cum Generalibus aliarum Religionum, aſſiſtit Cappellæ D. N. Papæ; idcirco non immerito utitur titulo Generalis Ordinis.

Sub obedientia prædicti Miniſtri Generalis totius Ordinis degunt etiam variæ Provinciæ Fratrum Diſcalceatorum Tertii Ordinis. Inſuper & Conceptioniſtæ noviſſime florentes præſertim in Regno Poloniæ, ut notat P. Petrus Antonius a Venetiis in ſuo Viridario *Seraphico* tom. 1. part. 1. cap. 25.

Sub eadem Regula S. Franciſci in ſua primæva puritate militant, eamque exactiſſime ad literam obſervant P. Capuccini, quorum Congregationem confirmavit Clemens VII. Conſtit. 21. quæ incipit *Religionis zelus*, & deinde Paulus III. Conſtit. 11. quæ incipit *Statui*.

Sub eadem Regula S. Franciſci non ad ri-

Digitized by Google

rigorem ſeu ad litteram, ſed cum certis diſpenſationibus apoſtolicis militant P. Conventuales, qui ſicut alii Regulares, bona immobilia & dominium in communi habere poſſunt, ex indulto eis conceſſo ab Innocentio IV. anno 1244. & ſuccedere poſſunt in bonis temporalibus ac ſi eſſent in ſæculo ex conceſſione Clementis IV. Conſtit. 1. quæ incipit *Obtentu*. Ex his prodiere P. dicti Minores Conventuales Reformati, quos approbavit, & privilegiis ac gratiis Conventualium non reformatorum frui voluit Sixtus V. Conſtit. 68. incipiente *Apoſtolici*.

Militant inſuper ſub S. Franciſco Moniales *Clariſſæ* a S. Clara ſic dictæ, ut ſtatuit Urbanus IV. Conſtit. 7. quæ incipit *Beata*, quarum Regulam a S. Franciſco inſtitutam approbavit Innocentius IV. Conſtit. 12. quæ incipit *Solet annuere*, quæ poſtea ſpectata fœminarum imbecillitate moderata fuit a variis ſummis Pontificibus, & ſignanter ab Urbano IV. Conſtit. 7. quæ incipit *Beata*, Eugenio IV. Leone X. Pio IV.

Item ſub Patre S. Franciſco militat tertius Ordo de *Pœnitentia* ab ipſo S. P. Seraphico inſtitutus anno 1221. ſub propria Regula, quam confirmavit Nicolaus IV. Conſtit. 2. quæ incipit *Supra Montem*, & hunc Ordinem inſtituit S. Franciſcus in perſonis in ſæculo degentibus, dum illis præſcripſit certam vivendi regulam religioſam in propriis domibus ſervandam, & cuilibet ſtatui accommodatam. Succeſſu temporis, creſcente fidelium fervore & deſiderio ſerviendi Domino & perfectionem acquirendi ſub illis legibus pœnitentiæ multa ſuavitate & diſcretione moderatis, crevit Ordo Pœnitentium in veram Religionem collegialiter viventium ſub regimine proprii Prælati, quod probabiliter factum eſſe putat Bordonus Reſolut. 87. circa annum 1300. Nunc gaudent ſuo ſupremo Generali a nullo alio Generali & Prælato dependente.

Adſunt etiam quidam Ordines Militares ſeu Equeſtres vel dependentes, vel promotos ab Ordine S. Franciſci, ut eſt Ordo Equeſtris S. Sepulchri, quorum Equites, ut jam diximus, creati ſolent a P. Guardiano ſacri Montis Sion, tamquam Commiſſario ſeu Vicario Apoſtolico, quatenus id ei conceſſum fuit ab Alexandro VI. anno 1496. & confirmatum a Summis Pontificibus Leone X. Clemente VII. Urbano VIII. & in praxi perſeverat, ut videre eſt apud Petrum Antonium de Venetiis in cit. ſuo *Viridario* tom. 1. part. 1. cap. 20 & part. 6. cap. 8.

Habentur alii Religioſi Milites, qui licet non militent ſub Regula S. Franciſci, ad ipſam tamen aliquo modo ſpectant, utpote qui opera alicuius Religioſorum huiuſce Ordinis ab aliquo Principe inſtituti fuere, ut Ordo Equeſtris Militiæ Ieſu Chriſti, inſtitutus a Dionyſio Rege Luſitaniæ, opera & ſuaſione Patris Stephani Portugallienſis intimi Conſultoris & Confeſſarii prædicti regis. Equitum Ordo Aſcenſionis Ieſu Chriſti erectus opera Franciſcanorum in Portugallia. Ordo Equitum Conceptionis B. Mariæ Virginis, & hic dicitur inſtitutus ſub Regula S. Franciſci anno 1623. a Ferdinando Mantuæ Duce, & a Carolo Duce Nivernenſium, confirmatus ab Urbano VIII. Conſt. quæ incipit *Imperſcrutabilis*.

## §. VII.

*De quibuſdam particularibus Religioſis Ordinibus & Congregationibus, qui ſub nulla dictarum quatuor principaliorum Regularum militant, ſed ſub propria Regula & Conſtitutionibus.*

Congregatio SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum inſtituta eſt circa annum Domini 1198. a S. Ioanne de Matha & S. Felice Valeſio ad captivos e manibus Barbarorum redimendos, & eodem anno approbata fuit ab Innocentio III. Conſtit. 1. quæ incipit *Operante*; & ab eodem confirmata anno 1209. Conſtit. 9. quæ pariter incipit *Operante*.

Altera Congregatio Reformatorum prioris Ordinis & Diſcalceatorum, ſcilicet SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, inſtituta fuit anno 1599. prout apparet ex Conſtit. Clementis VIII. incipiente *Ad militantis Eccleſiæ regimen*.

Congregatio B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum inſtituta fuit circa annum Domini 1218. in Regno Aragoniæ a S. Raymundo de Pennafort, Iacobo Aragoniæ rege, & S. Petro Nolaſco, ſic a B. M. Virgine inſpiratis ad liberandos & redimendos captivos & oppreſſos a Mauris tunc fere totam Hiſpaniam opprimentibus, & confirmata ſub anno 1235. a Gregorio IX. Conſtit. 9. quæ incipit *Devotionis veſtræ*.

Altera huiuſce Ordinis Congregatio Diſcalceatorum Reformatorum initium habuit circa annum 1613. quam confirmavit Paulus V. Conſt. quæ incipit *Inter omnes*, & Fratres huius Congregationis totaliter ſeparavit a Calceatis Gregorius XV. & Vicarium Generalem pro ipſis creavit Conſtit. incipiente *Apoſtolici muneris ſolicitudo*,

quod & confirmavit Urbanus VIII. Conſtit. incipiente *In Sede*. Tamb. & alii.

Carthuſianorum Ordo, ſic dictus a Valle Carthuſia vulgo *Certoſa* in Diœceſi Gratianopolitana in Regno Galliæ, inſtitutus eſt a S. Brunone Nobili Cive Urbis Agrippinæ ſub Regula propria anno 1084. & approbatus ac confirmatus fuit ab Alexandro III. Conſtit. incipiente *Cum vos*.

Congregatio S. Hieronymi Itala ſeu Lombardiæ inſtituta fuit, ut antea diximus, tempore Martini V. a quodam Monacho S. Hieronymi Hiſpaniarum, nempe a Lupo de Olmedo, qui adunatis Sociis cœpit in Italia ædificare Monaſteria, in quibus propriam ſequebantur Regulam ex ſcriptis ipſius S. Hieronymi excerptam, & confirmatam ab eodem Martino V. Conſtit. incipiente *Etſi pro cunctorum*. Tamb. alias citatus.

Congregatio Monialium S. Hieronymi militat ſub regula ipſius S. Patris pro mulieribus ſpecialiter edita, quæ habetur tom. 9. Operum eiuſdem.

Carmelitarum Ordo in Europa initium ſumpſit temporibus Alexandri III. & ab Honorio III. confirmatus fuit anno 1226. Conſt. 8. quæ incipit *Ut vivendi*. Diviſus eſt hic Ordo in Conventuales & Obſervantes, qui tamen obediunt eidem Generali. Tamb. S. Antoninus. Uterque vivit ſub Regula accepta ab Alberto Patriarcha Hieroſolymitano.

Præterea militat ſub hoc nomine Carmelitarum Ordo Fratrum Diſcalceatorum a S. Thereſia inſtitutus, quæ ſeveriorem veterum Carmelitarum Regulam, Deo aſſlante, & Pio IV. approbante, primum Mulieribus, deinde Viris obſervandam propoſuit. Hic Ordo approbatus fuit a Gregorio XIII. Conſt. 64. incipiente *Pia conſideratione*. Et huius Ordinis duæ ſunt Congregationes ſub eadem Regula in eodem rigore, una Hiſpanica, altera Itala, quam ſeparavit ab Hiſpanica Clemens VIII. Conſt. 71. incipiente *in Apoſtolica*, & ita factum fuit etiam reſpectu Monialium.

Ordo etiam Equeſtris S. Mariæ de Monte Carmelo erectus fuit ab Henrico IV. Galliæ rege anno 1608. & confirmatus a Paulo V. Conſt. incipiente *Romanus Pontifex*.

Ordo Minimorum S. Franciſci de Paula inſtitutus circa annum 1476. a S. Franciſco de Paula, & approbatus a Sixto IV. Conſtit. quæ incipit *Sede Apoſtolica* propriam habet Regulam. Tamb. Miranda.

Ordo Clericorum Regularium Societatis Ieſu circa annum 1534. a S. Iguatio de Loyola inſtitutus, & approbatus a Paulo III. Conſt. 25. quæ incipit *Regimini* a Iulio III. Conſt. 9. quæ incipit *Expoſcit*, & a Concilio Trid. ſeſſ. 25. cap. 16. & a Gregorio XIII. Conſt. 89. quæ incipit *Aſcendente*, militat ſub propria Regula & Conſtitutionibus.

Congregatio Clericorum Regularium Matris Dei Lucæ erecta primitus ſub titulo Congregationis Clericorum Regularium B. M. Virginis a Ven. P. Ioanne Leonardio circa annum 1574. confirmata fuit a Clemente VIII. Conſtit. incipiente *Ex quo*. Et tandem Gregorius XV. hanc Congregationem in Religionem trium votorum ſolemnium approbavit, prout conſtat ex Litteris ſub forma Brevis die 3. Novemb. 1621. Militat ſub propria Regula.

Congregatio Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum fundata circa annum 1597. auctoritate Clementis VIII. confirmata fuit a Paulo V. die 14. Ianuarii 1614. Conſt. 81. incipiente *Inter Paſtoralis*, & Gregorius XV. die 18. Novemb. 1621. Conſt. 14. quæ incipit *In ſupremo* hanc Congregationem in Religionem trium votorum ſolemnium approbavit.

Congregatio Monialium Viſitationis B. Mariæ Virginis, ſic dicta a munere infirmos & egenos viſitandi, quo ob reverentiam Myſterii B. Virginis Mariæ viſitantis S. Mariam Eliſabetham, initio fungebantur aliquæ piæ fœminæ, fundata fuit a S. Franciſco Saleſio Epiſcopo Genevenſi, qui Monialibus huius Ordinis Anneciaci in Sabaudia circa annum 1610. Regularis vitæ nomen præſcripſit, eiſque præfecit Beatam Ioannam Franciſcam de Chantal.

Congregatio Urſolinarum, ſeu Virginum ac Viduarum in Gallia ſub nuncupatione S. Urſulæ ad erudiendas litteris & bonis moribus puellas, fundata eſt Pariſiis a Nobili Vidua Maria Rovillier Domina S. Bobæ, quam Sodalitatem approbavit Paulus V. Graveſon. Et hæc Congregatio diſtincta eſt ab ea, quam fundavit B. Angela de Denzano.

Habentur pariter multi Militares Ordines nulli particulari Regulæ addicti, ſed ſub propriis Conſtitutionibus equeſtre Inſtitutum profitentes, ut ex Tamb. alias citato & aliis.

## §. VIII.

### *De Semi-Regularibus ſeu quaſi Regularibus.*

Præter Ordines & Congregationes Religio-

Digitized by Google

glioſorum ſolemniter profitentium excitatæ ſunt etiam quædam Congregationes collegialiter, ideſt ad inſtar Religioſorum viventes, cum profeſſione ſimplici tantummodo trium Votorum, inter quas prima recenſetur Congregatio Clericorum ſæcularium qui dicuntur *de Oratorio*, quæ inſtituta fuit a S. Philippo Nerio Florentino anno 1550. & fuit confirmata a Gregorio XIII. Conſtit. quæ incipit *Copioſus*. Huius Congregationis Alumni, ſtatum & profeſſionem Cleri ſæcularis retinentes, abſque ullo Regulari voto ac vinculo, cum particularibus Conſtitutionibus & obedientia Superiorum ſimul habitant, & communem vitam degunt, & ſpiritualibus exercitiis animarum ſaluti incumbunt. Tamb. alias citatus. Ex Decreto Gregorii XV. relato ab eod. Tamb. *in Libello de Congregationibus in communi viventium* unaquæque Domus Congregationis Oratorii ſeipſam per ſe regit, nec plures ſimul uniri valent. Ordinationes & inſtituta dictæ Congregationis approbavit, & nonnulla Indulta conceſſit Paulus V. Conſt. 4. quæ incipit *Chriſtifidelium*.

Congregatio Gallica Clericorum *de Oratorio Ieſu* inſtituta eſt a Petro de Berulle, & a Paulo V. confirmata eſt anno 1613. Conſt. quæ incipit *Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ*. Tamb. alias cit. Graveſon. Impertitur Pontifex eidem Petro de Berulle, ut hanc Congregationem inſtituere valeat ubique locorum, quando ab Epiſcopis vocatus fuerit, concedens ipſi etiam facultatem condendi nova ſtatuta pro felici directione & ſtatu Congregationis opportuna, ac ea pro qualitate & viciſſitudine rerum ac temporum, ſi alias videbitur, corrigendi, immutandi, alterandi, non ſecus ac aliis Ordinibus ex privilegio, aut alias quomodocumque fieri & exequi ſolet. Hæc Congregatio, quæ plane independens eſt a Neriana, mox non tantum per Galliam, ſed per Belgium propagata eſt, opera zelantiſſimi Archipræſulis Melchinienſium Iacobi Boonen, quo rogante miſſus fuit a Patre Berullo tunc S. R. Eccleſiæ Cardinali P. Franciſcus Bourgoing cum uno alterove Congregationis huius Patribus, qui ſub auctoritate prædicti Archipræſulis, prima Lovanii ann. 1626. Oratorii fundamenta iecerunt, quæ poſtmodum Congregatio aliis in vicinis locis propagata eſt. Hæc Congregatio, licet in omnibus conformis, uti curavit prædictus Archipræſul, ea tamen in regimine a Congregatione Gallicana eſt prorſus independens, & hæc unica eſt Congregatio a Gallicana progenita, eiuſque vivendi normam imitata, quæ ab ea eſt prorſus independens. Etenim ſunt tales Congregationes eiuſdem Inſtituti, quæ ex pluribus particularibus Domibus, ſive Familiis, unam Congregationem conſtituunt, atque unum Præpoſitum Congregationis habent, cuiuſmodi eſt in Hannonia Congregatio Montenſis; ſed hæ omnes a Gallicana dependent, atque Præpoſitum huius Congregationis pro ſuo Generali agnoſcunt, a quo etiam Præpoſiti ſingularum Congregationum accipere debent confirmationem; ſecus vero Præpoſitus Congregationis Provinciæ Melchinienſis.

Unde Congregatio Romana ſeu Neriana, & Congregatio Gallicana in hoc conveniunt, (idem eſt quoad omnes Congregationes ab his progenitas) quod adſcripti cuivis harum duarum Congregationum, nullo Religionis voto aut Religioſa profeſſione Congregationi adſtringuntur, ſed in ſimplici primævo Sacerdotali ac Clericali ſtatu vivunt, qualem Chriſtus Dominus inſtituit, & in Eccleſia ſua reliquit, ita ut nihil addendo vel dettahendo perpetuo ita permanſura ſit, ac proinde nulla ſimilia vota Congregatio admittere poteſt, adeo ut ſi quocumque loco ac tempore aliqui profeſſionem emittere vel admittere vellent, quamvis plures eſſent numero, ipſo tamen facto a corpore Congregationis ſeparati erunt, & bona quælibet & cuiuſcumque naturæ, ac domos cæteris, qui in primævo inſtituto ac pure Sacerdotali, licet pauciores numero, remanſerint, relinquere tenebuntur. Ita habetur in Conſtitutionibus utriuſque Congregationis. Inſuper conveniunt in eodem ſpiritu quoad functiones Sacerdotales, & in eadem œconomia vivendi in eorum domibus. Conveniunt in eodem ſpiritu Sacerdotali, quia hæ Presbyterorum Congregationes potiſſimum inſtitutæ fuere, ut in communi viventes, functionibus Sacerdotalibus fructuoſius & cum maiori populi ædificatione incumbere poſſent, cum totali dependentia ab auctoritate & iuriſdictione Illuſtriſſimorum ſeu Reverendiſſimorum Epiſcoporum, uti habetur in eorum Conſtitutionibus, in quibus ſtatuitur, ut Sacerdotes harum Congregationum, nonniſi ad arbitrium & nutum Epiſcoporum exercere ac ſubire debeant functiones; & harum Congregationum hæc eſt profeſſio. Porro hæc omnimoda in exercitio functionum Sacerdotalium ab Epiſcopo dependentia nequaquam impedit, quominus directio, ſive regimen Congregationis quoad perſonas, bona,

N 2

na, ac domos, ad eiuſmodi Præpoſitos ſpectet. Conveniunt etiam in œconomico modo vivendi, quia habentes ſufficientes redditus vel ex Beneficiis vel ex patrimonio, conferunt in commune quantum in eorum neceſſitatibus impendi debet, ne alias ex proventibus communibus in uſum pauperum deſtinatis viventes, ſuum cenſum cum aliorum detrimento augere velint. Ita habetur in Conſtitutionibus Congregationis Nerianæ cap. 8. Hæc plane conſona ſunt Regulis, quas in rebus temporalibus diſpenſandis obſervare debebant Canonici in communi viventes (quorum vivendi normam hæ Presbyterorum Congregationes æmulantur) quarum ſummarium cap. 107. in Synodo Aquiſgranenſi expreſſum ita habet: *Cum quo damno animæ ſuæ ab Eccleſia, quæ pauperes paſcit, accipiunt illi, qui ſibi de ſuo ſufficiunt.*

Congregationes vero Gallicana & Neriana in hoc differunt, quod domus Nerianæ nullam habeant inter ſe unionem, ſed unaquæque domus eſt integra Congregatio, prorſus a Congregatione alterius domus diſtincta, idcirco non alium Præpoſitum agnoſcit, quam proprium ſibi & particularem, quem alternis temporibus ſibi eligit. Ex oppoſito vero in Congregatione Gallicana habetur communicatio unionis unius domus cum altera, & præter ſuum proprium & particularem Præpoſitum, qui directioni unius domus præſidet, agnoſcunt etiam Præpoſitum generalem, qui præſidet regimini domorum omnium dictæ Congregationis, & eligitur a generali convocatione totius Congregationis; quæ fieri debet unoquoque triennio de conſenſu Epiſcoporum, loco & die indicendis a proprio Præpoſito, nec ultra tres menſes poſt expletum triennium convocatio prorogari poteſt.

Penes Congregationem legitime congregatam eſt ius eligendi Præpoſitum Congregationis. Præter Præpoſitum a Congregatione legitime convocata ex pluralitate ſuffragiorum eliguntur *duo Aſſiſtentes*, qui Præpoſito in negotiis peragendis aſſiſtant. Hi cum Præpoſito in omnibus deliberationibus circa res temporaneas ius habent vocis deciſivæ; quoad ſpiritualia vero, directionem, ordinem, politiam, & regulas, & alia eiuſmodi, etiam exteriora, conſultivæ tantum.

Solius item generalis Præpoſiti eſt Superiores immediatos domorum, ab Epiſcopis loci approbandos, conſtituere vel deſtituere, ſeu deponere vel unitare, quandocumque iudicaverit; id tamen ex cauſſa faciendi ius eſt etiam penes Congregationem convocatam.

Prætereа quamvis Congregatio a viſitatione Epiſcopi non eximatur, nihilominus quoad ea quæ ſunt directionis ius viſitandi etiam ad Præpoſitum generalem ſpectat, & hanc viſitationem ad minimum unoquoque triennio inſtituere debet.

Novas domos erigere ſolus Præpoſitus non poteſt, ſed id ad Epiſcopos loci Ordinarios ſpectat.

Nova ſtatuta quoque & leges condere ad ſolam Congregationem convocatam ſpectat, ab Epiſcopo confirmandas. Poteſt tamen Præpoſitus mandata & ordinationes condere ad tempus, ſeu uſque ad proximam convocationem ſervandas, modo his Conſtitutionibus Epiſcoporum auctoritati nihil detrahat.

Cæterum eſt eiuſdem Præpoſiti, quos a Deo vocari viderit, admittere, & alia omnia circa perſonas, & domos, circa ſpiritualem profectum, & bona Congregationis, ex conſilio tantum Aſſiſtentium peragere.

Iiidem in hoc differunt Congregatio Neriana & Gallicana, necnon Belgica ab ea progenita, quod præcipuum Inſtitutum Gallicanæ eſt, ut illis adſcripti omnibus quibuſcumque functionibus hierarchicis, ad quas ab Epiſcopis locorum vocabuntur, applicentur. E contra vero domus & familiæ Neriani Inſtituti uni Parochiali Eccleſiæ ut plurimum regendæ præficiuntur, eamque iure Parochiali regunt, & ſi etiam Eccleſiam non habeant Parochialem, non omnes nihilominus hierarchicas, ſed ſolummodo Parochiales functiones exercent.

Quia huiuſmodi Congregationes Oratorii, ſive Gallicana, ſive Neriana, nulla Religionis vota, nullamque religioſam profeſſionem agnoſcunt, ne tamen improbatæ perſonæ Congregationi incorporentur, tempus probationis pro ingredientibus ſtatutum eſt, quod *inſtitutio* dicitur, eo quod illo durante, in exercitiis pietatis, aliiſque ad Congregationem ſpectantibus functionibus inſtitui debeant, & probari. Hoc tempus inſtitutionis extenditur ad tres annos, quibus completis incorporantur Congregationi. Verum in accipiendis in Congregatione, & in eis approbandis qui hoc petunt, necnon in ſuis negotiis œconomicis ac politicis, & præcipue quoad electionem ſuorum Superiorum Neriani ſunt prorſus ab Ordinariis locorum independentes.

§. IX.

## §. IX.

### *De Canoniſſis*.

Habentur in Belgio, Germania & Lotharingia quædam Canoniſſarum Collegia, quæ ad inſtar Congregationum Presbyterorum ſæcularium vivunt in ſtatu quaſi Religioſo, ideſt ſine ſolemni votorum & Religionis profeſſione, ac proinde ad exemplum Canonicorum ſæculariter viventium dicuntur *Canoniſſæ ſæculares*, quarum meminit Bonifacius VIII. cap. 43. §. ult. *de elect.* in 6. ubi declarat, formam præſcriptam in electione Abbatiſſarum & Præfectarum Monialium, etiam ſervandam in illis (Monaſteriis) *ubi ſunt, juxta quarumdam Provinciarum conſuetudinem, mulieres, quæ nec propriis renunciant, nec profeſſionem faciunt Regularem, ſed vivunt ut in ſæcularibus Eccleſiis Canonici, vocanturque in Rubrica Decretalis Canoniſſæ ſæculares*. De his Canoniſſis habet Miræus ad calcem notarum in Regulam Canonicorum; & in notis ad caput 13. Cod. Donat. de Canoniſſis Belgicis hæc habet: *Canoniſſarum nobili ſtirpe progenitarum, quæque ad nuptias tranſire poſſunt, Collegia in Hannonia ſunt duo, Montenſe & Malbodienſe, totidem in Comitatu Namurcenſi, & unum in Brabantia Nivellenſe*.

Controvertitur inter Doctores circa originem harum Canoniſſarum. Alii contendunt olim Canoniſſarum iſtarum fuiſſe ut cæterarum Virginum Collegia; ac ſi non omnes, ſaltem pleraſque voto ſeſe caſtitatis ſolitas eſſe obſtringere. Alii, ut eruditus Mabillonius, contendunt, in pleriſque Canoniſſarum Collegiis fuiſſe ordinatas Sanctimoniales ſub Regula S. Benedicti. Quidquid tamen ſit de hac Mabillonii opinione, id ſatis conſtat, Canoniſſas, quibus in Synodo Aquiſgranenſi anno 318. Regula præſcripta fuit, multum in vivendi diſciplina ab hodiernis Belgicis Canoniſſis fuiſſe diverſas. In primis Canoniſſæ, de quibus Synodus, non ſecus ac reliquæ Sanctimoniales, perpetuo caſtitatis vinculo aſtringebantur, debebant in Monaſteriis iugiter reſidere, veſtibus nigris utebantur, omnes in communi Dormitorio, ſed ſingulæ in ſingulis lectis dormiebant, in Refectorio quotidie pariter reficiebantur, niſi quando infirmitas, aut ætatis debilitas id facere prohibuiſſet. Sedulo curabatur, ut virorum ad monaſteria Canoniſſarum non pateret acceſſus, omniſque virorum familiaritas & converſatio caveretur, cap. 20. & 26. Differebant autem a veris Sanctimonialibus, in hoc, quod paupertatem ſeu rerum ſuarum abdicationem non voverent.

Quanto tempore apud Canoniſſas hæc vivendi norma viguerit incertum eſt. Illud notat Miræus, Collegium Canoniſſarum Nivellenſe (quod inter Belgica Canoniſſarum Collegia videtur antiquiſſimum) in communione bonorum ac poſſeſſionum uſque ad annum 1059. perſtitiſſe.

Quod admodum veriſimile apparet, notat Van Eſpen, eſt, quod ad exemplum Canonicorum, qui derelicta vita communi, vi ſui Canonicatus non exiſtimarunt ſe voto perpetuo cœlibatus conſtringi, ſolamque tonſuram Clericalem ſufficere crediderunt, atque dimiſſo Canonicatu ſe poſſe tranſire ad ſtatum matrimonialem; ita ſenſim quoque invaluit, ut Canoniſſæ a voto perpetuæ caſtitatis ſe exemerint, liberumque ſibi eſſe exiſtimaverint ſtatum Matrimonialem, relicta vita Canonicali, aſſumere. Cæterum, ſicuti Canonicorum ad vitam ſingularem tranſitus nullatenus ipſos Canonicos exemit, quin juxta ſuam inſtitutionem canonicam vivant, uti ſuo loco notatum fuit, ita nec ſimilis Canoniſſarum a vita communi ad vitam ſingularem tranſitus efficere poteſt, quin iuxta mentem fundatorum, quamdiu de proventibus eccleſiaſticis vivunt, ſe divino cultui conſecrent. Certum quippe & indubitatum eſt, proventus illos non alium in finem his Collegiis Canoniſſarum attributos, quam ut puellæ in illis ſuſceptæ, & ex illis viventes, cultui divino vacent, & canonice ac regulariter vivant.

Hodie vero, præter divini Officii ſeu Horarum canonicarum perſolutionem, nihil pæne de vita Canonicali & religioſa vivendi ratione apud Belgicas Canoniſſas ſupereſt, de reliquo inſtar puellarum nobilium ſæcularium, ſed ex bonis & proventibus Eccleſiæ viventes. Non enim, (Notat Cardinalis de Vitriaco in *Hiſtoria Occidentali* cap. 13.) Moniales nominari volunt, ſicuti Canonici ſæculares Monachi non dicuntur, & oblata ſibi occaſione, relicta Canonicali vita, ad nuptias tranſeunt. Mane quidem, & dum Religioni operantur, cultu ſpirituali ſive eccleſiaſtico habitu utuntur, ſed quem Nobiles deceat ut ipſæ ſunt, candido pellibuſque pretioſis ſuffulto; (ait Guicciardinus differens de Nivelenſibus quoad illarum veſtitum & ornatum) a meridie vero, ſæculari, ut vocant, veſte e ſerico, vel id genus materiæ Nobilium puellarum modo ornatæ apparent.

Tametſi Canonicæ hodiernæ a vita communi

muni tranſierint ad vitam ſingularem, & e ſanctimonialibus aut Canoniſſis quaſi Regularibus ſactæ ſint ſæculares, nihilominus reputantur etiam nunc corpus eccleſiaſticum, uti notat Bertrandus Loth in ſuis *Reſolutionibus Belgicis* tract. 9. q. 2. art. 3. cum plurima ipſis conveniant, quæ præſeferunt ſtatum eccleſiaſticum, cum eorum Collegiorum ſtatus ſit, ut ſint Eccleſiæ Collegiales ſæculares, & tales ab Ordinariis locorum agnoſcantur, Capitula habeant & Eccleſias, quæ non ſunt nomina laica, viſitentur auctoritate eccleſiaſtica, vitæ inſtitutum ab eadem recipiant, & ordinationes quando opus ſit. Abbatiſſa ipſarum utitur pedo Prælatorum eccleſiaſticorum; quapropter Abbatiſſæ eorum Collegiorum etiam ad Synodos, non ſecus atque aliæ Abbatiſſæ Regulares, & Capitula Eccleſiarum Collegiatarum vocantur.

Hæc Collegia pleraque a regibus fundata, etiam ſub immediata regis protectione eſſe reputantur, ideoque iuxta Decretum Synodi Trid. ſeſſ. 25. cap. 8. *de reform.* ab Epiſcopis ſine Principis licentia viſitari non poſſe. Van-Eſpen Iuris eccl. univ. part. 1. tit. 33.

## §. X.

### *De Beguinis ſive Tertiariis.*

Beguinæ, ut habetur in Extravag. *Recta ratio de Religioſis domibus* inter communes, ſunt mulieres ita vulgo vocatæ, ſegregatæ quandoque in parentum aut ſuis, interdum vero in aliis aut conductis ſibi communibus domibus ſimul habitantes. Quæ hodienum habentur, & quæ morantur in ſuis aut parentum privatis domibus in particulari vita, & deferunt habitum ſaltem quoad colorem alicuius Religionis, qui vulgo dicitur *abito divoto*, ut Ordinis S. Franciſci, vel Carmelitarum &c. proprie communiter dicuntur *Beguinæ* vulgo *Chiettine*. Quæ vero ſimul habitant in domibus ſibi communibus, ac collegialiter coadunatæ, hæ dicuntur *Tertiariæ* alicuius Ordinis, cuius habitum deferunt non ſolum quoad colorem, ſed etiam quoad formam Monialium illius Ordinis, & habent etiam aliqualem Regulam; & huiuſmodi Mulierum præcipue in Civitatibus quamplurimæ habentur Domus ſeu Collegia. Quo tempore Beguinæ omnes initium ſumpſerint, ac præſertim ad eam quam nunc ſervant videndi normam redactæ ſint, non parum obſcurum eſt. Ioannes XXII. in Litteris ad Epiſcopum Cameracenſem, quas refert Miræus lib. 1. *Diplom. Belg.* cap. 91. teſtatur, quod *relatione fide digna didicerit, plurimas eſſe in Civitate Cameracenſis Diœceſis mulieres Beghinas ſimpliciter nuncupatas, quæ in ſolida ſimplicitate viventes, aliquæ proprias, aliquæ parentum, aliquæ conductas, vel ſibi communes, & cum honeſta familia domos inhabitantes, aliquæ vero, rerum cogente defectu, ſimul in iiſdem domibus, & diverſis Beghinagiis ad majorem caſtitatis obſervantiam commorantur.* Ex his aliiſque Monumentis recte colligit Petrus Coens Canonicus Antuerpienſis *Diſquiſitione hiſtorica de origine Beghinarum ſect.* 3. non tantum eas, quæ in Congregationibus ſeu Beghinagiis habitabant, ſed omnes Devotarias tunc fuiſſe vocatas communiter Beghinas. Hæ Beghinæ, ſive ſparſim in privatis domibus, ſive collegialiter in una ſimul habitantes, ſi credendum dicto Petro Coens loco cit. ſect. 5. ſubiectæ erant Presbyteris Parochialibus, nec proprium Sacerdotem habebant, ſed ſolum Directores & Directrices, quæ zelo pietatis hunc vivendi modum promoverent. Cum vero multiplicatis Beghinis videretur inconveniens immo & periculoſum, quod per Civitatem quotidie tranſire deberent ad Eccleſiam Parochialem, Beghinagiorum Fundatores, immo & ipſæ Beghinæ, quæ iam Eccleſias vel Oratoria prope domum Congregationis ſibi ædificaverant, ſenſim impetrarunt ab Epiſcopis & obtinuerunt ſeparationem Beghinagii ſive Eccleſiæ ſuæ a Parochia, necnon proprios Paſtores a Paſtoribus Parochiarum independentes, quales hodie pleraque Beghinagia habent.

Notat laudatus Coenſius ſect. 2. n 17. quod primitus Beghinæ, quemadmodum hodie noſtræ Tertiariæ, nullam ſolerent profeſſionem facere, ſed ſola dignoſcebantur veſtium mutatione & cum aliis communi habitatione; & tantummodo poſterioribus temporibus præſcriptam fuiſſe hodiernam profeſſionis formulam, quæ his verbis exprimitur: *Ego N. promitto tibi D. Parochiano, & Magiſtrabus nunc exiſtentibus & futuris obedientiam & caſtitatem, tamdiu hac in Curia Beghina habitabo.*

Sæculo decimoquarto non leves hoc Inſtitutum ſubiit difficultates, eo quod nonnullæ mulieres præſertim in Alemania, dictæ *Beguinæ*, & Viri earumdem inſtitutum æmulantes dicti *Beghardi*, apud Sedem Apoſtolicam fuiſſent infamati, quaſi circa articulos Fidei & Eccleſiaſtica Sacramenta opiniones catholicæ Fidei contrarias introducerent, & multorum ſimplicium animas in diver-

Digitized by Google

diverſos errores inducerent, qui errores damnati fuere in Clement. *Ad noſtras de hæreticis* & in Clement. *Cum de quibuſdam de Religoſis domibus* ſub nomine Concilii Viennenſis. Verum cum etiam Beghinæ aliorum locorum incidiſſent in ſuſpicionem horum criminum, Ioannes XXII. immediatus Clementis V. (ſub quo Concilium Viennenſe celebratum fuerat) ſucceſſor, babita informatione, Beghinas in aliis Regionibus degentes, nullatenus eſſe ſuſpectas de prædictis erroribus, editis literis declaravit, has ſub prohibitione aut abolitione non contineri, iniungendo Ordinariis locorum, ut eas ſub huiuſmodi prætextu nullatenus moleſtari permittant.

Norma vivendi Beghinarum, ſeu vulgo Monialium Tertiariarum, earumque hodiernum Inſtitutum, mixtum ac medium quodammodo eſt inrer Regulare & ſæculare ſive laicum: Nam 1. veſtes & habitum deſerunt plane a laicali diverſum, atque Religioſo veſtitui conformem, & ſolent uti veſte Ordinis, ſub cuius devotione, vel etiam directione inſtitutæ ſunt, puta coloris Franciſcani, Carmelitani &c., atque capitis velamento uti inſtar Monialium. 2. Profeſſionem aliquam, votumque caſtitatis & obedientiæ ſaltem temporaneum, ritu etiam quodam ſolemni, ſub formula ſupra relata inſtar Monialium emittunt. 3. Quando non ſubiaceant directioni alicuius Religioſi Ordinis, leges & ordinationes vivendi, non ſecus ac Moniales, ab Ordinariis recipiunt, atque eorum viſitationi, æque ac Moniales, ſubiacent; Parochum quoque proprium ut plurimum babent, cuius directioni ac curæ ſubduntur. Fatendum nihilominus, etiam modernum Beghinarum ſeu Tertiariarum vivendi genus, in multis a Religioſo Monialium Inſtituto diſcrepare. 1. Nullum votum Religionis perpetuum emittunt, ſed tantum temporaneum caſtitatis & obedienriæ, non diutius adſtringens quam ipſæ manere vellint, ita ut omni hora libere exire, & ab omni voto ſe eximere, ac Matrimonium contrahere poſſint. 2. Nullum paupertatis, ne temporaneum quidem, votum faciunt, ita ut maneant rerum ſuarum proprietariæ, capaces acquirendi & retinendi, non ſecus ac aliæ mulieres laicæ & ſæculares, illiſque libere utuntur, & tam inter vivos, quam mortis cauſſa pro ſuo arbitrio de illis diſponunt. 3. Licet habitent ſimul in eadem domo collegialiter, aliquæ earumdem Congregationum non vivunt inter eas vita communi, ſed habent proprias ac ſeparatas ædes, in quibus rem domeſticam adminiſtrant, menſam, ſupellectilem, totamque domeſticam æconomiam pro ſuo arbitrio inſtituentes, quaſi laicæ & ſæculares matresfamilias. 4. Clauſuram Monialium non ſervant, ſed libere exeunt, & per civitatem ſua negotia & rem familiarem procurant, conſanguineos, familiares, alioſve inviſunt, niſi quod certis legibus quoad dies & horas, exeundi & redeundi libertas per ordinationes & ſtatuta in pleriſque iſtarum domibus nonnihil limitata & reſtricta ſit. 5. Nullam certam regulam a Sede Apoſtolica approbatam profitentur, & ex hoc capite, iuxta deciſionem Concilii Lugdun. cap. 1. *de Religioſ. domib.* in 6. earum Inſtitutum, Ordo vel ſtatus Religioſus dici nequit. Nihilominus tamen talis vivendi ratio ab Eccleſia & Romanis Pontificibus (qui illis iampridem multa privilegia ac immunitates conceſſerunt) habetur tamquam laudabilis & haſtenus probata, ita ut Inſtitutum illud ſequentes, ſalutem ſuam queant operari. Unde licet ſuſceptio habitus Tertiariarum & earum profeſſio non efficiat eas veras Religioſas, ad ſtatum tamen eccleſiaſticum pertinent. Van-Eſpen part. 1. tit. 33.

Præter Canoniſſas & Beguinas, ſunt etiam mulierum Congregationes collegialiter viventium, ad inſtar Religioſorum, cum ſola profeſſione votorum ſimplicium, ut Congregatio Dimiſſarum, inſtituta a Vener. P. Antonio Pagano Franciſcani Ordinis de Obſervantia in Civitate Vincentiæ, poſtea propagata in Muriano prope Venetias, & Patavii. Item Congregatio Urſolinarum fundata a B. Angela de Deſenzano, Oppido intra Veronam & Brixiam, Religioſa Profeſſa Tertii Ordinis S. Franciſci, approbata a Gregorio XIII. anno 1572. die 24. Novemb. pro qua Congregatione P. Franciſcus Gonzaga, miniſter Gen. totius Ordinis, varias compilavit Conſtitutiones, ſub quibus adhuc vivunt cum Regula a B. Angela compilata, & a Paulo V. approbata. P. Ferrari in ſua *Bibliotb.* verb. *Relig. Regul.* art. 5.

Congregatio Piorum Miſſionariorum eſt pariter Congregatio quaſi Regularis, & inſtituta fuit a Carolo Caraffa Neapoli & approbata a Gregorio XV. Conſt. incipiente *Ex quo divina Maieſtas*. Graveſon.

Habetur pariter huiuſce Ordinis Congregatio Miſſionariorum Presbyterorum ſæcularium, & Puellarum Charitatis ſocietas, quæ inſtituta eſt a S. Vincentio a Paulo

N 4 circa

circa annum 1622. & approbata ab Urbano VIII. 1626. Graveſon & P. Ferrari in ſua *Biblioth.* loco cit. art. 6.

## CAPUT II.

### *De Obligationibus Regularium.*

### §. I.

### *De nomine, & natura ſtatus Religioſi.*

Quid Religionis vocabulum. RELigionis vocabulum ſecundum ejus etymologiam alii derivatum cenſent *a religendo*, ſcilicet a pluries piurieſque legendo, ut S. Iſidorus lib. 10. *Etymologiarum* cap. 17. alii a *religendo*, ut D. Aug. *de Civit. Dei* cap. 4., alii a *religando*, ut Lactantius lib. 4. *Inſtitut. divinar.* cap. 4. & in hoc ſenſu, quod Græce dicitur Latria, generatim ſignificat ſpecialem virtutem, quæ habet mancipare, & ligare homines divino cultui, nempe quæ inclinat & movet homines ad tribuendum Deo debitum cultum tamquam ſupremo rerum omnium principio ac rerum Domino, ſuam ſervitutem per talia media infinitæ eius excellentiæ præſtando. Merito (quidquid inerte hæretici obmurmurent) appoſite, & valde proprie Religionis nomen uſurpatum fuit ad ſignificandum illum hominum ſtatum in Eccleſia Dei, quorum inſtitutum eſt, ſe conſecrare perpetuo Dei famulatui per operum exercitia, quæ tendunt ad præcipuum divinum cultum, vitæque perfectionem, vario quidem modo iuxta varias Regulas a SS. Ordinum Patriarchis Deo inſpirante præſcriptas, & ab Eccleſia approbatas. Rationem convenientiæ huius nominis Regularium Ordinibus aſſignat D. Th. 2. 2. q. 186. quia id quod communiter multis convenit, antonomaſtice ei attribuitur, cui per excellentiam convenit. Religio autem eſt quædam virtus, per quam aliquis ad Dei ſervitium, & cultum aliquid exhibet; idcirco antonomaſtice Religioſi dicuntur illi, qui totaliter divino ſervitio ſe mancipant, quaſi holocauſtum Deo offerentes, ita ut profeſſores Regularis ſeu Religioſi Inſtituti omnia quæ ſunt, quæ vivunt, quæ poſſident, vel poſſidere ſperabant, Deo conſeerant, & per totam vitam eius ſerviruti ſe addicunt. Unde quocumque modo nomen ſecundum diverſam eius etymologicam derivationem accipitur, ſemper ſacris Ordinibus aptiſſime congruit, ſive illud derivatum velimus a relegendo, quia quotidie Religioſus legit & cogitat quæ ad divinum pertinent cultum, ſive a religendo, quia conſtanter Religioſus Deo ultimo ſuo fini per virtutum opera adhæret, ſive a religando, quia per tria ſubſtantialia ac eſſentialia vota, tamquam ſacris vinculis divino mancipatus ſervitio, illi perpetuo ligatur, atque religatur.

Religioſus ſtatus, ſeu Religio iuxta D. Definitio Religionis.
Th. 2. 2. q. 186. per totam demriri ſolet communiter a DD. *ſtatus perfectionis acquirendæ per vota perpetua caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ in aliquo Ordine ab Eccleſia approbato*, vel ut ab aliquibus *ſtabile vitæ inſtitutum ab Eccleſia approbatum, & tendens iugiter ad Chriſtianam perfectionem per tria vota paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis*. Omnibus his, quæ utraque definitio complectitur, conſonant quæ obſervabant pro eorum Inſtituto qui primitus, nempe ab Eccleſiæ initio, Monacali ſeu Religioſæ vitæ ſe dederunt, ut refert S. Aug. lib. 1. *de moribus Eccleſiæ*, ubi deſcribens antiquiſſimum Cœnobitarum Inſtitutum, ita habet: *Primum illos contemptis mundi delictis in ſanctiſſimam & caſtiſſimam vitam conveniſſe, a nullo quidquam poſſideri proprium, Patres nulla ſuperbia conſulere illis quos filios vocant, magna ſua iubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate.*

Dicitur *ſtatus perfectionis*, vel ut in alia definitione *ſtabile Inſtitutum*: Licet enim aliquando nomen ſtatus, ideſt late ſumptum, conditionem tranſitoriam exprimat, in quo ſenſu dicitur ſtatus innocentiæ, ſtatus virginitatis, ſtricte tamen a Theologis cum D. Th. ſumitur pro immobili vitæ conditione, cum ad rationem ſtatus immutabilitas requiratur, ut ait Doctor Angel. 2. 2. q. 183. art. 1. quia ſtatus eſt ratio quædam ſeu regula vivendi, quam quis aſſumit ſtabiliter & immutabiliter ſervandam, ita ut qui in hunc ſtatum coaptari deſiderat, oportet ut ad opera divini cultus ab unoquoque Religioſo Inſtituto præſcripta ſe firmiter ſtabiliterque uſque ad mortem dicare conſtituat, uti ſunt qui tranſeunt ad nuptias, militiam, ad Curiam &c. Cuniliatus. Ad hoc vero ut firma ſit Religioſorum conditio ac ſtabilis, ſatis eſt quod ipſa perpetua ſit ex parte illorum qui illum ſtatum amplectuntur, ut ipſi iugum excutere nequeant, immo Religio ipſa eos ſuſcipit non dimittendos uſque ad mortem; cum hac tamen differentia, quod & Eccleſia ſeu Pontifex, a cuius poteſtate pendet Religioſorum vis & immobilitas, Religioſum extrahere poteſt a clauſtris, atque, ſaltem quoad

ad plura, ab onere Monaſticæ diſciplinæ & obſervantiæ liberare, præcipue ad Epiſcopatum aliaſque ſupremas dignitates eum aſſumendo, & a ſuis Prælatis ob publicum bonum aut alias graviſſimas cauſſas dimittere; ita ut ſtatus Religioſus perpetuus eſt, non ſecus ac in civilibus ſtatus ſervorum, quorum ſors ubique ſtabilis eſſe cenſetur, quia licet ſervus libere dimitti poſſit, & mancipari, ſervus tamen non poteſt propria ſponte a Domino diſcedere. Dicitur *ſtatus perfectionis*, & hoc innuit dari in Eccleſia varios ſtatus, ſeu conditiones regulaſque vivendi, quibus in unitate fidei colitur Deus, & veluti per diverſa media ad eumdem finem, nempe ad cœleſtem beatitudinem perveniri poteſt. Nam alius eſt ſtatus vitæ communis fidelium omnium, qui importat media tantummodo neceſſaria ad ſalutem, ſine quibus ſpiritualis vita nec haberi nec conſervari poteſt, & immobilitas ac firmitas huius ſtatus tanta eſt, quanta legis Evangelicæ ſtabilitas. Alius eſt ſtatus perfectionis a ſuperiori diſtinctus, ſicuti includens ab incluſo, in quo ad æternam ſalutem facilius conſequendam, conſervandam, &augendam, coniungitur ſeu ſuperadditur obſervantiæ legis, etiam obſervantia Conciliorum. Et huiuſce ſtatus ſtabilitatem importat trium votorum ſolemnitas, quibus tamquam firmiſſimis mediis atque certiſſimis perfectio adipiſcenda proponitur. Hinc ſtatus Religioſus dicitur *ſtatus perfectionis*, cum Religio ſit quædam ſtabilis forma vitæ, quæ per primaria Chriſti conſilia, quibus præcipua impedimenta removentur, & homo ſe ſuaque omnia in perpetuum ſacrificium dicat Deo, & conſecrat, ad perfectionem charitatis perducit. Nam, ut ex D. Th. 2. 2. q. 186. ſtatus Religioſus eſt diſciplina ſeu exercitium perveniendi ad perfectionem, utpote qui & impedimenta ad hanc acquirendam totis viribus removet ac excludit, & media omnia quibus talis perfectio acquiratur, proponit & iubet. Hinc omnia quæ in ſuis Conſtitutionibus Religio vel obſervanda aſſumit, vel reiicienda imperat, ad hunc finem collimant, ſcilicet ad perfectionem acquirendam. Unde manifeſtiſſime patet, Religioſum vi ac conditione ſui ſtatus teneri irrefragabiliter & continuo tendere ad perfectionem, ſicuti fuſius infra demonſtrabimus. Dicitur *perfectionis acquirendæ*, quæ particula eſt eſſentialis, ad differentiam ſtatus Epiſcopi, qui eſt perfectionis acquiſitæ, & exercendæ erga proximum, quorum ſalutis Paſtor invigilat de ipſis rationem redditurus. Religioſus vero ex vi ſui ſtatus non tenetur eſſe perfectus, ſed perfectionem inquirere. Status enim Religioſus non eſt ſtatus perfectionis utcumque, ſed illius ut acquirendæ, tamquam via ad terminum, & ſtudium ad diſciplinam, quæ omnes relationes non important poſſeſſionem termini quem reſpiciunt. Idcirco ſtatus Religioſus dicitur ſchola & diſcipulatus ad perfectionem. Dicitur *per vota perpetua caſtitatis, paupertatis & obedientiæ*, ideſt non ſolum tenentur Religioſi ad obſervantiam divinorum mandatorum, ſed conſiliorum etiam, & præcipue trium votorum, quæ ideo ſubſtantialia ſeu eſſentialia dicuntur, cum hæc ſint de eſſentia ſtatus Religioſi, qui per hoc ſpecifice ac ſubſtantialiter diſtinguitur a ſtatu communi fidelium, qui ſolum divina præcepta ſervare tenentur, ut antea diximus, & nequiquam tria præcipua evangelica conſilia, ſicuti Religioſi, qui per eorumdem conſiliorum obſervantiam incedere debent continuo per viam perfectionis, quam ipſis ſtrictiſſime incumbit ſemper maiorem adipiſci. Dicitur *in aliquo Ordine ab Eccleſia approbato*, quia emiſſio trium votorum fieri debet in aliquo Ordine & ſub aliqua determinata Regula, nempe ſecundum Conſtitutiones ab Eccleſia approbatas, quas in ſingulis Ordinibus profitentur qui eiſdem adſeribuntur, ſive in eorum cœtu ac ſancta ſocietate recipiuntur; cum Ordinum Conſtitutiones ſint neceſſaria media ad votorum obſervantiam, ad conſequendum finem divini famulatus, & ſuorum Alumnorum perfectionem, quam quilibet Religioſus Ordo ſibi conſtituit. Cuniliatus.

Quare iuxta Doctores ad conſtituendum ſtatum Religioſum quinque eſſentiales conditiones requiruntur. Prima eſt, ut obſerventur tria Evangelica conſilia, ita ut ſine illis vel aliquo eorum verus ſubſtantialiſque ſtatus Religioſus ſervari nequeat, ut docent cum S. Th. 2. 2. q. 186. art. 2. & 3. ad 4. Pellizzarius, Salmat. & alii; quia cum Religioſus ſtatus ſit ſtatus & ſchola perfectionis acquirendæ, quæ conſiſtit in ſtricta unione cum Deo per charitatis intenſionem, & eſt finis cuiuslibet Religioſi Inſtituti; hinc dari nequit eſſentialiter ac ſtare Religioſus ſtatus abſque dictorum trium conſiliorum obſervantia, ut docet Innocentius III. in cap. *Cum ad Monaſterium* in fine *ad ſtatum Monachorum*, ubi ait: *Caſtitatem, & paupertatem* ( & idem omnes iudicant de obedientia ) *adeo eſſe annexas ſtatui*

tui Religioſo, *ut contra eas nec Summus Pontifex diſpenſare queat*; intellige tamen donec Religioſus in ſtatu Monachali ſeu Religioſo permaneat. Et equidem cum Religioſus ſtatus ſit ſtatus perfectionis acquirendæ per fervorem charitatis, oportet ut impedimenta removeat quæ huic obſtare poſſunt, & hoc fit per tria vota. Tria enim ſunt quæ perfectionem ſeu charitatis fervorem, immo ipſam communem omnium Fidelium ſpiritualem ſalutem, maxime impedire valent, videlicet vel bona externa, nimirum cupiditas rerum temporalium ſeu divitiarum & ſolicitudo illas habendi, conſervandi & augendi, vel corporis affectiones, ideſt oblectationes carnis, quas ex nuptiis habere poteſt; humana cogitatio, amor proprii iudicii & voluntatis, ſeu animi inordinatio, quod inſinuatur 1. Ioannis 2. *omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*. Per obſervantiam vero trium evangelicorum conſiliorum omnia hæc tolluntur impedimenta. Etenim per paupertatem tollitur externorum cupiditas, dum hanc vovens non ſolum renunciat omnibus quæ poſſidet, ſed etiam iuribus in poſterum acquirendi & poſſidendi: *Nutrimentum charitatis eſt diminutio cupiditatis, perfectio nulla cupiditas*, ait S. Aug. lib. 82. q. 36. Per caſtitatem coercetur cupiditas ſenſibilium oblectationum, licet honeſtarum, Matrimonii: *Qui ſine uxore eſt ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo*, Apoſt. 1. Corinth. 7. Per obedientiam tollitur impedimentum ſeu inordinatio propriæ voluntatis, quæ valde opponitur exemplo Chriſti, qui factus eſt obediens uſque ad mortem, eam alterius, nempe Superioris directioni ſubmittendo. Unde cum per trium conſiliorum obſervantiam auferatur quidquid extra vel intra hominem impedire poteſt, ut quis ſit perfectus, hæc tria ſufficiunt ac requiruntur ad ſtatum perfectionis acquirendæ eſſentialiter conſtituendum, ut docet hac eadem ratione etiam D. Th. Etenim hæc tria quietant totaliter humanum cor, ne affectibus & ſolicitudinibus huius vitæ a Deo divertatur, quod nuper converſis valde peroptabat Apoſtolus 1. Corinth. 7. *Volo vos ſine ſolicitudine eſſe*. Præterea hac triplici obſervantia, charitatis ſcilicer, paupertatis, & obedientiæ perficitur holocauſtum, quo quis totaliter offert Deo, ut Chriſtum lucrifaciat, quidquid habet cum ſeipſo, nihilque ſibi retinendo, ut cum veritate dicere poſſit cum D. Petro: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*. Et hæc eſt imitatio Chriſti, in qua conſiſtit Religioſa perfectio, ut ipſe Chriſtus Dominus ait: *Si vis perfectus eſſe, ſequere me*. Quare trium conſiliorum obſervantia adæquate integrat eſſentiam ſubſtantiamque ſtatus Religioſi, ita ut ſi quid aliud ad eadem conſilia pertinens ab aliquo ex Religioſis inſtitutis in ſolemni Religionis profeſſione obſervandum aſſumatur, ut perpetua abſtinentia a carnibus, quædam alia ſpecialis corporis afflictio, vel munera quædam charitatis erga proximum exercenda, ut Miſſiones ad infideles, Catechiſmus idiotorum, infirmorum & languentium cura, & huiuſmodi alia evangelicis conſiliis cohærentia, ſpectare quidem hæc omnia poſſunt ad differentiam unius Ordinis ab alio, minime vero ad eſſentiam Religionis, quæ omnibus Ordinibus communis eſt, & illa omnia iam in tribus evangelicis conſiliis implicite continentur.

Secunda conditio ad conſtituendum ſtatum Religioſum eſt, quod hæc tria vota obſerventur ſub obligatione voti ſolemnis, ſeu eſt perſonalis obligatio proveniens ex votis ſolemnibus Deo emiſſis, ut docet D. Th. antea citatus q. 186. art. 6. Non enim ſufficit ſimplex propoſitum, quia ſimplex propoſitum ſervandi tria conſilia Evangelica, tametſi a ferveſcente charitate procedat, una cum aliarum virtutum comitatu ſanctum conſtituere poterit, nunquam tamen Religioſum, cum Religio ſit quidam perfectionis ſtatus moralis amplectens ſpecialem vivendi formam perpetuo obſervandam. Nam ad huius naturam requiritur eſſentialiter firmitas & immobilitas, ita ut liberum non ſit talem ſtatum aſſumenti ab ipſo recedere. Huiuſmodi ſtabilitatem plane præſtare nequit ſimplex voluntatis propoſitum, quod licet ab initio firmiſſimum, ſine ulla culpa infirmari & revocari poteſt, dum nulla lex impedit ſeu contradicit mutare propoſitum. Igitur ex votis tantummodo ſubſtantialibus obſervandi Chriſti conſilia haberi poteſt immutabilitas ſtatui Religioſo neceſſaria & eſſentialis, cum per tria illa vota, qui hæc profitetur, per totam vitam perſonaliter Deo obligetur tendere ad perfectionem, & nunquam ab illius obſequiis recedere, non ſecus ac in Matrimonii ſtatu, qui per hoc conſtituitur, quod coniuges viciſſim per totam vitam ad coniugalem ſocietatem perſonaliter obligentur. Quamobrem merito docent Doctores, emittere prædicta vota eſſe de ſubſtantia ſtatus Religioſi, & ideo hæc

vota

vota ſubſtantialia appellantur. Unde laici Donati, Oblati ſeu Converſi, qui ſupradicta vota non emittunt, ſed unum tantum vel duo, ſicuti etiam Milites Regulares SS. Stephani & Mauritii, qui duo tantum ſubſtantialia vota emittunt, ut docet Lezzana tom. 2. cap. 8. n. 3. non ſunt vere Religioſi. Laici & Converſi, tum etiam dicti milites, Religioſi quidem appellantur in Bullis Pontificiis, ſed ibi ſumitur Religioſus lato modo, quatenus ſignificat perſonam Deo dicatam ſub certo modo vivendi ab Eccleſia approbato. De iiſdem vero Converſis & Militibus tria vota ſubſtantialia emittentibus, num vere ſint Religioſi, ſuo loco dicetur.

Vota autem, quibus ea emittentes trium Chriſti conſiliorum perpetuæ obſervantiæ ſe obligant, non ſolum interiori propoſito firmata eſſe debent, ſed exteriori quoque ſigno taliter expreſſa, & facta manifeſta, ut iudicium de eorum valore fieri poſſit, quia cum votorum emiſſione conſtituatur ſtatus Religioſus, qui pertinet aliquo modo ad Eccleſiæ Hierarchiam, ut ſubditi ſcilicet & initiandi, non vero ut Principes & initiantes, etiam per aliquod viſibile conſtitui debet. Unde certum eſt, aliquam ſolemnitatem in horum emiſſione requiri. Etenim cum per hæc Religioſus ſuæ Religioni perpetuo obligetur, profecto ad hanc humanam obligationem inducendam iuxta D. Th. 2. 2. q. 186. art. 2. aliqua ſolemnitas concurrere debet: *Ea quæ in humanis* ( ait ibi S. D. ) *perpetuam obligationem inducunt, ſolemnitate aliqua conſolidari debent*. Votum enim ſimplex, expreſſe docet cit. Angelicus loco eod., non conſtituit Religioſum ſeu Monachum, ſed neceſſario requiritur ſolemne; per votum enim ſimplex ſolum obligatur homo ad Religionis ingreſſum. Aliqua vero hic occurrit difficultas explicandi, in quo conſiſtat hæc ſolemnitas, per quam votum ſimplex differt ab eo quod dicitur ſolemne. Magiſter Sententiarum in 4. diſt. 38. ait, votum ſolemne idem eſſe ac publicum, ſeu coram publicis perſonis Eccleſiam repræſentare valentibus; ſimplex vero idem ac privatum, quod clam fit extra Eccleſiæ conſpectum. Hæc tamen doctrina oppugnatur a D. Th. 2. 2. q. 88. art. 7. ad 3. Quia licet verum ſit, omnia vota ſolemnia debere eſſe publica, & in quolibet ordine nonniſi cum certo ſpeciali apparatu, cæremoniis & ritibus ad voventis pietatem & populi ædificationem excitandam hoc fiat, ex hac tamen publicitate non habent vota niſi ſolemnitatem extrinſecam, accidentalem, & humanam, non vero ſpiritualem, divinam & ſubſtantialem, quæ Religioſum conſtituit, tametſi coram paucis fiant, & moraliter intelligenda ſunt. S. Th. hic in toto articulo docet, ſolemnitatem votorum pertinere tum ad homines, & ex hac parte fieri debet publice coram hominibus tali poteſtate præditis, ut Religioſam profeſſionem acceptare queant in talibus circumſtantiis, ut eius validitas Eccleſiæ conſtare poſſit, ac de ea, ſi unquam opus ſit, iudicium ferre, tum ad Deum; & hæc, ait S. Doctor, conſiſtit in quadam conſecratione & benedictione ſpirituali, quæ ex Apoſtolica inſtitutione adhibetur in profeſſione, in qua quis renunciando ſæculum, & propriam voluntatem divino mancipatur ſervitio, & ſtatum perfectionis aſſumit. Etenim ſecundum D. Th. unicuique rei ſecundum eius conditionem ſolemnitas adhibetur. Igitur ſolemnitas voti, quod eſt promiſſio facta Deo, attenditur ſecundum aliquod ſpirituale ad Deum pertinens: Idcirco ſpirituali benedictione & conſecratione, perſona ſic benedicta ac conſecrata ſtatum mutat ſeparando ſe a mundo, ac ab omni eo, quod ſit mundi, ut totam ſe det Deo, & perpetuo ſe eius cultui, ac famulatui occupet; unde effectus huius voti ſolemnis impedit Matrimonium contrahendum, & contractum dirimit, cum ita Deo conſecratus, ut ipſius Dei res propria fiat, non ſit amplius ſui iuris & liber, ſed Dei perpetuus ſervus inhabilis ut alteri, cuiuſmodi eſſet uxor, ſe donet. Non poteſt enim novum ſtatum pro libitu aſſumere, qui uni iam eſt devinctus. Quocirca omnia alia vota, tametſi publice fiant in Eccleſia cum quovis ſolemniori ritu, non ideo, notat hic D. Th., poſſunt dici ſolemnia, quia per hæc novus ſtatus non aſſumitur, ac proinde huiuſmodi votis non convenit ſolemnitas, ſed illis tantum, quibus aliquis totaliter ſe ſubiicit divino Miniſterio & famulatui. Hanc ſubſtantialem ſolemnitatem habent vota, quæ emittuntur in Societate Ieſu poſt biennium a ſuſcepto habitu, iuxta eorum leges ac Regulas, ſcilicet in prima eorum profeſſione, quia taliter profeſſi, licet ab ipſis *Scholares* dicantur, vere tamen ſunt Religioſi, ut definivit ac ſtatuit Gregorius XIII. ann. 1584. in Conſtit. quæ incipit *Aſcendente Domino*, ita ut quamvis ipſi a Superioribus abſolvi poſſint ab obligatione, non poſſunt tamen per ſeipſos recedere ſub pœna excommunicationis, &

aliis

aliis, quibus apoſtatæ ſubiiciuntur. Sic Salmanticenſes, Rotharius cum Suarezio & Pellizzario.

Nota, quod inter tria vota ſolemniter emiſſa a Religioſis iuxta D. Th. 2. 2. q. 186. art. 6. obedientia præcipuum, ſuperioremque locum obtinet ſuper alia Religioſi ſtatus vota, quia cum in Religioſa profeſſione holocauſtum Deo offeratur, in quo locum victimæ tenent corpus & res exteriores, & propria voluntas; per votum caſtitatis offertur corpus, per votum paupertatis offeruntur res exteriores, per votum obedientiæ offertur propria voluntas, quæ cum cæteris merito præferenda ſit, oblatio quoque propriæ voluntatis facta per votum obedientiæ tamquam nobilior, Deo gratior aliis votis ſe habet; eo vel maxime, quod alia vota per votum obedientiæ ſuam habeant obſervantiam, dum per tale votum quis diſponitur ac præparatur, ut legibus paupertatis & caſtitatis ſe ſubiiciat, quod contra non fit per alia duo vota, cum caſtus vel pauper, vi caſtitatis & paupertatis non ſit paratus alteri obedire: immo obedientia, cuius materia eſt oratio, lectio, meditatio, ſtudium, prædicatio, cura infirmorum, aliave huiuſce generis, quæ a qualibet Religione imperantur tamquam media ad aſſequendum amorem erga Deum, & proximum, in quo conſiſtit Religioſa perfectio, quæ eſt finis Religionis, ſe extendit ad actus huic fini propinquiores: idcirco obedientia propinquior eſt aliis votis fini Religionis, ac proinde melior iiſdem ac nobilior. Rotharius.

Tertia conditio ad ſtatum Religioſum conſtituendum eſt, ut per hæc vota vovens ſe ſubiiciat alterius ditioni, ideſt in poteſtate Religionis ſe conſtituat, atque ab ea nomine Eccleſiæ acceptetur, ut exinde reciproco pacto vovens fiat membrum Religionis, & Religio evadat mater, Rectrix, ac Domina Religioſi. Nam ut hæc vota ſint ſolemnia emitti debent in aliquo Religioſo Ordine. Dixi *ab eaque nomine Eccleſiæ acceptetur*, quia in humanis non valet traditio transferre dominium in alterum, niſi ab eo acceptetur. Quare ut Religio dominativam poteſtatem habeat reſpectu Religioſi, & dominium illius, ſitque illius domina, non ſecus ac dominus dominium habet in mancipium, ac eſt illius dominus, debet per ſuos miniſtros illum acceptare; ex quo fit eſſe de eſſentia ſtatus Religioſi, ut inter Religioſum & Religionem conſurgat reciproca humana obligatio per modum pacti reciproci, quo Religioſus Religioni ſe tradat eique obligetur, & Religio traditionem acceptet, eique obligetur viciſſim ad ipſum tamquam membrum alendum, gubernandum, dirigendum ſecundum ſui ſtatus exigentiam. Ex vi autem huius traditionis non conſtituitur Religioſus ſub ditione alterius, quæ ipſius propria ſit, ſicut eſt poteſtas ſpiritualis ad claves Eccleſiæ pertinens, quæ poteſtas eſt Eccleſiæ ut advertit hic Lezzana tom. 1. cap. 2. n. 1. ut patet in Sanctimonialibus profitentibus in manibus Abbatiſſarum, quia licet profitentes fiant veræ Religioſæ, non traduntur ſub illarum iuriſdictione ſpirituali, quam non habent: ſed ſufficit ad Eſſentiam Religioſi, quod profitens tradatur ſub poteſtate dominativa, & domeſtica Religionis, per quam non tam eſt ſui iuris, quam Religionis, in cuius poteſtate conſtituitur. Salmant.

Quarta conditio eſt, ut ſupradicta vota & traditio fiant in Religione approbata a Sede Apoſtolica, cum nullus dari poſſit verus Religioſus Ordo, niſi approbatus ſit a Summo Pontifice, nulla donatio illi facta, nullaque vota in tali Religione emiſſa ad ſtatum Religioſum inſtituendum. Ita Suarez, Lezzana, Pellizzarius; & ita habetur ex cap. Nimia Concilii Lateran. quarti tit. *de Relig. domib.* ex Gregorio IX. cap. unico *de Relig. domib.* in 6. Et ratio eſt manifeſta, quia ſtatus Religioſus eſt ſtatus ſupernaturalis, diſtinctus a communi ſtatu Chriſtianorum, & ſacra quædam Communitas, in qua eſſe debet ſpiritualis iuriſdictio in utroque foro. Et hanc ſpiritualem iuriſdictionem & poteſtatem in Superiore profecto exquirunt vota paupertatis & obedientiæ obſervanda in ſtatu Religioſo, cum paupertas exigat, Religioſum uti non poſſe re aliqua temporali ſine Superioris dependentia, ſicuti obedientia reſpicit præceptum Superioris vicem Chriſti Domini gerentis. Hæc autem auctoritas haberi nequit niſi ex approbatione Eccleſiæ, a qua omnis ſpiritualis iuriſdictio tamquam a ſuo fonte profluit.

Verum quidem eſt, quod licet ſtatus Religioſus exigat eſſentialiter, ideſt ex natura ſuæ inſtitutionis, quod Religio ſit approbata ab Eccleſia, non tamen exigit, ut talis approbatio ſit a Summo Pontifice; cum a Religionum exordiis, & per omnia tempora ante Innocentium III. plures eſſent Religiones ſine expreſſa Papæ approbatione, ſed ſola approbatione Epiſcoporum vel etiam eorum non repugnantia, ut pluribus demonſtrat Baſilius Pontius lib. *7. de Matrim.* cap.

11. Ve-

Digitized by Google

11. Verum poſt Innocentium III. a quo Sedi Apoſtolicæ reſervata fuit Religioſorum Ordinum approbatio, nulla dari poteſt vera Religio, nulla donatio illi facta abſque Pontificis approbatione, ut in cap. *Ne nimiam de Relig. domib.* & talis reſervatio innovata fuit & confirmata a Gregorio X. cap. unico Eod. tit. *de Relig. domib.* Unde certum eſt, irritam eſſe omnem profeſſionem Religioſam factam ſine Papæ approbatione, ideſt in Congregatione, quæ a Pontifice non eſt approbata, quia cum huic reſiſtat Ius canonicum prohibens, talis actus profeſſionis nullus erit & invalidus. Inquiritur vero a Doctoribus, num ante dictam reſervationem prohibitionemque ab Innocentio III. emanatam neceſſaria fuerit ex natura ipſius ſtatus Religioſi Eccleſiæ approbatio, quia cum talis ſtatus pertineat ad eccleſiaſticam Hierarchiam, nullo modo ſubſiſtere poſſe videtur inter privatas perſonas nulla eccleſiaſtica poteſtate munitas: Nam Congregatio huiuſcemodi fidelium, quales ſunt Religioſi Ordines, viventium ſub unius Prælati regimine, in cuius manibus tria ſubſtantialia vota emittuntur, cum traditione ac obligatione certas ſervandi Regulas Evangelicæ perfectionis adipiſcendæ accommodatas, non habenda eſt ut Communitas mere civilis & politica, ad quam ſatis ſunt contrahentium voluntates cum naturali poteſtate ſe ultro citroque obligandi, nempe vovens ad perpetuam Regulæ obſervantiam, & Prælatus recipiens ad illum coaptandum inter Congregationis alumnos, eumque ſuſtinendum, dirigendum, ſervandumque ſicuti eiuſdem corporis membrum: Sed quid nobilius ac ſacratius in tali cœtu elucet, ut notat Suarezius tom. 3. *de Religione* lib. 2. cap. 16. n. 4. Deus ipſe aliquo modo eſt una ex partibus principalibus in Religioſa profeſſione contrahentibus & acceptantibus; idcirco ad validitatem huiuſmodi religioſi ac ſacrati actus, quo voventes in Religioſo Ordine divino famulatui dicantur, ac veluti ſacrantur, neceſſaria eſt facultas a Chriſto Domino procedens per aliquam approbationem perſonæ in Eccleſia Dei auctoritatem habentis dirigendi animas ſanguine Chriſti redemptas ad æternam vitam. An vero ante allatam Conſtitutionem Innocentii III. qua novarum Religionum fundatio interdicitur ſine Pontificis approbatione, ſufficeret approbatio proprii Epiſcopi ſine ulteriori approbatione Papæ, diſtinguendum eſt cum quibuſdam, nempe vel novi Religioſi Ordinis erectio reſpiciebat univerſalis Eccleſiæ bonum, eo quod novus Ordo inſtitutus fuerit ad promovendam Evangelicam perfectionem per totum orbem, per quem diffunderentur huius Ordinis Cœnobia & Conventus cum ſubordinatione ad unum Rectorem & Gubernatorem, a cuius nutu omnes penderent, & tunc cum talis Ordo conſiderandus ſit tamquam aliquod pertinens ad univerſum orbem, eius approbatio attendenda eſt a Pontifice Chriſti Vicario, cui univerſalis Eccleſiæ cura demandata eſt: Vel nova Religio erigebatur claudenda ac permanenda intra fines Monaſterii, in quo naſcebatur, ideſt intra fines alicuius Diœceſis, nec propagationem curabat, nec intendebat, & tunc conſiderandus eſt ut modus vivendi & tendendi ad perfectionem in una tantum Diœceſi, ac proinde intereſſebat Paſtores Diœceſis curare, ne quid in illa vivendi norma irreperet vel ſuperſtitioſum, vel vanum, vel periculoſum, vel indiſcretum, ſed omnia ordinarentur ſecure ac tuto ad perfectionem quæ intendebatur. Secundo modo erecta ſunt Monaſteria primis Eccleſiæ ſæculis. Si autem contingebat ad Principum aut populorum preces, ut ad exemplum primi Monaſterii ſanctitatis fama celebris, aliud alibi iiſdem ſanctitatis legibus ac ſtatutis erigeretur, hoc ſecundum nihil commune cum primo retinebat niſi imitationis ſtudium, nec ſub eodem capite vivebat, cum tunc multa Monaſteria, ſicuti nunc proprie unum corpus non efficerent; unde univerſalis Eccleſiæ Paſtoris ſeu Capitis ex natura ſua approbationem non exigebat, ſed naſcebatur in nova Diœceſi cum nova approbatione illius Epiſcopi, in cuius territorio erigebatur. Quare in Concilio Chalcedonenſi cap. 4. quod relatum habemus in cap. *Quidam Monachi* 18. quæſt. 2. legimus: *Monachi non erigant Monaſteria ſine auctoritate & licentia Epiſcopi.* Nec hic agitur de materiali ædificio, ſed de ſpirituali ſeu de regula & norma ſancte & pie vivendi Monachis præſcribenda, quod longa ſæculorum experientia factum invenimus. Et Bellarminus cap. 4. *de Monachis* refert, plures Regularum confirmationes ab Epiſcopo factas, aſſeritque, D. Baſilii, Auguſtini, & Benedicti Regulas, quæ vetuſtiſſimæ ſunt, a ſolis Epiſcopis fuiſſe confirmatas. Rothar. hic cap. 1. n. 11.

Num vero profeſſio votorum & Regulæ facta in Religioſo Ordine non approbato valeat in ratione & vi voti ſimplicis, ac ita profeſſus teneatur ſaltem ad caſtitatem ſervandam, non conveniunt Doctores, Verior tamen videtur ſententia negativa, ſicut

eut tenet Leſſius contra aliquos ſtantes pro parte affirmativa; quia cum Religio non ſit Religio, & vovens non intenderit vovere niſi in Religione, hinc cum deceptus ſit in eo quoad ſubſtantiam, nulla eſt eius profeſſio ad regulas Religionis, quæ non extat ut ſupponitur, nulla eius votorum emiſſio, utpote quæ facienda eſt in Religione approbata, ac proinde nullo modo videtur teneri ad vota ſic emiſſa ſervanda: ſed melius infra de hoc videbitur, ubi ad examen revocandum eſt; an invalide profeſſus ob defectum alicuius ſubſtantialis conditionis, teneatur ex vi voti ſimplicis ad eorum obſervantiam, quæ in profeſſione promiſit, a quo præcipue pendet huius difficultatis ſolutio.

Quinta conditio tandem ad ſtatum Religioſum conſtituendum iuxta Salmanticenſes alioſve communiter eſt, quod trium votorum emiſſio ac perſonæ voventis traditio Religioni facta in profeſſione, fiat ſub certa Regula vel forma vivendi ab Eccleſia approbata, in qua ſpeciales ſunt ordinationes præter ea quæ in divinis præceptis & in ipſis votis continentur. Etenim licet mandatorum Dei, & votorum obſervantia ſatis habeant, ut ad charitatis perfectionem homines perducant, quæ per ſtatum Religioſum intenditur adipiſci, Eccleſia tamen ob iuſtas cauſſas non ſolet huiuſmodi ſtatum approbare ad Religionem conſtituendam, niſi ſimul adſit aliqua particularis Regula ſeu norma vivendi. Sic Navarrus & Lezzana citati hic a Salmanticenſibus. Quare ut ſtatus Religioſus integre deſcribatur cum omnibus eſſentialibus conditionibus hactenus aſſignatis, aiunt hic laudati Salmanticen. ita definiri poteſt: *Eſt ſtatus perfectionis perpetuo acquirendæ per tria vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, & traditionis, facta in Religione approbata ab Eccleſia ſub certa Regula.*

Verum cum ad Religioſum conſtituendum huiuſcemodi requirantur conditiones, occurrit hic difficultas circa Anacoritas ſeu Eremitas in ſolitudine viventes, num vere ſint ac dici poſſint Religioſi. Et in hoc advertendum, diſtinguere Doctores inter Anacoritas, qui vota eſſentialia emiſerunt in manu alicuius Prælati, qui nomine Dei, eiuſque auctoritate acceptaverit, & qui per proportionata media vadant ad perfectionem; & eos qui vota in manu Prælati non emiſerunt. Si primum, ideſt ſi emiſerint vota ſubſtantialia in manu Prælati, ſive in Cœnobio in manu illius Cœnobii Superioris, ſicuti nonnulli ex priſcis Eremitæ ſeu Anacoritæ fecerunt, vel in manibus etiam Epiſcopi, ut docet D. Th. 2. 2. q. 186. art. 5. ad 3. & alias ſervaverint ſua media aptiora ad perfectionem, nimirum ſolitudinem, ſilentium, aſperitates, & incommoda magna, his revera nomen & ratio Religioſi convenit, ideſt fuerunt, & dici poterant ac dici poſſunt vere Religioſi, cum ſic viventes habuerint quidquid eſſentialiter & ex natura ſua ſtatus Religioſus exigit, tametſi nec in Communitate exercitati vixerint ad diſcendam ex aliorum exemplo evangelicam perfectionem, nec actu alicui Prælato obedierint. Etenim conditio quæ nunc viget ad conſtituendum ſtatum Religioſum, nempe emittendi vota in Religione a S. Sede approbata, quæ nunc eſt Communitas quædam ſub obedientia alicuius Prælati degens, uti iam diximus, eſt de iure mere Eccleſiaſtico, ideſt ex Conſtit. Innocentii III. ante laudata, minime de natura ſeu eſſentia ſtatus Religioſi, ac proinde ante talem Conſtitutionem aliqui ex priſcis Anacoritis fuere vere & formaliter Religioſi, eo quia ſervarent conditiones omnes eſſentialiter requiſitas ad conſtituendum ſubſtantialiter & ex natura ſua ſtatum Religioſum, non vero alii niſi eminentialiter. Nam plures fuere Anacoritæ, qui illas conditiones non impleverunt, ut Ioannes Baptiſta, Paulus primus Eremita, Antonius & alii. Hi fuere quidem Religioſi ratione quadam eminentiſſima, quia Spiritus ſanctus ſupplebat in eis, quod in aliis per exercitium acquiritur, illoſque per gratiæ abundantiam quaſi immobiliter in tali modo vivendi confirmabat, necnon obedientiæ directionem ſupplebat, quæ in aliis per hominem fieri ſolet. Immo in illis viris ſanctis erat quoque perfecta obedientia in eorum animi diſpoſitione ac præparatione erga Eccleſiæ Prælatos, ut bene advertit Suarezius tom. 4. *de Religione* lib. 1. cap. 2. n. 12. Unde non tam erant in ſtatu tendentium ad perfectionem, quam in ſtatu perfectorum, dum in his ſpecialis gratia Spiritus S. id efficiebat, quod in aliis aliorum exemplum & exercitatio in Communitate viventibus, & actualis obedientia, qua a ſuis Prælatis vel ſtatutis reguntur. Sic docet D. Th. 2. 2. q. 188. art. 8. *in corpore*.

§. II.

Digitized by Google

## §. II.

*De obligatione Religioſorum tendendi ad perfectionem, quæ eſt eſſentialis ſtatui Religioſo.*

Rem nunc actuti tam gravis momenti, ut clariori ac faciliori modo, quo fieri poteſt, huiuſcemodi negotium geratur certa ab incertis diſcernendo, operæ pretium eſſe cenſemus, præcipua huiuſce materiæ fundamenta ſeu inconcuſſa principia præmittere, quæ ut certiſſima habenda ſunt, ut ipſius veritas melius ſtabiliatur ac eluceſcat, & facilius pro eorum profectu ſtudioſi lectores eam deprehendere valeant. Quare

Supponendum 1. cum D. Th. 2. 2. q. 186. art. 2. perfectionem Religioſam ſeu Evangelicam, quam homines in Religioſis Ordinibus tria Evangelica conſilia, paupertatem ſcilicet, caſtitatem, & obedientiam, necnon Regularum Inſtituti obſervantiam vovendo profitentur, eſſe præcipuum immo unicum finem ac ſcopum, ad quem tendunt, ordinantur, & inſtituti ſunt Religioſi Ordines, utpote qui nihil aliud ſint, ut docet cit. Doctor Ang. niſi diſciplina, ſtudium, & exercitium perveniendi ad perfectionem charitatis: *Perfectio charitatis*, ait S. Doctor, *eſt finis ſtatus Religioſi*. Etenim perfectio cuiuſque rei conſiſtit in acquiſitione ultimi finis, qui eſt ſummum illius bonum, quo ultimo perficitur. Deus eſt hominis ultimus finis, & ſummum bonum, ad quod non pervenitur niſi per charitatem, utpote quæ ſola ex omnibus virtutibus hominem Deo coniungit, ut I. Ioan. 4. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*. Perfectio autem charitatis, quam in hac vita homo aſſequi poteſt, in eo ſita videtur (ut loquar cum quodam recentiore) quod anima habitu charitatis ornata, & aſſidua exercitatione in actibus moralium virtutum taliter inordinatos affectus ſeu paſſiones ſubegerit, ſuique corporis ſenſus coercuerit, ac omnibus a ſe reiectis, quæ divini amoris augmentum impedire valeant, magnam ſibi comparet promptitudinem ac facilitatem in actus theologalium virtutum, ac præſertim amoris Dei erumpendi, ac ſimul praxim aliarum moralium virtutum aliis potentiis imperandi, tum ad gloriam Dei, tum ad proximi utilitatem iuxta ſpiritum vocationemque proprii Inſtituti, ita ut fere nullam, aut valde levem ad hæc exequenda reſiſtentiam patiatur. Unde neceſſe eſt ut Religioſus hoc aſſequatur, ut vim magnam ſibi faciat, iuxta illud SS. Patrum effatum, & præcipue D. Hieronymi, nempe tantum animum proficiſci in perfectione, quantum ſibi ipſi vim inferat: *Tantum profeceris, quantum tibi ipſi vim intuleris*. Tunc igitur Religioſus ſui ſtatus perfectionem aſſecutus eſt, cum per uſum & exercitationem votorum aliorumque mediorum, quæ a ſuo Inſtituto ad hunc finem propoſita ſunt, comparavit pium habitum comprimendi primas omnes cupiditatis motiones, quantum humana patitur fragilitas, Deoque iugiter inhærendi.

Supponendum 2. tres eſſe gradus perfectionis, incipientium, proficientium, & perfectorum. Etenim in unoquoque ſtatu, in quo perfectio adipiſci optatur, cum ſtatus omnis ſit veluti ſtadium habens initium, medium, & finem, hi tres gradus percurrendi ſunt, & hoc ſtatui etiam Religioſo convenit, utpote qui non ſit ſtatus perfectionis acquiſitæ, ideſt non perfectorum, ſed perfectionis acquirendæ, nempe perficiendorum, ac proinde in hoc quoque eſt peculiaris ratio inchoandi perfectionem, & inde tranſeundi ad medium proficiendi in perfectione, & tandem ſequitur ipſius perfectionis aſſecutio, ita ut ſingulis gradibus ſint ſua determinata exercitia, media, actioneſque. Quare cum ſolitaria vita ſit perfectorum, rite non aſſumeretur niſi ex ſpeciali Spiritus ſancti inſtinctu, & nonniſi a viro diutius in Cœnobio exercitato, & cum debita ſubordinatione proprio Superiori, per quam ſit tranſitus a ſtatu incipientium ad ſtatum proficientium, ut ſic perveniatur ad ſtatum perfectorum. Ita D. Th. 2. 2. q. 188. art. 8. Quare iuxta S. Doctorem valde periculoſum eſt vitam ſolitariam immediate amplecti, ideſt non tranſeundo prius per cœnobiticam ac ſocialem, in qua adeſt prope continuus obedientiæ curſus, aliorumque Fratrum adiutorium per exemplum, correctionem, aliaque charitatis exercitia, & occaſio multiplex virtutes alias exercendi, maiorque opportunitas ad defectus effugiendos. Hinc ob id ait Suarez n. 16. quod humano modo loquendi modus vivendi ſolitarie immediate aſſumptus non cadit ſub humano conſilio, nec dici poteſt ſimpliciter melior, ſed ſolum cum addito, nempe niſi interveniat ſpecialis Spiritus ſancti inſtinctus: Quocirca talis ſtatus non immerito ab Eccleſia ſublatus fuit. Sic Salmant.

Supponendum 3. media ad perfectionem ducentia duplicis eſſe generis, alia cuicum-

que

que perſonæ pro quocunque ſtatu ſive eccleſiaſtico ſive laicali ad chriſtianam perfectionem tendendi communia, utpote neceſſaria nedum ad charitatem chriſtianam adipiſcendam, ſed & ad eam conſervandam, cuiuſmodi ſunt malarum affectionum ſeu paſſionum cohibitio per exercitia virtutum tum theologicarum, tum moralium, frenatio ſenſuum, mortificatio, & orationis ſtudium. Quædam vero particularia, ſive quæ neceſſaria ſunt in particulari ſeu reſpective ad talem ſtatum perſonæ ad perfectionem tendentis, & huiuſmodi (præter alia priora expoſita neceſſaria unicuique fideli) alia neceſſaria ſunt pro ſtatu Religioſo, nempe votorum ſolemnium, & ſubſtantialium, ac Regularum proprii Inſtituti accurata obſervantia, ut docet D. Th. 2.2. q. 180. art. 2. in argum. Ad hæc tenetur Religioſus, non vero ad ſupererrogatoria, videlicet corporis cruciatus per cilicia, flagellationes, rigoroſiſſima ieiunia, longas vigilias, aliave huiuſmodi. Et in hoc ſenſu intelligendus eſt Doctor Angel. dum in loco cit. habet *non teneri* (Religioſum) *ad omnia exercitia, quibus ad perfectionem pervenitur, ſed ad illa* ſcilicet tria communia ſuperius recenſita. Et quoad obſervantiam trium ſubſtantialium votorum ſeu conſiliorum Evangelicorum ad ſtatus Religioſi perfectionem, eam tradit Chriſtus Dominus Matth. 19. quoad paupertatem, quando cuidam iuveni dixit: *Vade & vende quæ habes, & da pauperibus*; & quoad obedientiam, cum ſubiunxit eidem iuveni; *& veni ſequere me*. Quoad caſtitatem tandem Matth. 16. ubi ait: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*, quod utique fit præcipue voluptatibus carnis, etiam honeſtis in Matrimonio, renunciando, ac totaliter ab iiſdem abſtinendo. His poſitis ſit.

Obligatio Religioſi tendendi ad perfectionem.

Religioſus qui cæteroquin vi ſtatus Religioſi non debet eſſe perfectus, cum in ſtatu ſit, & via ad perfectionem ideſt perficiendorum, non perfectorum ſtatu, vi tamen ipſius Religioſi ſui ſtatus tenetur irrefragabiliter ſub gravi ſemper tendere in perfectionem, eamque totis viribus, magnoque ſtudio procurare, ac ideo indeſinenter in ea proficere. Quamobrem in definiendo Religioſo ſtatu dicitur *ſtatus perpetuo perfectionis acquirendæ*. Unde ſive talis obligatio ſit ipſa ſtatus Religioſi eſſentia, ut alii volunt, & eſt probabilius, ac ideo aſſerunt hi idem eſſe ſtatum Religionis, ac ſtatum ſeu ſcholam perfectionis acquirendæ, in quo totum ſtudium circa illam verſatur, ſive ſit proprietas eſſentialis, ac proinde omnino a tali ſtatu inſeparabilis, quod iam idem importat quoad debitum ac ſi eſſet eiuſdem ſtatus Religioſi eſſentia; tenetur Religioſus ex vi ſuæ profeſſionis ad continuo tendendum in perfectionem, ut aperte docet S. Th. 2. 2. q. 186. art. 2. Etenim ex vi ſuæ profeſſionis tenetur velle ſtatum ſuum ſervare, & ſecundum illum vivere: *Ille qui ſtatum Religioſum aſſumit*, ait cit. Doctor Angel., *non tenetur habere perfectam charitatem, ſed tenetur ad hanc tendere, & operam dare ut habeat charitatem perfectam*. Et hæc eſt ſententia communiſſima Doctorum. Quiſquis enim ſtatum aliquem amplectitur, procul dubio tenetur velle omnia quæ ſuo ſtatui ſunt eſſentialia ſervare: Igitur quilibet Religioſus obnoxius eſt debito continuo tendendi ad perfectionem, ac eiuſdem aſſecutionem procurandi, cum talis obligatio ſit ſubſtantialis & præcipua ſui ſtatus, ad quam vi ſuæ profeſſionis ſe obſtrinxit. Et cum ſit obligatio de re graviſſima quam vovit, & ſine ea ſtare nequeat ſubſtantia Religioſi ſtatus, cum in illa eiuſdem ſtatus ſubſtantia conſiſtat, non poteſt non valde graviter obligare. Sic S. Th. loco cit. Sanchez, Lezzana, Heono, qui aſſerunt ſententiam illam Navarri in cap. *Quia perro* 12. q. 1. n. 20. valde iis formidandum, qui ſtudium perfectionis negligunt: *Terribilis eſt multis Religioſis hæc ſententia, qui nec actu, ideſt actualiter, neque virtute ſeu virtualiter habent animum ſe in dies magis in charitate perficiendi, nec curant plus quam boni Clerici ſæculares, vel laici ad eam tendere*.

Obligatio huiuſmodi importat, quod Religioſus indeſinenti quodam motu, ac enixe ſtudeat progredi in perfectionem, ita ut nunquam a tali motu & progreſſu quieſcat, ac deſiſtat, nec dicat ſatis eſt, ſed ſemper ad altiora aſpiret, ferventioremque omni maiori conatu charitatem in ſe excitare curet: Nam in via Dei non progredi, & ſiſtere, idem eſt ac regredi, non ſecus ac ille, aiunt Salmanticenſes, qui contra aquarum impetum enatat, qui cum in eodem loco perſiſtere nequeat, vel ultra procedere debet, vel retrorſum regredi. Quocirca optime ait D. Bernardus ep. 354. nolle proficere deficere eſt. *Ubi ergo ſunt qui dicere ſolent: ſufficit nobis, nolumus eſſe meliores quam patres noſtri? O Monache, non vis proficere? Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic, inquis, vivere volo, & manere in ſtatu in quo perveni, nec melior fieri patior,*

Digitized by Google

*tior, nec melior cupio. Hoc ergo vis eſſe quod eſſe non potes.*

Ex hoc tamen non ſequitur teneri Religioſum tendere ad perfectionem per opera omnia conſiliorum & ſupererogationis, ſed per ea tantummodo quæ ſunt ſecundum Regulam, & per obſervantiam ſuæ Religionis, cuius inſtitutum profeſſus eſt, ut recte docet D. Th. ſupra laud. art. 2. & cum ipſo Doctores omnes communiter, eo quia non ſe obſtrinxit vovendo ad aliam perfectionem curandam niſi eam, quæ mediis Inſtituti ſeu Ordinis comparare poteſt. Hinc fit, iſtam obligationem eamdem eſſe indiſtincte, ac obligationem ſervandi vota & Regulares obſervantias ſuæ profeſſionis, nempe Religionis, quam profitendo amplexus eſt, non ſecus ac obligatio obediendi Deo, eique placendi, ac in eum ut in ultimum finem tendendi, non eſt diſtincta ab obligatione ipſius Dei mandata obſervandi. Unde non duplex peccatum committit in confeſſione explicandum Religioſus delinquens contra aliquod votum vel præceptum, unum contra illud, alterum contra obligationem tendendi in perfectionem, ſed unum tantummodo, quia una & altera eadem eſt indiſtincta obligatio. Ita Caietanus, Pellizzarius, Lezzana citati hic a Salmanticenſibus.

Quare ex his ſequitur, perfectam impletionem huius obligationis conſiſtere in exercitus cuiuſcumque ſtatus perfecte explendis, & in eo quod eſt ſtudere ac tentare omni morali vi ut quotidiana Inſtituti exercitia modo ſemper perfectiori executioni mandentur. Iſta enim ſunt aptiora media ad finem ſuum aſſequendum, hæc quæ magis Deo placent, ac unicuique magis proficiunt, hæc conſilia ab ipſo aſſequenda, quæ ad culmen perfectionis perducunt. Alia vero ſi ab iſtis removeant, veluti minus apta ad ſuum finem & proportionata derelinquenda ſunt; alia tamen ſupererogationis opera, quæ cum eis componi valent, non omittenda, ſed illa omnino facienda perfectiori modo quo poſſit, quia ſic erunt magis proficua. Poterit ne igitur, ſubiungam cum recentiore, vere dicere Religioſus, ſe habere animum ſincerum, ſtudioſum, ſollicitum tendendi magno ſtudio, totiſque viribus ad perfectionem charitatis, qui contentus abſtinere a peccatis mortalibus, modicam vel nullam ſolicitudinem impendit abſtinendi a venialibus deliberatis? Qui in ſenſibus ſui corporis reprimendis nullum ſtudium adhibet? qui viam pœnitentiæ, & mortificationis quaſi omnino ignorat? qui quaſdam regulares obſervantias iam ſtabiliter dimiſit, quaſdam raro exequitur, cæteras ex mera conſuetudine abſque ulla ſpiritus vividitate perficit? Qui quæ Dei ſunt, pluribus diſtractionibus, negligentiis, deordinationibuſque commaculat? qui orationi vacandi nulla cura tangitur? qui converſandi cum Deo in corde ſuo nullum penitus uſum habet? qui temporis inſumendi in ludis, ſolatiis, ſpectaculis, aliiſque dedecentibus modis nullo remorſu pungitur? qui totus eſt in propriis commodis procurandis, in magna fama ſibi concilianda, qui, ut paucis multum dicam, huius graviſſimæ obligationis tendendi ad perfectionem charitatis tali oblivione occupatur, ut fere nunquam menti ſuæ ſe offerat; eamque ſe offerentem, concito gradu vix tranſeuntem dimittit? Huiuſmodi Religioſus, repeto, dici poterit *magno ſtudio totiſque viribus* ad perfectionem charitatis tendens, quemadmodum ſua requirit obligatio ſub gravi? Nonne igitur merito iure protulit Navarrus, terribilem eſſe multis Religioſis hanc ſententiam.

Quamobrem mortaliter peccat Religioſus, qui relinquit conſilia & media, immo quæcumque alia, quæ ducunt ad perfectionem iuxta ſtatus ſui vocationem ex ſimplici & formali contemptu, ſeu ex pravo fine impediendi ſuam perfectionem, quia ad illam refugit progredi errore ductus intellectus, vel pravo affectu voluntatis, ut explicat D. Th. q. 186. art. 2. & 9. cum talis contemptus ſit actus formalis inobedientiæ, quia in hoc directe agit contra obligationem ſuæ profeſſionis ex animo contumaci non ſubiiciendi legibus ſui Ordinis, & ſuorum Superiorum præceptis, licet leges non obligent ad ullam culpam, vel ſolum ad venialem, cum talis contemptus ſit actus formalis inobedientiæ, includens & tranſgreſſionem præcepti & intentionem nolendi ſe ſubiicere præcepto ac præcipienti, ut notat Lezzana; vel ſi ea omittat obſervare, ut inania, vana & inutilia, non vero ſi ea omittat, quia videt non eſſe ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, nec ſibi præcipi ſub mortali, vel ex concupiſcentia aut alia paſſione victus. Sic D. Th. loco cit. hic expreſſis verbis relatus a Salmanticenſibus. Item peccat mortaliter Religioſus, qui firmiter apud ſe ſtatuat nullo modo curare de perfectione, vel in animum induxit non progredi ad vitæ perfectionem, dicens intra ſe, ſatis actum eſt, ut quid laborabimus perfectionem ampliorem procurare?



Digitized by Google

cum hoc quoque ſit directe agere contra obligationem ſuæ profeſſionis continuo maiorem perfectionem procurandi, & nunquam a tali motu quieſcendi. Huiuſcemodi Religioſos D. Thomas q. 184. art. 5. ad 2. dicit mendaces & ſimulatores facto ipſo, quoties a perfectione aſſequenda, quam in ſtatu Religioſo profitentur, animum revocant. Immo huiuſmodi modus agendi habetur a D. Th. 2. 2. q. 186. art. 2. 3. & 4. veluti quoddam genus contemptus Regulæ, & Conſtitutionum, ac manifeſtum indicium parvæ æſtimationis, quam Religioſus de his habet: Idcirco Religioſus ita ſe gerens tutus non eſt in conſcientia. Et hoc comprobatur a Trid. Synodo ſeſſ. 25. *de Regularib.* cap. 1. ubi loquendo de obſervantia Regulari præcipit, ut Regulares utriuſque ſexus vitam ſuam inſtituant & componant ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum, & non ſolum quod tria vota ſubſtantialia, ſed etiam quod omnia alia, quæ ſunt alicuius Ordinis particularia vota & præcepta ad eorum reſpective eſſentiam ſpectantia fideliter obſervent. Nam qui contentus ſervare præcepta Regulæ ſub gravi obligantia, nullam habet ſolicitudinem ſervandi cætera quoque tale vinculum non afferentia, nullam rationem habens de Conſtitutionibus ſui Ordinis, talis Religioſus non adhibet inſtrumenta ſeu media ad perfectionem aſſequendam, neque ad id incumbit, utpote qui non vivat juxta Regulam ſibi impoſitam, immo modo illi oppoſito, ac proinde notabiliter violat gravem ſuam obligationem, quam in profeſſione contraxit, maiorem perfectionem inceſſanter procurandi.

Item, ſi Religioſus pravo ſuo exemplo Regulæ relaxationem inducir, intellige tamen in materia non levi, ſed gravi, ſeu ampliat, ideſt alios ad vitam depravatam trahit, ſeu ad Regulæ relaxationem, quia tunc & Fratribus & Religioni grave nocumentum infert. Hoc tamen non eſt peccatum contra ſuam obligationem contractam in profeſſione, ſed vel contra charitatem, offendicula aliis obiiciendo, vel contra pietatem debitam Religioni, ac ideo eſt ſpecialis circumſtantia in confeſſione aperienda.

Verum quidem eſt, quod crude accipiendo doctrinam D. Thomæ, quam habet 2. 2. q. 186. art. 2. & reſponſ. ad 1. ſtatuere videtur, non niti contra debitum tendendi in perfectionem, niſi inſtrumenta ſeu media contemnat, quæ ordinata ſunt & apta ad Religioſam perfectionem acquitendam, ita ut Religioſus, licet non obſervet Regulas, Conſtitutioneſque ſuæ Religionis, licet negligenter vivat, fere nihil ſolicitus ſit venialia præcavere, ac congruas ſuæ vocationi virtutes exercere, quæ cæteroquin inſerviunt ad perfectionis proventum faciendum, dummodo hoc non fiat ex contemptu, & vota, præceptaque graviter obligantia obſervet, minime tranſgreditur debitum quod ſibi incumbit tendendi ad perfectionem. Ait enim ibi S. Doctor: *Contra quod facit contemnens*, idemque repetit in reſponſione ad 1. Et ideo Religioſus non eſt tranſgreſſor profeſſionis, ſi non eſt perfectus, ſed ſolum ſi contemnat ad perfectionem tendere. In hoc tamen ſenſu intelligi non debet allata Angelici doctrina, cum alias clare ſuam ſententiam eodem loco exponat, ubi præciſe ſtatuit, ac docet circa Religioſi obligationem Religioſam perfectionem curandi, quod hoc tentare debeat per obſervantiam eorum omnium, quæ ſibi per regulam imponuntur. Sic enim habet: *Requiri quod per aliquam viam Religioſus ad finem perfectionis tendat; & teneri operam dare, ut habeat charitatem perfectam, teneri ut ad ea implenda intendat, quæ perfectionem charitatis conſequuntur, iuxta ea quæ ſibi ſunt taxata per Regulam.* Si ita igitur S. Doctor firmiter & clare ſtatuit ac docet, teneri Religioſum tendere per omnia ad perfectionem, quomodo quæſo excogitari poteſt, quod immediate poſt doceat, quod debitum curandæ perfectionis ei non incumbat ſub gravi, niſi ea ſimpliciter obſervando & cavendo, quæ univerſi Fideles obſervare & cavere tenentur ad ſalutem æternam aſſequendam, nempe mandatorum obſervantiam, gravium fugam culparum, dum Theologi omnes cum eodem Angelico Doctore univerſim graviter aſſerunt, Religioſum diſtricte teneri *ſeria diligentia, perpetuo conatu, impenſoque ſtudio* ad perfectionem charitatis adipiſcendam? Et revera ſi Religioſo non eſſet tali modo elaborandum pro huiuſmodi perfectione, ideſt media omnia exequendo, quæ ipſemet Angelicus vult neceſſaria eſſe Religioſo ad perfectionem attingendam, profecto non plus exigeretur a Religioſo, quam a Clerico ſæculari vel laico Fideli. Etenim hi quoque ſi omittant ex contemptu opera ſupererogationis, mortaliter peccant. Nullum igitur intercederet diſcrimen inter iſtorum obligationem, & Religioſi Dei famulatui quodam ſpeciali vinculo mancipati. Non tenerentur illi tendere ad perfectionem charita-

ta-

tatis, quia nulla lege, nulla obligatione devinciuntur: nec ( accipiendo in alio ſenſu allatam S. Thomæ doctrinam ) teneretur Religioſus, quia quamquam ſit gravi obligationi perfectionis procurandæ obnoxius, contra hanc tamen in illo ſenſu graviter non peccaret.

S. itaque Doctor ibi loquitur de tranſgreſſore non obfirmato non perſeveranti, ſed de eo, qui ex infirmitate, & cum aliquali ſui defectus horrore identidem decidit in quaſdam venialitates, & legum ſuæ Regulæ tranſgreſſiones, retento ſemper firmo animo & voluntate proficiendi in perfectionem charitatis, ad quam revera identidem nititur. Et ſi hoc modo non exponatur Angelici doctrina, ſequeretur, quod conſtituens non amplius niti velle ad perfectionem, cum proteſtatione quod hoc efficiat non ex contemptu, ſed ut ſuæ indulgeat imbecillitati, non peccaret lethaliter, quod nemo Theologorum concedit, ſed omnes unanimes aſſerunt, animum verum ſincerumque tendendi ad perfectionem debere eſſe perfectum, & nunquam deponendum. Unde vel S. Thomas ibi intelligendus eſt in ſenſu iam expoſito, vel de contemptu etiam implicito, qui a mortali reatu immunis eſſe nequit. Nam actiones omnes ſemper tales ſunt, nempe vel bonæ & honeſtæ, vel malæ & graviter culpabiles, ſive tales ſint expreſſe, formaliter, & explicite, ſive interpretative tantum, virtualiter, & implicite. Unde ſicut ſimonia vel blaſphemia, & ita dicito de aliis mortalibus criminibus, nedum formalia & explicita, ſed etiam quando talia ſint virtualiter & implicite, indubitanter ſunt lethalia; ita quoque contingit de contemptu cuiuslibet obligationis, qui quando expreſſus ſit, formalis, & explicitus, a theologis omnibus mortalis aſſeritur; mortalis quoque cenſendus & habendus eſt quoties contingat interpretative, virtualiter, & implicite. Quare hoc ferme pacto quo cenſentur contemptores interpretativi & impliciti legum divinarum & Eccleſiæ, ſi prompte & ſtabiliter eas tranſgrediuntur, nullam omnino rationem habentes de multitudine, conſuetudine, perſeverantia tranſgreſſionum, neque de ſemper maiori animi firmitate in illis violandis, cum alia non dentur indicia impliciti & interpretativi contemptoris: Religioſus pariter qui permanet firmus & ſtabilis in eadem obligationum ſuarum violatione, ita ut propoſita quacumque occaſione legis tranſgrediendæ eam tranſgreditur, & occaſione propoſita eas obſervandi non obſervat, ac ita ſe gerit non ſecus ac ſi nullo erga eaſdem vinculo teneretur, cenſendus eſt implicitus & interpretativus contemptor ſuarum legum & obſervantiarum, quibus eſt obnoxius. Igitur a pari cenſendus erit & habendus implicitus & interpretativus contemptor gravis obligationis tendendi ad perfectionem, qui erga ſui Inſtituti leges, quæ ſicuti docet D. Th. ſunt media adhibenda ad operandam charitatis perfectionem, modo paulo ante dicto ſe gerit, nihil curans de paſſionibus cohibendis, de oratione, de mortificatione, cæteriſque virtutibus comparandis, ita indifferenter ſe habet, ac ſi nullo vinculo ad perfectionem conſequendam obſtringeretur. Tam enim delinquit mortaliter qui formaliter contemnit ſuam obligationem, quam qui ſuæ obligationi non ſatisfacit, ſicuti habemus ex pſalmis, *Declinantes in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem*.

Hinc facile colligitur quantum aberrent a vero ii, qui cenſent in tribus votis, eorumdemque ſola obſervantia totam charitatis perfectionem conſiſtere; cum ſola trium votorum obſervantia non ſit medium ſatis efficax ad charitatem augendam corroborandamque. Et hoc conſtat ex ipſa experientia in pluribus Sanctis, qui in omni conditione, Principatus, militiæ & coniugii, & ſæcularis Clericatus, Viduarum, Virginumque floruere, cum ſine trium votorum emiſſione & obſervantia perfectionem charitatis adepti fuerint. Igitur profectio charitatis non eſt repoſita in illis tribus votis. Unde eorumdem obſervantia non ſufficit Religioſo ſine aliarum virtutum moralium & theologicarum confœderatione & comitatu. Etenim illa tria vota ad tres tantum virtutes particulares pertinent, ad paupertatem ſcilicet, caſtitatem, & obedientiam, & omnis moralis virtus habet ſuos fines intra ſphæram proprii obiecti, ut elicere nequeat actus aliarum virtutum, quæ circa obiectum alterius rationis verſantur. Quis igitur non videt, non poſſe Religioſum optime ſatisfacere graviſſimæ ſuæ obligationi, qua tenetur ſerio & omni conatu ad perfectionem charitatis tendere, per ſolam trium votorum obſervantiam? ideſt per ſolum trium moralium virtutum exercitium, ita ut quamvis caſtus ſit, pauper, & obediens; ad culmen perfectionis pervenire non valeat, niſi etiam ſolicitus ſit ſe exercendi etiam in aliis virtutibus moralibus ac theologalibus, ideſt multam

O 2 cu-

curam habeat acquirendi humilitatem, patientiam, pœnitentiam, miſericordiam, ſtudium orationis &c., & maxime augmentum fidei, ſpei & charitatis per eorumdem actuum frequentiam, quando uſus earumdem virtutum præſertim recenſitarum ſit omnino neceſſarius ad ipſam chriſtianam perfectionem, ad quam tenentur ſæculares omnes tum clerici tum laici pro æterna eorum ſalute operanda.

Vane igitur ſibi blanditur Religioſus, putans ſe ſatisfacere poſſe diſtrictæ ſuæ obligationi ſincere & ſerio aſpirandi, & tendendi ad perfectionem, per tria ſola vota. Sunt hæc quidem præcipua media ad illum finem, ſed requiritur inſuper quod eorumdem obſervantiam comitentur obſervantia Regularum ſui cuiuſcumque reſpectivi Inſtituti, fuga accurata venialium, uſus frequens orationis, praxis actuum moralium virtutum, frequens exercitium actuum virtutum theologalium, & præcipue charitatis (quæ non augetur niſi dependenter ab actibus amoris ad eius incrementum diſponentibus), & proinde ſerio, prout tenetur, hiſce mediis ſedulam operam dare neceſſe eſt, ut in perfectione proficiat. Intelligant igitur Religioſi hanc veritatem, nec aliter de eorum ſtudio ad perfectionem ſibi adulentur, ne ſi diſciplinam non acceperint, iuſte contra eos iraſcatur Dominus, & tandem pereant de via iuſta.

Non tenetur tamen Religioſus ex vi ſuæ obligationis domitas prorſuſque victas inordinatas habere paſſiones, dummodo fortiter conetur illas ſuperare, cum per hoc ſuo ſatisfaciat debito; non ſecus ac miles, qui tenetur cum hoſte pugnare, ſuum onus implet ſtrenue præliando, licet hoſtem non vincat. Sic Lezzana cum aliis. Nec pariter reus erit mortalis culpæ, ſi Regulam aut obligationem tranſgrediatur ex pravo uſu & conſuetudine in rebus levis materiæ, quia tales actus, tametſi perfectionem retardent, leviter tamen ab illa avertunt. Idcirco licet multiplicentur, nunquam ex limitibus peccati venialis exeunt. Sic Lezzana, Garzia, Azorius citati hic a Salmanticenſibus, dummodo tamen talis Religioſus in reliquis obſervantem ſe reddat, quia bene poteſt proficere per aliarum obligationum obſervantiam, etiamſi in hac vel illa uſum habeat deficiendi, quando tamen ſtudium adhibeat, ut hanc quoque emendet ac vincat, quia alias ſe exponeret periculo modo unam modo aliam ex aliis obligationibus violandi, & ſic paulatim in gravem ruendi corruptelam cum aliorum ſcandalo & detrimento. Immo peccare poſſet mortaliter, ſi non curet efficaciter correctionem illius malæ conſuetudinis, etiamſi in peius non progrediatur, quando (licet inobſervantia ſit levis) ex tali ſuo irregulari modo vivendi grave nocumentum Religioni fieri advertit, quia tali licentia, quam ſibi arrogat contra Regulas ſeu Conſtitutiones Religionis, quamvis non magni momenti, ideſt non obligantes ſub mortali, ſemper officit Religioni in Regulari diſciplina, cum difficillimum ſit, ne aliis ſuo pravo exemplo occaſionem & excitamentum præbeat Regulas paſſim violandi, & quia illam privat fructu & utilitate quam ex illo Religioſo percipere credebat, qui ex pravis ſuis moribus inutilem ſe reddit Religioni, & ſibi valde noxium, ob periculum, cui velit nolit ſe exponit violandi & vota & præcepta graviter obligantia, ut ſæpe contingit.

## §. III.

### *De vocatione ad ſtatum Religioſum.*

Tametſi Religioſus ſtatus aliis omnibus ad operandum ſtabiliendumve negotium æternæ ſalutis melior ſit ac ſecurior, utpote ab occaſionibus periculiſque peccandi remotior, & ad merita cumulanda magis aptus ac proximus, non ſola tamen firma huius inconcuſſæ veritatis perſuaſio, aliqua etiam naturali inclinatione concurrente, ratio eſſe debet cuicumque homini indiſcriminatim hunc ſtatum eligendi, quaſi non plus ad illius electionem exigatur, ut ſine alia conſideratione ad huiuſmodi ſtatum amplectendum homines inducantur; non ſecus ac fit in eligenda arte aliqua vel officio in civilibus, ut ſuſtentationi ſeu commodis propriæ conditionis conſulatur; cum in tali electione primario divina vocatio attendenda ſit, ac diligentiſſime inveſtiganda: Nam ſi Deus infallibili ſuo conſilio rebus etiam vilioribus conditionem modumque ſtatuit, unde ipſius gloriæ inſervirent, quanto magis credendum eſt, peculiari providentia hoc feciſſe erga homines, in ſeligendis ac vocandis, qui vel in ſacris Religionis Miniſteriis, vel in perfectioris ſanctitatis exercitio ſublimiori eius famulatui inſervire deberent, media quoque conſtituendo, quibus ſuffulti ſtatum ſuæ vocationis implere poſſent.

Quare divina vocatio dupliciter ſpectari poteſt, in intentione ſcilicet, & in executione & effectibus, non ſecus ac Providentia,

tia,

tia, in qua veluti ſpecies in ſuo genere vocatio continetur. Siquidem Providentia quoque generatim ſeu in genere accepta inſpici poteſt dupliciter; primo in Dei mente, quatenus Deus ab æterno rebus ſingulis in tempore producendis ſingulos fines conſtituit, rationeſque ac media ordinavit, quibus unaquæque ſuo congrueret fini, ac ad illum ſuaviter dirigeret; ſecundo in executione, quando in tempore exequitur ſeu operatur quod ab æterno ſecundum conſilium voluntatis ſuæ ſtatuit & ordinavit; ita ut eodem ferme pacto ſe gerit Deus in iis quæ ſe habent circa ſuas creaturas, & præcipue circa homines, non ſecus ac artifex in ſuis artefactis, qui priuſquam opus aliquod ſuæ reſpectivæ artis conficiat, omnes illius partes in ſua mente concipit ac ordinat, ita ut poſtea ſe accingat ad opus juxta exemplar in ſua mente præconceptum. *Dicendum* (ait Doctor Ang. prima parte quæſt. 22. art. 1. ad 2.) *quod ad curam duo pertinent, ſcilicet ratio ordinis, quæ dicitur Providentia, & diſpoſitio, ac exercitium ordinis, quod dicitur gubernatio, quorum primum eſt æternum, ſecundum temporale*. Deus enim in ſua mente ante mundi conſtitutionem quoſdam elegit in Chriſto, ut eſſent ſancti & immaculati in conſpectu eius per gratiam ſuam illis ab æterno præparatam, & ſuo tempore conferendam ad vitam in ſtudio perfectionis tranſigendam in ſtatu Monacali ſeu Religioſo, & hæc eſt divina vocatio ad ſtatum Religioſum in intentione, & ab æterno in divinis decretis exiſtens, independenter a creaturæ meritis. In tempore poſtea hoc exequitur per miniſterium ſuarum inſpirationum, quibus nobis intus id manifeſtat, necnon ope ſpiritualium Directorum & Confeſſariorum, & hæc eſt divina vocatio in executione.

**Definitio divinæ vocationis.** Unde vocatio divina ad ſtatum Religioſum ex mox dictis decribi poteſt: *Actus providentiæ ſupernaturalis, quo Deus aliquos præ aliis eligit ac præparat gratiis ac donis convenientibus ad vitam perfectiorem in ſtatu Religioſo ducendam*. Dicitur autem *providentiæ ſupernaturalis*, quia ſecundum noſtrum concipiendi modum duplex diſtinguitur Providentia; alia naturalis, quæ præeſt naturali rerum ordini, creaturaſque inferiores ad naturalem finem dirigit; alia ſupernaturalis, quæ finem ſpectat quarumdam creaturarum rationalium, ad quem cum iſtæ naturalibus ſuis viribus pervenire non valeant, utpote ſupernaturalem, ideſt in ſupernaturali ordine conſtitutum, ſuperna Dei providentia ſuæ gratiæ virtute ad eum elevat ac tranſmittit veluti *ſagittam ad ſignum*, inquit S. Th., ſalva eorum libertate, cum Providentia creaturis liberis neceſſitatem non imponat. Status autem Religioſus, utpote qui habet pro fine altiorem cum Deo conjunctionem per charitatem eo ſemper perfectiorem ſeu ferventiorem, ſupernaturalis eſt, cui nemo poteſt idoneus fieri naturali induſtria, ſtudio, ac labore: Igitur & vocatio ad ſtatum eiuſmodi ad ordinem ſupernaturalem pertinet. Dicitur *quo Deus aliquos præ aliis eligit ac præparat*, ut talis vocatio diſtinguatur a vocatione ad æternam vitam, ad quam omnes conditi ſumus, cum ad ſtatum Religioſum, ſicut etiam ad Clericalem, præelecti ſint pauci ac deſignati; hoſque congruis dotibus præparat ut digne ac fructuoſe per viam ſanctæ perfectionis, votorum ſeu conſiliorum, Regularumque Ordinis; in quo profitentur obſervantia, enixe incedant. Tribuit enim Deus ſingulis ſuis creaturis media virtutemque, quibus poſſint conſequi finem, ad quem ipſas ordinavit.

Dicendum igitur, veram vocationem ad ſtatum Religioſum eſſe a Deo, qui per internas inſpirationes cor hominis alloquitur, & ad obſervantiam conſiliorum Evangelicorum invitat, eo ferme pacto quo Chriſtus Dominus Apoſtolos & Diſcipulos ſuos exterius vocabat: *Venite poſt me*; & cuidam diviti iuveni ait Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me*. Hanc veritatem ita certam tenent SS. Patres, ut minime de ea dubitent, ut habetur præcipue ex S. Bonavent. ſuper Regulam S. Franciſci cap. 11 & D. Thomas 2. 2. q. 189. art. 10. ad 1. ait: *Illi, qui ad Religionem accedit, non poteſt eſſe dubium, an propoſitum in corde eius exortum de ingreſſu Religionis ſit a ſpiritu Dei, cuius eſt ducere hominem in terram rectam*; & in fine monet, non ſubiiciendum examini & probationi, num vocatio ad Religionem ſit a Deo, nec ne, his verbis: *Ideo propoſitum de ingreſſu Religionis non indiget probatione, utrum ſit a Deo, quia certa diſcuſſione non indiget*.

Quamvis igitur ſtatus Religioſus ſit melior ac tutior ad æternam ſalutem aſſequendam, ut iam diximus, & Religionis deſiderium rectum ſit ac bonum, quia tamen non omnes ad huiuſmodi ſtatum vocat Deus, ſed quoſdam tantummodo, quos ab æter-



Digitized by Google

æterno imperſcrutabili ſuo iudicio miſericorditer elegit, hinc ad ſtatum hunc perfectionis aſſumendum ſatis non eſt ſtatum hunc eſſe tutiorem ad ſalutem, ac bonum & rectum eius deſiderium, ſed omni accuratiori diligentia qua fieri poteſt, inveſtigandum ac probandum eſt, num habeatur vocatio ad talem ſtatum, necnon ſedulo veritas ipſa vocationis expendenda eſt & examinanda, num ſcilicet talis impulſus, quem quis ſentit in ſuo corde, vere ſit a Deo. Nec deſunt ſigna ad hoc dignoſcendum, ut habetur ex D. Bernardino Senenſi in ſuo Serm. 24. Sabbatho poſt Dominicam II. Quadrageſimæ ſuper illud Lucæ: *Fili tu ſemper mecum es*, ubi in primo articulo, enarratis utilitatibus ſtatus Religioſi, in 2. cap. 1. & 2. quatuor ſigna exponit, quæ maxime penſanda ſunt, ut veritas divinæ vocationis deprehendatur ab iis, qui in ſanctum Religionis ſtatum ingredi peroptant: Etenim non omnes apti ſumus ad omnia, neque quod eſt melius, pro quolibet individuo melius eſt; Nam dantur quidam adeo indiſpoſiti, & ea vocatione quam accepiſſe aſſerunt, nihil immutati, ut evidens periculum ſit, quod ex malis laicis peſſimi ſint Religioſi, ita ut de his novis Religioſis verificetur in clauſtro illud Pſalmi: *Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam*. Aſſumptio igitur ſtatus Religioſi ſtatuenda eſt maxima diſcretione, idcirco exequi volenti Religionis ingreſſum, ſicuti ei vocari videtur, non prætermittendum eſt diligens & ſerium examen circa qualitatem ſuæ vocationis, attendendi ſunt effectus in ſe producti poſt vocationis ſenſum, necnon vocationis circumſtantiæ, qualitas ipſius morum tam ante, quam poſt vocationem, diſpoſitiones ſui tam animi quam corporis, quamnam humilitatem habeat, docilitatem, promptitudinem obediendi, quodnam deſiderium ſe abnegandi, crucem amplectendi, quam devotionem, quem Dei timorem, quod ſtudium proficiendi. Item, quas vires habeat, quam valetudinem, quod ingenium, quod genium. Quod ſi contigerit quandoquidem, aliquem, qui inconſiderate ſtatum Religioſum profeſſus, data occaſione multum nihilominus in perfectione viſus fuerit profeciſſe, non idcirco ita facile ſine timore imprudenter & incaute talis deliberatio conſulenda eſt, aut approbanda, aut promovenda, cum maxime perterrere debeat infelix multorum exitus, qui irrationabilium pecudum more Religionem ingreſſi, in ea morantur vel tamquam vulpes ( ait valde bene quidam recentior ) aliorum tranquillitati inſidiantes, vel tamquam rabidi canes continuo eorum fratres mordentes, vel tamquam viperarum genimina viſcera matris dilaniantia, vel tamquam effrænes tauri Monaſticæ diſciplinæ iugum male ferentes, & excutientes; immo aliqui ex his fugam capiunt a Religione perfidi apoſtatæ non ſine gravi fidelium ſcandalo, & velut diræ feræ iura omnia diripientes. Vocatio igitur ad Religionem non ſtatim præcipitanter admittenda eſt, ſed probandi ſpiritus, an ex Deo ſint.

Circa probationem vero & diſcuſſionem vocationis, ad dignoſcendum num vere ſit a Deo, finis, propter quem ille, cui videtur ad Religionem vocari, ad hoc deliberandum movetur, erit medium aptius, ut talem veritatem deprehendat; quia ſi finis ac motivum bonum erit, habetur fundamentum prudenter credendi vocationem eſſe a Deo: Si autem motivum & finis, ex quo oritur deſiderium Religionis, malus ſit, tale deſiderium non poteſt eſſe a Deo, qui nonniſi ad bonum, & ob bonum finem invitat ad aliquid & movet. Unde ſi finis & motivum, quo quis Religionem ingredi compelleretur, eſſet, puta ut effugiat diſciplinam parentum, quia nimis ei ſeveriores videantur, ſeu ad diſplicentiam ipſis inferendam, quia nimis tenaces ſint in illi concedendo ſplendidas veſtes, ſicut habere ſolent eius conſanguinei, aut alii iuvenes *eiuſdem* conditionis iuxta morem regionis, vel quia ab ipſis duriori modo tractetur: cum huiuſmodi fines & motiva mala ſint, voluntas Religionis ab his excitata, profecto eſſe nequit a Deo invitante. Quod ſi quis animum ſuum movere ſentiat ad Religioſam vitam aſſumendam ex amore, & deſiderio eorum quæ ſunt facilior ſecuriorque via ad Deum aſſequendum, nempe ad peccati pericula occaſioneſque vitandas, quæ adeo frequenter in ſæculo occurrunt, vel ad male anteactæ vitæ correctionem & emendationem, ſuarumque culparum commiſſarum pœnitentiam agendam, vel ad ſibi curandam conſecutionem Chriſtianæ perfectionis inchoandam per Evangelicorum conſiliorum obſervantiam, vel ad quietem pacemque conſcientiæ obtinendam, vel ut Deo ſerviat per charitatis perfectionem, vel aliis ſpiritualibus finibus & motivis alliciatur ad ſtatum Religioſæ perfectionis aſſumendum, procul dubio auctor huiuſcemodi vocationis recognoſci debet Deus, a quo bona & ſancta conſilia procedunt. Nam inclina-

tio

tio ad eligendam vitam prorſus ſeiunctam a mundi vitiis & oblectamentis inter perpetuas & inceſſantes mortificationes ſenſuum & corporis auſteritates, in perpetua propriæ voluntatis abnegatione, ac humili Superiorum dependentia ac ſubiectione, non certe provenire poteſt a natura, quæ fugit ac abhorret ab iis omnibus quæ carni moleſta ſunt & incommoda, & multo minus a dæmone, qui ad bonum ex fine bono non ſolicitat, immo ad malum, vel ad prævaricandum in bono & fine malo. In Deum igitur refundendum eſt huiuſcemodi deſiderium, cuius eſt vocare ad perfectionem, & corda eorum quos ad ſuum ſamulatum elegit, movere dicens: *Venite poſt me*.

Quare ad hoc ut rectum & prudens iudicium fiat de vocatione ad Religionem, num a Deo proveniat, opus eſt ſerio & accurate inveſtigare ac examinare finem propter quem quis ſtatuat Religioſæ obſervantiæ ſe ſubiicere. Non ſufficit tamen, notat Suarez *de Religione* tom. 3. cap. 8. n. 6. dictum finem eſſe honeſtum ſeu non malum; verum ulterius requiritur, quod finis ſit tali operi proportionatus; & primo ex parte Dei inſpirantis & invitantis, qui omnia operatur in numero, pondere, & menſura, utpote ſapientia infinitus videt, quid in illis circumſtantiis, in quibus vocat, cum fine intento proportionem habeat, & ut proviſor rectiſſimus, votum de Religioſo ſtatu inſpirando non utitur medio diſparato & inepto, ſed ordinato, habente cum illo proportionem & convenientiam ad illum aſſequendum; & ex parte perſonæ inſpiratæ & vocatæ, quæ obſequendo divinæ inſpirationi prudenter agit, dum non ſolum movetur ad ita operandum a fine bono, ſed a bono quoque proportionato, a quo induci poteſt convenientia operi quod proponitur, ſicuti leges prudentiæ exquirunt. Finis vero rectus & proportionatus Religioni quæ eligitur, eſt finis eſſentialis Religionis electæ. Verum cum finis ſtatus Religioſi duplex ſit, generalis ſcilicet & cuicumque Religioni communis, & ſpecialis pertinens ad talem Religionem in ſpecie, ut eligens iudicetur prudenter eligere, ab utroque fine moveri debet in ſua electione. Finis generalis Religionis cuiuſcumque eſt, quod Religioſus acquirat perfectionem per ſui ipſius abnegationem, & rerum dominii abdicationem, crucem Chriſti ferendo, obſervando conſilia Evangelica, aliaſque virtutes exercendo non ſolum theologicas, ſed morales quoque, & eas præcipue, quæ ad charitatis perfectionem apta ſunt media iuxta ſuum Inſtitutum adipiſcendam. Finis particularis in Religionibus contemplativis eſt amor contemplationis & ſolitudinis, ut divinis liberius Religioſus incumbat, in activis eſt amor acquirendi Dei charitatem, hanc erga proximum exercendo; in mixtis eſt utriuſque amoris & agendi & contemplandi coniunctio & complexus, ut duabus hiſce veluti alis ſuffultus celerius ad ſublimem perfectionis metam ſe extollat. Si a quolibet alio quis moveatur ad Religionis ingrediendæ propoſitum, quod intra hos duos fines non includatur, certe non erit finis tali propoſito proportionatus, niſi forſan eſſet alius finis virtualiter illis æquivalens, vel ſublimior, qui omnes iſtos fines complectatur. Quare S. Baſilius *de Regul. Monach.* Regul. 157. ait, *intentionem propriam Religioſi debere eſſe vehementem cupiditatem placendi Deo, eamque inſatiabilem, ſtabilem & conſtantem*. Et D. Chryſoſtomus in libro *de comparatione Regis & Monachi*, in aſſignanda differentia inter regem & Monachum ex eorum diverſitate, quæ rex & Monachus intendit, finem Religionis demonſtravit, dum de Religioſo ita inquit: *Qui totam vitam ſuam Dei cultui mancipavit, & ſe totum Deo dedit, & proprietate & Dei cultu cum dæmonibus bellum gerit*. Et omnes communiſſime docent, finem ingrediendi Religionem eſſe Deo irreprehenſibiliter militare, & Apoſtolicam vitam imitari; idcirco quantum debeat eſſe paratus ac diſpoſitus qui Religionem ingredi ſtatuit, ad omnia etiam duriſſima perpetienda ac toleranda propter Dei amorem, ac perfectionem eius divini amoris adipiſcendam, variis figurat Chriſtus diſertiſque Evangelii locutionibus, videlicet baiulare crucem, abnegare ſe ipſum, mori mundo, eiuſque voluptatibus, & vanitatibus, odio habere animam ſuam, ut ſit Deo dignus, crucifigere ſemetipſum, quæ omnia manifeſtiſſime indicant, qualis quantave ſit deliberatio Religioſum Inſtitutum aſſumendi proportionata operi quod aggredi oſtendit. Hinc D. Bernardinus Senen. loco cit. ait: *voluntas tepida, & remiſſa ad Religionis ſtatum aſſumi non debet*. Voluntas igitur Religioſo Inſtituto proportionata, eſt fervens ac prompta ad omnia moleſta & incommoda perferenda. Quamobrem notat Navarrus comm. *de Regul.* 1. n. 7. valde errare eos, qui Religionem ingrediuntur, vel ut evitent egeſtatem & contemptum, aut propter alias huiuſcemodi cauſſas, quia hi fines vel

honeſti non ſunt, vel ingreſſui Religionis non proportionati. Haſtenus hic Rotharius num. 6.

Nota, in genio ſeu deſiderio ad Religionem, ſive immiſceatur, ſive non, aliquod de mundano pulvere, cum in homine præter ſupernaturalem inclinationem, quæ infundi poteſt a Spiritu ſancto, ſit etiam naturalis proveniens vel a ſenſu vel a ratione, nec ſit ita facile diſcernere ſemper in omni noſtro honeſto ac bono deſiderio a qua inclinatione excitatus ſit, num a naturali, num a ſupernaturali principio; hinc in Religionis ingreſſu deliberando non debemus fidere de nobis ipſis, ac ſolo noſtro conſilio rem tanti momenti exequi, ſed conſulendus eſt pius, ſapiens, prudens ac peritus Director, ac Confeſſarius, ipſique totum noſtrum internum aperiendum, fines omnes & motiva quæ ad Religionem nos movent, mores, diſpoſitioneſque tum animi tum corporis, quibus penſatis iudicium de tali vocatione ferre poſſit, alias qui ſecus ageret, incaute & imprudenter ſe gereret aſſumendo cum incerta vocatione vitam ac ſtatum adeo difficilem, cuius onera recte perſeveranter, ac fructuoſe pro æterna ſalute impleri nequeunt ſine ſpecialibus gratiæ auxiliis, quæ profecto Deus nonniſi ab eo vocatis elargitur, ac proinde ita agens ſe exponit periculo non ſolum patiendi graves inquietudines a tali ſtatu, qui cum non eſſet ſtatus ſuæ vocationis ei redderetur valde moleſtus, ſed etiam perpetuæ ſuæ damnationis.

Ut igitur Director iis, qui cum ſe credant ad Religionem vocatos, ipſum ſuper hoc negotium conſulunt, prudenti conſilio quid eis expediens ſit proponere valeat, ſtudioſe examinare debet deſiderium vocati, circumſtantias omnes ſuæ vocationis, motivum, finemque illius, ut conſilium ſuper hoc petens, in re tanti momenti non decipiatur; ne poſtea facti pœnitens, ut notat Caietanus 2. 2. q. 189. art. 8. ad 3. maledicta in conſulentem proferat, qui non bene & accurate penſatis vocationis motivis eum induxit ad ſuſcipiendum ſtatum adeo difficilem & ſenſui moleſtum, ad quem minime a Deo vocabatur, ſed ab angelo malo ſe in angelum lucis transformante. Et multo magis, ut advertit Fagnanus 59. cum Hoſtienſe ab eodem ibi citato, ad hoc attendere debet Superior in Novitio recipiendo, ut curet ſibi, & ſuæ Religioſæ Communitatis indemnitati conſulere: Nam *mus in pera, ſerpens in gremio, ignis in ſinu malam conſueverunt retributionem ſuis hoſpitibus exhibere* cap. *Et ſi Iudæos, quod habet*. Hoc applicetur de una in aliam Religionem tranſeuntibus. Eadem tamen ratio militat, & periculum, ad cautum reddendum Superiorem in recipiendo eo qui immediate a ſæculo ad Religionem tranſire petit; & eo magis quia Religionem petens ſui animi conſcius dubitare nequit de ſua vocatione, & ut in cauſſa propria non ſit ſecurus iudex, non eſt illius ſpiritum ſuæ vocationis examinare, ſed Religioſorum, ut advertit antea laudatus D. Thomas 2. 2. q. 189. art. 10. ad 1. Inquirere, ac ſedulo diſcutere debet Superior, num petens moveatur a divino ſpiritu, vel ſimulate, ut per ingreſſum in talem ſtatum in temporali negotio ſibi conſulat, ne in poſterum animo, & corpore deſatigari debeat pro ſua temporali ſuſtentatione. Et utinam hoc non eſſet in quamplurimis ſpiritus eorum vocationis ad Religionem, non ſecus ac ad Sacerdotium. Verum quidem eſt, quod cum profundum ſit cor hominis, cuius conſiliorum ſolus Deus ſcrutator eſt & cognitor, valde difficile eſt inter eius latebras penetrare, ac deprehendere quo ſpiritu, ſeu quo motivo, quo fine, divino ſcilicet vel humano, num charitate vera, vel ficta, num prudenter & ſapienter, vel temere, & inconſulto, aut puerili levitate ad Religionem ducatur; petito tamen orationibus divino lumine, attente examinatis finibus & motivis, quatenus humana infirmitas patitur, non ſecus ac alia gravia negotia, hoc quoque, quantum fieri poteſt, ſecurius agendum eſt. Quod ſi ſeria adhibita diligentia nihilominus errare contigerit, non levis conſolatio erit ſe feciſſe quantum in ſe eſt, erroremque non eſſe culpabilem neque apud Deum, neque apud homines. Et receptus, qui incaute vel ſubdole non expoſuit quod habebat in corde, imputare debet ſibi infelicitatem ſuæ deceptionis, ut per totum ſuæ vitæ curſum gemat ſub onere tam ipſi gravi & moleſto Monaſticæ diſciplinæ, quod velit nolit fremens ac invitus ferre debet.

Verum ſi in inquirenda veritate vocationis in poſtulantibus Religionis ingreſſum deprehendatur aliquid mundani, quod tamen bonum ſit & honeſtum cum veræ charitatis fine & motivo ad excitandam in iiſdem inclinationem ad Religioſum ſtatum, res non idcirco ita rigoroſe & ſubtiliter agenda eſt, ut exinde ſtatim iudicium contra talem vocationem feratur, nempe a bono ſpiritu

ritu non procedere. Nam cum gratia Dei multiformis ſit, nec eadem menſura & affluentia eam miſericors Deus omnibus elargiatur, poteſt quis vocari ad Religionem etiam a ſpiritu bono, quamvis vocatio non videatur adeo excellens & perfecta. Præterquam quod, ut advertendum eſt, diſtinguendæ ſunt occaſiones vocationis a motivo vocationis. Etenim fieri poteſt, occaſionem vocationis eſſe malam, & motivum eſſe bonum, & e contra motivum eſſe malum, & occaſionem bonam. Novit enim Deus de malis bona facere, & in alicuius gravis culpæ occaſione vocare potius ad pœnitentiam in clauſtro, quam ad æternam pœnam damnare, ut factum fuit in D. Paulo, qui dum Chriſtum fortiter perſequebatur, vocatus fuit ad meritum Apoſtolatus. Quare ſi dignoſcatur, aliquem quærere Religionem ingredi vel quia affectus eſt tædio parentum, vel perculſus timore alicuius infortunii vel infamiæ, aut egeſtate coactus, quamvis videatur potius quæ ſua ſunt quærere, quam quæ ſunt Ieſu Chriſti, & potius quod corporis bonum ſit curare quam quod ſaluti animæ ſit expediens, ac conſulere ſuæ famæ, honori, ac temporali quieti, non vero conſcientiæ, non ideo ſtatim talis vocatio reiicienda eſt tamquam ficta, & non ex Deo, ſed potius accurate examinanda, ſicut etiam advertit hic Suarezius n. 7. Nam ſi temporalia viam tantum aperuerint, ſerio conſilio de Religioſo ſtatu amplectendo ob ſanctum finem placendi & ſerviendi Deo in religioſa obſervantia, qui large rependit iis qui in eius famulatu & obſequiis laborant, tunc capta occaſione ab infortuniis auditur vox Spiritus ſancti, motivis finibuſque proportionatis ad Religioſæ perfectionis exercitium invitantis. Et hæc eſt via, qua præcipue in peccatoribus provectæ ætatis excitat torpentem animam, ut ad meliora convertatur. Si igitur data occaſione vel temporalis mali vitandi, vel boni in Religione & ex Religione capeſſendi, excitetur pia voluntas ad ſtatum Religioſum aſſumendum, ad ſerviendum Deo, ad fugam ab occaſionibus periculiſque peccati captandam, aut pœnitentiam de commiſſis peccatis agendam, tunc occaſio erit quidem temporalis & humana, motivum vero ſpirituale & divinum. Quod ſi e contra in tali data temporali occaſione vel deſit motivum divinum, vel ſaltem languide moveat, quod facile deprehenditur, ſi mundus adhuc ei placeat, ſolumque diſpliceat non poſſe abunde iis frui quæ ſunt mundi, adhuc frigeſcat devotio, langueſcat pietas, & ſpiritualia exercitia vel non fiant, vel ſtudioſe differantur, vel tædio deſpiciantur & peius compleantur, tunc profecto deſiderium Religionis eſt prorſus ex motivo humano; ac proinde, ſubiungit laudatus Suarezius, tutum non eſt huiuſmodi mala diſpoſitione Religionem ingredi, quia Religioſus huiuſce animi nunquam habebit promptam voluntatem ad curandam perfectionem, quæ eſt proprius & primarius finis Religioſi ſtatus, & nonniſi ægre ferret onera Religionis, adeoque vel non perſeverabit, vel non proficiet in ſtatu aſſumpto, & nonniſi quæ ſua ſunt ſemper quæret talis fictus Religioſus, minime quæ ſunt Ieſu Chriſti.

Ut autem Religioſus Superior & Director, quorum unus ſuum conſilium, alter aſſenſum dare debent aſſerenti ſe ad Religionem vocari, certiorem habeant metam ad diſcernendam vocationem veram & falſam, a poſterioribus id dignoſci poteſt, nempe a modo quo in moribus ſuis ſe gerat, poſtquam deſiderium de Religione aperuerit, & tria ſunt ſigna præcipue obſervanda, quæ tradit S. Bernardinus in Serm. antea laudato art. 15. Primum eſt iucunditas mentis ex affectione conſideratæ Religionis. Secundum eſt propoſitum cavendi circumſtantias peccatorum. Tertium eſt propoſitum proficiendi in melius. Quare ſi poſtquam qui proteſtatus eſt ſe a Deo vocatum ad Religionem, & dum Directori vel Superiori rationem reddit ſuæ vocationis, in expoſitione motivorum, quibus ad hoc conſilium dicit ſe induci, divina humanis & humana divinis immiſceat, ita ut ex ſatis confuſa narratione non bene deprehendi queat quid magis fortiuſque vocatum moveat, videlicet num amor propius & carnalis meliorem conditionem corporis quærens, an amor Dei cum Chriſti cruce inhians, tunc cognoſcetur, num bona & ex Deo ſit eius vocatio, an vero a ſpiritu malo: nam ſi in eius animo vileſcant quæ ſunt mundi; ita ut non plus curet de eius deliciis & voluptatibus, ſolicitus ſit ſolum de rebus divinis, devote & attente quæ Dei ſunt audiat, frequentior ſit ad Eccleſiam, ad Oratoria, ad Sacramenta, minus frequens ad plateas, ad amicorum & ſodalium conſuetas converſationes, fugiat ab illicitis, ſignum erit in eo charitatem Dei prævalere, & a Spiritu ſancto interius inhabitante motionem & impulſum ad Religionem procedere. Si vero e contra ſolatiis & voluptatibus ſe donet, acedioſe iniuncta pietatis opera ad proban-

bandum ſpiritum ſuæ vocationis cum tædio perſolvat, talis vocatio deſpicienda eſt tamquam vana, nec ullatenus a Deo proveniens, ſed vel a puerili vanitate, vel ab imprudentia & temeritate, ſive ab alio humano motivo nullius valoris in ſpirituali negotio, in quo animæ tantum, non corporis proventus conſiderantur.

## §. IV.

### *De neceſſitate divinæ vocationis ad ſtatum Religionis aſſumendum.*

Quamvis ex antea dictis in ſuperiori diſcuſſione de divina vocatione ad ſtatum Religionis ſatis ſuperque conſtare poſſit neceſſitas eiuſdem vocationis & neceſſitas ipſius obligationes implendi, nihilominus ad clariorem hæc legenris elucidationem, breviter hic exponere cenſui etiam eiuſdem vocationis irrefragabilem neceſſitatem iuxta Scripturarum, ſanctorumque Patrum doctrinam. Etenim quod omnino neceſſaria ſit divina vocatio ad ſtatum Religionis aſſumendum, hoc pluribus in locis divina docet Scriptura, quorum brevitatis graria duo tantum afferam teſtimonia, unum ex Ioan. cap. 10. *Amen amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ovile, fur eſt, & latro*, nempe ſibi uſurpar famulatum Chriſti in Religione, qui ad eam a Chriſto non fuerit vocatus. Uſurpatores autem ſeu latrones regnum Dei non poſſidebunt, ait Apoſtolus 1. Corinth. 6. Oſtium vero, per quod ingredi oportet in Religionem, aperitur a Chriſto Domino per eius vocationem invitando quos ipſe vult, ut ipſi in exercitio perfectionis inſerviant: *Amen amen dico vobis* ( & hoc eſt alterum teſtimonium ex cit. loco Ioannis) *ego ſum oſtium .... ſi quis per me introierit, ſalvabitur.* Invitat enim ipſe ad ingreſſum in clauſtra quos ipſe vult, ut paret exemplo iuvenis, cui ait Chriſtus Dominus in Evangelio.... *Vende univerſa quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me*. Videant quicumque ad eiuſmodi ſtatum allici ſe ſentiunr, ne talis allicientia ſit a mundano motivo invitatio, ideſt ad quærenda tantummodo quæ ſua ſunt, ut a mundanis infortuniis ſe ſubtrahant, & corporalia commoda ſibi provideant, quia ſi per Chriſtum ex divina vocatione non introeant, ibi invenire non poterunt æternam ſalutem promiſſam iis qui ex invitante providentia Religionem ingrediuntur.

Inter Patres vero valde clare loquitur D. Bernardus, vel quicumque ſit auctor tractatus *de vita & moribus Clericorum*, cum iam Clericatus & Monachatus quoad hanc conditionem pari paſſu incedant: *Videte vocationem veſtram, ait vocatis cit. Apoſtolus e conſideremus & nos an vocati venerimus, & vocati a Deo, cuius nimirum & vocatio eſt*. Ac paulo poſt inſectatur eos, qui temere in alterurrum ſtarum ſe intrudunt: *Quid illud temeritatis, immo quid inſaniæ eſt? ubi timor Dei, ubi mortis memoria, ubi gehennæ, & terribilis expectatio illa iudicii? Sponſa nec cubiculum, nec cellam ingredi niſi rege introducente præſumit. Tu irreverenter irruis, nec vocatus, nec introductus. Trahe me poſt te, ait illa, in odorem unguentorum tuorum currimus. Nunc autem trahit ſua quemque voluptas, & odor turpis lucri.*

Ratio quoque hanc ſuadet neceſſiratem divinæ vocationis ad ſtatum Religioſum aſſumendum: Deus enim omnium conditor unumquemque aptavit uſui & fini, ad quem ab æterno ſupremo ſuo conſilio illum deſtinavit: *Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea dicit Dominus* Ieremiæ 18. Unde ſicut vas & omne aliud opus artefactum alium non admittit uſum præter eum, ad quem configuratum eſt, ita in hominibus contingit, ut cuicumque ille verus ſit ſui uſus & finis, ideſt ſtatus in hac vita, ad quem Deus eum ab æterno elegit & aptavit. Et hic eſt ſtatus vocationis & æternæ ſalutis, ita ut qui extra ordinem ſibi a Deo ſtatutum erit, alium ſortiri nequit locum, niſi eum, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, ut ait S. Bernardus cap. 5. *de vita & moribus Clericorum*. Habertus hic.

Inſuper ex Dei vocatione tamquam ex radice & fundamento pendet grariarum ſeries cuiuſque ſtatus propria, cum Deus ſtatuerit dare gratias ſuas & auxilia convenientia ſtatui, quem cuique conſtituit. Ait enim D. Thomas p. 1. q. 22. art. 3. *quaſcumque cauſſas aliquibus effectibus præfecit, dedit illis virtutem ad illos effectus producendos*. Porro ſi ratio divinæ vocationis neceſſaria eſt ad quodlibet vitæ genus etiam naturalis ordinis, multo magis neceſſaria erit ad ea quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, ut eſt ſtatus Religioſus, cuius gravibus oneribus implendis nemo idoneus eſt, niſi divina vocante gratia ad illum amplectendum inducatur, & niſi conferat Deut ſubſidia, ut vocatus ſe exerceat in perfectione charitatis, ad quam adipiſcendam ex eſſentiali obligatione huiuſcemodi ſtatus incunctanter Religioſus elaborare debet. Tollere ergo Dei

voca-

vocationem ad Religionem, idem eſt ac ſi fundamentum quo nititur ædificium, convellatur.

## §. V.

### *De obligatione, quam habent Religioſi ſe exercendi in oratione.*

Inter Religionis opera præcipuum locum obtinet oratio, quæ maxime frequens eſſe debet apud fideles, & nihil magis intereſt homini, quam orare, quia nihil eſt, quod ſit ei ita eſſentiale ſicuti humiliter venerari ſupremum Univerſi creatorem, ac Moderatorem, inceſſanter gratias ei reddere pro beneficiis acceptis, & pro iis quæ continue ab eo recipit, ac ſemper ab eo precari ipſius auxilium in ſuis neceſſitatibus, quibus ſemper premitur, & urgetur. Oratio enim eſt ſermo cum Deo, ad quem anima admiſſa, & ut ita dicam, in Sanctuarium introducta, non ſolum debitas ei laudes tribuit, & obſequia, ſed etiam tali medio eidem ſuas exponit indigentias, infirmitates, ac miſerias, ipſumque deprecatur, ut opportuna auxilia clementiæ ſuæ ei elargiri dignetur. Hinc oratio definitur ab Angelico Doctore cum Damaſceno *Petitio decentium a Deo*. Inter ea omnia, quæ poſt Baptiſmum hominibus adultis neceſſaria ſunt, ut Chriſtianam vitam ducant, & exinde æternam conſequantur ſalutem, ait D. Th. 3. p. q. 39. a. 3. eſt oratio: *Poſt Baptiſmum neceſſaria eſt homini iugis oratio*. Hæc orationis neceſſitas pluribus in locis divinæ Scripturæ nobis exponitur, ſimulque eius frequentia inculcatur. Ita enim habetur Eccleſiaſt. 18. *Non impediaris orare ſemper*. Lucæ 18. *Oportet ſemper orare, & non deficere*; & cap. 21. *Vigilate omni tempore orantes*. Apoſtol. 1. ad Theſſal. 5. ait: *ſine intermiſſione orate*. Et equidem ſi nihil boni quoad meritum vitæ æternæ operari poſſumus ſine divinæ gratiæ adminiculo, ut monemur Ioann. 15. *ſine me nihil poteſtis facere*, evidentiſſime patet, neceſſe eſſe ut indeſinenter oremus, ad hoc ut divina auxilia in noſtris indigentiis opportune conſequamur; eo vel maxime quod, licet Deus ſemper paratus ſit, ut nobis in neceſſitatibus ſuccurrat, vult tamen ut eas ipſi orando exponamus, ſuumque adiutorium petamus: *Petite, & accipietis*; ſimulque credamus, dummodo tamen ſicuti decet petierimus, quod preces noſtras exaudiet Marc. 11. *Credite quia accipietis, & fiet vobis*. Iure igitur merito ait S. Auguſt. in pſal. 100. *nullum credimus, niſi orantem, auxilium a Deo promereri*; quia, ut obſervat idem S. Doctor ibidem, *Deus dare vult, ſed non dat niſi petenti*. Hinc noſtra pia Mater Eccleſia, quotidie, immo ſæpe ſæpius in die & in divino Miſſæ ſacrificio, & in Horis canonicis enixe a cœleſti ſuo ſponſo divinum nobis implorat ſubſidium.

Verum ſi adeo urget Chriſtianos omnes ut ſoliciti ſint, & frequentes in ſancto orationis exercitio, quando gratiam a Deo exoptent ad pie vivendum, quanto magis quam aliis hominibus eſſentiale non erit hoc officium Religioſo? Qui unice intentus eſſe debet, ut ſanctitas eius vitæ magis, magiſque de die in diem perficiatur, quod eſt ſcopus ſtatus Religioſi; ita ut quibuſcumque hoc vitæ genus eligunt, cum totos ſe Dei famulatui conſecrent, ac devoveant, debitum orandi, quod habent a natura, & Chriſtiana Religione, a profeſſione ſui ſtatus magis augeatur. Religioſi nomen clare oſtendit, quod exercitium virtutum Religionis eſſe debeat unica eius occupatio, ac præcipuus eius character. Quare cum inter principalia onera Religionis ſit preces ac ſacrificia divinæ Maieſtati offerre, profecto virtutem Religionis poſſidere nequeunt Religioſi ſine oratione, ac ideo non erunt Religioſi, quando orationi non ſint addicti.

Religioſus ſtatus ex vi ſui inſtituti fert, ut continue ſe in Dei laudibus, & glorificatione Religioſus exerceat pro operanda ſua æterna ſalute, ac etiam in Eccleſiæ, & proximorum utilitatem, ut iiſdem reddat Deum placatum, ac propitium: unde Monachi *lugentes* olim vocabantur, utpote qui flent ante Deum, ut miſereatur peccatis propriis, & aliorum. Hæc autem non melius præſtari poſſunt quam per orationem, quæ laudem Dei continet, & deprecationem, & eam præcipue, quæ in Choro peragitur.

Hic non immoror in recenſendis conditionibus ac diſpoſitionibus, quibus orandum eſt, ut oratio Deo accepta ſit, & oranti, ſeu illi, pro quo oratur, fructuoſa, nempe quod orans ſemper memoretur ſe ſiſtere ad Dei præſentiam; quod oratio fiat cum fide, puritate cordis, ſimplicitate, charitate, & humilitate attente, ac devote; quia de his iam diximus, ſaltem de principalioribus, in Tractatu de Religione, ubi agitur de oratione.

Cum Religioſi vi proprii inſtituti eſſentialiter teneantur laudes Deo inceſſanter tri-

tribuere, ac pro ſe ipſis & pro aliis divinam clementiam exorare per orationis exercitium; profecto tale onus implere non poſſunt Religioſi ex proprio inſtituto Choro addicti, quam recitatione Horarum in Choro; cum iſtud ſanctum exercitium inſtitutum ſit, ac præceptum ab Eccleſia, ut ad inſtar Angelorum Hierarchiæ in cœlo, die ac nocte divinæ cantentur laudes, & Fidelium vota ante Deum præſententur, & exponantur. Religioſi enim Ordines ad hoc per eorum fundatores inſtituti ſunt, ab Eccleſia approbati, & a pietate Fidelium bonis temporalibus proviſi pro eorum ſuſtentatione, ut has ſanctas ſocietates ingredientes, utpote ab omni ſæculi cura liberi, ſemper intenti eſſent in iis, quæ pertinent ad divinum cultum, & proximi bonum, quorum præcipuum eſt divinarum Horarum recitationi intereſſe ad offerendum Altiſſimo per ſingulas Horas ſacrificium laudis, & pro fidelis populi ſpirituali ſalute deprecandum. Et huiuſmodi preces, quæ in communi fiunt, magis efficaces ſunt apud Deum, ut docet D. Chryſoſt. hom. 18. in Epiſt. D. Pauli ad Corinth. *Magna* (ait S. D.) *ſacri conventus, hoc eſt Eccleſiarum, vis, ac potentia eſt, ſumma vis eſt orationis multitudinis*. Exercitium divinæ pſalmodiæ in Eccleſia Religioſis choro addictis ita eſt eſſentiale, ut hoc ſit eorum profeſſio. Quare Religioſus nullus, niſi interveniente legitima cauſſa, poteſt ſe ſubtrahere Chori intereſſentiæ ſine gravi culpa. Valde igitur decipiuntur qui ſub prætextu privilegii, ſeu exemptionis Chorum deſerunt. Nam indulta conceſſa a Summis Pontificibus non intereſſendi Choro, non reſpiciunt niſi perſonas legitime impeditas ab aliqua alia occupatione valde utili, & neceſſaria bono Religionis, cuiuſmodi ſunt Lectores, Prædicatores &c. in actuali tamen exercitio, ideſt diebus, quibus legere, aut prædicare debent, ſtricte iniungendo aliis omnibus generatim, nullo excepto, nequidem Generali, niſi in proprii officii munere fuerit occupatus, ut publicæ Chori pſalmodiæ ſolicite interſint, ut habetur præcipue in Bulla Clementis VIII. data ſub die 20. Martii 1601. quæ incipit *Nullus omnino*, in qua ſic legitur: *Nullus omnino prætextu cuiuſcumque privilegii, vel ſuperioritatis, etiam Generalatus, a ſervitio Chori cenſeatur immunis, niſi pro tempore, quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, ac Prædicatoribus Superiores iis tantum diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, diſpenſare poſſint. Idem quoque cum ægrotis, & ſtudiorum cauſſa legitime impeditis. In eos vero, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, ſalutari pœnitentia Superiores animadvertant ad præſcriptum Regulæ, & Conſtitutionum, alimentis etiam, ſi opus fuerit, ſubtractione.*

### §. VI.

### *De Religionibus Militaribus, eorumque privilegiis & obligationibus.*

Cum poſt ſæculum millesimum excogitatum fuerit a Summis Pontificibus recuperare Terram ſanctam e dominio Infidelium, & ad hoc pium opus excitaverint Paſtoralibus ſolicitationibus, Regum & Principum pietatem, ut collectis validis copiis huiuſcemodi opus aggrederentur: & cum ageretur de negotio pro Fide & Eccleſia cum iſtis militaribus exercitibus operando, copiæ vocatæ fuerunt *Cruciatæ*, & Milites *cruceſignati*, eo quod impreſſum veſtibus crucis lignum deferrent: Occaſione harum Cruciatarum ortum eſt novum genus Religioſorum valde differens ab antiquis Solitariis, quorum vivendi normam inſtituerunt SS. Antonius, Pacomius, Macarius, & Baſilius in Oriente, & S. Benedictus in Occidente. Hi Religioſi Ordines inſtituti fuere ex Religioſis Militibus, qui Ordines efformarunt Militares in Palæſtina, cuiuſmodi fuerunt Hoſpitalarii, ideſt S. Ioannis, & hodie Melitenſes, ac poſtea in Germania Ordo Theutonicus, in Hiſpania Ordo Calatravæ ac Chriſti, & plures alii, qui identidem in variis Eccleſiæ regnis exorti ſunt. Huiuſcemodi Ordines, licet viderentur quodammodo ſpiritui Religioſæ profeſſionis oppoſiti, ſicuti eſt deferre arma, effundere ſanguinem, aliaque exercitia ſæcularis militiæ agere, ab Epiſcopis & Pontificibus, ob bonum, quod ex eorum favore & opere ſperabatur in Eccleſia, approbati fuere & confirmati.

Quia in aliquibus Militaribus Ordinibus non vovetur caſtitas ſaltem abſoluta & ſimpliciter talis, ut in Ordine S. Mauritii & S. Stephani, ſed tantum coniugalis, & paupertas quoque minus perfecta, exinde ſuſpicio ac difficultas exorta eſt inter Doctores, num huiuſcemodi Ordines vere ac proprie ſint Religioſi; & ne id hic deſideretur, de iſtis etiam aliquid dicere cenſui, exponendo naturam eorumdem Ordinum, nempe in quo conſiſtant eorum vota, ſeu quibus obligationibus adſtringantur, quale

do-

Digitized by Google

dominium habeant ſuorum bonorum, necnon illorum privilegia: Et pro maiori elucidatione.

Supponendum 1. ut certum teneri apud omnes, Clericos illarum Militarium Religionum profeſſos, qui ad divina miniſteria in eorumdem domibus recepti ſunt, & in choro laudes divinas canunt, Miſſas celebrant, confeſſiones audiunt, & Eccleſiarum curæ ipſis Ordinibus ſubiectarum præfici ſolent, eſſe vere & proprie Religioſos; idcirco gaudere omnibus Religioſorum indultis ac privilegiis, inhabiles eſſe ad Matrimonium, eorumque profeſſionem præcedens Matrimonium & non conſummatum diſſolvere, quia habent requiſita omnia ad veram Religionem, cum paupertatem ſimpliciter cum obedientia & caſtitate ſolemniter voveant ſub Regula vel forma ab Eccleſia approbata. Sic Lezzana, Garcia cum aliis. Et hoc dicendum etiam eſt de Monialibus Cruciaris. Unde ex hoc colligitur, prædictos Religioſos extra clauſtra viventes, & alicui Præbendæ vel Prælato eccleſiaſtico miniſtrantes, vel habitantes cum parentibus vel amicis, ſi aliquid ludo exponant (niſi de licentia Superiorum in re moderata iuxta eorum conſuetudinem) peccare mortaliter, & lucrantes ab ipſis teneri reſtituere, eo quod ſint veri Religioſi. Idemque dicito, ſi in rebus illicitis aliquid expendant, quidquid in oppoſitum aliqui ſentiant. Sic Lezzana, ac Garcia antea citati.

Supponendum 2. & apud omnes ut certum tenendum, Milites S. Ioannis vere & proprie eſſe Religioſos, utpote qui vere & totaliter tria vota, caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ emittant, ideoque ſunt dominii incapaces, immo & uſus ſine Superiorum dependentia; nec ſine eorumdem Superiorum licentia iuxta ſuas Conſtitutiones valent teſtari, utpote oppoſitum voto paupertatis, quidquid in contrarium addant Salmanticenſes, qui volunt ipſos non vovere paupertatem ita rigidam ſicuti Religioſi Clauſtrales. Nam quando vere paupertatem voveant, uti revera vovent, hæc impedit teſtari, eo quod talis actus ſupponat dominium, cum teſtari ſit diſponere de re ſua, ideſt de re cuius diſponens eſt dominus, quod implicat & abſurdum eſt ſtante paupertatis voto, quod omni libera diſpoſitione & dominio voventem prorſus expoliat. Verum circa hoc generatim loquendo attendendum eſt ad conſuetudines & privilegia ſummorum Pontificum, quæ vigent in ſingulis Militaribus Ordinibus, præcipue quoad Ordines Militares, qui paupertatem ſimpliciter non profitentur. Tenentur iuſſu Superiorum ſe exponere graviſſimis belli periculis in Fidei & Religionis defenſionem, ac per eorum continentiæ votum diſſolvitur eorum Matrimonium prius contractum & non conſummatum, ac proinde inhabiles redduntur ad Matrimonium poſtea contrahendum, ac per eorum votum dirimitur ſi contrahatur; quorum neutrum viget in aliis Militaribus Ordinibus, tametſi vere Religioſis, cum eorum profeſſi nubere poſſint, quia Pontifex ſuſtulit ab eorum voto hanc ſolemnitatem, ita ut & antecedens ratum non diſſolvatur, ut compatibile cum tali voto. Sic Lezzana, Garcia cum aliis. Unde ait Lezzana: *Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium 10. Maii 1641. declaravit, eos eſſe vere Religioſos*, ideoque aliarum Religionum privilegiis gaudent.

Supponendum 3. quod licet alii Militares Ordines, qui ex eorum Inſtituto nubere poſſunt, eſſent vere Religioſi, qui vovit ingredi Religionem, non ſatisfaceret ſuo voto aſſumendo habitum alicuius Ordinis Militaris, cum eorum Ordo in genere Religionis adeo laxus ſit, ut potius modum ſæcularis vitæ teneat: promittens autem ingredi Religionem intendit ſtatum arctiorem, & cœnobiticam vitam ducere intra clauſtra maxime ſeparatam a faſtu, & curis ſæculi. Sic Garcia, Corduba, Sanchez, Lezzana cit. hic a Salmanticenſibus. Improbabile autem non eſt, voventem Religionem in genere nullam determinando, ſatisfacere poſſe ſuæ obligationi aſſumendo habitum S. Ioannis, cum hæc Religio inter alias Militares ſit arctior, utpote votum ſimpliciter caſtitatis emittens, nec ſolum coniugalis: Lezzana cum aliis: ſicut etiam ſatisfaceret aſſumendo Religionem Clericorum cuiuſvis Ordinis Militaris, vel Canonicorum Regularium, quia iſti duo Ordines, non ſecus ac alii Religioſi, vitam Regularem agunt in Monaſterio. Lezzana, Corduba locis cit.

Supponendum 4. de Sanctimonialibus eorumdem Ordinum Militarium diſcurrendum eſſe non ſecus ac de illis quæ aliorum ſunt, non ſolum quoad vota & Inſtituti leges, quibus in profeſſione ſe adſtringunt, verum etiam quoad clauſuram, quidquid in contrarium aliqui immerito ſenſerint, vel dubitarint. Sic docent Lezzana, Azorius, Navarrus & alii. Etenim Decreta Concilii Trid. ſeſſ. 25. cap. 22. *de Regularibus* omnibus Monialibus clauſuram præ-

Digitized by Google

præcipit, *etiamſi illæ*, inquit, *ſub gubernio Militarium, etiam Ieroſolymitarum, vivant.* Idemque ſtatuit S. Pius V. Conſtit. edita 1566. quæ incipit: *Circa paſtoralis*, ubi clauſuram omnibus Monialibus obſervandam iubet, non obſtante quacumque conſuetudine, quæ antea inter eas inducta fuiſſet, cum Concilium Trid. iubeat obſervantiam clauſuræ non obſtantibus conſuetudinibus etiam immemorabilibus; & huic obligationi ita adſtringuntur Moniales, ut ſi etiam poſt Tridentinam Synodum, & Bullam S. Pii V. denuo inducta eſſet in aliquo Monaſterio conſuetudo, & legitimo tempore præſcripta, illæ quoque quæ poſt inductionem talis conſuetudinis, ideſt ſecundum hanc conſuetudinem Regulam in eodem Monaſterio profeſſæ fuiſſent, cuiuſcumque Ordinis ſint, etiam Cruciatarum, quandocumque eorum Prælati talem abuſum reformare vellent, tenerentur reformationi ſe ſubiicere, ideſt ad clauſuræ obſervantiam; quia tunc ſolum quis non tenetur reformationi Regulæ, cuius reformationem non eſt profeſſus, quando Regula mitigationem a Pontificis auctoritate recepit, non vero quando relaxatio Regulæ procedat ab oppoſita conſuetudine contra obſervantiam, in qua Religioſæ poſitæ fuere a Summo Pontifice; idcirco cum mitigatio debiti clauſuræ facta non ſit a publica ſummi Pontificis auctoritate, quandocumque denuo eiuſdem relaxatio per conſuetudinem inducta a Prælatis reformari poteſt, ac Regula in priorem ſtatum reduci, & cum talis reformatio iuxta Pontificis legem non ſit additio ſuper Regulam, tenentur Moniales omnes huic reformationi, ideſt obſervântiæ clauſuræ ſe ſubiſcere, tametſi tempore earum profeſſionis non vigeret.

Controvertitur inter Doctores, num Militares Ordines, in quibus tria vota emittuntur, ut ſunt Ordines Equitum D. Iacobi, Alcantaræ, Caltravæ, licet non voveant caſtitatem niſi coniugalem, & paupertatem non perfectam, ideſt non adeo ſtrictam, ſicut aliæ Religiones profitentur, ſint vere Religioſi, quod idem eſt ac quærere, an ad ſubſtantiam Religioſi ſtatus requirantur vota & obſervantia trium conſiliorum Evangelicorum, obedientiæ ſcilicet, caſtitatis & paupertatis, quæ perfectæ ſint, & ſimpliciter tales. Nam de aliis Militaribus Ordinibus, ut S. Mauritii, S. Stephani, S. Lazari, & ſi qui alii ſint, cum duo tantum vota emittant, caſtitatis nempe coniugalis & obedientiæ, cum eis deficiat aliquid eſſentiale pro ſtatu Religioſo, quod eſt paupertas, vere & proprie non ſunt Religioſi, ut tenet Lezzana loquendo de his Militibus, ſicuti non ſunt veri Religioſi, Converſi, Donati, Oblati, qui unum tantum vel duo vota emittunt. Dicit tamen eos Milites ex privilegio Pii IV. ab Ordinario exemptos eſſe.

Ordines ſupradictos, qui tria vota emittunt tametſi non perfecte & ſimpliciter, ſtatuunt ac ſuſtinent aliqui, ut Lezzana, Sanchez, Hieronymus Garcia, Suarezius, Pellizzarius eſſe vere Religioſos, quia per ipſos non eſt de eſſentia ſtatus Religioſi quod voveantur paupertas, caſtitas &c. abſolute & ſimpliciter tales, ac proinde dicti Milites voventes cum obedientia caſtitatem ſolummodo coniugalem, paupertatem remiſſam ſeu latam, conſtituti ſunt in ſtatu veri Religioſi. Status enim eorumdem Militum, in quo obedientiam profitentur, caſtitatem coniugalem, & paupertatem, licet non ſtrictam in Religione approbata, eſt ſtatus perfectionis, utpote qui non ſit ſtatus viæ ordinariæ, ſed obſervantiæ trium Evangelii conſiliorum per illa tria dicta vota, quatenus ad finem conducunt, dum ſe totos in obſequium Dei, qui eſt perfectiſſimus finis, tradunt, vitamque exponunt pro Fide ac lege Chriſti, & Eccleſiæ defenſione, ut quidam Milites, non ſecus ac ſtrenui Machabæi tempore Synagogæ contra hoſtes legis, fortiter dimicando contra Turcas, Saracenos, alioſque Infideles.

Alii vero, & probabilius ac verius ſentiunt, contenduntque, huiuſcemodi Milites, eo quia non voveant obſervantiam trium conſiliorum Evangelii perfecte, abſolute, & ſimpliciter, cum voveant caſtitatem ſolummodo coniugalem, & paupertatem adeo remiſſam, & laxam, ac fere nullam, non eſſe veros Religioſos; Nam ad eſſentiam Religioſi ſtatus, ut ſupra vidimus, requiritur ut voveatur obſervantia obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis, abſolute, ſimpliciter, & prout ſunt tales. Cum igitur prædicti Milites non voveant conſiliorum obſervantiam abſolute, & ſimpliciter talium, ideſt perfecte in toto ſuo eſſe ſubſtantiali, (exinde enim talia vota dicuntur ſubſtantialia, prout nempe in tali eorum promiſſione conſiſtit ſtatus Religioſus) ſed imperfecte, limitate ſeu conditionate, non ſunt veri & ſubſtantialiter Religioſi. Sic D. Thomas expreſſis verbis 2. 2. q. 186. art. 4. ad 3. Et hoc habet etiam caput *Cum ad Monaſterium de ſtatu Monacha-*

*chali*, ubi dicitur: *Abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere*; nimirum, ſtando in Religione ſeu in ſtatu Religioſo Papa non poteſt Religioſum diſpenſare a cuiuſvis trium votorum obſervantia, ſed tantummodo eum a tali ſtatu prius ſubtrahere, nempe efficiendo ut non ſit amplius Religioſus, ideſt Religioni non obſtrictus. Quocirca cum hi Milites nec abdicent a ſe proprietatem, utpote qui dominium bonorum ſuorum ſervant, (ut plures etiam contrariæ ſententiæ fatentur) ſicuti & alii ſæculares, nec caſtitatem voveant niſi coniugalem, ut nubere poſſint ſi velint, carent profecto eſſentia ſtatus Religioſi, ac proinde dici nequit illos vere eſſe Religioſos. Et equidem per votum obſervandæ caſtitatis coniugalis non plus obſtringuntur, quam ad præcepta omnibus aliis communia: idcirco non ad alium altiorem ſtatum extolluntur, ſed communem tantum aſſumunt, quem etiam omnes alii fideles laici vi divini mandati obſervare tenentur. Igitur non perfecte Deo conſecrantur, ſicut requiritur ad tendendum ad perfectionem, quæ eſt finis, & eſſentia ſtatus Religioſi, cum hoc fieri nequeat ſine obligatione omnimodæ abſtinentiæ a carnalibus voluptatibus, utpote quæ ſint maxima impedimenta curæ perfectionis, ideſt intimæ inhæſionis Deo per charitatem. Siquidem qui illecebris carnalibus etiam licitis inſervit, in coniugem dividitur, ideſt dividit ſuos affectus inter Deum, & uxorem, ut ſicut fert vinculum coniugale, eidem etiam complaceat. Et cum Angelico ita ſentiunt etiam Leſſius, Layman, Sotus, Garcia, Barboſa, Bonacina, & alii.

Vota ſubſtantialia horum Militarium Ordinum, qui Religioſos ſe credunt, generaliter loquendo, & a particularibus obligationibus præſcindendo, conſiſtunt in hoc, quod ex vi obedientiæ obſequi debeant Magiſtris & Superioribus in iis quæ reſpiciunt externa vitæ activæ opera, & ad Militiam ſpectant ac ordinantur; idcirco diſponere nequeunt de ſuis perſonis, ſive alicui perſonæ, confœderatione, homagio, vel alicui feudo per aliquod ſervitium reale ſeu perſonale, quod dedecet ipſorum perſonas, ſe iuramento obligare, immo nec ſe implicare bellis Chriſtianorum, ſine ſuorum Superiorum licentia, utpote qui ratione voti non ſunt amplius ſui iuris. Lezzana, Pellizzarius. Ratione voti caſtitatis tenentur ſe abſtinere ab omnibus carnis voluptatibus extra Matrimonium, immo etiam in Matrimonio, quando, & eo modo quo fuerit neceſſarium ad illorum finem, qui eſt defenſio Religionis & Eccleſiæ in bello, & a ſuis Superioribus fuerit ipſis mandatum. Suarez, Pellizzarius & alii. Et ex vi Regulæ, ac Conſtitutionum debent etiam quibuſdam diebus ab uxoribus abſtinere, ut notat idem Pellizzarius tract. 16. diſp. 1. n. 3. Ita ut ſi extra Matrimonium, in carnalibus cum alia fœmina ſe immiſcuerint, & ipſi, & fœminæ quæ cum illis rem habuerunt, tenentur talem circumſtantiam in confeſſione aperire, utpote peccatum carnale ſacrilegii contraxerint: Et filii ex tali concubitu procreati, tametſi hoc factum fuerit cum ſoluta, non ſunt naturales, ſed ſpurii, quia progeniti ſacrilege contra votum caſtitatis a perſona eccleſiaſtica, & in Religione approbata emiſſum, ſive hi Milites ſint vere Religioſi, ſive non, ut habetur *L. 11. Tauri*, & ita docent Lezzana, Diana, & alii. Ratione vero voti paupertatis carent libero ac expedito uſu ſuorum bonorum, quæ poſſident, cum in hoc dependere debeant a ſuis Superioribus, ita ut ſine illorum licentia de ſuis bonis diſponendo peccant contra votum paupertatis: unde tenentur inventarium ſuorum bonorum mittere ad Superiorem, quando ab illo exigatur, vel quando in eorum reſpectivis Conſtitutionibus hoc facere præcipitur. Licet vero non teneantur ratione voti ex redditibus ſuarum Commendarum eleemoſynas pauperibus elargiri, ac providere de iis quæ opus ſint ſuis Eccleſiis, ad hæc tamen tenentur ex eo quod huiuſmodi redditus ſunt bona eccleſiaſtica, præcipue quando bellum non gerunt contra Infideles, ad quem finem talia bona ipſis fuerunt applicata.

Verum tametſi talia bona ſint eccleſiaſtica eccleſiaſticis applicata, (hi enim Milites ſive Religioſi ſint, ſive non, ſunt tamen perſonæ eccleſiaſticæ) non ſunt tamen Beneficia eccleſiaſtica, ac proinde non tenentur hi Milites ad Horas canonicas perſolvendas, nec habitum clericalem, tonſuramque deferre, cum eis non dentur ob eccleſiaſticum officium ſeu ſacram adminiſtrationem, ſed ob Militiam, in qua in favorem Fidei & Eccleſiæ ſe exercere debent. Azorius, Lezzana. Bona vero, quæ eccleſiaſticis Militibus ob eccleſiaſticum miniſterium conferuntur, quamvis in rigore non ſint Beneficia, quia non ſunt perpetua, utpote dependentia a Superiorum arbi-

bitrio, ut docet Sanchez Decal. l. 7. cap. 29. n. 14. ſunt tamen Beneficia Regularia, cum nihil ad rationem Beneficii eis deficiat: ſic onus afferunt recitandi Horas canonicas, ut tenent Azorius & Lezzana. Quamobrem omnis conventio & pactum, quæ circa ea contrahantur, ſunt ſimoniaca, ideſt materia ſimoniæ, quod dici nequit de Commendis Militum, quia ſunt res mere temporales. Sic Suarez, Bonacina, qui docent ulterius, Commendas, quia bona ſunt eccleſiaſtica, legem vel Magiſtratum ſine gravi culpa vendere & alienare non poſſe, ſaltem niſi hoc fiat cum conditionibus requiſitis ad bonorum eccleſiaſticorum alienationem, quia non ſunt earum Commendarum domini, ſed diſpenſatores. Riccius & Covarruvias citati hic a Lezzana.

Verum quidquid ſit, an huiuſcemodi Milites ſint veri Religioſi vel non, non ſequitur inde, ſupradictos, eſto vere eſſent Religioſi, carere rerum ſuarum proprietate & dominio, utpote qui poſſint eſſe veri Religioſi cum ſolis votis ſimplicibus, cum ſtatus Religioſus vi Conſtitutionum alicuius ordinis poſſit nunc ſubſiſtere in ſolis votis ſimplicibus, quando ita ab Eccleſia approbatus ſit, ut patet in Scholaribus Societatis Ieſu poſt primam eorum profeſſionem, qui poſt biennium probationis, ut iam vidimus, declarati fuere a Gregorio XIII. per ſuam Conſtitutionem *Aſcendente Domino* veri Religioſi, qui in hac primæva ſua profeſſione retinent rerum ſuarum dominium, donec renunciare iubeantur, dummodo quoad uſum & adminiſtrationem a Superioribus dependeant, ut docent Suarez, Pellizzarius, Baſilius, &c. Immo hoc non implicat, etiamſi vota horum Militum eſſent ſolemnia, cum hoc iam incertum ſit, dum non conveniunt Theologi in aſſignando quid vota reddat ſolemnia, & cum talis ſolemnitas ſit de iure eccleſiaſtico, ab Eccleſia quoad aliquos limitari poteſt, ut cum voto caſtitatis capacitas remaneat contrahendi Matrimonium, & cum voto paupertatis capacitas dominii, & ſicut hoc facere poteſt, revera fecit in approbandis Conſtitutionibus Ordinum dictorum Militum cum reſtrictione votorum ad ſolam caſtitatem extra coniugium, & abſtinentiam ab uxoribus talibus datis diebus, & ad paupertatem ad ſolam dependentiam quoad ſolum uſum bonorum a Superioribus, relicta profeſſoribus eorumdem Ordinum capacitate ad Matrimonium & dominio eorumdem bonorum. Quare paupertas horum Mili[illegible] non eſt adeo ſtricta ſicut Regulari[illegible] conſtat ex praxi nunquam reprobata, cum [illegible] Milites vivant in ſæculo, familiam, uxores, liberos cum oſtentatione ſuo ſtatui debita alant. Immo providere debent liberis bona, quæ ipſis neceſſaria ſunt ut vivant cum illo decore quod fert nobilis eorum conditio; nam non aggregantur his Ordinibus niſi ii, qui ex illuſtri orti ſunt genere, quæ omnia, & præcipue hoc poſtremum, exigunt bonorum dominium. Igitur apud huiuſcemodi Milites, non obſtante voto paupertatis, res aliter ſe habet quoad uſum, ſemper tamen cum dependentia ab eorum Superioribus. Sic Suarez, Palaus, Garcia, quidquid in contrarium ſentiant Navarrus, Azorius, Pellizzarius.

Hinc hi Milites de quibuſcumque bonis, etiam cumulatis ex proventibus Commendarum, inſtituere poſſunt Maioratus, vere & libere teſtari, ſive quia votum paupertatis cum tali limitatione in eorum Ordinibus approbatum ſit a Summis Pontificibus, ita ut domini remaneant ſuorum bonorum, ut de his omnibus, etiam provenientibus ex Commendarum redditibus, diſponere poſſint in morte, & ſi inteſtati moriantur, ſuccedant in his naturales eorum hæredes, ſicut ex conceſſa eis facultate nubendi opus erat; ſive quia ita receptiſſima conſuetudo apud ipſos obtinuit. Immo pro maiori ſecuritate eorum conſcientiæ Gregorius XIII. revocavit motum S. Pii V. qui eis facultatem teſtandi interdicebat, concedens illis ſecundum priſtinam eorumdem conſuetudinem facultatem teſtandi. Garcia, Lezzana.

Verum tametſi dicti Milites ſive ex Pontificum approbatione Conſtitutionum huiuſmodi Ordinum, ſive ex inducta inter eos conſuetudine, nunquam ab Eccleſia reprobata, retineant dominium in ſuis bonis ſive patrimonialibus, ſive ex redditibus Commendarum, ut de iis libere diſponere valeant, non alias ac alii mere ſæculares, ego tamen non video quomodo aſſentiri poſſim iis, inter quos Molina, Rodriguez, qui extendunt eorumdem Militum dominium quoad facultatem diſponendi etiam in uſibus illicitis, non in moderatis luſibus recreationis honeſtæ cauſſa, ſed in concubinatu: Quia ſive res accipiatur ex parte Papæ, a quo cum tali relaxatione dominii in paupertate approbati ſunt iſti Ordines, ſive ex parte conſuetudinis in his Ordinibus inductæ, ex neutro talis facultas agnoſci poteſt in iſtis Militibus ſua

bo-

bona diſpenſandi in pravis uſibus & ſ[illegible]citis. Non ex parte Papæ, qui cum a Chriſto habeat poteſtatem in ædificationem, & non in deſtructionem & ruinam Chriſtianæ pietatis, non poteſt concedere retentionem dominii cum voto paupertatis etiam cum facultate in privilegiato abutendi rebus poſſeſſis etiam in pravis & illicitis; alias eſſet iniquus diſpenſator poteſtatis a Deo ſibi commiſſæ, nempe in ſpiritualem animarum perniciem: Non ex parte conſuetudinis, quia cum eſſet contra votum paupertatis, vi cuius quoad uſum a conſenſu Superiorum hi Milites dependent, eſſet merus abuſus, utpote contra votum, quod eſt de iure divino, nullam admittens præſcriptionem, & Superiores Ordinum, ut Miniſtri Dei & Eccleſiæ, nequeunt alium uſum concedere ſuis ſubditis circa res ab ipſis poſſeſſas, præcipue Commendarum, niſi qui conſonus ſit intentioni Eccleſiæ, ideſt in honeſtis & licitis, minime in rebus illicitis & inhoneſtis, cuiuſmodi eſſet diſpenſare bona poſſeſſa in ludis immoderatis, & vetitis, & in concubinis; ac proinde & lucrantes ab ipſis in huiuſcemodi ludis, & concubinæ ab iiſdem accepta reſtituere tenentur, quidquid in contrarium dicant Sanchez aliive ſupra citati: Quia etiamſi domini ſint ſuorum bonorum, eorum dominium cum voto paupertatis a Papa conceſſum ſupponi nequit niſi limitatum & reſtrictum ad honeſtas, licitaſque diſpoſitiones, & neutiquam liberum & abſolutum ad illicita quoque & inhoneſta.

Circa horum Militarium Ordinum privilegia, gaudent hi ex privilegio ipſis Ordinibus conceſſo, ut non comprehendantur ſub iure pontificio, vel mandato ſeu ordinatione aliqua quoad onera, & rigores, cum ſæpe declaraverint Pontifices, eos excludere a communibus præceptis, ſtatutis, oneribus, pœnis, vel prohibitionibus pro Religioſis impoſitis, ut tradunt Garcia, & Lezzana. Quare non comprehenduntur in Conſtitutione S. Pii V. & pœnis in ea ſtatutis contra Religioſos, qui agitationibus taurorum aſſiſtunt, & in Conſtitutione Clementis VIII. *de largitione munerum*, quia expreſſe eos excludit. Includuntur quidem, ut advertunt cit. Garcia & Lezzana, in utraque Conſtitutione, non ſecus ac alii Religioſi, Clerici eorum Ordinum, cum comprehendantur in communibus aliorum Regularium legibus. Item alii Milites, præter eos D. Ioannis, ex peculiaribus eorum Conſtitutionibus, non comprehenduntur in Decreto Concilii Trid. ſeſſ. 25. *de Regularib.* cap. 15. in quo præcipitur, ut profeſſio non fiat ante annum decimum ſextum, & poſt annum probationis. Ita teſtatur Lezzana tom. 2. cap. 5. num. 17. declaraſſe ſacram Congregationem. Item non comprehenduntur in Decreto eiuſdem Concilii ſeſſ. 6. cap. 3. *de Refor.* quod nemo Regularis cuiuſvis privilegii prætextu tutus cenſeatur, ſi delinquat degens extra Monaſterium, ab quin Ordinario loci viſitari, puniri & corrigi poſſit. Nec pariter includuntur in cap. *Benef. de Regularib.* ſtatuente, Beneficia (& ita eſt de penſionibus) vacare per profeſſionem Religioſam, ac proinde, ut experientia comprobat, in ipſis non vacant. Similiter non comprehenduntur Religioſorum nomine, quoties in Conſtitutione *Maioratus* ponitur clauſula excluſiva Religioſorum. Si vero ponatur clauſula *potens ac debens ducere uxorem*, excluſi manent Milites D. Ioannis, qui nubere non valent. Sic Lezzana cum aliis. Item non comprehenduntur ſub prohibitione comedendi lacticinia tempore Quadrageſimæ, ex vi Bullæ Cruciatæ, ſicut habetur in Bulla. Nec tandem comprehenduntur in cap. *Ne clerici vel Monachi* in 6. ubi maiori excommunicatione mulctantur Religioſi habitum ſuæ Religionis temere dimittentes, tametſi ob ſuas particulares Conſtitutiones ſemper teneantur ſuum habitum deferre. Sic Garcia, Lezzana, ſecundus quorum addit, declaratum eſſe a ſacra Congregatione, Regularem Militem, ſi fuerit Canonicus, non poſſe deferre ſupra habitum Canonicalem crucem Ordinis Militaris, & ita tenet etiam Barboſa verb. *Miles Regularis* n. 2. Et eſt probabile, tales Milites capaces eſſe Beneficii eccleſiaſtici ac penſionis, quorum incapaces ſunt alii Religioſi; & quia non comprehenduntur in odioſis quæ ſpectant ad Regulares, & quia dato etiam quod ſint vere Religioſi, modum tamen Religioſum non tenent, & ſuos redditus quaſi proprios obtinent. Sic Lezzana, Azorius cum aliis.

Inter privilegia vero, quibus hi Milites Regulares fruuntur, ſive ſint veri Religioſi, ſive non, primum eſt, quod ſunt eccleſiaſticæ perſonæ, utpote ſpecialiter Deo dicatæ, & ſub Religioſa Regula vitam ducentes, & eorum ſtatus in iure ſub nomine Regulæ & Religionis approbatæ computatur, cum profeſſio in his Ordinibus valida ſit. Suarez, Lezzana. Hinc ſimoniacam labem contrahere poſſunt in venditione vel emptione habitus horum Ordinum, ſi pro ipſo aliquid detur vel accipiatur, ut pre-

tium emendi vel vendendi huius habitus, ſive ſint veræ Religiones, ſive non, quia habitus ius præbet ad multa privilegia eccleſiaſtica, & ſic connexionem habet cum re ſpirituali. Gaudent quoque ipſi Milites privilegio Canonis, ut ſi quis eos percutiat, incurrat excommunicationem Canonis *Si quis ſuadente diabolo*. Item potiuntur privilegio fori, ut conveniri nequeant coram iudice ſæculari, ſed coram eorum Prælatis. Sic Pelliza. Lezz. Barbol. & hoc extendunt etiam ad eorum Novitios, cum eo tempore ſint perſonæ eccleſiaſticæ, & in favorabilibus æquiparantur Profeſſis, & ut perſonæ eccleſiaſticæ potiuntur etiam privilegio Immunitatis a Gabellis: Lezz. Garcia, qui hoc privilegium extendunt etiam ad eorum uxores viduas. Num vero gaudeant privilegio, ut poſſint peccata ſua etiam Confeſſario non approbato ab Ordinario confiteri, ut vult Sancius, in hoc aiunt Salmanticenſes ſtandum eſſe conſuetudini, quam ait Diana eſſe contrariam. Poſſunt quidem accedere (& hoc certum eſt) ad Confeſſarium, vel ad Communionem enſe accincti, quia enſis eſt pars eorum habitus, & quia eorum ſtatus eſt, ſemper promptos eſſe ac paratos ad bellum contra communes Religionis hoſtes. Ita Ioan. Sancius, Lezzana & alii.

## §. VII.

### *De voto aſſumendi ſtatum Religioſum.*

Vovere Religionem, ac ingredi, alioſque ad huiuſcemodi ſtatum conſilio, & hortatione inducere, ſervata tamen conditione prius explorandi & in ſe, & per aptum Directorem, divinam vocationem, quæ, ut vidimus, prorſus neceſſaria eſt ad huiuſce ſtatus electionem, bonum, laudabile & meritorium eſſe ita manifeſte per ſe patet, ut a nemine ambigi poſſit, quemadmodum ſapienter oſtendit Angelicus Doctor 2. 2. q. 189. a. 3. ex eo quod cum votum ſit promiſſio facta Deo de re meliori, maxime hoc contingit in vovenda Religione poſita divina vocatione, dum religio eſt ſtatus omnium excellentiſſimus, ut exhibeatur debitus cultus, & tributum omnium noſtrarum actionum Deo, ut ſupremo Domino & ultimo fini; cum per ingreſſum Religionis homo per totam vitam mancipetur ſpecialioribus divinis obſequiis atque de toto ſeipſo perfectiſſimum offerat holocauſtum. Quare bonum eſt etiam alios ad hunc ſtatum inducere, facta eis tamen advertentia præmittendi ſerium de divina vocatione examen, ſine quo non expedit, ideſt bonum non eſt alicui in particulari votum Religionis emittere; alias cum in incerto res verſaretur, eſſet fortaſſe offendiculum inricere æternæ voventis ſaluti, ac proinde magna circumſpectione, maturitate, & conſilio opus eſt ad deliberandum in re, quæ tanti eſt momenti, cum ab ipſa æterna ſalus ſtatum hunc aſſumentis dependeat

Verum quomodo ſe gerere debeat qui Religionem vovit, ideſt ad quid teneatur vel non teneatur, cum ſatis hoc expeditum ſit agendo de voto, hinc ſummatim cenſeo hæc prælibanda exhibere. Qui igitur votum ingrediendi Religionem emiſit, tenetur curare pro viribus omni adhibita diligentia, quæ in re gravi prudenter poni ſolet, Religionem ingredi, ut ex D. Th. q. 189. art. 3. ad 1. Huic tamen obligationi non adverſatur, ut qui hoc vovit, ante executionem poſſit, immo debeat ſe manifeſtare Prælatis illius Religionis, quam ingredi ſtatuit, & inquirere num habeat aliquod eſſentiale impedimentum; immo etiam detegere averſionem, quam forte habet ad Religionem, nam hoc conducit ad prudentem admiſſionem ad talem ſtatum. Non tenetur tamen manifeſtare Prælato in petendo Religionis habitu votum quod tenet ingrediendi Religionem, cum ex vi voti teneatur ſolummodo media ponere per ſe neceſſaria executioni. Caietan. Bonac.

Qui Religionem vovit, non ſatisfacit, ut ſupra iam vidimus, ſuæ obligationi Ordinem Militarem ingrediendo, immo nec ingrediendo Religionem relaxatam, & quoad principaliores obligationes collapſam, niſi forte ſpes ſit proximæ reformationis, cum talis Religio nomen Religionis non mereatur, nec ad perfectionem, immo ad perditionem conducat, & hoc non eſt fugere pericula, ſed eis obviam ire. Quare ſi quis voverit huiuſcemodi Religionem, non tenetur implere, etiamſi hoc cognoſceret quando votum emiſit, cum hoc votum non ſit promiſſio de re meliori, Deoque accepta, nec in tali voto prudenter ſe gerit debitæ ſpirituali ſuæ ſaluti conſulendo.

Qui vovit ingredi Religionem ſtrictiorem, ſpeciali præciſo privilegio non ſatisfacit ſuæ obligationi per ingreſſum in laxiorem, quia minus præſtat quam promiſerat. Satisfaceret quidem ſi res e contra ſe haberet, cum quis ſuum propoſitum in melius mutare poſſit. Sic Pellizz. Reginald. qui addunt, poſſe eum, qui votum emiſit de Re-

ligio-

Digitized by Google

ligione ſtrictiori, aſſumere aliam æque ſtrictam, quia vovens ſine ulla Superioris licentia in certo æquale mutare poteſt ſuum votum. Bonac. *de Legibus* diſp. 4. q. 2. §. 6. n. 4. Cæterum, qui profeſſus eſt Religionem laxiorem, omnino liber manet a voto ingrediendi ſtrictiorem. Sic D. Thomas 2. 2. q. 189. art. 8 ad 3. ubi ait: *Quia votum ſolemne, quo quis obligatur minori Religioni, eſt fortius, quam votum ſimplex, quo quis aſtringitur majori Religioni.* Dixi, *præciſo ſpeciali privilegio non ſatisfacit ſuæ obligationi*: Nam ſi aliqua Religio ſpeciale habeat Pontificis privilegium admittendi eos qui ſtrictiorem voverunt, tales ſatisfaciunt illam aſſumendo; quia Pontifex hoc concedens in favorem Religionis, commutavit tale votum, vel Prælatis facultatem talis commutationis conceſſit. Huiuſmodi privilegium habent Patres Benedictini, & refertur in *Compendio Mendicantium*, & non eſt revocatum in revocatione Oraculo vivæ vocis facta a Gregorio XV. & Urbano VIII. & Sorb. refert privilegium conceſſum Camaldulenſibus a Leone X. Aliud Iulii II. Congregationi Montis Oliveti; Aliud Eugenii IV. Ordini S. Auguſtini, quæ per privilegiorum communicationem aliis etiam competunt Ordinibus. Notat tamen Portel. *de dubiis regul.* verb. *votum* in additionibus n. 36. ingredientem tenere tale ſuum votum Prælatis manifeſtare, ut illud commutare, aut ſuper eo diſpenſare valeant. Subditur vero limitatio in privilegio Eugenii IV. quam pro omnibus admittunt Sanch. Palaus, Laym. nempe ſi antequam Profeſſionem admittat in laxiore, ex laxiore egrediatur, diſpenſatio nullius eſt roboris vel momenti. Sic Salmant.

Qui Religionem vovit in genere, vel aliquam in particulari, docet D. Thomas 2. 2. q. 189. art. 3. ad 2. ſi in particulari, *ille qui ſe voto obligavit ad certæ Religionis ingreſſum, tenetur facere quantum in ſe eſt, ut in illa recipiatur; & ſi quidem ſe intendit ſimpliciter ad Religionem obligare, ſi non recipiatur in una Religione, tenetur ire ad aliam: ſi vero intendit ſe ſpecialiter obligare ad unam ſolam, non tenetur niſi ſecundum modum ſuæ obligationis.* Verum cum S. Doctor hic non explicet quas ſolicitudines adhibere debeat vovens, ut cenſeatur debitum ſui voti impleviſſe, regula aliqua hic ſubiicitur a Salmanticenſibus; videlicet, quod ſi in genere vel in ſpecie voverit Religionem, tot adire debet Religiones, & Monaſteria, ut poſtea repulſus non ſit moralis ſpes fore ut prudentum iudicio alicubi recipiatur. Non tamen putant Salmanticienſes, omnes ipſi adeundas eſſe Religiones, non omnia Monaſteria, ſed quatuor ſaltem vel quinque diverſas Religiones, ſi nullam in voto deſtinavit; ſic tres aut quatuor domus eiuſdem Ordinis, ſi alicui vovendo ſe obligavit, ſtatuunt neceſſarium ac ſufficiens eſſe ut debitum ſui voti impleat: Et hanc regulam præſcribit etiam Garcias cum Laymano & aliis. Si autem ab iis Religionibus & domibus, ad quas ſincero animo acceſſit habitum petendo, abſolute & cum cauſſa perpetua dimittatur, liber erit ab obligatione voti: Si vero cauſſa repulſæ fuit temporalis, puta adverſa valetudo, tenera ætas, indigentia parentum &c. his ſublatis tenetur iterum eaſdem diligentias repetere, ut ſui voti oneri ſatisfaciat.

Qui in genere Religionem ingredi vovit, non eſt cogendus aſſumere ſtrictiorem, puta Capuccinorum, vel Carthuſianorum, & ſi ab aliis laxioribus repellatur, cum has exquirendo ſuo ſatisfecerit debito, non ad aliquid plus tenetur: Vovens enim Religionem in genere, cenſetur voviſſe Religionem communi hominum naturæ accommodatam. Sic Ricard. Sylveſ. Angel. Armilla, Garcia, & alii. Et ſi ingredi voverit aliquam Religionem ex Mendicantibus, repulſus a Calceatis non tenetur Ordinem ingredi Excalceatorum, tum quia ſi repellatur ut ineptus ad illos Ordines, multo magis talis erit ad iſtos, in quibus præter generales, ſpeciales quoque qualitates requiruntur; tum quia communem voventium intentionem, iuxta Sanchez, huiuſcemodi aſperitas excedit, & ſpecialem ſpiritus vocationem, atque auxilia exquirit; quapropter licet ab illis expulſus ab iſtis reciperetur, haſce ingredi non tenetur. Similiter qui Religionem vovit in genere (niſi aliunde de ipſius intentione conſtet, cui ſemper ſtandum eſt, cum votum ſit lex particularis, quam quiſque ſibi imponit, ideoque non plus quam ipſe intellexerit in vovendo, obſtringitur) non tenetur quærere Religionem extra ſuam Provinciam ſeu nationem ut ingrediatur, ut omnes tenent, quia cenſendus eſt non intendiſſe ſe obligare Religioni, niſi intra ſuam Provinciam, ſi ab aliqua, quæ in ipſa reperitur, admittatur, & multo magis de fœmina id dicendum eſt.

Vovens ingredi tale Monaſterium, non vero talem Religionem, ſi a Superioribus Monaſterii abſolute, ſimpliciter, & legitime repellatur, non tenetur ingredi aliud Mo-

naſterium eiuſdem Ordinis, quia petito habitu ab illo Monaſterio, quod ingredi voverat, cenſetur neceſſariam adhibuiſſe diligentiam, quæ præſtari ſolet in re magni momenti, ut ſuo debito ſatisfecerit, & ſemper cenſetur voviſſe cum tacita conditione, niſi repellatur.

Nota, Prælatum Regularem eadem facilitate repellere poſſe petentem ingredi ex voto, ac eum qui non vovit, quia votum alterius nullam obligationem ei induxit, neque cooperatur fractioni voti, niſi quando illegitime eum dimittat.

Vovens Religionem pro munere & ſtatu Clericali, vulgo *da Coro*, non laicali, habenſque dotes requiſitas pro tali ſtatu, ſi ſolum intra Ordines, quos iuxta ſuam intentionem tenetur requirere, recipiatur, non tenetur ingredi, & ab onere voti liberatur, quia non tenetur niſi ad quod in vovendo expreſſe vel tacite intellexit, ac proinde ſi intellexit promittere ingreſſum Religionis ut Clericus, habeatque neceſſarias dotes, ſi pro tali officio repellatur, ceſſat ſui voti obligatio, quæ ultra eius intentionem non extenditur. Si vero non cogitaverit in vovendo de ſtatu Clericali vel laicali, licet habeat dotes pro Clericali, & nonniſi pro laicali Prælatus eum admittere velit, tenetur ingredi Religionem ad illum gradum, ad quem admittere voluerit Prælatus. Bonac. Leſſius, Pellizz. Suarez, Garcia hic citati a Salmant.

Qui Religionem vovit non advertendo, an ſcientia requiratur ut recipiatur ut Clericus, vel ars aliqua requiratur ut recipiatur ut laicus, nec alterutrum ſit ei valde difficile percipere, quidquid in contrarium dicant Salmanticenſes, certe iuxta gradum pro quo admitti velit, ut ſui voti obligationem impleat, eas addiſcere tenetur, quia eo ipſo, quod quis ſe obligavit ad aliquem finem, ſe ſimul, tacite ſaltem & implicite obligavit ad media ad finem intentum conducentia; alias illius intentio illuſoria eſſet, cum finis ſine mediis aſſequi nequeat, eo vel maxime, quod inutiles ad Religionem non admittuntur.

Qui poſtquam Religionem vovit, Matrimonium contrahit, peccat mortaliter Matrimonium contrahendo, nec intra bimeſtre ſine gravi culpa debitum petere vel reddere poteſt, quia intra bimeſtre Matrimonio non conſummato adhuc aptus eſt ad obligationem ſuam implendam per ingreſſum in Religionem. Si autem intra bimeſtre conſummat, tunc ponit impedimentum, quo ad Religionem ſit ineptus, unde licite & reddere & petere poteſt, cum id non ſit contra votum, cuius impletioni impedimentum non ponit, cum iam in illo ſtatu facta ſit ei impoſſibilitas: votum tamen in eo non ceſſat, ſed ſuſpenditur, ita ut quamprimum poteſt illud exequi teneatur; ut ſi alter coniux ingredi velit Religionem, vel in hæreſim aut adulterium labatur, aut moriatur, aut libere ei facultatem concedat ingrediendi in Religionem, ſive alia cauſſa occurrat iuſti divortii, in his caſibus Religionis ingreſſum ſine gravi culpa ommittere nequit, ſive remittendo adulterium ab altero coniuge commiſſum, ſive adulterando, quo fit alterius delicti compenſatio, ut iuſta cauſſa divortii tollatur, quia ita ſua ſponte, & non Matrimonii impedimento impotens redditur ad ſuum votum implendum. Sic Suarez. Bonac. Pellizz. cum aliis hic citatis a Salmantic.

Si votum quis habeat Religionis ante ſponſalia, votum ſervare tenetur, cum omnis promiſſio eidem poſterior nulla ſit & irrita, utpote de re illicita & incompoſſibili: Nam res ſemel uni obligata non poteſt nec licite nec valide alteri obligari. Quocirca iſtiuſmodi ſponſalia, utpote nulla, non afferunt impedimentum publicæ honeſtatis.

Qui poſt conſummatum Matrimonium votum ingrediendæ Religionis emiſit de alterius conſenſu, referendo ſe ad tempus quo liber fuerit, quando tempus contingat in quo ſit liber, illud exequi tenetur. Quod ſi voveat in illo ſtatu, in quo extat, Religionem ingredi de conſenſu alterius, votum tunc tenet, non tamen abſolute, ſed conditionate, ideſt ſi uxor præſtare voluerit quæ de iure ſunt requiſita, nimirum ſi ipſa quoque ingredi velit Religionem, ſi forſan cum iuvenis ſit, in eam cadere poſſit ſuſpicio incontinentiæ; & ſi ſenex ſit, voveat caſtitatem in ſæculo. Sic Pellizz. cum Leſſio & aliis, qui etiam advertunt, quod ſi coniuges ex mutuo conſenſu ambo Religionis ingreſſum voveant, donec ingrediantur ius habent licite debitum petendi & reddendi, quia actus coniugii tunc minime obſtat tali voto, nec ius executionem impedit.

Qui Religionem vovit non ſatisfacit ſuæ obligationi Epiſcopalem ſtatum aſſumendo, quidquid in contrarium dicant aliqui, ea adducti ratione, quod Epiſcopatus ſit ſtatus Religioſo perfectior; quia Epiſcopatus eſt quidem per ſe loquendo, & formaliter ſtatus perfectionis, non propriæ tamen, ſed alie-

næ,

næ, non paſſivæ, ſed activæ, & ideo quia ad perficiendum alios ordinatur, conſtituitur a D. Thoma ſtatus Religioſo perfectior: unde, ſecluſo neceſſitatis caſu, melius eſt Religionem voventi ad Religionem tranſire, quam ad Epiſcopatum, & ſic non poteſt per ſe ipſum commutare ſuum votum Religionis in curam Epiſcopalem, cum votum propria auctoritate commutari nequeat in melius ſecundum ſe, ſed quatenus id eſt melius voventi. Sic expreſſe S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 3. ad 1.

## §. VIII.

### *De debito perſeverandi in Religione in illo, qui Religionem ingredi vovit.*

Varia circa hoc obſervanda occurrunt, quæ iam omnes communiter admittunt, ac præcipue notantur a D. Th. 2. 2. q. 189. art. 4. nempe vel vovens vovit ingredi Religionem, ut eam tantum experiatur an ſibi conveniens fuerit, vel animo perſeverandi; vel in genere vovit nihil cogitando vel de libertate exitus, vel de perpetuitate permanendi. Qui habet votum ſolum ingrediendi Religionem ad experiendum in probatione utrum talis ſtatus ei ſit congruus, ideſt ſuæ conditioni, ſi in probatione non deprehendat difficultates ita graves, ut ſine magna vi eas ſuperare queat, non poteſt egredi ſine gravi culpa, quia votum ingrediendi Religionem ſupponit implicite voluntatem etiam in ea profitendi, quando eius onera non difficillime ſuſtinere valeat, cum votum ingrediendi Religionem non ſit votum ſuſcipiendi tantummodo habitum Religioſum, ſed ſimul ſerviendi Deo in ſtatu Religioſo toto vitæ tempore. Igitur tenetur ad profeſſionem faciendam, ſi probata Religio non diſplicuerit; alias non ſatisfacit ſui voti obligationi, quia votum obligat ſuſcipere habitum bono & ſincero animo experiendi probationem Religionis. De ratione autem talis probationis eſt ut probata Religio ſuſcipiatur, ſi bona & conveniens ad ſpirituale animæ bonum inveniatur; ſin minus, ea deſeratur. Igitur qui vovet Religionem ingredi ut eam probet iuxta probationis rationem, ideſt ſi ea videatur ſibi convenire nedum ad bonum ſpirituale animæ, ſed ad vitam quoque quiete & tranquille tranſigendam, quando ex probatione talis revera ei eſſe videatur, ut ſuo ſatisfaciat debito, tenebitur vi voti illam amplecti, ad quod non tenetur voto non obſtrictus, quia ius ipſi concedit probationem cum omnimoda libertate vitam illam amplectendi vel deſerendi: qui autem voto ſe adſtrinxit, ſibi omnimodam libertatem ademit, & ſolummodo ſuſcipere poteſt probationem iuxta formam iuris communis, quoad hoc ut experiatur per annum, an congrua & conveniens ſibi videatur eſſe Religio, & ſi talis ex experientia ei non videatur, eidem liberum ſit exire; ſi ſecus vero, non implet ſui voti obligationem, ſi non profiteatur. Sic Pellizzarius, Garcia, aliique.

Qui autem vovit Religionem cum intentione profitendi, ac bona fide animoque permanendi Religionem eſt ingreſſus, ac ſufficientem diligentiam adhibuit, ut modo Religioſo ſe attemperet, omnia ſolicite implendo ac humiliter, quæ Novitio talis Religionis incumbunt, ita ut per ipſum non ſtet quod profiteatur, faciendo quantum in ſe eſt, ſi e Religione eiiciatur, quia ineptus ei videatur, ideſt ſine ſua cauſſa pro dimiſſione, non adhuc eſt liber a ſui voti obligatione ſecundum probabiliorem, ſi Religionem voverit in genere, non talem in particulari, ſed ſolummodo poſtquam alteram & alteram adeundo, non amplius detur moralis ſpes, quod in aliqua ad profeſſionem admittatur; & multo minus ſatisfeciſſet ſuo debito, ac aliam Religionem ingredi teneretur, ſi per ipſum ſtetiſſet quod eiectus fuiſſet; quia nempe non fecit quantum in ſe eſt, ideſt debitam non adhibuiſſet diligentiam ut impleret Novitii onera, ſed remiſſe ac laxe in hoc ſe geſſiſſet, quia qui finem intendit, media quoque ad illum neceſſaria intendere cenſetur. Quod ſi exeat ob aliquam urgentiſſimam cauſſam, & præcipue ſi tempore probationis magnam & extraordinariam difficultatem non prævisam tempore voti experiatur, aut timeat grave & urgens periculum alicuius mali aut damni ſpiritualis, vel ob ægritudinem, quæ iudicetur multo duratura, vel ob gravem parentum neceſſitatem, &c., tunc egredi poteſt, dum notabilis rerum mutatio eum legitime excuſat. His tamen præciſis, non poterit abſque mortali peccato Religionem deſerere, cum non ſolum ad ingreſſum ſe obſtrinxerit, ſed etiam ad profeſſionem. Igitur ut voti obligationem impleat, nulla interveniente ex allatis iuſtis cauſſis, tenetur uſque ad profeſſionem perſeverare.



Digitized by Google

## §. IX.

*De tempore implendi votum Religionis ingrediendæ.*

Qui vovit ingredi Religionem, vel tempus ſibi deſtinavit pro ingreſſu, & tunc non tenetur ingredi niſi deſignato tempore; vel non deſignavit, & in tali caſu ingredi debet quamprimum moraliter & commode poſſit. Et hoc eſt debitum, quod communiter afferunt omnia vota, quibus nulla ſacta ſit temporis deſignatio, cum Deuteron. 23. dicatur: *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere ... & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*. Alias nullum eſſet tempus determinatum, & progredi poſſet in infinitum, cum non ſit maior ratio, quare hoc tempore urgeat obligatio, & non illo. Unde ſi promiſſiones factæ hominibus & acceptatæ obligant quamprimum moraliter & commode impleri poſſunt, multo magis hoc fieri debet in voto, quod eſt promiſſio facta Deo, ab eoque acceptata, & illa facta hominibus infinite dignior; unde ipſi promiſſa ſuo ſtatuto tempore debent impleri. Sic communiter Doctores, qui advertunt, ſtrictius obligare votum Religionis, ut quamprimum commode poſſit, impleatur, quam alia in quibus non agitur de obſequio perpetuo, ut eleemoſynæ &c. Illud *quamprimum* vero intelligendum eſt cum aliquo temperamento temporis ut L. *quod dicimus ff. de ſolutionibus*, ideſt quod temporis ſpatium non ſit maximum nec minimum, ſed boni arbitrio viri iudicandum.

Qualis vero mora ingrediendi Religionem data opportunitate requiratur ad mortale, a ſanioribus Theologis, ſecluſo omni timore impedimenti, ſtatuitur medii anni ſpatium; ſi autem ultra differatur impletio, nulla interveniente iuſta cauſſa, cenſetur notabilis procraſtinatio, ac proinde mortalis culpa, cum hæc maior dilatio cedat in gravem diminutionem divini obſequii, quod non contingit ita facile in aliis votis, ſicut in hoc in quo agitur de obſequio, cultu ac famulatu perpetuo Deo præſtando, ſeu perpetui ſacrificii exequendi. Garcias cum aliis. Minor enim dilatio ad exequendam rem tanti momenti non cenſetur notabilis, nec ideo gravis.

Qui vero tempus aſſignavit, non ante temporis deſignationem urget debitum ingreſſus in Religionem ſub gravi. Sed in hoc quoque advertendus eſt modus, quo tempus aſſignavit, ideſt an initio temporis, an infra. Nam ſi quis aſſignavit tale tempus ut initium eiuſdem temporis ſtatutum ſit, quando hoc advenerit, ſi nulla iuſta gravis cauſſa impediat, quamprimum moraliter, ideſt commode poſſit, adimplenda eſt obligatio; v. g. ſi quis promiſerit Religionem ingredi, quando viginti annos impleverit, aut parentes eius morientur, vel &c., adveniente tali deſignato tempore, tenetur quamprimum commode poſſit ſuam obligationem implere. Cæterum non tenetur anticipare, licet prævideat, ac etiam certo ſciat adventurum impedimentum, quo ei impoſſibile reddatur voti executio, cum eius obligatio non extendi queat ultra ipſius intentionem, ſicuti non tenetur Fidelis Miſſam audire die non feſto &c., quamvis ſciat aliquis futurum ut die feſti advenientis audire Sacrum impediatur. Quod ſi tempus aſſignatum extenſionem habuerit, ut ſi vovens promittat v. g. intra annum Religionem ingredi, intra ſex menſes, &c., non tenetur promiſſionem implere niſi circa finem anni, dummodo tamen non prævideat tunc ei obventurum impedimentum, quia in tali caſu debet tempus prævenire; cum enim totum illud tempus ſit aſſignatum obligationi, non prævenit tempus obligationis, ſed executioni annexum, ad quod tenetur, non ſecus ac qui prævidens, die feſto hora tardiori ſibi futurum impedimentum ad Sacrum audiendum, auditionem anticipare debet, quia toto illo tempore tali obligationi eſt obnoxius. Suarez, Bonac. Garcias & alii. Verum niſi conſtet, voventem tempus aſſignare voluiſſe ad finiendam obligationem, quod non ita facile præſupponi poteſt in voto Religionis, ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter intra tempus ſtatutum votum ſuum non exequatur, non idcirco ceſſat illius obligatio, cum talis temporis deſignatio non poſita ſit ad tempus finiendum, ſed ad executionem ſolicitandam. Quare ab eo qui vovendo tempus pro executione aſſignavit, duplex incurritur debitum, & ingrediendi Religionem, & talem dato tempore ingrediendi, ita ut ſi hæc ſecunda violetur obligatio, adhuc prima remanet; non ſecus ac qui cum ſit debitor alteri certæ ſummæ, promittit intra tantum temporis, puta intra unum vel duos menſes intra annum ſoluturum, ſi non ſatisfaciat intra tale tempus, non ob id liberatur a debito ſolvendi, ſed tali obligatione non impleta remanet altera, quæ eſt principalis, ſolvendi pecuniam quam debet creditori.

§. X.

Digitized by Google

## §. X.

### *De modis quibus ceſſare poteſt votum Religionis.*

Varii ſunt modi, nempe variæ ſunt cauſſæ, quibus ceſſare poteſt voti Religionis obligatio, & præcipuæ quinque a Doctoribus recenſentur, videlicet materiæ mutatio, ceſſatio finis motivi, ſi non impleatur conditio ſub qua votum fuit emiſſum, irritatio, diſpenſatio aut commutatio. Ceſſat primo huiuſcemodi voti obligatio, ſi ipſi voto iam emiſſo notabilis materiæ mutatio ſuperveniat, quæ talis ſit, ut ſi vovens eam prævidiſſet, minime voluiſſet ſe obligare; nam votum ſemper ſub tali conditione emiſſum cenſetur, dummodo notabilis improviſa mutatio non ſuperveniat; & hoc generale eſt omni promiſſioni. Sic Bonac. Pellizz. cum aliis. Dixi *notabilis mutatio non prævisa*, quia ſi notabilis, non eſſet, vel eſſet prævisa, perſeverat voti obligatio. Si autem adſit dubium, an talis mutatio tanta ſit, ac talis, ut eâ prævisa votum emiſſum non fuiſſet, cum votum ſit in poſſeſſione, & alteri incumbat probare talem eſſe mutationem, votum impleri debet.

Ceſſat 2. voti obligatio ceſſante totaliter fine motivo primario, ob quem votum emiſſum eſt: nam ſi ceſſaret finis ſecundarius, vel cum duo fuerint fines principales, unus tantum ceſſet, in utroque caſu remanet voti obligatio. Ceſſat quidem voti obligatio ceſſante fine primario, & unice primario, ob quem tale votum emiſſum fuit, ut res iam per ſe patet; quia cum votum ſit lex particularis, ut alias diximus, quam quiſque ſibi imponit, non extenditur ultra eius intentionem: unde cum intentio talis voventis fuerit unice ac principaliter ſe ob talem finem obligandi ad id quod vovit, ceſſante hoc fine ceſſat etiam obligatio, quam cum intentione talis finis ſibi impoſuit. Quare ſi quis Religionem vovit ut inimicorum inſidias evitaret, & illi mortui ſint, vel vovens longe ab eis moretur, ut nullum adſit inſidiarum periculum, ceſſat obligatio voti ad hunc finem emiſſi.

Ceſſat 3. talis voti obligatio non impleta conditione ſub qua fuit emiſſum, ſive talis conditio pendeat a naturalibus cauſſis, ut ſi dicat *voveo Religionem ingredi, ſi convaluero ab infirmitate*; ſive ab ipſius voventis voluntate, ut *ſi hoc vel illud fecero*, quod fieri poteſt etiam in pœnam peccati, ut *ſi tale peccatum commiſero*, vel in gratiarum actionem, ut *ſi toto hoc anno non lapſus fuero in tale peccatum*: Nam votum ſub conditione non obligat abſolute & perfecte, ſed dependenter a coondionis eventu, qua proinde non impleta ceſſat talis obligatio, ut in omnibus aliis contractibus contingit. Quod ſi ex dolo voventis conditio non impleatur, cum fraus & dolus patrocinari non debeant, tunc vovens non remanet liber ab obligatione ſui voti, quia impedimentum poſuit ne conditio impleretur. Si autem obligatio voti impoſita ſit in pœnam peccati, ſi quis ob fragilitatem, libidinem, cupiditatem, &c., vel ob alias cauſſas conditionem, quæ eſt in ſua voluntate, non impleat, non manet voto obligatus, quia revera poſita non fuit conditio ſub qua, & non aliter voluit ſe obligare. Sic Salmant. hic n. 39.

Quarto ceſſare poteſt votum Religionis per irritationem, quando fuit factum ab impubere, quod irritari poteſt ab iis, a quorum poteſtate dependet, ut ſunt pater, mater, tutores, ut iam diximus agendo de voto.

Quinto ceſſare poteſt talis voti obligatio per voti diſpenſationem, vel commutationem factam ab eo, qui legitimam habet poteſtatem, nempe ab Eccleſiæ Prælatis, ut ex D. Th. 2. 2. q. 88. art. 12. Cum enim Prælati Eccleſiæ ſint vices Dei gerentes, ex iuſta cauſſa poſſunt voti obligationem relaxare, vel votum remittendo, vel illud commutando. Nam res Deo accepta ipſi promiſſa dependet ab ipſius arbitrio, unde ipſius rei promiſſioni cedere poteſt, quod ipſius nomine faciunt Eccleſiæ Prælati declarando ex iuſta cauſſa, quæ executioni voti opponitur, unde fit ut res promiſſa nôn ſit amplius de bono meliori, ac proinde nôn amplius Deo accepta. Votum vero Religionis diſpenſari poteſt vel commutari a ſolo Summo Pontifice: Nam licet non habeatur textus expreſſus talis reſervationis ſoli Papæ diſpenſandi vel commutandi votum Religionis, ex conſuetudine tamen, & ex ſtylo Curiæ ſic habetur, & ſic ſemper excipitur in Bullis, aut Iubilæis facultatem ad quæcumque vota concedentibus diſpenſanda ſeu commutanda. Hæc tamen reſervatio Summo Pontifici currit ſolummodo, quando votum Religionis ſimpliciter & abſolute emiſſum fuerit: non habet enim locum talis reſervatio, ſi votum fuerit emiſſum ſub obligatione tantummodo peccati

P 4 ve-

venialis, quia hoc non eſt votum ſimpliciter, vel ſi fuerit pœnale conditionale, etiam impleta conditione, aut diſiunctivum, aut Religionis non approbatæ, aut minus propriæ. Nam hæc, & alia huiuſmodi relaxari poſſunt etiam ab iis, qui relaxare poſſunt alia vota non reſervata.

Alia vota etiam Papæ reſervata commutari poſſunt propria auctoritate in votum ingrediendi Religionem, & in ea perſeverandi, cum alia vota ſint operum particularium; per Religionem vero homo totam ſuam vitam Dei obſequio deputat. Unde ſicut particularis includitur in univerſali; ſic alia vota ſub Religionis voto continentur. Sic habetur in cap. *Scripturæ de voto*; & docet S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 12. ad 1. Hoc tamen totum intelligendum eſt iuxta Suarezii explicationem de voto conſtituente Religionem, ut eſt profeſſio; ita ut, addit, quod in ſimplex votum ingrediendi Religionem non poſſunt alia vota commutari, ita ut per ingreſſum extinguantur, ac proinde ſi vovens in illo ſtatu non perſeveret, ad omnia alia vota remanet obnoxius.

## §. XI.

### *De Novitiatu.*

Novitiatus eſt veluti ianua ad Religionis ingreſſum, & prævia præparatio ad profeſſionem digne emittendam: ſe habet enim Novitiatus veluti Sponſalia de futuro reſpectu Matrimonii, ac ideo talis præparatio ſeu diſpoſitio dicitur Novitiatus, & non ſecus ac Sponſi, hi Religionis candidati dicuntur Novitii. Etenim Novitiatus eſt prævia exercitatio in Religioſa obſervantia ſtatuta a Iure canonico, præcipue a Concilio Trid. ſeſſ. 25. cap. 15. & 16. quam inter Religioſos percurrere debet qui Religioſum ſtatum aſſumere ſtatuit; non ſolum ut experiatur vitam, quam poſt profeſſionem agere debet in obſervantia vitæ communis, Regularum Ordinis ſuſcepti, cæterarumque auſteritatum, quæ in tali Ordine præſcribuntur, videaturque an talis ratio vivendi ſit ipſi conveniens, ac ideo prudenter deliberare poſſit de profeſſione emittenda, vel tali vita deferenda; ſed etiam ut per pietatis opera ſe ad perpetuo Dei obſequio per ſolemnem profeſſionem digne, ſancteque dicandum diſponat. Quare plura requiruntur ut Novitiatus valide, ac licite percurri queat. Ita enim profeſſio a Novitiatu dependet, ut ſi in aliqua ſubſtantiali conditione deficiat, nulla erit ſubſequens profeſſio.

## §. XII.

### *De informatione capienda admittendorum ad Religionem.*

Quam noxium ac pernicioſum ſit, nulla habita perquiſitione aut probatione ab iis ad quos ſpectat, ſuper qualitate, vocatione, ac ſpiritu Religionis in illis qui habitum & ingreſſum in Religionem poſtulant, præcipitanter ac improvide eos admittere, nemo non videt, cum facillime intelligi queat, hanc eſſe unam ex præcipuis rationibus collapſæ, & collabentis Monaſticæ ſanctitatis, ſeu Regularis obſervantiæ ac perfectionis. Ex hoc quippe contingit, ut inepti, ait Van Eſpen, & Monaſticæ Religionis vacui, immo adhuc ſpiritu mundi turgidi in Monaſteria irrepant, qui tum reliquos corrumpant, ac ſenſim omnem Regularem diſciplinam evertant, quin & avertant. Nec ſolum Ordini talis indiſcreta admiſſio nocet, ſed iis quoque, qui ita recipiuntur periculoſa eſt, & multum noxia eſſe ſolet. Quare opus eſt, ut cum magna cautela procedatur in admittendis poſtulantibus ad Religionem. Plura enim obſiſtere poſſunt vel validæ vel licitæ admiſſioni alicuius petentis Religionis ingreſſum. Non ſufficit enim ad Religioſum ſtatum aſſumendum bonum & efficax deſiderium ſe recipiendi ad perfectiorem ſtatum, relicto minus perfecto; ſed cum novus huiuſcemodi ſtatus ſit nova moralis forma ſuperveniens, novas etiam & huic ſtatui proportionatas diſpoſitiones exquirit, quæ ſi deſint, & forma inepta eſt ſubiecto, & ſubiectum formæ. Idcirco hiſce diſpoſitionibus expertes admittendi non ſunt ad Religionem, & ſi ex ignorantia, vel imprudentia admittantur, quandoque nulla, quandoque valida, ſemper tamen illicita eſt receptio, iuxta diverſarum diſpoſitionum naturam. Quocirca ut in tali admiſſione ſine errore, ſed prudenter ac recto ordine procedatur, operæ pretium eſt, ut ante admiſſionem exacta de poſtulante curetur informatio, & per diligens examen eius vocatio probetur.

Quam neceſſarium ſit ad bonum tum commune Religionis, tum etiam ipſius poſtulantis, antequam ad Religionem admittatur, diligenter inquirere, & informari de eius origine, indole, moribus, anteacta vita, ſi aliquo notabili vitio ſit obnoxius, an aliquod grave ſcelus commiſerit, vel ære alieno ſit gravatus, &c. manifeſtiſſime patet, cum ab hoc valde pendeat illius exi-

tus

tus in Religione, tranquillitas Religionis, ipſiuſque poſtulantis quies, &, quod magis intereſt, ipſius æterna ſalus. Hinc ne in admittendo ad Religionem, ab iis, ad quos ſpectat, aliquid prætermittatur, caverunt ſuis particularibus Conſtitutionibus Romani Pontifices, & primo Sixtus V. anno 1585. ſua Conſtitutione, quæ incipit *Cum de omnibus Eccleſiaſticis Ordinibus*, viros ſupra decimum annum habentes non aliter recipi poſſe ad habitum, niſi prius de eorum parentibus, patria, &c. inquiratur; & ſi recipiantur, annullat profeſſionem ac irritat, & Prælatis ſine tali informatione recipientibus, vel quos ſciunt gravari aliquo ex memoratis defectibus, aſſignat privationem vocis activæ, & paſſivæ, officiorum, graduum, & dignitatum quarumcumque, quæ ab eis poſſideantur. Moderavit altera ſua Conſtitut. quæ incipit *Ad Romanum Pontificem* an. 1588. præcedentem, ſervatis tamen pœnis, & quoad crimina ſe explicavit, nempe quando deducta ſint ad forum. Gregorius poſtea XIV. in Bulla, quæ incipit *Circumſpecta* an. 1590. amplius etiam dictas Sixti V. Bullas temperavit, ac reduxit ad terminos iuris communis, ſalvis ſemper pœnis contra transgreſſores in dictis Bullis Sixti V. contentis. Deinde Clemens VIII. ſua Conſtitut. quæ incipit *Altiſſimæ paupertatis via* ſub die 24. Aprilis 1592. citatas Conſtitutiones Sixti V. & Gregorii XIV. quoad profeſſionis nullitatem reduxit ad terminos iuris communis, ideſt validam eſſe, niſi ex iure communi aliud detur impedimentum irritans, ſalvis ſemper pœnis ſtatutis contra tranſgreſſores, & circa hoc videri poſſunt Salmantic. *de Statu Religioſo tract.* 15. *punct.* 4. ubi res fuſius agitur, præcipue quoad criminoſos, qui cum Religionem deceperint ſua crimina celando, eiici poſſunt.

Informationes vero huiuſcemodi, licet ex cit. Conſtitut. Sixti V., faciendæ ſint ante receptionem ad habitum, ex Conſtitut. tamen moderatoria Clementiis VIII. ſatis eſt ſi fiant ante profeſſionem, dummodo qui recipitur, non recipiatur quin prius iuret ſe eſſe liberum ab omnibus impedimentis expreſſis in Bulla Sixti V., quæ omnia in ſpecie illi proponi debent. Et ſi Prælatus hæc omnia omittat, mortaliter peccat, & incurrit pœnas in dicta Bulla Sixti V. contentas; cum Clemens VIII. loco informationum præmittendarum ad normam Bullæ Sixti V. pro receptione ad Novitiatum, requirat præmiſſionem dicti iuramenti. Non incurret tamen Prælatus, ſi ei de certa ſcientia conſtaret, vel ex gravibus & probabilibus indiciis ac coniecturis, poſtulantem nulli ex criminibus ſeu impedimentis in Bulla Sixtina expreſſis eſſe obnoxium; quia quæ clara ſunt, examinatione non indigent. Immo ſi receptus ſine ulla prævia informatione nullum ex illis criminibus habeat, licet Prælatus ob informationis omiſſionem peccaverit graviter, pœnas tamen non incurrit.

In modo tamen faciendi tales informationes Priori, ſeu Superiori, ac Magiſtro Novitiorum vel Studentium ab eo qui ad eas capiendas ſit deſignatus, ſtandum eſt conſuetudini vel legibus particularibus, & formæ ab illis præſcriptæ. Si tamen vel informationes, vel earum formula (etiamſi culpabiliter) omittantur, Novitiatus & profeſſio, ex moderatione Clementis VIII. facta Bullæ Sixtinæ, ſemper valida ſunt.

## §. XIII.

### *De probatione admittendorum ad Religionem.*

Non minus ac informatio ſuper conditionem, vitam, mores &c. perſonæ, quæ ingreſſum Religionis poſtulat, opus eſt ut per ſerium examen de eius vocatione, ſpiritu ad Religionem, ac neceſſariis dotibus pro Religioſo ſtatu probatio habeatur. Nam ſi abſque tali diſcuſſione quis admittatur, fit ut ſibi ipſi non ſatis cognitus, nec de vita religioſa ſatis inſtructus eam vivendi inſtitutionem amplectatur, ad quam poſtea experientia deprehendit ſe revera a Deo non fuiſſe vocatum, nec eas animi corporiſque dotes ac qualitates habere, quæ ad onera huiuſce vitæ ſtatus ferenda neceſſariæ ſunt, dum interim votorum ſuæ profeſſionis vinculo ad talem vivendi rationem obſtrictus, non raro cum magna repugnantia, ac gravi ſuæ æternæ ſalutis periculo perſeverare tenetur, ac anxietates patitur, gemitus, & peiora ex illis reſultantia incommoda, quæ inde ſequuntur, ut quotidiana experientia nimis probat, ac docet.

Hunc modum agendi cum petentibus Religionis ingreſſum docent veteres Monachorum Patres, qui ſemper præcipuam adhibuere curam, ut ſuper vocatione, moribus, animi ac corporis dotibus ſerium examen inſtituerent. S. Benedictus tradidit in ſua Regula cap. 58. ut noviter venienti ad Religionem non ſtatim ei tribuatur ingreſſus ad Religionem, ſed iuxta Apoſtoli monitum

tum

Digitized by Google

tum prius probetur ſpiritus, num ex Deo ſit, nempe num ſpiritus, quo ad Religioſam vitam amplectendam impellitur, ſit ut liberius Deo ſerviat, ſuamque ſalutem ſecurius operetur, vel potius motivo alicuius temporalis commodi adipiſcendi, aut mali vitandi, uno verbo, in huiuſce ſtatus electione aliquid humani admiſceatur. Regulam a S. Benedicto præſcriptam confirmat auctoritas Clementis VIII. in ſuo Decreto pro Novitiorum admiſſione §. 23. in quo mandat, ut Superiores Regularium Ordinum *diligenter inquirant, quo ſpiritu, qua mente ac voluntate id Regularis vitæ genus elegerint, quem ſibi finem propoſuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, ut Deo liberius famulari poſſint, an potius levitate, vel humano affectu, aut inordinato animi motu ducantur*. Et §. 19. ait idem Pontifex *compertum eſſe, nihil ad gravem illam aut laudatiſſimam priſcorum Patrum vivendi rationem relaxandam maiorem vim habuiſſe, quam vel nimiam in recipiendis Novitiis facilitatem ſupra numerum, quem capere, atque alere Monaſteria ipſa poſſent, vel negligentiam in probando, & examinando eorum ſpiritu, an vere eſſet ex Deo, vel denique incuriam in eis educandis, atque inſtituendis*. S. vero Baſilius multa circa hoc recipiendorum examen diſſerens, omnia ad unum hoc reducit, quod *oporteat inquirere de præterita vita, & converſatione, ne forte ſimulata quis mente, & fallaci animo ad Religionem accedat*. Sic in Interrog. 10. eiuſdem S. Baſilii Regulæ. Hiſque conſonant Regulæ Patrum Eremitarum S. Auguſtini p. 2. cap. 2. ubi ſic habetur: *Si quis in Ordine noſtro recipi petierit, non ſtatim annuatur ei, quicumque ſit ille, ſed probetur ſpiritus eius, ſi ex Deo eſt; quia deſideria dilatione creſcunt, & in privatis colloquiis voluntas, mens, & intentio ipſius a P. Priore Conventus, vel a Magiſtro Novitiorum, ſeu ab alio perfecte exploretur: quod ſi perſeveraverit in propoſito, Prior eum faciat diligenter examinare a duobus Examinatoribus ad hoc munus deputatis*. Hinc nemo non videt, quam imprudenter ac damnabiliter ſe gerant ii, qui ſoliciti tantummodo ut Monaſteria impleant, prætermiſſa omni inquiſitione ac probatione, indiſcriminatim quemcumque in Religionem recipiunt; cum ſanctius ſit paucos bonos, quam multos malos Miniſtros habere, ut dicitur in cap. *cum ſit de nat. & qualit.* Et S. Franciſcus aiebat: *Utinam Fratres mei eſſent adeo pauci, ut quando homines viderent illos, mirarentur*. Poſt examen & probationem annuitur quidem poſtulanti iuxta præſcriptum Regulæ Benedictinæ ingreſſus, non tamen in Cellam Novitiorum, *ſed*, ait Regula, *ſit in cella hoſpitum paucis diebus*. Hæc ergo mora in cella hoſpitum inſtituta videtur, (notat Van-Eſpen) ut interim in mores & actiones ipſius noviter venientis advertatur, atque hinc maior de eius ſpiritu & vocatione certitudo haberi poſſit.

## §. XIV.

### *De examine Puellarum ante habitus ſuſceptionem, & Profeſſionem.*

Synodus Trid. libertati profeſſionis Virginum Deo dicandarum proſpicere volens, ſtatuit atque decrevit: *Ut ſi puella, quæ habitum Regularem ſuſcipere voluerit, maior duodecim annis ſit, non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa vel alia profeſſionem emittat, quam exploraverit Epiſcopus, vel eo abſente, vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorum ſumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat quid agat; & ſi voluntas eius pia ac libera cognita fuerit; habueritque conditiones requiſitas iuxta Monaſterii illius & Ordinis Regulam, nec non Monaſterium fuerit idoneum; libere ei profiteri liceat: cuius profeſſionis tempus ne Epiſcopus ignoret, teneatur Præfecta Monaſterio eum ante menſem certiorem facere; quod ſi Præfecta certiorem Epiſcopum non fecerit, quamdiu Epiſcopo videbitur, ab officio ſuſpenſa ſit*.

Ex quibus verbis Decreti ſat manifeſtum eſt, non tantum ante profeſſionem, ſed etiam ante habitus ſuſceptionem, puellam maiorem annis duodecim, ab Epiſcopo, eiuſve Commiſſario examinandam eſſe; & ita ſæpius a S. Congregatione deciſum eſſe refert poſt Piaſecium, Zerolam, alioſque, Fagnanus ad cap. *Cum virum* §. *de Regularib.*

Examen circa tria potiſſimum inſtitui vult Synodus Trid. Primum quidem circa libertatem ac piam voluntatem puellæ habitum ſuſcepturæ, aut profeſſionem emiſſuræ. Hunc in finem vult Synodus P. II. Mechlinienſis, ut Epiſcopus, eiuſve Commiſſarius, non aliter puellas examinet, *quam dum eas ſolas eſſe certo cognoſcat*; ut hoc pacto maior ſit puellæ, omnia quæ in corde habet, eloquendi facultas. Quin addit S. Carolus in Synodo P. Mediolanenſi V. *Quod ſi cauſſa ſit, probabiliſve Epiſcopi iudi-*

*dicio ſuſpicio, quamobrem potius eſſe cenſuerit, ut etiam e ſeptis Monaſterii puella egrediatur, & ut alio loco eius voluntas perquiratur, tunc vel in Eccleſiam Monaſterii exteriorem, vel in aliam proximam, prout commodius, decentiuſve fieri viderit, illam perduci iubeat.* Itaque Epiſcopi iudicio permiſſum credidit S. Carolus, ut eo loco puellam examinet, quem pro indaganda ac aſſequenda eius ſincera voluntate ac intentione magis opportunum iudicaverit. Pro aſſequenda vero facilius recta ac pia puellæ in aſſumenda vita Religioſa intentione & voluntate, merito ante omnia examen inſtituitur circa motivum, quo inducta fuit ad hunc ſtatum; ubi prudens ac ſagax Commiſſarius per interrogationes ac reſponſiones facile deprehendet, num humana conſideratio ſeſe non nimis immiſceat. Deinde inquiret, a quo tempore huiuſcemodi reſolutio in ea cœperit, eidem explicando quantum periculi contineat amplecti temere & præcipiti reſolutione huiuſmodi ſtatum permanentem ac perpetuum. Idcirco ulterius ſerio inquiret, an ſuper re tanti momenti, ſaltem mature, ſtatuerit, necnon conſuluerit proprium Confeſſarium, ſive aliam gravem perſonam. Hic merito Commiſſarius advertet, num Confeſſarius, ſeu perſona cum qua conſilium cœpit, habeat intereſſe, ut puella Religioſum ſtatum amplectatur, ſive num ſufficienter præditus ſit doctrina & prudentia, unde ſanum conſilium dare queat, de quo plane Commiſſarius puellam monere ac inſtruere tenetur. Inſuper ſedulo ac ſumma cum dexteritate interroganda eſt, an nullus metus, ſaltem reverentialis, ex parte parentum, & conſanguineorum, ſaltem indirecte vel oblique, interveniat, quod eo accuratius explorandum, quo circumſtantiæ plus minuſve de hoc metu ſuſpicionem ingerere poſſunt, puta quod ſit ex gente illuſtri quidem, ſeu ſecundum vulgarem æſtimationem, notabili, ſed multa prole pergravata, nec ſufficienter proviſa, ut proli ſigillatim honeſte ſecundum mundi exiſtimationem in matrimonii ſtatu provideat. Tandem interroganda eſt, num revera ſciat quid in tali negotio agat, & quam grave obligationem, Religionem profitendo, ſibi aſſumat, num Regulam, ſtatuta, necnon auſteritates Religionis, quid ſit vovere perpetuam caſtitatem, paupertatem, & obedientiam, clauſuram, &c., mature expenderit. Hæc ſunt præcipua puncta, quæ exploranda ſunt in puellis, quæ ſtatum Regularem amplecti ſtatuunt. Et revera S. Carolus in prima ſua Synodo Provinciali vult, ut Commiſſarius Epiſcopi Novitiæ demonſtret, quam gravis ea res ſit, quamve multas res tria illa Religionis vota requirant, ut vinculi vim intelligat, quo ſe obſtringi vult. Ex quibus omnibus patet, quantum ſolicitudinis in hoc habere debeant Epiſcopi, ſcilicet ut prudentes ac experti Commiſſarii ad hoc examen deputentur, ne hoc alias ſaluberrimum Concilii Trid. Decretum fruſtretur.

Secundo inquiri vult S. Synodus Trid. an puella habeat conditiones requiſitas, iuxta Monaſterii illius & Ordinis Regulam, non ſolum in corpore, ſed etiam in anima, ut ſuſtineat Regulam ſervandam iuxta normam profeſſionis, non ut in Monaſterio ab aliquibus relaxatis ſervatur.

Tertio ex præſcripto dictæ Tridentinæ Synodi exquirere debet Epiſcopi Commiſſarius, an Monaſterium ſit idoneum, hoc eſt tale ſit, in quo ea Regularis diſciplina vigeat, ut merito ſperari poſſit, in illo ipſam puellam votis ſuis exacte ſatisfacere, vitamque Religioſam ſine ſalutis diſcrimine agere poſſe.

## §. XV.

### *De impedimentis pro admiſſione ad Religionem.*

Nota, impedimenta quæ obſiſtunt ut quis ad Religionem ſuſcipiatur, alia eſſe irritantia ſeu annullantia profeſſionem, alia quæ illicitam ſolummodo, non vero invalidam reddunt profeſſionem. Ex his autem alia impediunt profeſſionem ex lege naturæ, alia ex diſpoſitione iuris poſitivi.

Primo certum eſt, præſcindendo a particularibus Ordinum ſtatutis, quod ex iure naturæ inhabiles ſunt, ut ad Religioſum ſtatum admittantur, ſenes, decrepiti, omneſque nimis infirmi, vel viribus deſtituti, ut Religioſæ obſervantiæ onus aliqualiter ferre non poſſint; amentes furioſi, & præcipue ſi tales ſint, ut non in una vel altera materia, ſed omnino mente careant: idcirco ſi hi admittantur, nulla eſt eorum admiſſio, ita ut ſi ad ſenſum redeant, noviter ſunt admittendi, & ex tunc Novitiatum debent inchoare, per quemcumque tractum temporis in Religione extiterint, quia iuxta Regulam 18. iuris in 6. *non firmatur tractu temporis quod ab initio non ſubſiſtit.* Garcias, Sanchez, ac alii citati hic a Salmant. Ad mentis defectum ſpectat etiam illiteratura, & ignorantia, quæ tamen non im-

impedit ingreſsum in Religionem in ſtatu Converſorum, qui cum non aſsumantur neque ad ſacros Ordines, neque ad Officium divinum perſolvendum, ſed ad opera manualia vitæ activæ, indigent potius docilitate ingenii, & corporis viribus, quam ſcientiis. Quoad eos vero, qui pro ſacris Ordinibus ad Religionem admittuntur, non omnis illiteratura eos inhabiles reddit ad Religionem, ſed ea ſolummodo, qua legere ac ſcribere neſciunt, vel latinam linguam prorſus ignorantes non intelligunt quæ legunt, ut conſtat ex Trid Concilio, ex c. *præcipimus* diſt. 34. c. *illiteratus*. Unde ex eod. Trid. ut ex hoc capite ineptus quis non ſit, ut in tali gradu ad Religionem admittatur, ſatis erit ſi ſciat legere, & ſcribere, & in lingua latina ſit ita verſatus, ut intelligat quæ legit, & decenter tum in divino altaris Sacrificio, tum in divino officio munus ſuum explere valeat.

Secundo ex eodem iure naturæ recipi nequeunt ſervi proprie dicti ſine dominorum licentia, ſeu mancipia, utpote quæ quoad ſe totos ſuaſque actiones ſpectant ad dominum, idcirco non poſſunt ſe alteri devincire, ſeu tradere ſe Religioni iuxta D. Thomam 2. 2. q. 189. art. 6. ad 6. & alios omnes DD. communiter. Unde ſi ſcienter ad Religionem mancipium admittatur, furtum committitur, quia privatur dominus obſequiis ac opere ſibi a ſervo debitis; & ut definitur in cap. *Si quis* 16. q. 2. cap. *Generalis*, cap. *ſi ſervus* diſt. 54. intra triennium repeti poteſt a domino, incipiendo a die receptionis habitus, ut aliqui ſentiunt, ſed ſecundum communiorem a die quo talis receptio domino innoteſcit, cum tempus non currat ignoranti L. *cum ſenex* ff. *de ædilibus*. Tali præterito tempore ſi dominus ſileat, cenſetur annuere, ac proinde nec ille exire tenetur, nec Monaſterium aliquid domino compenſare. In tali tamen caſu licet non teneat profeſſio, validus eſt tamen Novitiatus, qui computandus eſt non a die conſenſus heri, ſed receptionis. Non minus tamen ac vitia mentis ſeu animi, etiam quædam vitia corporis conſideranda ſunt, alia quorum invalidum, alia illicitum reddunt ingreſſum in Religionem; & primo naturaliter redditur homo inhabilis ad Religionem mulierum, & e contra mulier ad Religionem virorum: Nam hæc ſimultanea cohabitatio directe opponitur Religionis fini, qui eſt peccandi occaſiones tollere. Hinc hac eadem ratione reiicit Sanchez admiſſionem hermaphroditi, tametſi admittatur in Monaſterio virorum, aut mulierum, prout ſexus prævalet, puta in Monaſterio virorum ſi prævaleat ſexus maſculinus, mulierum ſi fœmininus. Circa vero alia corporis vitia, puta debilitatis virium, habitualis infirmitatis, ſurditatis, cæcitatis, notabilis deformitatis, licet Suarez cum communiori ſuſtineat hæc reddere ſimpliciter perſonam alicui horum obnoxiam ineptam Religioni, quia utpote inepta ad ferenda ſeu implenda onera Monaſticæ diſciplinæ eſt ſimpliciter inhabilis ad Religionem; alii tamen, ut Paſſerinus, conſiderantes præcipuum iugum ac ſubſtantiale Religionis eſſe tria vota, caſtitatis ſcilicet, paupertatis, ac obedientiæ, cum hæc requirant ſanitatem mentis potius quam corporis, cenſet laborantem aliquo ex illis corporalibus vitiis, nec dici, nec cenſeri poſſe ſimpliciter ineptum ad Religionem. Nihilominus & ipſi aſſerunt, congruum non eſſe ut in Religionem tales perſonæ recipiantur. In hoc videatur Rotharius lib. 2. cap. 2. punct. 1. Et in hoc ſunt etiam attendenda particularia Religioſorum Ordinum ſtatuta.

Tertio iure pariter naturæ ingredi Religionem inhabiles ſunt coniugati poſt conſummatum Matrimonium, ſine licentia coniugis, ſine qua profeſſio eſt nulla, cap. *Quidam*, cap. *Ex parte converſ. coniugat.* Dixi *poſt matrimonium conſummatum*; quia ante ſtante Matrimonio tantummodo rato, poteſt coniugatus, etiam altero coniuge invito, tranſire ad Religionem. Imo ad hunc finem conceduntur utrique coniugi duo menſes ad deliberandum. Novitiatus tamen ingredientis Religionem, altera parte invita, non irritatur, ſed tantum profeſſio.

Quarto ſaltem licite ex iure ipſo naturæ Religionem ingredi nequeunt debitis onerati, vel ingenti ære alieno gravati, niſi prius creditoribus ſatisfecerint, vel ſaltem res ita diſponant, ut illis revera ſatisfiat; niſi ſint omnino impotentes illis ſatisfacere, nec ſpem ullam habeant, ſi in ſæculo remanſerint, eis ſatisfaciendi. Sic Salmant.

Quinto ex iure eodem naturæ impeditur filiis poſſe licite, tametſi valide ingredi Religionem, quando eorum parentes ſint in neceſſitate, & remanentes in ſæculo poſſint eis ſuccurrere, nec ſint in proximo periculo ſeu occaſione labendi in mortalia peccata, puta concubinatus, cum in tali caſu licite ingredi poſſint; quia propria ſpiritualis ſalus præferenda eſt vitæ corporali etiam

Digitized by Google

iam parentum; & quod de filiis erga parentes, idem dicito de parentibus reſpectu filiorum. Immo cum tanto maiori rigore maius eſt debitum quod parentibus incumbit providendi neceſſaria filiorum ſuſtentationi, quia cum tamquam principium & cauſa eſſe eis dederint, tenentur ex iure naturæ neceſſaria vitæ illis ſubminiſtrare, ideſt ad illorum conſervationem, ſuſtentationem, ac eos dirigere per virtuoſam piamque educationem in ſuum finem, qui eſt æternæ vitæ conſecutio, ad quem ſupremus Auctor eos ordinavit.

Triplex a Theologis ſtatuitur neceſſitas, nempe extrema, quando niſi huic ſuccurratur, perſona in hac conſtituta moraliter loquendo perire debet, vel ponitur in periculo proximo pereundi; gravis, ut non niſi magna penuria queat ſuſtentari; levis, quando parce vivere cogatur, multoties non ſolum ſuperfluis, ſed etiam convenientibus & utilibus carendo. Et utraque ex poſterioribus indigentia, vel iam de facto habetur, vel in proximo timeri, vel ſaltem remote imminere poteſt, ut ad eam præcavendam opus ſit neceſſariis providere. Et quia iam de hoc iam alias actum eſt, præcipue in explicando quarto Decalogi præcepto, ſatis hic erit breviter exponere cum D. Th. 2. 2. q. 189. art. 6. quæ parentum neceſſitas impediat filio Religionem ingredi: *Et ideo dicendum*, ( ita S. Doctor ) *quod parentibus in neceſſitate exiſtentibus, ita quod eis commode aliter quam per obſequium filiorum ſubvenire non poſſit, non licet filiis prætermiſſo parentum obſequio Religionem intrare. Si vero non ſint in tali neceſſitate, ut filiorum obſequio multum indigeant, poſſunt, prætermiſſo parentum obſequio, filii Religionem intrare, etiam contra præceptum parentum, quia poſt annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet, quantum ad ea, quæ pertinent ad diſpoſitionem ſui ſtatus, præſertim in iis, quæ ſunt divini obſequii, & magis obtemperandum eſt Patri ſpirituum ut vivamus, quam parentibus carnis*. Concludendum igitur cum Angel. D. quod ſi pater vel mater in tali ſint ſtatu, ut, moraliter loquendo, niſi a filio adiuventur perituri ſint, vel ponendi in periculo proximo pereundi, omnes ſine dubio fatentur, teneri filium, tametſi votum habeat Religionis, eam non ingredi. Et ita pariter concludendum eſt de parentibus reſpectu filiorum; in quo ſenſu intelligendum eſt Chriſti oraculum, *Miſericordiam volo, non ſacrificium*. Hinc communiter docent Theologi, ob huiuſmodi neceſſitatem, etiam poſt ingreſſum & profeſſionem, utroſque retrahi debere, petita a Superioribus licentia, quam nec debent nec poſſunt denegare, & ſi eam denegarent, nihil impedit quod non exeant, ad tempus tamen, ſervato Religionis habitu, donec eorum ſubſidio indigeant parentes, vel parentum filii.

### §. XVI.

*De iis quæ iure poſitivo impediunt ingreſſum Religionis.*

Ex natura Rei facinoroſi, ſeu qui gravia ſcelera commiſerunt, licite admitti poſſunt ad Religionem, cum habeatur in Canone cap. *Admodum* 33. q. 2. Stephanum Papam ſuaſiſſe cuidam homicidæ ut Monachus fieret; immo olim palam ſine ulla oppoſitione in Monaſterio recipiebantur latrones, homicidæ, adulteri &c. ad exemplum Chriſti Domini, qui peccatores ad ſe vocavit. Et probat D. Th. 2. 2. q. 189. art. 1. Verum quia recipiendo huiuſmodi facinoroſos gravibus criminibus aſſuetos ſæpe ſæpius non levia occurrebant incommoda, Sixtus V. ſua Conſtitut. quæ incipit *Cum de omnibus*, vetuit tales improbos ad Religionis ſtatum admittere, ut notat Portel. in dubiis regul. verb. *de Novitii qualitate*. Pellizzarius.

Secundo ex iure item canonico amplecti nequeunt ſtatum Regularem ſine Pontificis placito Archiepiſcopi, Epiſcopi electi, & confirmati, tametſi non conſecrati, ut in cap. *Licet de Regularib.* cap. *Cum pridem de renuntiat.* Et hoc probat D. Thomas 2. 2. q. 185. art. 4. & q. 189. art. 7. quia Epiſcopi electi & confirmati ſuæ Eccleſiæ deſponſati ſunt, & ſolemni voto ſe obligant ad paſtoralem curam ſui gregis, idcirco nequeunt ob privatum commodum illam dimittere, niſi obtenta licentia ab eo, qui poteſt in votis ſolemnibus diſpenſare. Sic Lezzana, Peyrinus, Garcias. Num vero eſſet valida, vel tantum illicita eorum profeſſio, non obtenta dicta licentia, non conveniunt Doctores; vult enim Suarez contra Valentiam, quod illicita eſſet tantummodo, non invalida.

Alii vero Eccleſiaſtici quicumque, etiam dignitate aliqua inſigniti, ut Abbates Mitrati iuriſdictionem Epiſcopalem habentes, & Beneficiati curam quoque animarum habentes, valide & licite ingredi poſſunt Religionem, in ea profiteri ſine licentia Pontificis, vel Epiſcopi; immo hoc etiam re-

pu-

Digitized by Google

pugnante, ſi requiſitus ſit, ut in cap. *duæ ſunt* 19. q. 2. Quia, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 2. ad 1. nec iſti tenentur ſemper curæ animarum intendere, nec eorum ſtatus eſt perfectior, ſicuti Epiſcopatus, ſtatu Religionis, immo huic inferior, ut probat idem Angelicus q. 184. art. 2. Et quicumque textus afferri poſſint in contrarium, loquuntur de Epiſcopis, & cum hæc iura ſint in odioſis, reſtringi debent, non ampliari. Beneficium tamen non vacat niſi poſt eorum profeſſionem.

Illegitimi ac quomodolibet procreati, naturales ſcilicet & ſpurii, hæreticorum filii, Iudæi, Saraceni, præciſis particularibus Ordinum Conſtitutionibus, ex iure communi non excluduntur a ſtatu Religioſo, cum non detur ius ullum eos excludens, itaut valide ac licite recipi poſſint. Nam licet Sixtus V. ſua Conſtitutione *Cum de omnibus* eos reiecerit, eorumque profeſſionem irritaverit, Gregorius tamen XIV. in ſua Conſtitut. *Circumſpecta* eos poſtea aptavit, & Clemens VIII. quoque validam illegitimorum profeſſionem ſtatuit, dummodo de eorum vita, & moribus ſtrictior quam de aliis fiat inquiſitio.

Circa vero difficultatem, quæ oriri poteſt, an Novitius qui admittitur ad Religionem cum impedimentis in Conſtitutionibus ſtatutis in tali Ordine, a quo recipitur, vel quia ille celet impedimentum, vel quia Superior contra ſui Ordinis leges ac ſtatuta illum admiſit, valide cum tali impedimento profiteatur: Reſpondent Salmanticenſes, quod ſi in aliqua Religione detur Decretum aliquod, quod Novitius de aliquo impedimento interrogetur, cum proteſtatione, quod ſi in ipſo talis defectus reperiatur, profeſſio ſit nulla; irrita manebit profeſſio ab eo emiſſa, qui talem defectum celavit, ſive quia tale Decretum in Conſtitutionibus, maxime a S. Sede approbatis, vim habere poteſt illam annullandi (quod aliqui negant) ſive (quod omnes concedunt) quia deficit conſenſus Religionis omnino requiſitus ad validitatem profeſſionis. Sic Lezzana, Sanchez, Peytinus, & alii hic citati a Salmant. Cæterum quando lex minime præcipit, ut cum tali proteſtatione Novitius recipiatur, ſed ſolum vetat cum illis defectibus admitti, talis profeſſio facta cum huiuſcemodi impedimento, erit valida; ideoque ſi Novitius interrogetur de tali defectu, & neget, niſi ignorantia eum excuſet, peccabit mortaliter, quia decipit Religionem in re gravi. Etenim non omnis actus contra legem factus eſt irritus, niſi adſit lex quæ illum irritet, cum multa facta teneant, quæ fieri prohibentur cap. *ad Apoſtolic. de Regularib.* Nec deceptio ibi inventa ſufficit, ut ex parte Religionis conſenſus deficeret, quia non omnis error & deceptio irritat contractum, niſi ſit circa ſubſtantialia. Unde ſicut in Matrimonio non omnis error illud irritat, niſi circa perſonam ſit, non circa qualitates, etiamſi error aut dolus circa eas dederit cauſſam contractui; ſic nec talis error in præſenti vitiat profeſſionem. Sic Portall. Garcias, Palaus, Sanchez, & alii citati hic a Salmant.

## §. XVII.

*De iis qui legitimam habent poteſtatem recipiendi ad Novitiatum.*

Religionem ingredi peroptans, ac ad Novitiatum percurrendum admitti, ac probare Religionem, & probari, procul dubio neceſſe eſt ut iis ſe præſentet, in quibus reſidet legitima facultas recipiendi in Religione & Novitiatu, ac ab eis ad utrumque admittatur; alias ingreſſus & Novitiatus nullus eſſet: Non poteſt enim probari a Novitio Religio, quin prius ab ea recipiatur. Poteſtas huiuſmodi ex iure communi convenit Prælatis ſeu Superioribus immediatis Religionis, Abbatibus ſcilicet, Prioribus, &c. ut conſtat ex cap. 4. *de iis quæ poſſunt a Prælatis*; & Gloſſa cap. *final. de Regular.* in 6. Verum ex conſuetudine ſeu privilegio Nicolai III. cap. *Exiit de verbor. ſignificat.* in 6. talem facultatem habent Generales in toto Ordine, & Provinciales in ſua Provincia, & locales Superiores in ſua Domo ſimul cum Capitulo, niſi adſit lex, conſtitutio, vel conſuetudo, qua contrarium ſtatuatur. Idcirco inſpiciendæ ac attendendæ ſunt peculiares Ordinum leges ſeu ſtatuta, ac conſuetudines; quia earum legum, ac conſuetudinum obſervantia ſpectat ad ſubſtantiam Novitiatus, & profeſſionis, nempe ut qui admittitur, valide Novitiatum percurrat, & profiteatur, ſicut ex Bulla Sixti V. relata a Pelliaz. & ita tenet Suarezius. Non requiritur tamen conſenſus totius Capituli, ſed ſufficit ſi maior pars ſuffragetur, licet alii contradicant, cum id quod fit a maiori parte, a toto corpore Communitatis fieri cenſeatur. Immo ſi totum Capitulum Novitio ſuffragium iniuſte denegaret, & hoc Prælato conſtaret, poſſet ipſe ſolus ſine Capituli conſen-

ſenſu eum recipere, quia quoties conſenſus ad aliquem actum eſt neceſſarius, habetur pro præſtito, ſi qui præſtare debent, iniuſte denegaverint cap. *licet* §. *talis ergo de Regularib.* Peyrin. Pellizz. Valida eſſet receptio ſi ſolus Prælatus cum alio ſit in Conventu, & uterque ſuffragium præſtiterit, quia totum ius Capituli reſidere poteſt in uno ſolo. Si Prælatus tamen non adſit, vel alter eius loco, receptio erit invalida: Cum enim receptio Novitii res ſit gravis momenti, tractanda ſeu concludenda non eſt ſine Prælati interventu; ſed de his melius ubi in poſterum de profeſſione.

Variæ difficultates circa hoc punctum diſcutere ſolent Theologi, ut habetur præcipue in Salmanticenſibus. 1. nempe, an ſemel a Capitulo excluſus poſſit denuo a Capitulo admitti, aut excludi iam admiſſus. Et quoad primum docent, dimiſſum iterum per Capitulum admitti poſſe, eo quia nullum detur ius, quo irritetur aut prohibeatur hæc admiſſio; & eo vel maxime quod obvenire poſſunt novæ rationes, quibus aptus oſtendatur Religioni qui ineptus videbatur. Sic Peregrinus, Pellizz. & Rotharius. Quoad alterum vero, ideſt quoad admiſſum, docent dimitti poſſe, quando novæ ſuperveniant rationes, quibus deprehenditur quod in priori Capitulo, quo admiſſus fuerat, decepta erat Religio, dum aptum ac utilem ex prioribus inſtructionibus credebat eum Religio, & ex recentioribus cognoſcit ineptum eſſe & damnoſum. Agitur enim hic de oneroſo contractu, quo Religio in totum perpetuo admiſſo ſe obligat, qui ſubſiſtere nequit, & nullus eſt, quando non ſubſiſtat tacita conditio de eius idoneitate, ob quam fuit admiſſus. Si vero nihil de novo ſuperveniat, ideſt nulla ratio contra veritatem priorum atteſtationum de ſua idoneitate, vi quarum fuit a Capitulo admiſſus, videtur quod non amplius dimitti queat iuxta regulam 21 iuris in 6. *quod ſemel placuit, non amplius diſplicere poteſt*. Sicut enim in electionibus publicato ſcrutinio electus ius acquiſivit ad officium vel dignitatem, cui electus fuit; ſic ſemel approbatus ſeu admiſſus a Capitulo ad Religionem, quando nulla ratio ſuperveniat ad notitiam Capituli contra eius idoneitatem, ius acquirit ad Religionis ingreſſum. Admiſſio enim facta a Capitulo non eſt permiſſio, ut admiſſus Religionem ingrediatur, ſed promiſſio ſub ſtante conditione de eius idoneitate, dandi ei habitum Religionis, & ſi percurrat cum requiſitis conditionibus ſuum Novitiatum, eius profeſſionem recipiendi. Nec officit quod admiſſus utendo iure ſuo libere uti poſſit hoc beneficio, & non uti, ita ut curret paritas reſpectu Capituli, ut ipſi quoque liberum ſit & manere in propoſito, & a propoſito recedere; quia admiſſio ad Religionem, licet ſit actus reſpiciens utilitatem Religionis, præcipue tamen eſt favor, qui præſtatur petenti, ſuppoſita conditione ſuæ idoneitatis: Et ſicut in contractu ſponteaneæ promiſſionis, tametſi liberum ſit promiſſario, etiam poſt acceptatam promiſſionem, recipere & non recipere promiſſum, id tamen non eſt liberum promittenti; ſic in caſu noſtro, quamvis admiſſus poſſit & uti favore ſibi facto a Capitulo per eius admiſſionem ad habitum Religionis, ingrediendo, & non uti, a ſuo propoſito recedendo, nun poteſt tamen Capitulum, quando ſibi non præſentetur aliqua ratio oppoſita idoneitati admiſſi, a favore per admiſſionem eidem præſtito recedere, quia admiſſio ſe habet per modum promiſſionis & obligatorii pacti ſub tacita conditione ipſius petentis idoneitatis, qua ſtante non poteſt amplius promiſſionem pactumque Capitulum revocare.

Altera difficultas eſt, ſi capitulariter admiſſus differat per multum temporis ingreſſum Religionis, num tunc requiratur nova Capituli admiſſio, & circa hoc advertunt, videndum, an diſtulerit admiſsus talem ingreſsum non ſponte, ſed ob morbum, ob aliorum culpam, vel ob aliquam aliam iuſtam rationem, & conſtet nihil in eo reperiri quare excludi debeat; tunc enim ſine novo Conventus, ſeu Capituli conſenſu recipi poterit, quia in talibus circumſtantiis præſumitur Capitulum perſeverare in eadem voluntate, iuxta ſupra allatam regulam iuris, *quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt*.

Hic autem inquiri ſolet, an Prælatus ac alii qui ſuffragium dant in Capitulo, peccent mortaliter, ſi abſque iuſta cauſa denegent ſuffragium, ſeu non admittant eum, qui alias nullum habet impedimentum, & in conſcientia putant idoneum; vel admittant ſeu ſuffragium dent ad admittendum inhabilem. Et circa hoc certiſſimum eſt, in utroque caſu illos graviter peccare, quia deficiunt in re quæ apud Summos Pontifices eſt graviſſima, cum eam diſcutiendam commiſerint gravioribus Patribus Religionis aut Provinciæ; Sixtus enim V. in ſua Conſtit. *Cum de omnibus* ſtatuit, receptionem Novitiorum fieri non poſſe niſi in Capi-

pi-

pitulo Generali cum conſenſu Generalis, & Definitorum ad hunc effectum deputandorum. Temperavit hanc Conſtitutionem idem Sixtus V. per aliam ann. 1591. in qua indulſit, Novitios recipi poſſe extra Generale Capitulum, a Generali vel Provinciali, cum conſenſu duorum vel trium ex Superioribus Monaſterii, vel trium ex antiquioribus Provinciæ ad hunc effectum a Generali, & Provinciali deputandorum, qui in unum convenientes, examinatis quæ de iure examinanda ſunt, id ſtatuant quod magis in Domino expediens viſum fuerit. Peccant mortaliter dignum excludendo, contra charitatem proximi, quia ſine iuſta cauſſa impediunt eum a conſecutione ſtatus Religioſi, qui eſt ſtatus perfectionis, & eo magis peccant, ſi hoc faciant contra conſcientiam ob aliquam paſſionem. Peccant mortaliter dando ſuffragium ſeu admittendo indignum, tum quia infideliter, & contra conſcientiam ſe gerunt in re graviſſima, tum quia Religioni grave inferunt damnum.

## §. XVIII.

*De Novitiatu, & de conditionibus ad Novitiatum rite; ſeu licite & valide percurrendum.*

Præmiſſa debita ſolicitudine pro informationibus vitæ, morum, ac cuiuſvis alterius requiſiti recipiendorum ad Religioſum habitum ſeu Inſtitutum, necnon in examine ac diſcuſſione vocationis habitum poſtulantis; quando & favorabiles de ipſo habitæ ſunt informationes, ac ſufficientia præbuerit ſigna ſinceræ vocationis ad Religioſam vitam, conceſſa eidem per Capitulum admiſſione ad Religionem, iuxta regulam S. Benedicti aliorumque Patrum, ad cellam Novitiatus recipiendus eſt, ut eum percurrat, ad melius ſeu practice ſuam vocationem probandam, ac ea addiſcenda, quæ in ſchola Religioſæ perfectionis obſervanda ſunt.

Variæ ſunt conditiones, ut valide, & licite Novitiatus tranſigatur. Et primo requiritur, quod Novitius libere ac ſponte ſine ulla vi, fraude, ſeu metu habitum ſuſcipiat, ac Novitiatum ingrediatur. Peccat enim graviter quicumque vi aut dolo ipſum intrare impulit, Novitiatum inchoare, & Prælati admittentes eum, quem ſciunt tali coactione habitum aſſumere, quia in hoc ipſi gravis irrogatur iniuria. Idcirco Trid. Concilium ſeſſ. 25. cap. 18. *de Regularib.* pœnam excommunicationis inflixit in cogentes fœminas ad Religionis ingreſſum: hanc tamen excommunicationem non incurrunt qui viros cogunt, dum Concilium de iis non loquitur, nec odioſa ſunt extendenda. Sic Suarez, Lezzana, Palaus & alii. Validus igitur erit Novitiatus, qui tali metu incipiatur ac percurratur, ac ideo non ſupplendum tempus cum tali metu conſumptum, quia & Novitius voluntatem habet ſimpliciter, licet coactam, experiendi Religionem, & Religio in hoc conſentit, & nullus eſt textus talem Novitiatum irritans, cum iura omnia loquantur de profeſſione ex gravi metu emiſſa, nec ſunt extendenda ad Novitiatum, dum diverſa utriuſque eſt ratio, eo quod profeſſio ſemel valida non amplius irritari poteſt, nec illata iniuria reſarciri, ſecus vero accidit in Novitiatu. Pelliza. Palaus, Sanchez & alii.

Secunda conditio ut quis ad Novitiatum non licite tantum, ſed valide etiam admittatur, eſt, ut admiſſio libera ſit ab omni labe ſimoniæ, ideſt ne aliquid temporale pro admiſſione ad Religionem, aut profeſſione recipiatur directe, nempe ex pacto vel conventione aliquid exigatur vel recipiatur, vel indirecte, ab iis nempe qui ſuffragaturi ſunt, ut ſuum ſuffragium pro eo conferant, & incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam tum admittentes, tum admiſſus ſciens, & invalidus eſſet ac nullus tum Novitiatus tum profeſſio cum tali labe admiſſi, iuxta Extravagant. *Sane de Simonia*. Excommunicatio huius canonis incurritur quoque, ſi deducatur in pactum, quod pro ingreſſu Religionis detur Monaſterio aliquod mutuum, commodatum vel emolumentum. Hanc tamen excommunicationem incurrunt perſonæ ſingulares delinquentes contra hanc legem; Capitulum vero ſeu Conventus incurrunt ipſo facto reſervatam ſuſpenſionem ab omni actu & officio Capitulari & communi, quod iuriſdictionem eccleſiaſticam exigat, ut docet Suarez, & colligitur ex cap. 1. *de Regular.* cap. *Quoniam de Simonia*.

Tertia conditio ad valide & licite Novitiatum percurrendum eſt ætas legitima, nempe quod ſit puber, quæ ætas in viris eſt annorum 14. in fœminis vero 12. nec in hac parte malitia ſupplet ætatem, ſed ſicut profeſſio ante annum 16. nulla eſt, ſic Novitiatus ante pubertatem peractus, quia hoc anni ſpatium conceditur ad experiendas auſteritates Religionis, & præcipue onus ob-

obſervantiæ caſtitatis, quas difficultates impubes probare vel experiri nequeunt. Ita Peyr. Pellizz. Suarezius cum aliis.

Quarta conditio neceſſaria. ad Novitiatum percurrendum eſt ſuſcipere ac geſtare habitum Religioſum ſecundum probabiliorem ex verbis Concilii Trid. ſeſſ. 25. cap. 15. *de Regular.* ubi ſtatuens de anno integro probationis percurrendo in Novitiatu ait, annum numerandum, ſeu initium illius ſumendum eſſe a die ſuſcepti habitus, & de anno completo ad valorem profeſſionis ſubiungit, *integrum annum poſt ſuſceptum habitum.* Unde nemo non videt, habitum eſſe unam ex auſteritatibus, quam experiri debet ad Novitiatum receptus. Qui autem ficto animo non profitendi Novitiatum ingrederetur, & in fine anni animum mutaret, non exinde, ut volunt plures cum Suarezio, Novitiatum invalide percurriſſet, quia revera annum tranſegiſſet, ipſe Religionem, Religio ipſum probaſſet, idcirco legis finem impleviſſet.

Quinta conditio eſt locus, in quo peragi debet Novitiatus. Hic autem locus eſſe debet intra Ordinem, nempe in Conventu, ſeu prope Conventum Ordinis, ( *vicinam tamen Monaſterio cellulam*, ait Regulam Ferreoli cap. 5. ) ad hoc deputatus, ſeiunctus tamen ſeu ſeparatus a cæteris Fratribus, ideſt ab interno Fratrum diverſorio, ad quod accedere non debet Novitius; & in hoc conveniunt omnium Ordinum vere ſeu perfecte Religioſorum Regulæ, quæ omnes præſcribunt talem ab aliis Fratribus Novitiorum ſeparationem: *Ne*, ( ait Hugo Merandus ad cap. 65. §. 1. Concord. Regul. ) *quæ in Monaſterio geruntur, in eorum notitiam venirent, & diſcedentes ea ſæcularibus revelarent. Id etiam eorum tranquillitati maxime congruum erat, ut ab omni conſortio ſeiuncti facilius contemplationi, & vitiorum extirpationi ſtuderent.* Hanc Noviticrum a cæteris Fratribus ſeparationem multum urget & obſervari præcipit Clemens VIII. in ſuis Decretis pro Novitiorum receptione §. 26. & videri poteſt in Van-Eſpen p. 1. tit. 25. cap. 2. *de Novitiatu.* Alia requiſita huiuſce loci habentur in citatis Decretis Clementis VIII. nempe, quod hic locus habeat tot ad dormiendum cellulas ſeparatas, quot erunt numero Novitii, vel Dormitorium ita capax, ut pro ſingulis ſinguli lectuli commode ſterni poſſint, in quo etiam cellula, vel certus ac determinatus locus pro Magiſtro eiuſque ſocio reperiatur. Immo etiam præter alias communes commoditates aptus locus adſit ad lectionem, inſtructioneſque Magiſtri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum ſe igne communi recipiant. Oratorium inſuper ſeu Capella, ſi commode fieri poteſt, ad Novitios in ſpiritualibus, præſertim in cæremoniis, & eccleſiaſticis functionibus exercendos. Hortus quoque peculiaris ad honeſtam recreationem concluſus, atque munitus adſit; ſin minus hortum communem cæteris Fratribus recreationis tempore ingrediantur: dum autem ibi commorantur Novitii, curare debet Magiſter, etiam Superioris auctoritate, ne in eumdem locum quiſquam ingrediatur. Ad huiuſmodi locum Novitiatus nemini eiuſdem vel alterius Ordinis Regulari, etiam Conventus & Monaſterii Officiali, ullo unquam tempore, ſub quovis prætextu aditus pateat, præterquam Magiſtro eiuſque ſocio, & etiam Monaſterii aut Conventus Superiori, ſi quando ſibi neceſſario ingrediendum exiſtimaverit, quo tamen caſu ſemper aliquem ex ſenioribus Conventus vel Monaſterii Patribus ſocium aſſumat. Huius loci clauſuræ clavis apud Magiſtrum ſemper aſſervetur, illique ſoli liceat ex gravi tantum cauſa ingreſſum illuc alicui permittere. Si quis autem Novitiorum quempiam alloqui voluerit, Magiſtro præſente, & non aliter alloquatur. Van-Eſpen, Rohar.

Sexta conditio eſt, ut Novitiis præficiatur ſeu deputetur ad eorum inſtructionem & regimen aliquis Religioſus profeſſus cum ſocio pariter profeſſo. Regula S. Benedicti hic ait, quod pro tali officio *ſenior ei* ( ideſt Novitio ) *talis deputetur, qui aptus ſit ad lucrandas animas, qui ſuper eum curioſe omnino intendat, & ſolicitus ſit ſi revera Deum quærat, ſi ſolicitus ſit ad opus Dei.* Senior, de quo hic loquitur S. Benedictus, hodie appellatur *Magiſter Novitiorum.* Requiritur in Regula S. Benedicti, ut pro Novitiis inſtruendis ſenior aliquis eligatur, ideſt in exercitiis Monaſticis bene exercitatus, qui verbo & exemplo Novitium inſtruere ſit idoneus, qui inſuper *aptus ſit ad lucrandas animas*, hoc eſt aptus ad imprimendum Novitio contemptum mundi & rerum temporalium, eique inſpirandum rerum cœleſtium amorem; *qui curioſe omnino intendat, & ſolicitus ſit, ſi Novitius revera Deum quærat*, ideſt num in exercitiis Religionis, & in ipſa vitæ Monaſticæ electione unice Deum quærat, utrum aliqua humana conſideratio ſe immiſceat, quæ ipſum



Digitized by Google

ad eligendum hoc vitæ genus impellit. Denique ſolicite attendat, num ita Novitius in omnibus ſe gerat, ut merito iudicari poſſit ipſum ad Religionem a Deo eſſe vocatum. Hæc ſatis ſuperque oſtendunt, quanta prudentia, non carnis, ſed ſpiritus in Magiſtro Novitiorum exigatur. Hinc merito Eremitæ S. Auguſtini decreverunt, eligi in Novitiorum Magiſtrum *Fratrem honeſtum ac probatum, & ſui Ordinis præcipuum zelatorem*, provectæ ætatis quantum fieri poterit, a quo ad Dei laudem, & Ordinis decorem; *cum omni ſanctimonia, & bona doctrina* diligenter erudiantur & inſtruantur.

In Regula S. Benedicti, quæ affertur tamquam Mater, ac omnium Regularum Prototypum, apertiſſime ſub oculos ponitur hæc materia, & confirmatur oraculo ac auctoritate Summi Pontificis Clementis VIII. ſuis inſtructionibus exaratis in ſua Conſtitutione *de recipiendis Novitiis*, ubi de Magiſtro Novitiorum & eius ſocio § 27. hæc habentur: *Ipſe Magiſter Sacerdotali ordine ſit initiatus, ac in quinto ſaltem ſupra trigeſimum ætatis ſuæ anno conſtitutus, & per decennium a profeſſione emiſſa in Religione perſtiterit. Socius vero trigeſimum annum excedat, ſintque ambo doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vitæ etiam anteactæ exemplo præſtantes; orationis præterea & mortificationis operibus adaicti, prudentia charitateque referti, non ſine affabilitate graves, zelum Dei cum manſuetudine præſeferentes, ab omni cordis & animi perturbatione, ira præſertim & indignatione, quæ in ſe, & erga alios charitatem impedire conſueverunt, quam longiſſime alieni, & tales demum, qui in omnibus ſeipſos præbeant exemplum bonorum operum, ut qui eorum curæ ſubſunt, illos non tam metuant, quam revereantur, nec illis unquam detrahere quidquam poſſint.* Socius igitur, ſi ob Novitiorum numerum inſtruendorum opus ſit, deputari debet Magiſtro, eiuſdem conditionis, (quoad fieri poterit) quoad vitam & mores ac Magiſter, qui in iis quæ ad Novitiatus regimen ſpectant, dicto Magiſtro immediate ſubiectus ſit, & uterque eligatur per Capitulum Generale aut Provinciale ſaltem ad triennium. Et ſi contingat caſu aliquo, extra hæc tempora concedi debere Magiſtrum vel ſocium alicui Novitiatui, tunc electio eorum per Generalem aut Provincialem ſeu Miniſtrum, aut eorum Viſitatores ſeu Vicarios, de conſenſu tamen Definitorum, ſeu aliorum graviorum Patrum, fieri permittitur.

Magiſter Novitiorum, eiuſque ſocius vacent ab omnibus aliis officiis, quæ Novitiorum regimen curamque impedire valeant. Magiſter plenam habeat abſolutamque poteſtatem circa Novitiorum inſtitutionem, ac regimen Novitiatus, ut præter Viſitatores, Superioreſque maiores, & vel etiam locales, nemini quovis colore ſeu prætextu ſe ingerere liceat. Præcipuus ſcopus Magiſtri Novitiorum eſſe debet, ac peculiarem curam diligentiamque ei adhibere incumbit, ut Novitius exacte de regula, reliquiſque vitæ Regularis exercitiis & obligationibus inſtruatur, nihilque leviter ac inconſiderate arripiat, eiuſque animi ac ſpiritus in his omnibus conſtantia probetur. Curare item impenſius debet, ut Novitii in Regulari diſciplina ſedulo exerceantur, ac præſertim agnoſcant divinæ, qua digni facti ſunt, vocationis præſtantiam, ac excellentiam, clare percipiant quæ ſit vera votorum ſolemnium, & quam neceſſaria cuiuſque Ordinis Conſtitutionum obſervantia, modum ediſcant in oratione tum mentali, tum vocali inſiſtenter perſeverandi, illicitas paſſiones, & vitia per ſenſuum cuſtodiam & mortificationem cohibendi, auſteritates, ieiunia, cilicia, diſciplinas, conſcientiæ puritatem, crebrumque illius examen, frequentiam Sacramentorum, præſertim Confeſſionis, quæ bis ſaltem in menſe fiat, quotidianam manifeſtationem motuum cordis, ac tentationum, exercitium humilitatis circa viliora miniſteria, modeſtiam in omnibus actionibus, diuturnumque ſilentium. Solus Magiſter recipiat Novitiorum confeſſiones. Licet tamen Superiori locali vel per ſe vel per alium ab ipſo deputandum ſemel aut bis in anno eorumdem confeſſiones audire. Novitii bis quotidie ſe exerceant in oratione mentali & vocali pro cuiuſque capacitate; Miſsæ quotidie interſint Sacrificio, necnon horis omnibus canonicis, nocturnis ſcilicet & diurnis in choro adſiſtant. In corporalibus quoque ſe exerceant legendo, vel ſcribendo res ſpirituales. Modeſta ipſis ſtatutis horis recreatio concedatur. Immo etiam longior ſemel in hebdomadibus in loco ſolitario & commodo, extra Novitiatum, ſemper tamen Magiſtro præſente vel ſocio, qui ſemper invigilent an plures ſint, ne duo ab aliis ſeiuncti commorentur, ac eo tempore ſcrutari poterunt naturales cuiuſque inclinationes. Durante Novitiatus ac probationis tempore non liceat Novitiis morari cum profeſſis, niſi ad publica officia Chori, Refectorii;

Pro-

Proceſſionum, &c. ideoque non eſt permittendum ipſis exeuntes domo profeſſos comitari.

Nota, quod in communibus & propriis, quæ occurrere poſſint, neceſſitatibus deſignari poteſt unus ex ipſis Novitiis ætate ac moribus proveſtior, ut abſente Socio (Magiſtro tamen permittente) omnia, quatenus opus fuerit, agat, cui etiam ianuæ cuſtodia, aliarumque levis momenti rerum Novitiatus cura committi poterunt.

Nec ſolum Clerici, verum etiam laici recipiendi, iubet Clemens VIII. in cit. Conſtitut. ut de omnibus prædictis inſtruantur, quia cum & ipſi eamdem Regulam eumdemque ſtatum profiteantur, hinc hi quoque in iis, quæ ad ſtatum Religioſum ſpectant, ſunt educandi. Habeant hi quidem Dormitorium a Clericis ſeiunctum: Magiſtro tamen Novitiorum vel Superiori Conventus, iuxta cuiuſque Ordinis Conſtitutiones, ſubiecti eſſe debent ac obedientiam præſtare, & non ſolum hi probandi ſunt circa corporalia munia & obſequia, ſed ſimul probandi ac exercendi pro eorum capacitate, & commoditate, diligenter inſtruendi erunt de ſpiritualibus, præſertim de modo mentaliter orandi, quod ut facilius exequatur, vocandi ſunt ad capitula & ſpirituales conciones, quæ per Magiſtrum ſuis Novitiis fieri ſolent, necnon ſtatutis horis fieri debet ut in Eccleſiis conveniant, dummodo non fuerint in eorum officiis actualiter impediti.

Nota, quod elapſo anno probationis, ſi reperti ſint non tantum Religioſæ perfectionis capaces, ſed corporalibus laboribus apti, ac habeant requiſitam ætatem ad profitendum, quæ in Converſis debet eſſe annorum 21. & in Clericis 16. ad profeſſionem admittendi ſunt. Qui tamen ad Converſorum habitum admiſſi fuere, ad Clericorum ſtatum, etiam durante probatione, tranſire nequeunt.

Fruſtranea tamen erit, quod iam paſſim experientia ipſa comprobat, Regulæ ſtatutorumque prælectio, rigida votorum explanatio, niſi enixe ſimul perſuadeatur ac ſedulo inculcetur Novitiis debitum irrefragabile quod affert Religioſa profeſſio, integre, plene, ſeu ſecundum eorum verum ſenſum obſervandi ſtatuta ac Regulam; nempe, quod ſi eis videbitur poſt exactum Novitiatum permanere in Religione ſeu Regulam profiteri, vivere debeant iuxta præſcripta Regulæ & ſtatutorum, nec minime attendendum eſſe ad laxam aliquorum vitam a Regula ſtatutiſque aberrantem, ideſt non eſſe attendendum quid Religioſi alicuius Ordinis vel Monaſterii faciant, ſed quod præſcribant ac iubeant Regula & ſtatuta, & ad quid Religioſa profeſſio obliget. Id fortiter in Novitiorum animis imprimere oportet, quod profeſſio fit ſuper Regulam *abſolute & ſimpliciter prout ſtat*, non *reſtrictive*, *& ſecundum quid* ideſt prout laxe obſervatur; dum in profeſſione non apponitur hæc conditio, ac proinde ſicuti Regulam in totali ſua amplitudine & perfectione, ideſt abſolute ſine ulla conditione profitentur, ſic contrahunt apud Deum obligationem eam perfecte obſervandi, non ſecundum inductas laxitudines & corruptelas. Omni igitur conatu ſtudere debet Magiſter, ut Novitii ſint omnino perſuaſi, aſpera ac difficilia Regulæ cum mundana & commoda vita componi non poſſe, licet videant Religioſos eamdem Regulam ſtatutaque profeſſos huiuſcemodi infelicem vitam, videlicet ſæcularem, Regulæ ac ſtatutis oppoſitam ducere, non ſine evidenti periculo perpetuæ eorum damnationis.

Hoc itaque movit zelum SS. felicis recordationis Innocentii XII. videlicet ut Novitii ac recenter profeſſi haberent ob oculos exactæ Regularis diſciplinæ exemplar, quo ipſi efficacius ad illam incitarentur, dum magis fortiuſque exempla movent quam verba, unde ex ſententia S. Congregat. Cardinalium ſpecialiter ſuper reformationem Regularium deputatæ edito decreto 18. Iulii 1695. præcepit ſingulorum Ordinum Superioribus, *ut in unaquaque Provincia per Italiam, & Inſulas adiacentes*, quamprimum deputent aliquos Conventus, quos magis aptos cenſuerint, vel unum ſaltem, ibique auctoritate apoſtolica ſtatuant omnimodam obſervantiam Regulæ, Conſtitutionum uniuſcuiuſque Ordinis, & Decretorum Apoſtolicorum, præcipue vero exactæ vitæ communis ad formam eorumdem decretorum ab omnibus Religioſis, qui in Conventibus, ubi recipiendi Novitii, & Profeſſi educandi ſunt, morabuntur, omnino ſervandæ. Et ut hæc omnia facilius, efficacius, ac durabilius ad praxim deduci valeant, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit eiſdem Superioribus, *ut in ſupradictis Conventibus non collocent niſi Religioſos graves, devotos, exemplares, Regularis obſervantiæ, & puritatis Regulæ ſtudioſos, orationi præſertim, ac mortificationi, ſine quibus non poteſt Religioſa vita conſiſtere, addictos, quique con-*

*ſentiant exacte ſervare vitam communem*, atque inde amoveant eos omnes, qui tam ſanctæ ordinationi contradicere ſeu verbis aut factis quoquomodo ſeſe opponere audeant.

Valde indubie confert Novitiorum educationi & inſtitutioni, totalis a Religioſis profeſſis ſeparatio, ait Van-Eſpen. Hæc tamen rigoroſa ſeparatio Novitiorum a Religioſis profeſſis, quæ ex una parte maxime eſt proficua, affert ex altera non leve incommodum, videlicet quod ex tali ſtricta ſegregatione nimium occultetur Novitiis tum Monaſticæ diſciplinæ collapſio, tum multorum Religioſorum a Regulæ obſervantia receſſus, quæ ſi ab initio Novitiis innoteſcerent, non raro deprehenderent quam difficile ipſis poſtmodum foret in tanta deformitate ac ruina Monaſticæ diſciplinæ, ac inter tam defectuoſos Fratres veram, integramque Monaſticam diſciplinam obſervare, & emiſſis votis per omnia ſatisfacere, & ita inſtructi melius forſan ſecuritati eorum æternæ ſalutis conſulerent.

Ex his igitur facile dignoſcere poſſunt tam parentes, quam Directores adoleſcentum, ipſis ſtricte incumbere, quando ſciunt eos meditari ingreſſum in Religionem, in qua collapſa ſit Monaſtica diſciplina, quod ſerio illos præmoneant, inſtruant, difficultateſque exponant, quæ ipſis ob talem collapſionem occurrent, ſi ſuæ obligationi in his Monaſteriis per vitam vere religioſam per omnia, ſicut velle debent, ſatisfacere intendant.

Septima conditio ad percurrendam in Novitiatu ſtatus Religioſi probationem eſt tempus, ideſt quantum temporis permanere debeant Novitii in probatione, antequam ad profeſſionem admittantur. Diſciplina vero quoad tempus non ſemper fuit eadem, ſicut nec nunc temporis eadem eſt in Eccleſia Græca, & Latina. Nam licet hoc intervallum probationis ſemper adeo rationi conſonum viſum fuerit, ut pro quolibet tempore tum in Oriente tum in Occidente ſancti Religioſorum Ordinum inſtitutores illam præceperint, varie tamen variis temporibus, modo maior, modo minor extenſio temporis pro hac probatione ſtatuta fuit. In Oriente ad tres integros annos erat producta. Et conſuetudo triennalis probationis adeo invaluerat, ut de hac plura habeantur iura, allata hic a Paſſerino, & præcipue Novella 5. cap. 2. Imperatoris Iuſtiniani, & ſi credere velimus Palladio, hoc triennale tempus D. Paccomio ab Angelo præſcriptum fuit. Caſſianus lib. 4. *Inſtitut.* cap. 3.° monet, apud Monachos Ægyptios probationis tempus ultra annum protractum non fuiſſe. Ibi enim refert, morem fuiſſe eorumdem Monachorum non admittendi candidatos ad habitum, niſi poſtquam per decem dies & amplius etiam ad fores Monaſterii excubaſſent expoſiti Monachorum omnium ludibriis, qui data opera conviciis eos afficiebant. Sic decem diebus expletis ad habitum Monachalem, & poſt integram anni moram ſine ulla querela in Dei ſervitio & peregrinorum, in Monachorum conſortium & Congregationem recipiebantur. In Occidente vero iuxta Regulam S. Benedicti, quæ aliis Regulis fuit norma & exemplar, in omnibus Ordinibus, paucis exceptis, annus præſcriptus fuit. Verum quidem eſt, quod quandoque fuit inſtitutum biennium, ut cap. *Si quis incognitus* & q. 3. & hoc occaſio fuit Canoniſtis, ut dum cauſſam harum diverſarum Inſtitutionum inveſtigarent, varie opinati ſint, diſtinguendo inter laicos & clericos, inter notos & ignotos, dantes laico ignoto probationem triennalem, clerico ignoto biennalem, & clerico noto annualem. Alii ut ex Fagnano exiſtimarunt in cap. *Ad Apoſtolicam* n. 12. veterum Canonum diverſitatem correctam fuiſſe per poſteriores canones, qui ſe reſtringunt ad annum probationis, ut cap. *Statuimus* 19. q. 3. & cap. 16. §. *de Regularibus*, ubi aſſerit Innocentius III. annualem probationem eſſe Patrum inſtitutum Novitiis pariter & Monaſterio inductum. Quia tamen olim erat in poteſtate Abbatum tale probationis tempus abbreviare, & ſæpe ſæpius victi vel importunis precibus vel aliquo humano reſpectu huic abbreviationi annuebant, & exinde contingebat quod non ſatis probati ad profeſſionem admitterentur; edita ſunt varia Decreta, quæ frenum huic abuſui impoſuerunt.

Verum cum hi canones ſpectare viderentur ad ſolum S. Benedicti Ordinem (ait Chriſtianus Lupus 3. *Scholior.* pag. 527.) novelli Ordines, qui dicuntur *Mendicantes*, *Prædicatorum*, *& Minorum* proſequebantur admittere ad profeſſionem ſine probationis anno, cum gravi ſuorum Ordinum detrimento, quos tali œconomia gravabant ac vitiabant, inhabiles perſonas admittendo. Plura quidem tam ab Innocentio IV. quam a Bonifacio VIII. contra hanc præcipitem admiſſionem Fratrum Mendicantium edita fuere decreta relata in 6. *Decretalium* ſub titu-

titulo *de Regularibus*, ſed eorum vel non obſervantiam vel inefficaciam advertentes PP. Trid. Concilii decreverunt ſeſſ. 25. cap. 15. *de Regularibus*; *Ne in quacumque Religione tam virorum quam mulierum, qui minori tempore quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur: profeſſio autem facta ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulæ vel Religionis obſervantiam, aut ad alios quoſcumque effectus*. Annum vero Novitiatus ſtatutum a Trident. debere eſſe integrum, ita ut defectus etiam unius horæ redderet profeſſionem nullam, late docet Fagnanus ad cap. *Ad noſtram* §. *de Regular.* Annus probationis debet eſſe continuus, & nullatenus interruptus, iuxta omnes ſic interpretantes ſcopum legis Tridentinæ. Non tamen interrumpere videtur, qui in Monaſterio habitum exuit, & adhuc in Monaſterio conſiſtens, & facti pœnitens, poſt aliquot horas illum denuo induit. Si tamen animo non redeundi exiret e Conventu, & poſt diem rediret, Novitiatum interrumpi affirmat Suarezius & alii contra alios, quia verificatur deſertio ſtatus antea aſſumpti. Contrarium tamen ſentiunt Conſtitutiones Eremitarum S. Auguſtini p. 2. cap. 3. ubi ſtatuitur, poſſe talem diſpenſari a renovando Novitiatu, ſi eius vita & converſio talis fuerit, quod videatur diſcretioni Prioris Provincialis *miſericorditer eſſe diſpenſandum*. Notat hic Van-Eſpen, quod hæc diſpenſandi facultas data Provinciali videtur indicare, non credidiſſe ſtatuti illius conditores, ex mente Concilii Trid. annum probationis debere eſſe ita continuum, ut vel modica illius interruptio Novitiatum inchoatum omnino redderet invalidum; Suppoſita enim illa nullitate per Concilium inducta, non poſſet Provincialis ſuper novo Novitiatu diſpenſare. Si poſt expletum integrum annum ſtatim non ſequatur profeſſio, quia expectanda ſit ætas, aut ob aliud prudens motivum, non propterea annus interrumpitur. Nihilominus tamen, ſi credamus Fagnano, S. Congregatio quæſita de interruptione facta a Novitio Ordinis Minimorum per moram in Conventu alterius Ordinis, quem ingredi ſtatuerat, *ad duas tantum horas, poſt quas ad priorem rediit*, num teneretur denuo incipere Novitiatum, reſpondit teneri ab eo die, quo reverſus eſt. Sic Fagn. ad cap. *Inſinuante* §. *Qui Clerici vel voventes* n. 26. Illud tamen, ait Van-Eſpen, certius eſſe videtur, quod qui aliquam Novitiatus partem in Monaſterio peregit, ſi durante Novitiatu de mandato Superioris exierit, ac ſub illius obedientia ex rationabili cauſſa reſiduo anni tempore extra Monaſterium manſerit, Novitiatum minime interrumpit, ita ut valide poſt annum profiteri queat. Ita teſtatur Fagnanus loco cit. n. 38. reſpondiſſe S. Congregationem. Van-Eſpen. Verum hoc currit ex iure antiquo; ſed iuxta novum ſtatutum ius per decreta Clementis VIII. Urbani VIII. Innocentii X. in Italia, Inſuliſque adiacentibus, ubi hæc nova iura vigent, manendo extra Monaſterium, locumque Novitiatus etiam de licentia, & ſub obedientia Superioris, interrumpitur Novitiatus, ac proinde integre innovandus eſt, niſi tamen levitas materiæ, vel iuſta cauſſa aut neceſſitas excuſet, ut notat Paſſerinus citatus hic a Rothario: Nam modica abſentia a Monaſterio non interrumpit moraliter & civiliter Novitiatum: Leges enim, cuiuſmodi ſunt leges Novitiatus, parvum pro nihilo reputant. Idcirco abſentia duorum vel trium dierum, de licentia ex iuſta cauſſa, eſt quid minimum in annuali probatione ac educatione Novitii. Hinc non eſt contra legem Novitiatus exitus diurnus a Monaſterio, ac ideo mitti poteſt Novitius recreationis gratis ad vineam, & campum. Et ſi ex caſu accidentali Novitii miſſi de mane ad vineam, reverſuri ad veſperam, id facere nequeant ex improviſa aliqua contingenti cauſſa, puta ob ſubitam aeris inclementiam, pluviarum copiam, vel quia per vim detenti fuerint, non ideo Novitiatus interruptus cenſetur. Item ſi neceſſitas aliqua urgeat, puta ſi Novitius ſit proxime moriturus, niſi a Monaſterio de licentia & mandato Superioris exeat per modicum tempus, quia neceſſitas non habet legem, nec in hoc, ſicuti in ſupradictis caſibus, cenſentur Pontifices ſuis legibus ita ligare, ut pro modico tempore abſentiæ, vel ob neceſſitatem propriæ vitæ, vel recreationis gratia, vel alia iuſta cauſſa iterandus ſit Novitiatus. Sic ſentiunt cum Paſſerino Bordon. Antonius a Spiritu S. cit. a Roth.

Cum Tridentina Synodus ſtatuerit integrum annum tantummodo ad probationem, licet non reprobaverit ſtatuta ac conſuetudines alicuius Ordinis, qui plus temporis probationis exigat; non ita tamen valent talium Ordinum ſtatuta, ut expleto probationis anno ab ipſa præfixo ad validitatem profeſſionis valide profiteri non poſſit, tametſi

metſi non completo ulteriori ſecundum ſtatuta Ordinis intervallo; nam huiuſcemodi ſtatuta maius tempus illud exquirere non ſolent ſub pœna nullitatis; & ſic quoad Novitios Societatis Ieſu expreſſe docet Barboſa.

Si expleto integro Novitiatus anno ante profeſſionis emiſſionem Novitius Religionem deſeruerit, reverſus poterit ſine alio Novitiatu ad profeſſionem admitti, cum vere fuerit per integrum annum in probatione. Ita reſpondit S. Congregatio apud Fagnanum ad cap. *Presbyterum* §. *de Pœnitent. & remiſſ.* n. 116. niſi tamen Religionis aut perſonæ conditio eſſet immutata, quod Religionis Superiores diligenter attendere debent.

Ex diſpenſatione tamen Summi Pontificis abbreviari poteſt tempus annuale Novitiatus; ſicuti etiam ex privilegio alicui Ordini ab eodem Pontifice conceſſo. Et revera ob rationabilem cauſſam id aliquando concedit: Immo cum S. Pius V. conceſſerit in ſua Conſtitut. *Summi Sacerdotii* die 23. Auguſti 1570. in caſu infirmitatis iudicio medici, *mortalis, ut poſſit Monialis S. Dominici profiteri anno probationis non expleto*, dummodo tamen requiſitam habeat ætatem 16. annorum completorum, ut lucretur Indulgentias; quod privilegium, ut Paſſerinus doctiſſimus ſuſtinet, non revocatum fuit a Gregorio XIII. hinc omnes qui communicant in privilegiis cum Ordine Prædicatorum, cuiuſmodi ſunt præcipue Mendicantes, vi eiuſdem privilegii excipiunt a ſuis Novitiis in periculo gravi mortis, ante anni curſum eorum profeſſionem. Huiuſmodi profeſſio utpote abſoluta & non conditionata, licet laudabile ſit, convaleſcente Novitio, ut eam ratificet, non eſt tamen neceſſaria talis ratificatio, cum talis profeſſio plenam habeat validitatem, cum Pontifex diſpenſaverit ſuper ius novum, dum ſecundum ius antiquum etiam ante annum completum, ſi fieret, valida erat profeſſio. Item ex privilegio, *Convertitæ* eo ipſo quod Monaſterium ingrediuntur poſſunt emittere profeſſionem, quia minime derogavit huic Convertitarum privilegio Concilium Trid. ex declaratione S. Congregationis die 11. Ianuarii 1620. iuxta Fagnanum, qui vult, in ordine ad illas ſervandum eſſe ius commune.

## §. XIX.

*De repetitione Novitiatus a tranſeuntibus ad alium Ordinem.*

Religioſus profeſſus tranſiens ad alium Ordinem, ſecundum Caramuel videtur non teneri ad ſubeundum novi Ordinis Novitiatum; quia Novitiatus non eſt de natura rei neceſſario præmittendus profeſſioni, ſed ex iure tantummodo poſitivo Tridentinæ Synodi, quæ lex, utpote continens materiam obligationis, eſt ſtrictæ interpretationis; idcirco cum ibi nullam mentionem faciat Synodus tranſeuntium ab uno ad alium Ordinem, neque ad illos eſt extendenda. Item quia S. Synodus ibi loquitur de profeſſione ſubſtantiali, per quam quis de non Religioſo fit Religioſus, non de accidentali, per quam quis Religioſus unius fit Religioſus alterius Ordinis: Nam Religiones in ſubſtantialibus omnes conveniunt, & differunt ſolum in accidentalibus; neque tanta neceſſitas eſt in Religioſo tranſeunte ab una ad aliam Religionem, ſicuti in laico, qui nullatenus aſperitates Religioſi ſtatus expertus ſit.

Verum huic ſententiæ obſtat praxis, & communis Doctorum ſenſus, immo auctoritas Gregorii XIII. qui in ſua Conſtitut. 56. an. 1579. aliter ſtatuit, dum in ipſa decrevit fieri probationis annum a Patribus Obſervantibus tranſeuntibus ad ſuos Reformatos. Et idem eſt ſtatutum pro tranſeuntibus ad ipſos ex Ordine Conventualium. Inſuper refert Barboſa ad cap. 12. ſeſſ. 25. Concilii Trid. n. 17. nimirum deciſum fuiſſe in una Montis Regalis die 13. Decemb. 1627. Diſcalceatos Ordinis SS. Trinitatis, tranſeuntes de licentia Papæ ad Ordinem laxiorem Calceatorum, debere ſubdi anno probationis, non teneri vero emittere profeſſionem; quia finis annuæ probationis militat etiam pro tranſeuntibus ad aliam Religionem, qui licet experti ſint auſteritates propriæ Religionis, non tamen illas alterius Religionis quæ habet ſua ſtatuta, uſus, pœnitentias, quæ nomina valde diverſa ſunt in unaquaque Religione. Unde probatus in una non eſt probatus pro omni. Præterquam quod annus probationis inductus eſt non ſolum in favorem Novitii, ſed etiam Religionis, idcirco neceſſe eſt ut nova Religio ad quam petit tranſire, probet ſaltem mores Novitii, antequam ipſi incorporetur; eo vel maxime quod cupiens excutere maiores auſteritates & vitam ducere commodiorem, mi-

Digitized by Google

mitiorem ingrediendo Religionem, ſe exhibet valde delicatum, ideoque probandus eſt, ne forte nimis avidus commoditatum & libertatis inquietam vitam ducat, aliorumque quietem perturbet. Sic ſentiunt Navar. Palaus, Sanchez, Bordonus, Paſſerinus, Fagnanus in cap. *ad Apoſtolic.* n. 40. & hoc idem Fagnanus docet contra Leſſium intelligendum eſſe etiam quando quis tranſeant ab Ordine ad Ordinem ſub eadem Regula & Generali capite, ut contingere poteſt in Regula S. Franciſci reſpectu Obſervantium & Reformatorum, qui eidem Regulæ, & Generali capiti ſubduntur: Quia licet eadem ſit Regula, quælibet tamen Religio ſuas habet diverſas Conſtitutiones & obſervantias; ita ut Religiones Capuccinorum, de Obſervantia, & Reformatorum ob hanc rationem, nunc ſe habent pro diverſis Religionibus, licet ſit eadem primæva Regula, & Obſervantes ac Reformati militent ſub eodem capite Generali, cum eidem capiti ſubordinari poſſint Religioſæ Familiæ etiam diverſæ ſpeciei, ſicut omnes Ordines Religioſi ſubduntur univerſali Capiti Eccleſiæ. Rothar. t. 1. p. 120. punct. 5.

## §. XX.

*De libertate Novitii deſerendi Religionem.*

Durante Novitiatu, vel etiam expleto, ante profeſſionem Novitius eſt in ampliſſima libertate Monaſterium ſeu Religionem deſerendi, & ad ſæculum redeundi cap. 23. *de Regularib.* & alibi, præcipue in cap. 2. eod. in 6. ubi diſtrictius inhibetur Fratribus Prædicatoribus & Minoribus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis, ne aliquem ex Novitiis intra annum probationis conſtitutum, ante emiſſam profeſſionem tacitam vel expreſſam impedire præſumant, ne ad ſæculum redeat.

Olim Novitii probabantur in veſte laicali, neque ante emiſſam profeſſionem veſtem mutabant, ſeu habitus Religioſus eis non dabatur, ut habetur in Regula Benedictina cap. 58., ubi præcipitur, ut poſt Novitiatum expletum, & emiſſam profeſſionem, ſuſcipiendus Frater *in Oratorio exuatur rebus propriis, & induatur rebus Monaſterii*, & conformiter ad illorum temporum diſciplinam ſcribit S. Gregorius apud Gratian. diſt. 53. can. *Legem.* quod tempore S. Bernardi etiam inter Ciſtercienſes vigebat hæc diſciplina, ut aperte innuitur in epiſt. 1. eiuſdem S. Bernardi ad Robertum. Hinc forſan (ait Van Eſpen) originem habuit tacita profeſſio per habitus Monaſterii, ſeu Ordinis ſumptionem: quia cum ante profeſſionem ipſum ſumi non aſſueſceret, qui eum ſuſcipiebat profiteri cenſebatur. Sæculo 12. & 13. quia Novitiatus annus in pluribus Ordinibus negligebatur, ac a receptione in Religionem habitum Monaſticum induere cœperant, hinc urgentibus ſummis Pontificibus & Conciliis pro anno probationis ſeu Novitiatus, ac ſtatuentibus, profeſſionem nonniſi expleto anno probationis emitti poſſe, remanſit conſuetudo tradendi habitum in ipſa receptione, & ita eſt inducta diſciplina ipſum Novitiatum in habitu Monaſtico peragendi, quæ hodie in omnibus Ordinibus ſervatur, nec ante habitum Novitiatum cœpiſſe cenſetur.

Cauſſa porro quare Novitiatus in habitu laicali olim perageretur, S. Benedicto præcipua fuit, ut libertati Novitiorum conſuleretur, eoque minori infamia egredi poſſent, quod nunquam Monaſticum habitum detuliſſent. Et ſane dubium non eſt, quin maior eſset libertas Novitiis ad ſæculum revertendi, ſi Novitiatus in veſte laicali etiam num hodie perageretur: vulgo enim nonnihil ignominioſum reputatur, ſi habitus Religionis ſuſceptus exuatur, eo quia per geſtationem exterioris habitus Religioſi, quaſi iam Religioſi reputati, redeuntes ad ſæculum Religioſum habitum exuiſſe videantur & æſtimentur. Hinc nunc in tali diſciplina exactior exquiritur cura, ac morum ſpiritus examen ac inquiſitio. Quare ut etiam Virginum Deo dicandarum tali conſuleretur libertati, Synodus Mechlinienſis, renovavit ſtatuta omnia ac conſuetudines huic libertati adverſantes, & inter alia inhibuit, *ne quarumcumque Virginum capilli ante profeſſionem recidantur.*

Ob eamdem libertatem tandem poſterioribus ſæculis conceſſa eſt plena facultas iis qui ante pubertatem (ideſt maſculi ante annum 14. fœminæ ante 12. ætatis annum) a parentibus oblati erant, ut uſque dum ad pubertatem venerint, relicta Religione ad ſæculum redire poſſent, contra veterem diſciplinam, quæ pueros a parentibus ante pubertatem oblatos ipſi Religioni ita obſtringebat, ac ſi per ſe profeſſionem emiſiſſent, ut conſtat ex Concilio Toletano IV. can. 48. apud Gratian. cauſſ. 20. q. 1. can. 3. & in favorem huiuſce libertatis Concilium Trid. ſeſs. 25. cap. 16. *de Regularib.* irritam declaravit quamcumque renuntiationem, non ſolum rerum, ſed etiam beneficiorum, factam a Novitio ante duos proximos menſes ad

profeſſionem, niſi facta eſſet cum licentia Epiſcopi aut eius Vicarii, & nunquam valituram niſi poſt profeſſionem.

## §. XXI.

### *De Teſtamento, & renuntiatione, vel donatione, quæ fieri poteſt a Novitiis.*

Novitius dupliciter de bonis ſuis ante profeſſionem diſponere poteſt, vel per teſtamentum aut donationem cauſſa mortis, vel per renuntiationem, & donationem liberalem; & primo agemus de teſtamento.

Novitii igitur antequam profeſſionem emittant, libere de bonis ſuis per teſtamentum diſponere poſſunt, ut iam pridem expreſſit Iuſtinianus in Novell. 5. cap. 4. neque id per Concilium Trid. ſeſſ. 25. cap. 16. mutatum fuit iuxta communem conſenſum, & quotidiana praxi id clare patet. Nam ante profeſſionem voti ſolemnis paupertatis non abdicavit a ſe dominium rerum ſuarum, ſed integrum in eo remanet, ſicuti antequam Religionem ingrederetur. Etenim nec locus Monaſterii, nec habitus probationis, quo indutus eſt Novitius nullo ſolemni voto ligatus, privat eum iure communi teſtandi, ut conſtat ex Authent. *de Monach.* §. *Illud quoque*, quæ liberum ei concedit bonorum uſum, donec emiſſa non ſit profeſſio.

Teſtamentum non ſubditur diſpoſitioni factæ a Concilio Trid. pro renuntiatione; quia cum talis diſpoſitio ſit revocabilis, vitat pericula neceſſitatis profeſſionis. Concilium enim eas renuntiationes & donationes fieri prohibuit abſque ſolemnitate ab ipſo præſcripta, quæ non poſſunt revocari, ne ob id cogatur Novitius profiteri, vel difficilis reddatur egreſſus e Religione; cum autem teſtamentum ſit revocabile, quocumque tempore confici poteſt a Novitio. Sic Navar. Molina, Barboſa, Paſſerinus, Palaus eum aliis quampluribus; & iſti Doctores doctrinam de teſtamentis applicant etiam donationi cauſſa mortis, utpote quæ illi aſſimiletur in revocabilitate.

Teſtamentum factum a Novitio ante ingreſſum in Religionem, etiamſi tunc non habuerit animum ingrediendi in Religionem, minime infirmatur, ac validum eſt, etiamſi in eo nihil relinquatur Monaſterio, cum poſſit Novitius teſtamentum condere etiam in Novitiatu nihil relinquendo Monaſterio.

Novitio morienti ab inteſtato non ſuccedit Monaſterium, ſed hæreditas devolvitur ad hæredes ab inteſtato. Ita Sanchez, Azor. Navar. Pelliz. Rebell. Non enim cenſetur bona ſua reliquiſſe Monaſterio, niſi quando profitetur; tunc namque reputatur proprie Religioſus. Sic docent cit. Sylv. Navar. Sanchez, & alii.

Novitius qui diſpoſuit per teſtamentum vel renuntiationem in ſubſidium aliquarum perſonarum, puta ad dotandas Virgines, ad viduas ſublevandas, de licentia Superiorum poteſt ſibi ſervare electionem perſonarum quibus ſuus hæres vel renuntiatarius debeat quotannis ſolvere certam pecuniam. Sic Bartholom. a Vecchiis, Diana. Poteſt etiam poſt profeſſionem teſtamentum aut renuntiationem a ſe factam declarare, dummodo tale teſtamentum dubiæ vel obſcuræ voluntatis indigeat interpretatione, quia tunc nihil diſponit, ſed quid iam ab ipſo factum ſit oſtendit. Sic Vecchius, Sanchez, Peyrinus.

Licet Novitius in ſuo teſtamento diſponere poſſit in favorem Monaſterii, dum iure aliquo non impeditur, cavere tamen debent Religioſi, ne a Novitiis diſpoſitiones in favorem Monaſterii blanditiis, variiſque perſuaſionibus, aut falſis ſubinde adductis motivis extorqueantur, quo contingat, ut coacte potius extorta, quam voluntarie oblata accipiant. Donationes enim huiuſmodi, & oblationes ſemper ſuſpectæ fuere & odioſæ, utpote non procedentes a libera omnino & ſpontanea voluntate, ſed frequenter ex timore ut minus reverentiali, atque zelo non ſatis diſcreto, & prudenti (ut notat Balſamon in Notis ad cap. 40. epiſtolæ canonicæ S. Baſilii) eorum, qui in poteſtate conſenſus infirmi ſunt.

## §. XXII.

### *De ſolemnitate requiſita a Concilio Trid. in Renuntiatione facienda a Novitiis ante profeſſionem.*

Renuntiationis nomine hic intelligitur ceſſio illa bonorum omnium temporalium facta in favorem tertii non revocabiliter, ut in teſtamentis, ſed prorſus irrevocabilis. Nemo tenetur ad faciendam huiuſmodi renuntiationem, (ſalvo quod aliquod ſpeciale inſtitutum hoc exigat) quia circa hoc nullum ius datur, nec ratio aliqua ad hoc convincens, ſed Novitio eſt omnino liberum eam facere & non facere; & ſi non faciat, Religio ſi capax ſit ſucceſſionis, ſuccedit poſt Novitii profeſſionem in portionem eius hæreditatis. Cæterum quando fiat, facienda eſt ſub forma

nia a Concilio Trid. præſcripta ſeſſ. 25. cap. 16. *de Regularib.* unde ſine Tridentini formula nihil valent, etiamſi iuratæ, donationes inter vivos, contractus lucrativi, renuntiationes quorumcumque bonorum temporalium, officiorum, dignitatum, &c. quæ fiant a Novitio ante profeſſionem. Præſcriptum autem Concilii circa tales diſpoſitiones huiuſce eſt tenoris: *Nulla quoque renuntiatio aut obligatio ante facta, etiam cum iuramento, vel in favorem cuiuſcumque cauſſæ piæ valeat, niſi cum licentia Epiſcopi ſive eius Vicarii fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem, ac alias non intelligatur effectum ſuum ſortiri niſi ſecuta profeſſione; aliter vero facta etiamſi cum huius favoris renuntiatione expreſſa, etiam iurata, ſit irrita & nullius effectus.* Idcirco quamvis aliquam donationem &c. faceret ſub hac conditione, *ſi profitear*, nihilominus invalida eſſet, ſi conſenſus deeſſet Epiſcopi. Verum ad hoc ut tales renuntiationes, etiam ſervata forma Tridentini, effectum habeant, neceſſe eſt ut ſubſequens profeſſio ſit valida, eo quod profeſſio irrita non ſit profeſſio, de qua ſola agit Concilium.

Invalida eſſet pariter vi decreti Tridentini renuntiatio facta ante ingreſſum Religionis, ſed tamen intuitu ingreſſus in Monaſterium, quidquid dicant aliqui in contrarium; nam ita declaravit S. Congregatio referente Azor. p. 2. lib. 2. cap. 20. q. 6. quia alias fraus fieret decreto: & talem renuntiationem, modo appareat eam factam fuiſſe intuitu & animo ingrediendi Monaſterium, irritam eſſe, invalidam ac nullam ſuſtinet etiam Navarr. & Van-Eſpen hic cum aliis; quia ſemper militat ratio, & finis Concilii, ne ſcilicet per talem renuntiationem adimatur libertas Novitiis deſerendi Religionem; quandoquidem dubium non eſt, quin per eiuſmodi renuntiationem Novitius mediis vivendi deſtitutus cogeretur quodammodo invitus permanere in Religione.

Nequit Novitius renuntiare in favorem tertiæ perſonæ bona quæ ſperat, puta ex patris hæreditate ſibi obventura, ipſo patre vivente & diſſentiente, quia prohibetur hæc actio a Lege in cap. *Finali de pactis*, ne præbeatur occaſio mortem illi machinandi, a quo expectatur hæreditas ſibi renuntiata. Ceſſaret tamen hoc grave inconveniens ſi renuntiaretur Monaſterio, de quo non præſumitur, nec timetur hæc machinatio, & ſic Monaſterio facta erit valida iuxta plures cum Molina. Si autem Novitius ſuccedere debeat iure ſanguinis ab inteſtato in alterius hæreditatem, de hoc iure diſponere poteſt ante profeſſionem modo a Concilio præſcripto; quia de hoc diſponit quando adhuc eſt ſui iuris: quod ſi de hoc non diſponat, & facta profeſſione obveniat caſus talis hæreditatis, hæc acquiritur Conventui, cuius eſt filius, vel in quo eſt de familia, iuxta ſtylum Religionis. Cæteræ difficultates, quæ circa rem hanc vertuntur, videri poſſunt in Rothario, Salmanticenſibus, Pellizzario & aliis.

## §. XXIII.

### *De Obligationibus Novitiorum.*

Iuxta conditiones cuiuslibet ſtatus, qui omnes ſuas tenent proprias obligationes, ſtatus quoque Novitii in Religionibus, qui medius eſt inter ſtatum laicalem, & ſtatum proprie Regularem, ſuas ſpeciales habere debet obligationes. Prima Novitii obligatio eſt, quod ſubiiciatur Superioribus Ordinis, in quo habitum religioſum recepit, & ut ſupponitur animo permanendi, ſi Religio ipſi, & ipſe Religioni placeat. Nam licet Ordini non ſit adhuc incorporatus, quod ſit per profeſſionem, dum tamen manet in Novitiatu, ſe habet (ait Rotharius) veluti fœtus in utero Religionis ſuæ Matris, pariendus & incorporandus Religioni in actu profeſſionis. Præterquamquod Prælatus Religionis iuriſdictionem habet in tota Religione, & exinde in ſingulis eius partibus, quarum una ſunt Novitii, cum corpus Religionis a Novitiis initium ducat, & uſque ad Religionem protrahatur, ac extendatur; idcirco Novitius, non ſecus ac profeſſus, potitur exemptione a foro Epiſcopali, utpote qui per ingreſſum in Religionem transfulit ſuum domicilium ad Monaſterium, ac proinde ob Monaſterii ab Epiſcopali iuriſdictione exemptionem factus eſt Novitius in tali domicilio veluti alterius Diœceſis. Hinc ſi delinquat intra clauſtra, puniri poteſt & debet a Religionis Prælato, non tantum pœna eiectionis, ſed pœna etiam corporali, non quidem ut ſacrilegus voti violator, ſed ad modum alterius Eccleſiaſtici delinquentis nullo voto adſtricti. Nec ſe eximere poteſt a punitione, utendo iure ſuo per Religionis deſertionem, quia cum puniri nequeat nec ab Epiſcopo, nec a iudice laico (intellige tamen de aliquo delicto gravi, non levi), dum extra eorum iuriſdictionem deliquerit, ne impunitus remaneat in ſuo delicto, remittendus eſt ad ſuum iudicem Regularem, in cuius

ter-

Digitized by Google

territorio deliquit tempore, quo erat illi ſubditus, quia ad fundandam iuriſdictionem pro delictis cognoſcendis, & puniendis, attenditur locus & tempus criminis commiſſi L. 1. ff. *de pœnis*, & alibi. Non deſunt tamen qui contrarium ſentiant, putantes per egreſſum e Religione Novitium ſe foro Regulari ſubtraxiſse; & ſecundum Salmanticenſes cum Pellizz. Bordono, quia Novitius dum crimen commiſit, erat perſona eccleſiaſtica, puniendus eſt ab Ordinario loci.

Prælatus autem Regularis, ſi crimen ita mereatur, Novitium punire poteſt pœna carceris etiam perpetui. Nec officit ſententia Sylveſtri ac Tabienæ, ſcilicet Novitium non poſse tali pœna puniri a Regulari Prælato, quia hoc eſset impedire ne redeat ad ſæculum, quod eſt contra ſacros Canones. Nam lex Eccleſiaſtica non impedit, quin Novitius a ſuo iudice competente puniatur pœna delicto proportionata, etiam perpetua, ſed ſolum quod iniuſte non detineatur in Religione, violando illud ius propriæ libertatis repetendi ſtatum laicalem: Hoc autem ius redeundi ad propriam domum amittit per delictum, donec ſatisfaciat iuſtæ pœnæ ſibi impoſitæ a iudice competente, eo modo quo per delictum ius amittit advena redeundi ad patriam. Qui rem melius videre cupit adeat Paſser. Rothar. Lezzan. Pellizz. Bordonum, Navarr. Barboſam 2. p. alleg. 12.

Item Novitii donec permaneant in Novitiatu, tenentur ad obſervantias Regulares non ex voto quod nondum emiſerunt, & in conſcientia ſicuti profeſſi, ac proinde non directe iuxta communem Doctorum, ſed indirecte ex quadam decentia & honeſtate ratione ſtatus Regularis libere aſsumpti, cuius obligationibus ſatisfacere convenit, unde oriri nequit ex tranſgreſſione culpa gravis, niſi forte indirecte ratione ſcandali, & turbationis ordinis, quæ oritur dum quis indiſciplinate vivit in Monaſterio, quia ut ex cap. *Recolentes de ſtatu Monachorum, dignum eſt ut qui ſimul cum aliis vitam ſuſcipiunt, ſimilem ſentiant in legibus diſciplinam*. Turpis enim eſt pars ſi univerſitati non congruat. Unde cum Novitii facti ſint partes & membra Religionis, ſaltem obligatione civili & politica ſubeſſe debent eius legibus. Tenentur pariter ex eadem iuſtitia legali ad eaſdem obſervantias, qua cives tenentur ad leges, quæ latæ ſunt pro bono communi. Verum cum nec profeſſi ſint Regulam, nec ſe totos adhuc Religioni tradiderint, cum ſint in probatione, hinc Novitii non tenentur directe & per ſe legibus Religionis, ſed tantummodo indirecte. Ex quo ſequitur 1. ipſos non teneri ad recitationem Horarum canonicarum, tametſi ad Chorum ſint deputati, quia nullum pro his habetur præceptum, aut conſuetudo. 2. Non teneri ad vota Religionis; unde ſi contra aliquod ex his delinquant, hæc non eſt circumſtantia in confeſſione exprimenda. 3. Non ſubiacere prohibitionibus aut pœnis generaliter latis contra Religioſos, ſive in ſtatutis proprii Ordinia (niſi in ſpecie exprimantur), licet enim in favorabilibus veniant nomine Religioſorum, non veniunt tamen in odioſis, quia odia reſtringi, favores convenit ampliari.

## §. XXIV.

### *De Privilegiis Novitiorum & Exemptionibus.*

Novitios Religionum potiri privilegiis omnibus profeſſorum eſt communis inter DD. utpote qui in favorabilibus habeantur pro Religioſis. Nam hi ſunt ſub poteſtate Religionis, cuius onera ſuo modo ſubeunt, idcirco iuſtum eſt ut etiam eius commoda ſentiant; & Diana cum Sanchezio, Suarezio, Lezzana affirmant ita declaraſſe Clementem VII. Refert Diana Privilegium conceſſum Generali Societatis Ieſu, ut omnia Societatis privilegia valeant communicari Novitiis, quod dicit extendi ad alias Religiones. Immo Diana cum Lezzana, Pellizz. & Vecchio, ac Collegium Salmanticenſe dicunt, id intelligi de illis etiam qui nondum habitum receperunt, ſed in brevi, ideſt de die in diem induendi ſunt, ideſt iam ſunt in Conventu ſuæ reſtitutionis, & ſe ad illam diſponunt per ſpiritualia exercitia, &c., quia in favorabilibus (aiunt ipſi) brevi accingendus habetur pro accincto L. penult. ff. *de multis Teſtament*. Quare exempti ſunt a poteſtate ſæculari, quia ſunt ſubiecti poteſtati ſeu iuriſdictioni Religionis, & exinde gaudent privilegio fori. Gaudent pariter privilegio canonis, ita ut eos percutientes excommunicationem incurrant canonis *Si quis ſuadente diabolo*. Ita expreſſe habetur cap. *Relig. de ſent. excommunicat.* ſalvo tamen ſi hoc contingat correctionis gratia a Magiſtro, Senioribus, vel aliis eiuſmodi.

Novitii, ac qui in proximo, ut ſupra, veſtiendi ſunt ut ingrediantur Religionem, abſolvi poſſunt, non ſecus ac alii Religioſi, a reſervatis illis, a quibus abſolvi poſſunt

etiam

etiam profeſſi, quia hoc Religioni omni conceſſum eſt, idcirco etiam compartibus. Item commutari poſſunt vel diſpenſari reſpective a Superiore, ob poteſtatem quam habet tanquam Epiſcopalem, eorum vota, non ſecus ac aliorum: Non poſſunt vero irritari, cum nondum habeat ſuper illos Superior poteſtatem dominativam; unde ſi Novitius exeat a Religione, vota reviviſcunt, licet dum ſunt in ſtatu probationis, non teneantur implere vota antea emiſſa, tametſi non commutentur vel diſpenſentur, ſive illa vota ſint compatibilia cum illo ſtatu, ſive non, quia iure optimo commutari poſſunt propria auctoritate in ordinarios labores ac aſperitates Novitiatus, cum id fiat in evidenter melius. Diſpenſari poſſunt inſuper ratione dictæ poteſtatis tamquam Epiſcopalis a Superiore, non ſolum ſuper obſervantiis Regularibus, ſed etiam circa obſervationem præceptorum Eccleſiæ, ex rationabili motivo ut ſupponitur, puta ieiunii, auditionis Sacri. Poſsunt tandem diſpenſari in omnibus irregularitatibus, non ſecus ac alii Religioſi. Immo ex hoc ipſo quod fiunt Novitii, ſeu per ſolum ingreſsum in Religionem, tollitur natalium irregularitas, ita ut Novitius ſine ulla diſpenſatione ad ſacros Ordines promoveri valeat. Sic Pellizz. Rodriquez, aliique contra Sanchez & Palaum. Novitius vi privilegiorum abſolutus a cenſuris, irregularitate, reſervatione, ſi egrediatur e Religione, quando bona fide ſeu ſincero animo habitum Religioſum induit, non reincidit in eadem. Non enim æquum eſt, ut qui abſolvitur ob inſignem actum virtutis ingrediendo Religionem, ſi illum bona fide expleat, privetur poſtea illo beneficio; alias cogeretur profiteri ne reincidat in cenſuras, irregularitates, reſervationes antea contractas, & ſic non libere profiteretur. Et quidem abſolutio collata abſolute, collata non cenſetur ad reincidentiam, niſi in caſibus a iure expreſſis, vel niſi facultas abſolvendi ita expreſse conceſsa fuerit, quod in præſenti non contingit; ſiquidem vi privilegiorum abſolute & ſimpliciter Novitii abſolvuntur. Ita Vecchius, Diana, Pellizz. Bonac. Lezzan. Bordono cum aliis.

Licet regulariter expediens ſit ut Novitii Magiſtro ſuo vel Religioſis deputatis confiteantur, ut ita melius dirigi queant in via ſpirituali; nihilominus cum aliis quibuſcumque ſive Regularibus ſive ſæcularibus, intra vel extra domum, tum valide tum licite confiteri poſſunt, etiam in reſervatis a ſua Religione, cum reſpectu illorum non ſint reſervata, & alias non ſunt vere Religioſi, ita ut cum ſint fideles, confiteri poſſunt iis Confeſsariis, qui quorumcumque Fidelium confeſſiones excipere poſsunt. Bordonus, Diana, Pellizz. aliive, quos citant hic & ſequuntur Salmanticenſes.

Notandum tamen 1. quod ſi confiteantur Religioſis illius Domus ſolum a Prælatis approbatis, ſi iſti inhibiti ſint Novitiorum confeſſiones excipere, invalide illis confiteantur, cum hi quoad Novitios careant iuriſdictione. Sic Suarez. 2. Poſse eos abſolvi ab approbatis ab Ordinario, etiam inſcio & invito Prælato Monaſterii, ſed tunc ab eo abſolvi nequeunt a reſervatis Papæ, immo nec ab Epiſcopo, ſi non habeat hanc facultatem, cum hoc privilegium concedatur Confeſsariis Religionis, non pœnitentibus. Pelliz. hic 3. Poſse Novitium etiam mox receſsurum ab Ordine confiteri cum Sacerdote approbato ſolum a Prælato Regulari etiam a reſervatis Papæ, a quibus alii Religioſi abſolvi poſſunt, quia uſque dum actu non recedit, vere eſt Novitius, & ut talis tractari debet. Sic Bordonus, Vecchius, quos refert & ſequitur Pellizz.

Aliis quoque levioribus privilegiis fruuntur Novitii, neppe quod Novitius de licentia ſui Superioris poſſit habere concionem ad populum, miniſtrare Sacramenta, etiam Pœnitentiæ, ac cætera alia eccleſiaſtica munera exercere, quæ a ſuo Ordine in fidelium ſubſidium exerceri ſolent, habito ſemper tamen reſpectu ad illam ſolitudinem, quam decet Novitium; & Superioris erit videre, quando nam congruum ſit talem facultatem eis præbere. Poteſt inſuper Novitius, ſi in Novitiatu decedat, ſibi eligere ſepulturam: Tabiena, Sanchez, Armilla, ſi tamen non habeat animum permanendi; nam ſecus retinet ſubiectionem, & dependentiam ad voluntatem ſuorum Superiorum, & ſi de facto, invito Superiore, ſepulturam ſibi eligeret, putat Paſſerinus, quod ſepeliendus eſſet non in ſepultura Religionis, ſed laicali, dum recedendo a voluntate Superioris, cenſet Rotharius illum æſtimandum eſſe receſſiſſe a Religione.

Nota 2. Novitios iuxta Theologos comprehendi quidem in favorabilibus ſub nomine Religioſorum, ideſt in participatione eorumdem privilegiorum, non vero in odioſis, nempe in pœnalibus; cum iuxta Donatum in odioſis Novitii non comprehendantur ſub nomine laicorum, nec Religioſorum.

Hinc

Hinc non comprehenduntur ſub Conſtitutione Clementis VIII. de largitione munerum, nec ſub excommunicatione cap. 2. *Ne Clerici*: Unde vetiti non ſunt audire leges, medicinam, nec ſubduntur legibus latis ſpecialiter contra Regulares accedentes ad Monaſteria Monialium, ſed ſolum communibus. Nec ſubduntur legi Trident. ſeſſ. 4. vetanti Religioſis imprimere libros ſine licentia Prælati Regularis; nec prohibiti ſunt appellare. Ita Paſſerin. Non ſunt tamen exempti a reformatione, ſi non ex vi iurium, quæ circa hoc lata ſunt, bene quidem ex vi ſtatutorum omnium Religionum; cum Novitios maxime deceat exactior obſervantia eorum, quæ poſt profeſſionem debent obſervare; necnon ab ipſis evuenda ſunt, quæ a iure Regularibus prohibita ſunt ex vi proprii ſtatus, & propriæ Regulæ, non tamen ſub pœna cenſurarum impoſitarum contra Religioſos tranſgreſſores, & ſi abſtineant veniunt puniendi a Prælato Regulari tamquam Regulæ tranſgreſſores.

Aliqua ſpecialiter vetita ſunt Novitiis cap. *Null. de elect.* in 6. nempe eligi ad Prælaturas in ea Religione, in qua exercent tyrocinium; neque intra illam vocem habent activam. Item illicite intra Novitiatum contrahunt Matrimonium cap. *Conſultus*; Stant in iudicio, ſed in hoc non indigent licentia Superioris ut valide ſtent. Sic cum pluribus Canoniſt. Fagnan. ex cap. *Religioſi* §. *quamvis de ſentent. excommunic.* Item nec valide nec licite vovere poſſunt in præiudicium Regularis obſervantiæ, ſi velint permanere, quia tunc votum non eſt de meliori bono. Tenetur tamen votum, ſi e Religione egrederentur. Item in iis quæ cadunt ſub iuriſdictione Prælati Regularis nequeunt, eo invito aut inſcio, ſe ſubiicere Ordinario, quia ſunt ſub poteſtate Prælati Regularis. Tandem ex Trid. ſeſſ. 25. cap. 16. *de Regular.* prohibentur quid dare de ſuis bonis Monaſterio pro tempore Novitiatus præter victum & veſtitum. Sic Paſſer. Donat. & alii. Hæc melius videri poſſunt in Lezzana, Pellizz., Peyrino, Bordonio, Paſſerino, Rothario, qui materiam hanc ex profeſſo pertractant.

## §. XXV.

*De Profeſſione Religioſa, eiuſque effectibus, ideſt de natura, diviſione, ac neceſſitate profeſſionis.*

Nomen profeſſionis iuxta Doctores latiſſimam habet ſignificationem. Derivat hoc vocabulum a verbo *profiteor*, quod multipliciter adhiberi ſolet a Latinis, nempe vel pro aſſumptione alicuius muneris, maxime ſi hoc exerceatur cum aliqua publica ſolemnitate. Sic in publicis Academiis dicitur publicus Profeſſor ſacræ Theologiæ, Iuriſprudentiæ &c. vel pro teſtificatione, ut Lucæ 2. dicitur, quod *Ioſeph cum Maria ivit in Bethlem ut profiteretur*, ideſt ut publice teſtificaretur; vel pro publica confeſſione, & ſic a Trid. Concilio præcipitur, ut aliquando fiat fidei profeſſio, ſeu fidei confeſſio; & docet D. Thom. 2. 2. q. 184. art. 5. profeſſionem fieri cum aliqua ſolemnitate ab Epiſcopis in eorum aſſumptione ad Epiſcopale munus, qua publice fatentur ac teſtificantur ſe velle munia Epiſcopalia fideliter exercere. Quare ex ſtylo Eccleſiæ nomen profeſſionis aſſumptum fuit ad ſignificandam publicam illam ſeu ſolemnem oblationem, qua quis irrevocabiliter ſe Deo conſecrat & donat in aliquo approbato Religioſo Ordine, emittendo tria vota Religionis ſubſtantialia, ſeu eſſentialia. Conſecratos Deo per hunc talem actum ſacri Canones vocant ſemper abſolute ſub nomine generaliſſimo *Profeſſos*, & actum hunc ſignificant, quando de profeſſione tot, tantaque obſervanda & cavenda ſtatuunt.

Solemnem ac publicam Monaſticam benedictionem variis ritibus ac cæremoniis veſtitam in profeſſione adhiberi ſolitam, aliam vim non habere quam habet ſupra populum Sacerdotis oratio, viſum iam pridem fuit S. Yvoni Carnotenſi. Hanc profeſſionem ſeu publicam ſolemnemque benedictionem ait fuiſſe ignotam S. Antonio. Verum multiplicato poſtmodum Monachorum grege inducta fuit ex quadam cautela, tamquam Religionis vinculum humanæ fragilitati proviſum. Ita S. Yvo epiſt. 41.

Quo tempore cœperint hæ Monachales benedictiones, ac profeſſionis ritus primum invaluerit, incertum eſt. Ritus profeſſionis habetur in Regula S. Benedicti non abſimilis ab ea, quæ nunc in uſu eſt paſſim apud omnes Religiones, ſi aliquas preces ſeu orationes, quas poſterior ætas addidit, excipias. Eadem S. Benedicti Regula vult, ut No-

Novitius profeſſionem ſua propria manu ſcribat, & ſi ſcribere neſciat, alter ab eo rogatus ſcribat, & ille poſtea ſigno crucis ſignet. Et hoc in omnibus paſſim Monachorum Congregationibus receptum eſt. Immo & hoc præcipitur in Conſtitutionibus S. Auguſtini. Hæc tamen ſcriptura, uti & reliqui ritus in Regulis, ac Conſtitutionibus Religioſorum quovis modo præſcripti, non ſolent attingere eſſentiam profeſſionis. Quare iure Decretalium etiam profeſſiones ſine ulla ſolemnitate, immo ſine verbis, ſolo aliquo facto exteriori validæ declarantur, & has *tacitas profeſſiones* ſolent vocare Canoniſtæ; quarum ſpecies occurrit in cap. 22. §. *de Regularib.* & Fagnanus cenſet ad cap. *Ad noſtram* §. eodem, nec per Concilium Trident. tacitam profeſſionem eſſe ſublatam, quæ de iure communi cenſebatur emiſſa & facta per ſuſceptionem habitus profeſſorum, modo hæc nunc fiat completo 16. ætatis anno.

Iuxta igitur communem uſum huius nominis, qui nunc invaluit in Eccleſia, ſcilicet pro actu, quo quis vult ſtatum Religionis immobiliter amplecti, publice ac ſolemniter tria ſubſtantialia vota obedientiæ, caſtitatis, paupertatis emittendo, definiri poteſt: *Contractus moralis, quo homo voluntarie ſeipſum tradit Deo in tali Religione approbata, promittendo tria vota obedientiæ, paupertatis, ac caſtitatis, idque interveniente Prælati Regularis conſenſu, qui nomine Dei illa acceptat.* Hæc verba continent conditiones omnes alias recenſitas ad ſtatum Religioſum.

Secundum antiqua iura (Calderinus hic relatus a Rothario) profeſſio dividitur in profeſſionem Religionis in genere generaliſſimo, in ſpecie ſeu in genere ſubalterno, & in individuo. In genere generaliſſimo eſt illorum profeſſio, qui ſe Deo devoverunt per ſeipſos votum Religionis emittendo quoad tria vota ſubſtantialia in manibus Epiſcopi vel alterius, & de his habetur in Iure Canon. cap. *Quod interrogaſti* 27. diſt. & alibi. Nam ſecundum Innocentium ille dicitur profeſſus, qui dicit *Profiteor Deo Ordinem Monachatus*, licet non dicat Ordinem S. Baſilii, Benedicti &c. Hoc modo pariter eſt profeſſus is, cui ligata eſt libertas ſub conditione ſi Monachus fiat, ut in cap. *ſimul de cond.* qui intra annum probationis profeſſus eſt Regulam Mendicantium, ut in cap. *Non ſolum de regul. iuris* in 6. qui tandem profeſſionem tacitam facit infra annum per ſuſceptionem habitus profeſſorum in quocumque Ordine, ut in cap. *Conſtitutionem*. In genere ſubalterno, ſeu in ſpecie eſt illorum, qui generaliter profitentur certam Regulam & Ordinem, puta Mendicantium, Monachorum, Clericorum in manu alicuius Superioris vel alterius de eius licentia, non tamen profitentur in aliquo Monaſterio particulari determinatam vitam Regularem ibi ſervandam. In individuo tandem eſt profeſſio eorum, qui profitentur certam Regulam, & in certo particulari Monaſterio, puta Regulam S. Benedicti in Monaſterio S. Iuſtinæ Patavii. Quælibet ex his obligabat ad Religionem, ſed per primam ingredi poterant ita profeſſi quemcumque Ordinem: per ſecundam limitabantur ad aliquem ſpecialem Ordinem puta Monachatus, vel Mendicantium, prout quis profeſſus erat: per tertiam arctabantur ad illud ſpeciale Monaſterium ſecundum Monachorum inſtitutum, in quo ſingula Monaſteria habebant ſuos profeſſos, nec ita facile concedebatur tranſmigratio ab uno ad aliud Monaſterium.

Licet hæc diviſio probetur ex pluribus capitibus in Iure canonico, præcipue ex cap. *ſingulis* cap. *cum deputati de iudiciis* & ex Clementin. *antecedentes de ſtatu Monachor.* hodie tamen, ut notat Fagnanus, non alia vim obtinet, niſi ea quæ dicitur in individuo, iuxta Decretum Concilii Trid. cap. 15. ſeſſ. 25. *de Regularib.*

Profeſſio in individuo dividitur in explicitam ſeu expreſſam, & tacitam cap. *Vidua*, cap. *Ad noſtram de Regularib.* Profeſſio expreſſa eſt ea, quæ fit verbo, ſcripto, vel etiam nutibus ſufficienter conſenſum exprimentibus, nec pro illa ſcriptura formula aliqua verborum exquiritur, aut ex parte profitentis, aut ex parte admittentis. Contractus enim, ſicuti eſt profeſſio, de natura ſua habet, ut quolibet ſigno declarante perfici valeat; excipe tamen ſi in aliqua Religione ſtatutum ſit ut profeſſio verbis vel ſcripto fiat. Cæterum, licet ad validitatem profeſſionis neceſſe non ſit ut obſervetur aliqua formula, quæ variæ pro variis Religionum Conſtitutionibus eſſe poſſunt, ſed ſufficiat ſi fiat in manu Prælati, ipſo ſolo & profitente præſentibus: Convenientiſſimum tamen eſt ut fiat ſcripto & coram teſtibus, qui fidem coram Eccleſiam, ſi oportuerit, faciant. Abominatur enim Eccleſia huiuſcemodi contractus clandeſtinos, utpote litibus & controverſiis obnoxios. Profeſſio tacita ea eſt, quæ ſignis aut actionibus a iure ſtatutia inducitur.

Pro-

Digitized by Google

Profeſſio ſemper abſoluta eſſe debet, & non conditionata, quæ tametſi illicita eſſet, tamen eſſet valida ( ut fit in Matrimonio conditionate tantum, non abſolute ) uſque dum conditio purificetur, quia conſenſus eſt alligatus conditioni, & ſic relinquit ſuſpenſum contractum uſque ad illius adventum, & tunc profeſſio perficitur, & fit abſoluta ſine novo conſenſu, ſi præcedens adhuc virtualiter perſeveret. Quoad diverſitatem conditionum turpium, honeſtarum, &c., vide enumeratas ubi de Matrimonio. Et ſicuti de Matrimonio, dicendum eſt pariter de profeſſione, ideſt ſi conditio eſſet contraria ſubſtantiæ profeſſionis, puta ut ſibi liceret uxorem ducere, vel non eſſe ſubiectum Prælatis, vel dominium habere bonorum, aut eorum uſum independentem, talis profeſſio nulla eſſet, quia evinceret hunc nolle profiteri. Si autem conditio eſſet turpis, vel impoſſibilis, haberetur pro non adiecta, uti dicitur de Matrimonio.

Circa profeſſionem expreſſam duo notanda occurrunt: Primum, tacite profitentem compelli poſſe quod expreſſe profiteatur, ut probari poſſit in poſterum eius profeſſio, quia tacita illum non obligat Religioni in qua profitetur, ſed Religioni in genere, ita ut libere ad aliam tranſire poſſit, etiam laxiorem ex cap. ***Statuimus*** cap. *conſult. de Regularib.* Similiter ipſe compellere poteſt Religionem, ut expreſſam eius profeſſionem admittat, & hoc ſua intereſt, cum eſſe nequeat Religionis Prælatus, ſi non ſit expreſſe profeſſus ex cap. *Nullus de electionib.* in 6. Secundum, profeſſionem expreſſam fieri poſſe per Procuratorem conſtitutum ſuper hoc ſpeciali mandato, & reſpectu talis ſpecialis Religionis, quia agitur de re ardua & extraordinaria, quæ in generali conceſſione non venit, cum ita profiteri nullo iure prohibeatur. Non poterit Procurator hanc facultatem alteri delegare, nec ipſe ea uti, ſi ante executionem ab eo revocetur. Pellizz. Sanch. Azor. Garzias &c.

Circa profeſſionem tacitam, antea iam hanc notavimus induci ſignis a iure vel a Conſtitutionibus Ordinis ſtatutis, quæ ſigna duplicis ſunt generis. Primo, ſi propriis profeſſorum actibus ſcienter & prudenter ſe ingerat cum aliis profeſſis cenſetur velle profiteri cap. *Vidua de Regularib.* Sylveſt. Azor. & alii. Et inter huiuſmodi actus recenſetur receptio ſacrorum Ordinum, ſicuti fit ab aliis Religioſis titulo paupertatis, qui eſt actus profeſſorum, & ita declaravit ſacra Congregatio 20. Decemb. 1619. ut teſtantur Lezz. Barb. & favet Conceſſio Iulii II. facta Auguſtinianis. Secundo, ſi Novitius ſciens & prudens ſponte deferat per triduum habitum diſtinctiſſimum profeſſorum, ideſt manifeſto ſigno patenti differentem ab habitu Novitiorum.

## §. XXVI.

### *De libertate ad profeſſionem requiſita.*

Cum ſtatus Religionis, utpote ſtatus perfectionis, ſit ſtatus conſilii, non præcepti, nonniſi eos admittit, qui ſponte & voluntarie huiuſmodi vitæ rationem amplecti volunt. Hinc iura omnia liberum conſenſum requirunt ad profeſſionis validitatem. Sic cap. 1. *de Regular. Nullus tondeatur, niſi in legitima ætate & ſpontanea voluntate.* Licet enim ex natura rei libertas illa ſufficiat ad vovendum, qua quis humano modo operans peccare poteſt mortaliter, ſi contra legem operetur in materia gravi; ius tamen poſitivum attendens ad gravitatem perpetuæ & oneroſiſſimæ obligationis, quam ſuſcipit profeſſus in Religione, providit, ut quis ante pubertatem profiteri nequeat, ſicuti habetur cap. *firma* 20. q. 1. & alibi; immo Concilium Trid. ſeſſ. 25. cap. 15. *de Regular.* ut tolleret omnem difficultatem circa præciſum tempus profeſſionis, ſtatuit ætatem anni 16. completi, poſt exactum integrum annum Novitiatus ſeu probationis, quæ ætas ſavet maturitati deliberationis in profitendo, ut notavit Fagnan. in cap. *Tuæ Literæ de Cleric. per ſaltum promot.* Quare ſi quis inductus eſſet ad profeſſionem per vim & metum cadentem in virum conſtantem, & directe & iniuſte incuſſum in ordine ad hoc ut profiteretur, ipſo iure talis profeſſio ſi non eſſet irrita, ut volunt multi, omnes tamen conveniunt eſſe irritandam & annullandam per iudicis ſententiam. Et hæc diverſitas ſententiarum inter DD. parum conducit ad conſcientiæ directionem, cum certum ſit, neminem, quantumvis ad profeſſionem coactum, ſua auctoritate ſine Eccleſiæ iudicio ad ſæculum remeare poſſe, cum hoc a Trident. vetitum ſit.

Item metus reverentialis coniunctus minis gravis mali, etiamſi non formaliter, ſed nutibus & ſignis ſint expreſſæ, immo etiamſi minæ nullo modo ſint expreſsæ, ſed pater ſit vir terribilis & extraordinarie ſeverus, unde rationabiliter poſſit filius ſibi

gra-

grave malum timere, ſi patris imperio non obediat; tollunt omnia hæc neceſsariam libertatem ad profitendum; ita ut profeſſio, quam quis ob huiuſmodi metum emiſiſset, iure eſset irritanda, & annullanda. Sic Suarez, Paſſerinus, a quibus nôn diſsentiunt Canoniſtæ, Fagnan. Abbas, Panormit. Budrius, Anchar.

Circa importunas preces, quando his coniunctæ ſint minæ, aut patris terribilitas, ut rationabiliter non conſentiendo patri importune deprecanti, timeatur aliquod grave malum, ideſt male tractari a patre, reddunt profeſſionem non liberam, adeoque irritandam, quia huiuſcemodi preces æquiparantur violentiæ ac metui gravi. Secus vero dicendum ſi adſint ſimplices preces, quod extendendum eſt ad blanditias, quia hæ potius augent quam minuant voluntarium. Sic Panormit. Paſser. quos hic citat Rothar.

## §. XXVII.

### *De iis in quibus reſidet poteſtas admittendi ad profeſſionem.*

Quia ad admittendum ad profeſſionem requiritur facultas, hinc ſolus Prælatus Regularis, vel alius ex eius commiſſione, & (excepto ſummo Pontifice, qui eſt ſupremus Prælatus Religionum) nullus alius, ſive Epiſcopus reſpectu Regularium Exemptorum, ſive Cardinalis, ſive Legatus a latere, ſive Religionis protector, poterit admittere ad profeſſionem, quia nullus horum habet poteſtatem delegatam a ſummo Pontifice, niſi ad forum contentioſum, & profeſſio ad gratioſum pertinet. Pellizz. & alii. Immo nec ſolus Prælatus Regularis poteſt aliquem admittere ad profeſſionem, nedum ſine conſilio, ut volunt aliqui, ſed etiam ſine conſenſu Capituli illius Conventus, in quo Novitiatus probationem percurrit. Sic habet Religionum omnium conſuetudo, quæ pro lege habenda eſt, ita ut nec Monaſterium, repugnante ſuo Prælato, nec Prælatus ſine Monaſterii ſeu Capituli conſenſu aliquem recipere poteſt; ac proinde aliquo ex his, præcipue Prælato, deficiente ſeu repugnante, ſecundum communiorem irrita eſset profeſſio: Nam cum talis receptio vel utilis vel nociva ſit utrique, ac ideo omnes tangens, ab omnibus ſane eſt approbanda. Sic Lezz. Leſs. Palaus & alii.

Diximus *præcipue Prælato deficiente ſeu repugnante*, quia ita Prælati conſenſus requiritur ut quis ad Religionem admittatur, ut ſine illo nemo ullatenus recipi queat, cum & ad ipſum unice ſpectet admittendum proponere Capitulo, & in eius manu admitti debeat profeſſio. Nihil tamen efficeret reluctantia Prælati, in Capitulo ſuum ſuffragium denegantis; nam in Capitulo ipſius conſenſus attenditur ex maiori parte ſuffragiorum; quod enim fit a maiori parte Communitatis, id a tota fieri cenſetur. Si autem Prælatus Monaſterii repugnet admittere Novitium ſine iuſta cauſa ad profeſſionem, poteſt illum admittere Prælatus Superior, ut Provincialis, vel Generalis, dummodo tamen accedat conſenſus maioris partis Religioſorum Communitatis, ad quam admittere ſpectat, quia poteſtas quæ reſidet in Superiore immediate, reſidet cumulative in maiori; immo etiam & hic Superior, & inferior immediatus, reluctante ſine iuſta cauſſa Capitulo, poſſunt per ſe ſolos admittere Novitium ad profeſſionem ſecundum ius commune. Verum in unoquoque Ordine conſulenda ſunt propria municipalia ſtatuta, & hæc ſervanda ſunt. Non obſtantibus nihilominus Religionis ſtatutis, Novitius qui reiectus eſt a Capitulo Novitiatus pro ſui profeſſione, ſi iniuſte ſe gravatum cenſeret, quod nempe iniuſte eſſet reiectus, poſſet appellare ad Generalem, qui ſicuti in aliis cauſſis Religionis, ſecundum Rotharium hanc quoque de iure, re cognita, poſſet definire, ſuper hoc ſuam pronunciando ſententiam, & ad profeſſionem admittere. Caute tamen, advertit idem Rotharius, in hac re agendum eſt, & niſi conſtet de manifeſto gravamine, & iniuſtitia, a iudicio Capituli non eſt recedendum.

## §. XXVIII.

### *De ætate profitentium.*

Si attendamus ad veterem diſciplinam, diverſimode ſuper ætatem ad profeſſionem res ſe habuit. S. enim Baſilius, ut habetur in eius epiſt. canon. can. 18. reputabat Virginum profeſſiones validas non eſſe ante annum 16. aut 17. Synodus Trullana ætatem a S. Baſilio requiſitam retraxit ad annum 10. S. Ambroſius cenſebat ætatem requiſitam ad Matrimonium ſufficere ad Religionis profeſſionem, nempe in puellis 12. in maſculis vero 14. annorum. Et hæc diſciplina invaluit & firmata fuit in Eccleſia latina, ſi ſpectemus ius commune Decretalium, ut ex cap. 18. *de Regular.* S. tamen Gre-

Digitized by Google

Gregorius, ut ex eius epiſt. 48. lib. 1. vetuit Monachis recipere pueros ante annos 18., & Carthuſiani, ut indicant primæva ipſius Ordinis ſtatuta, ante 20. annum nullum in ſuo Ordine recipiebant. Et apud Cluniacentes pariter ſæculo XII. iuxta eorum ſtatuta vigebat hæc diſciplina, ut ante 20. annum nemo eorum habitu indueretur. Et cauſſa huius ſtatuti fuit ( ait Venerabilis Petrus ) *immatura ætas, nimiſque celer infantium ſuſceptio, qui antequam aliquid rationabilis intelligentiæ habere poſſent, ſacris Religionis veſtibus induebantur, & admixti aliis, puerilibus ineptiis omnes perturbabant*. Ex iure tamen novo Tridentini, ut antea iam notavimus, ætas redacta fuit ad 16. annum completum; ita ut ſi antea emittatur profeſſio, nullius ſit roboris ac valoris. Sic ſtatuit cap. 15. *de Regularib.* ſeſſ. 25. Concilium tamen non derogare intellexit ſtatutis Ordinum quæ maturiorem exquirant ætatem, ut in Ordine Fratrum Cappucinorum S. Franciſci, ubi, ut obſervat Fagnan. n. 13. ad cap. *Nullus*, non admittuntur ex eorum ſtatuto Clerici ad profeſſionem ante annum 18. exactum, & Laici 20.

Et equidem quo maturior eſt ætas, ſupponi poteſt in profitendis maturior cognitio, ac tanta ſaltem ſcientia, ut ſufficienter intelligant ac agnoſcant ea, ad quæ ſe per profeſſionem Monaſticam adſtringunt, & quam difficultatem ſecum trahat integra votorum perſolutio, præſertim in Monaſteriis, in quibus diſciplina ſenſim relaxata eſt, & a præſcripto Regulæ quam profitentur, receditur.

Si tamen expleto anno ætatis 16. non expectato anno ætatis ulteriore requiſito ab Ordinis ſtatuto, emiſſa fuerit profeſſio, non videtur propterea profeſſionem fuiſſe invalidam, eo quia, ut alias diximus, ſtatuta, dum maturiorem ætatem requirunt, invaliditatem ac nullitatem profeſſionis adiunctam habere non ſolent.

### §. XXIX.

*De forma profeſſionis expreſſæ, & aliis requiſitis:*

Profeſſio Religioſa, utpote quæ ſit actus adeo obligatorius ex utraque parte, Religionis ſcilicet erga profitentem, & profitentis erga Religionem, profecto videtur fieri non debere ſine gravi ac patente ſolemnitate; Unde præcipue ex parte profitentis, qui eſt agens principalis, promittens donanſque ſe perpetuo in ſervum & filium Religionis, ac adeo graves ſub voto irrevocabiliter aſſumens obligationes, debet exprimi internus conſenſus, qui communiter exprimitur per verba, quæ manifeſtativa ſunt intentionis, ac per iſta homines ad invicem loquuntur, & iuxta communem uſum contractus ineunt. Quia tamen verba tranſeunt, hinc contractus graves firmari ſolent ſcripto: idcirco in negotio tanti momenti, cuiuſmodi eſt religioſa profeſſio, ut plurimum & uſualiter expreſſio profeſſionis fieri debet per verba quidem, ſed authentico ſcripto commendata, in libro profeſſorum exarando, ut ſic ad promiſſam filialem obligationem & Regulæ obſervantiam, ſi unquam ab hac recedere incipiat, vel Religioni ſe ſubtrahere tentet ac præſumat, adſtringi queat. Hæc tamen formula profitendi per verba in ſcripto expoſita, intelligitur requiſita tantummodo ad cautelam, minime vero ad validitatem profeſſionis, ſi aliunde conſtet de intentione voventis, ut habetur in Gloſſa ad cap. *Vidua* 20. q. 1. ubi dicitur, profeſſionem faciendam eſſe verbo vel ſcripto, idemque docent Sylveſt. verbo *Religio* 3. q. 1. Fagnanus io cap. *Porrectum* n. 10. Suarez cap. 12. n. 3. Immo nec verba neceſſario requiruntur ad valide profitendum, ſed ſufficit ſignum externum, quo indicetur voluntas profitentis, unde per nutus quoque fieri poteſt profeſſio. Sic docent cit. DD. Suarezius, Fagnan. in cit. cap. *Porrectum* n. 44. Quare licet Ordines Religioſi ut plurimum ſuas habeant formulas ad profitendum, & ſæpe haſce varias pro Religionum varietate, etiamſi proprius ritus in unaquaque ſervandus ſit, ſi tamen ob incuriam vel ignorantiam omnimode non ſervetur, non ideo cenſeri poteſt invalida profeſſio, cum huiuſcemodi ſolemnitates non ſint de ſubſtantia actus, ad quam, ut diximus, ſufficit quodcumque externum ſignum, indicans animum Novitii emittendi, ac Superioris recipiendi profeſſionem, niſi forte aliquis ritus inſtitutus ſit ſub pœna irritationis actus ſi non ſervetur, & Regulæ ac Conſtitutiones ritum in profeſſione ſub pœna nullitatis ſervandum præſcribentes, approbatæ ſint a Sede Apoſtolica; Nam poteſt Papa infringere profeſſionem, ita ut obligationem non inducat, ut habetur cap. 1. *de Religioſis domibus* in 6. & ita docet etiam Fagnan. in cit. cap. *Porrectum*. Idemque dicito ſub iiſdem conditionibus de aliis circum-

cum-

Digitized by Google

cumſtantiis minus principalibus, ideſt quod profeſſio fiat publice, coram teſtibus &c.

### §. XXX.

*De Profeſſione nulla aut dubia.*

Ex multiplici capite ſeu ratione contingere poteſt quod profeſſio invalida ſit ac proinde nulla; & iam aliqua circa hoc attigimus, præcipue in agendo de libertate ad validam profeſſionem emittendam. Nunc autem, ſicut præſens res exigit, ſingula ſigillatim recenſenda ſunt. Profeſſio igitur invalida & irrita reddi poteſt vel ex parte admittentis ad profeſſionem, quando is careat legitima poteſtate, vel eam coarctatam habeat, vel quoad uſum impeditam, de quo iam antea actum eſt; vel ex parte profitentis, & ex hac parte varii ſunt defectus, ex quibus profeſſio irrita reddi poteſt & nulla.

Primo ex defectu ætatis, ut ſi emittatur ante annum 16. vel ante exactum integrum annum Novitiatus, ut pro utroque ſtatuit Concilium Trid. antea citatum cum pœna invaliditatis. 2. Defectu libertatis, ut ſi mancipium ſine placito ſui domini profiteatur, vel ſi profeſſio emiſſa ſit ob metum gravem vel alium æquivalentem modum, ideſt ſine ſufficienti voluntatis libertate ac ſpontaneitate. Non tamen irritat profeſſionem metus gravis incuſſus Superiori admittenti, quia de hoc iura ſilent. 3. Diverſitas ſexus, puta ſi mulier profiteatur in Congregatione virorum, vel vir in Congregatione fœminarum. Hæc enim profeſſio eſt prorſus nulla, nec ullam parit obligationem profitendi poſtea, vel vivendi in Congregatione proprii ſexus. Verum quamvis hæc vota ſic emiſſa non obligent ut ſolemnia, docet tamen probabilior cum Navarro l. 3. con. 18. vel 19. & aliis quod obligarent tamquam vota ſimplicia, eo quia profitens ſe obligare intellexit, eo meliori modo quo poterat, niſi conſtet de contraria illius intentione. 4. Si ſit coniugatus, & Matrimonium conſummaverit, etiam ſtante divortio, & profeſſus ſit ſine Pontificis licentia. 6. Si profitens ſit demens, vel impotens præ gravi morbo, aut nimia ſenectute ad Regulæ obſervantiam. 7. Si interrogatus de aliquo defectu, ipſum occultaverit. 8. Si erraret circa ſubſtantialia ſtatus Religioſi, puta ſe non obligari in perpetuum ad tria vota. 9. Si in profeſſione non habuit intentionem profitendi, vel poſitivum habuit animum ſe non obligandi ſaltem in foro conſcientiæ, talis profeſſio eſſet ſane nulla, ſed graviter tamen peccaminoſa, quia Deo illuſoria. In foro tamen externo deberet ſtare promiſſis, immo tenetur illam ratificare. Idemque dicito ſi ficto animo acceptetur ab admittente, quia huiuſcemodi contractui deficit neceſſarius conſenſus. Si tandem interveniat aliquis alius defectus, qui ex vi ſtatutorum, quæ approbata ſunt a S. Sede, irritam reddat profeſſionem. Alii vero defectus, nempe quod ſit ære alieno gravatus, aut reddendis ratiociniis obnoxius, quod relinquat parentes egeſtate laborantes, quod ſit illegitimus, facinoroſus, morbo contagioſo laborans vel ſanguine hæreticorum vel aliorum infidelium infectus, tametſi illicitam reddant profeſſionem, non reddunt tamen invalidam, niſi detur in Religione ſtatutum ſeu decretum a S. Sede approbatum, irritans profeſſionem cum talibus defectibus emiſſam.

### §. XXXI.

*De nullitate profeſſionis ex inobſervantia Decretorum Innocentii XII.*

Solicitudo, qua ſummi Pontifices, præcipue Clemens VIII. Urbanus VIII. Innocentius X. Alexander VII. Paſtorali ſuo zelo ſtudioſe curarunt per ſuas Conſtitutiones & ſacræ Congregationis decreta inſtaurare Regularem diſciplinam in variis Religioſis Ordinibus, multis gravibuſque laxitatibus valde ab eorum inſtituto aberrantem, ac prolapſam, paternum quoque movit animum felicis recordationis, Sanctiſſimi Innocentii Papæ XII. ut non impari Prædeceſſorum ſuorum ſtudio, tam ſanctum ac maxime neceſſarium opus pro eorumdem Religioſorum ſpirituali ſalute, ac populi ædificationem & utilitatem promoveret. Hinc ut adiuvante Domino optatum finem conſequeretur, ſtatuit, ac declaravit, ſe conceſſurum quidem licentiam recipiendi Novitios in ſingulis approbatis Ordinibus, dummodo tamen ea, quæ pro Regulari vita inſtituenda a S. Tridentina Synodo, & a ſupra laudaris ſuis Prædeceſſoribus pro Regulari reformatione, pro receptione Novitiorum ac Profeſſorum educatione ſalubriter inſtituta ſunt, quibus inhærendo Sanctitas Sua, ea omnia, quatenus opus erat, confirmavit & innovavit, ( ſalvis tamen in hac parte ſingulorum Ordinum ſtatutis, ſeu aliis Ordinationibus ab Apoſtolica Sede in forma ſpecifica poſt eadem Decreta forſan appro-

batis aut editis ) exacte, & inviolabiliter ſerventur; & ut mentem ſuam in hoc negotio omnibus pro faciliori ac durabiliori praxi, ad quos id ſpectat, aperiret, mandavit Sanctitas Sua ſacræ Congregationi ad hunc effectum per ipſum ſpecialiter deputatæ, ut per ſua Decreta eamdem Religioſorum Ordinum Superioribus denuntiaret.

Ex recenſitis Decretis manifeſtiſſime patet, ex eorumdem obſervantia ac executione pendere profeſſionis validitatem; ita ut ſi plene non implentur ea omnia, quæ in iiſdem præſcribitur, profeſſio non iam dubia eſt, ſed prorſus invalida, cum mens ſit SS. Pontificum, ut hæc inviolabiliter obſerventur, ut evidentiſſime demonſtrant formulæ, quibus ſacra Congregatio, ex facultate ad normam ſemper eorumdem decretorum a ſummis Pontificibus pro tempore regnantibus ſibi conceſſa, identidem impartiri ſeu expedire ſolet Religioſis Ordinibus licentiam recipiendi ad habitum Ordinis Novitios, eoſque ad profeſſionem admittendi, cum in iiſdem formulis ſemper apponatur conditio, nempe licentiam veſtiendi Novitios concedi, dummodo ſerventur quæ præſcripta ſunt in decretis de mandato SS. Alexandri VII. ſub die 18. Iunii 1659. necnon ab Innocentio XII. 18. Iulii 1695. Immo concedi non ſolent huiuſmodi licentiæ, niſi facta atteſtatione a Superioribus reſpectivi Religioſi Ordinis, mandata in iiſdem Decretis ſervari; & formulæ licentiæ ſunt huiuſcemodi tenoris: *Sacra Congregatio ſuper diſciplina Regulari licentiam impartitur Superioribus Regularibus Congregat. N. N ad quos pertinet, ut hac vice tantum.. alios... Clericos ſeu Choriſtas, & Laicos ſeu Converſos in Conventu S. N. alias pro Novitiatu in Provincia N. deſignato ad habitum probationis recipere, & finito tempore Novitiatus ad profeſſionem admittere licite poſſint & valeant, dummodo tamen ſervetur vita communis iuxta diſpoſitionem eorumdem decretorum, & ſervatis omnibus & ſingulis, quæ continentur in decretis de mandato S. M. Alexandri VII. editis die 18. Iunii 1659. necnon huius ſacræ Congregationis ſub die 18. Iulii 1695 pro Novitiis.... recipiendis*. Cum in ſupradictis Decretis præcipue præter alia ſtatuatur, ut in Conventibus, ubi recipiendi ſunt iuvenes poſtulantes pro Novitiatu percurrendo, exacte obſervetur vita communis, & ſub tali continuando conditione licentia veſtiendi, ac ad profeſſionem admittendi concedatur, ſi hoc non obſervetur, nemo manifeſtiſſime non videt, iuvenes ad Novitiatum ibi receptos, invalide ad profeſſionem admitti, ac ideo invalide & inutiliter eos profiteri, cum licentia eos recipiendi ad habitum, ac ad profeſſionem admittendi ligata ſit obſervantiæ vitæ communis in Monaſterio Novitiatus, ut conditioni ſine qua non, Dico *ut conditioni ſine qua non*, cum evidens ſit id importare clauſulam *dummodo ſervetur in tali Monaſterio vita communis*, & Decreta ſacræ Congregationis 18. Iulii 1695. ubi inviolabiliter, & præciſe ad obtinendam dictam licentiam vita communis præcipitur. Quare ſi poſt decretum Innocentii III. in Concilio Lateranenſi editum in cap. *fin.* §. *de Religioſis Ordinibus* nulla eſt vera Religio, niſi a Sede Apoſtolica approbata ſit, neque veri Monachi ſeu Religioſi, tametſi profeſſi cum emiſſione trium votorum, niſi profiteantur tum Regulam a S. Sede approbatam, tum in Religione ab eadem S. Sede approbata, clare patet penes Pontificem eſſe apponere conditiones ad probationem Religionis, ac ideo ad valorem profeſſionis, & præcipue verſantes circa Regulæ obſervantiam, ut illis non impletis nulla ſit profeſſio. Cum igitur Alexander VII. & Innocentius XII. per ſacræ Congregationis decreta ſtatuerint, & pro Religioſis Ordinibus, ubi non ſervatur vita communis, pro recipiendis Novitiis & ad profeſſionem admittendis conditionem appoſuerint, ut hoc fieri nequeat niſi in aliquo eorum ubi ſervatur vita communis, & mandaverint, ut nonniſi ſub tali conditione licentiam concedant dictis Ordinibus recipiendi ad habitum, & admittendi ad profeſſionem; profecto ubi talis conditio non ſervatur, nulla eſt admiſſorum profeſſio. Quanto magis igitur invalida erit Noviciorum profeſſio, quando recepti ſunt ad habitum Ordinis, & ad profeſſionem admiſſi in Monaſterio, ubi non ſolum iuxta dicta ſacræ Congregationis decreta, & licentiæ tenorem ab eadem Sac. Congregatione conceſſæ, non ſervatur vita communis, ſed nihil curant id Superiores Maiores? qui, ſi id forſan contingat ob inſufficientiam Monaſterii ad talem vitam ſervandam, recto regimine reddituum aliorum Conventuum poſſent tandem huic malo mederi, vel ex taxis iiſdem Conventibus impoſitis iuxta ſummorum Pontificum mentem colligere quantum ſatis ſit, ut in tali Conventu ſervari poſſit vita communis, prout requirunt ſupradicta ſacræ Congregationis decreta, ad hoc ut ibi recipi poſſint

No-

Novitii ad habitum, & ad profeſſionem admitti: at cum valde damnabili diſſimulatione & conniventia permittunt, immediatos Monaſteriorum Superiores pro libitu ſuo, & captioſe tamquam dominos ac proprietarios ( non ut ſimplices alterius rei Miniſtratores, ſicuti a proprio officio & paupertatis voto conſtituuntur ) bona Monaſterii in ſuperfluis, vanis & inutilibus diſſipare, cum magno detrimento tum particulari reſpectivorum Conventuum quos regunt, tum communi totius Congregationis, & non ſine gravi ruina Regularis diſciplinæ, quæ deficientibus neceſſariis ad commodam Religioſorum ſuſtentationem, eo peius de die in diem collabitur. Væ, dicam cum Propheta, huiuſcemodi paſtoribus Iſrael, nempe Væ huiuſcemodi Ordinum Generalibus & Provincialibus, quantum ſibi theſaurizant iræ Dei in die iræ? Nam ſecum gaudentes de honorificentia ac dignitatis ſplendore, cui forſan anxie inhiarunt, nihil cogitant de ſuperioritatis onere, quod eos ſolicitos intentoſque vult ad maiorem Dei gloriam, ac utilitatem ſuorum ſubditorum promovendam, accurate invigilando, impenſe elaborando, ut vigeat in ſuis ſubditis Monachalis diſciplina ac ſanctitas, quæ ſunt ſingularis ſcopus, & finis, quare inſtitutæ ſint in Religioſis Ordinibus ſupremæ dignitates.

*Decreta S. Congreg. a SS. D. N. Innocentio P. XII. ſuper diſciplina Regulari ſpecialiter deputata eiuſdem SS. D. N auctoritate edita.*

Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. Innocentius divina Providentia Papa XII. &c. ſequitur expoſitio irrefragabilis Sanctitat. ſuæ deliberationis, non conceſſurum licentiam veſtiendi Novitios Regularium Ordinibus, niſi in his, in quibus exacte, & inviolabiliter obſerventur, quæ pro Regulari diſciplina ſtatuta ſunt a Tridentina Synodo, & a ſuis Prædeceſſoribus Pontificibus, præcipue a fel. record. Clemente VIII. in Decretis Generalibus pro Regularium reformatione, necnon Innocentio X., & Alexandro VII. pro Novitiorum receptione, quibus omnibus inhæret ſanctitas ſua, & prout opus ſit confirmat ea, ac renovat, ut infra videbitur in Decretis ſupradictæ S. Congreg. Salvis tamen in hac parte ſingulorum Ordinum Statutis, ſeu aliis ordinationibus, ab Apoſtolica Sede in forma ſpecifica poſt eadem Decreta forſitan approbatis, & editis: Sequuntur Decreta S. Congregationis.

Quocirca S. Congreg. ab eodem SS. D. N. ſuper diſciplina Regulari ſpecialiter deputata, quæ plura hactenus pro recta nonnullorum Monaſteriorum gubernatione Decreta edidit, aliaque in dies editura eſt, ut omnibus præfata SS. D. N. mens pateat, & clarius innoteſcat de mandato SS. præſentis Decreti tenore denuntiat, omnium, & ſingulorum Ordinum Regularium ( iis dumtaxat exceptis, qui in præfati Clementis VIII. Decretis excepti reperiuntur ) Superioribus tam Generalibus quam Provincialibus, quocumque nomine nuncupentur, cæteriſque ad quos ſpectat, ut in unaquaque Provincia per Italiam, & Inſulas adiacentes, quamprimum deputent aliquos Conventus, quos magis aptos cenſuerint, vel unum ſaltem, ibique auctoritate Apoſtolica ſtatuant omnimodam obſervantiam Regulæ, Conſtitutionum cuiuſque Ordinis, & Decretorum Apoſtolicorum, præcipue vero exactæ vitæ communis ad formam eorumdem Decretorum ab omnibus Religioſis, qui in Conventibus, ubi recipiuntur Novitii, & Profeſſi educandi ſunt, morabantur, omnino ſervandæ. Poſtquam vero Regularem obſervantiam, & ſignanter quoad exactam vitam communem, cum effectu ſtabilitam fuiſſe, tam ex eorum Superiorum Generalium, ſeu Provincialium relatione, quam Præpoſiti & Fratrum in præfatis Conventibus degentium firmato Teſtimonio, necnon per ſecretas informationes, atque etiam ubi opus fuerit per Apoſtolicos Viſitatores ad hoc ſpecialiter deputandos, etiam S. Congreg. ſufficienter conſtiterit; tunc Sanc. S. antedictam licentiam, quam hactenus diſtulit, Novitios ibi recipiendi, benigne concedat, & locum ad Profeſſos pietate, & litteris inſtruendos uſque ad Sacerdotium, vel alias, iuxta Conſtitutiones & laudabiles cuiuſcumque Ordinis conſuetudines, in iiſdem Conventibus, non autem in aliis, niſi fuerint eiuſdem obſervantiæ, deſtinabit.

Præcipit pariter eadem S. Congreg. auctoritati SS. D. N. ne in hiſce Conventibus collocentur niſi Religioſi graves, devoti, exemplares, ſtudioſi Regularis obſervantiæ, & præcipue vitæ exacte communis.

Præcipit inſuper S. Congregatio, *ut omnis excuſatio præcludatur infirmioribus, immo alacrius arripiant tam laudabilis vitæ inſtitutum*, quod memoratis Conventibus ( im-

plorata etiam ubi opus fuerit Apoſtolica auctoritate ) curent ſuperiores ut præficiantur viri non ſolum diſciplinæ zelo, ſed etiam Charitate, morum ſuavitate præditi, compatientes, miſericordes, quorum regimini libenter alii ſe ſubmittant. Studeant vero ut ea omnia, quæ tam ad victum, & veſtitum, quam ad reliquas vitæ neceſſitates pertinent, ſingulis Religioſis prompte ſubminiſtrentur, ac præſertim ægritudinis tempore nihil alicui deſit, quod ad ſanitatem recuperandam pertineat. Ac propterea Religioſi neminem patiantur ultra eum numerum, qui ex illorum reditibus, & conſuetis communibus, vel etiam ſingulorum eleemoſynis, aliiſque quibuſcumque obventionibus pariter in commune conferendis valeant commode ſuſtentari. Eos vero, qui ſemel præfatæ obſervantiæ, & exſtctæ viſæ communi libenter, ut vere Religioſos viros decet, ſeſe ſubiecerint, nullatenus a memoratis Monaſteriis nollentes transfeſant, niſi forte ad alia Monaſteria, ubi ſimilis obſervantia vigeat, iiſque pariter ab omnibus ad vitam neceſſariis poſſit commode provideri &c. Van-Eſpen tom. 2. p. 4. pag. 119.

## §. XXXII.

*De modo quo ſe gerere debeat qui ſibi certo conſcius eſt, ſe non eſſe profeſſum.*

Gravis hic vertitur controverſia inter DD. num certo ſciens ſe non eſſe profeſſum, poſſit ac teneatur ante vel poſt quinquennium indultum a Tridentino, aut reclamare, vel ſi nequeat reclamare quia impediatur, vel quia rationes nullitatis ſuæ profeſſionis ſint ſibi tantummodo manifeſtæ, ut probari nequeant per teſtes, ſicut in foro externo requiritur, ſe ſubtrahere Religioni, ſi commode poſſit, per fugam, & etiam Matrimonium inire, vel ſi ſe ſubducere nequeat, cum hoc perdifficile ſit, iuxta decretum Tridentini, quod ſine iudicis ſententia profeſſionis nullitatem definiente, ſtatuit fugientes habendos eſſe tamquam apoſtatas, & eiſdem pœnis mulctandos, profeſſionem ratificare teneatur. Circa huiuſmodi caſum docet communis, quod ſi de facile reclamare poſſit, & profeſſionis nullitatem probare, nec hoc agere impediatur, plane mortaliter peccat fugam arripiendo, ac ut apoſtata, horum pœnis ſubiaceat, utpote qui in foro externo Eccleſiæ habeatur Religioſus profeſſus, ac alias ei nulla faveat iuſta ratio, ut per fugam ſuæ libertati conſulere valeat. Item communis eſt, talem debere unum ex tribus eligere, videlicet aut reclamare contra profeſſionem, aut hanc ratificare, aut ſi abſque ſcandalo hoc fieri nequeat, Religioni ſe ſubducere; alias, dicunt qui ita ſentiunt, pluribus proximis peccandi occaſionibus ſe exponeret, quia ſcilicet iniuſte hic alimenta reciperet, dum Religio filios tantummodo, ideſt profeſſos Religioſos alere intendit; nec poteſt actibus & officiis profeſſorum ſe ingerere, cuiuſmodi ſunt ſuffragia ferre in Capitulis, exercere Prælaturas Ordinis, miniſtrare ſicut illorum eſt Sacramenta, nec Ordines ſuſcipere, & ſi ſuſcipiat, ab his ſuſpenſus remanet, quia ordinatus ſine titulo Religionis, cuius non eſt membrum, nec apud approbatos per ſolum Regularem Prælatum ſua confiteri poteſt peccata ad recipiendam eorum abſolutionem, dum tali iuriſdictioni non eſſet ſubiectus, ſed ſolius Ordinarii. Verum ſi nec poſſit de facile reclamare, vel reclamare impediatur, vel congruas probationes afferre nequeat, neque fugere abſque ſcandalo, docet Suarez cum Barboſa & aliis, hunc non teneri profeſſionem ratificare, dum non habet vocationem ad hunc ſtatum, & nimis durum ſit ſe ſubiicere in perpetuum graviſſimo oneri, cui nimis repugnat. Cum autem per ipſum non ſtet ut non aggravet Religionem per alimenta quæ ab ipſa recipit, & ne participet in iis quæ conveniunt profeſſis, ac eiuſdem Religionis privilegiis potiatur, utpote qui non valens oſtendere rationes nullitatis ſuæ profeſſionis, cogitur ab Eccleſia in Religione permanere, hinc poteſt in conſciensia percipere a Religione alimenta, compenſando tamen pro ipſis, labores impendendo in ſervitium Religionis eo modo quo poteſt, ex quo reſultat eidem titulus, quem tribuunt ſacri Canones inſervienti altari, ut ipſe de altari vivere poſſit ac debeat; ideſt ſi non ſecus ac alii profeſſi totus mancipatus ſit Religionis obſequiis ac dependentiæ, neque ab his, non alias ac ſi in foro etiam interno eſſet profeſſus, ex præſcripto Eccleſiæ in Tridentino ſe ſubtrahere valet, & ex Trid. æque ac alii profeſſi ius acquirit ad alimenta, & ad fruendum privilegiis Religionis, quia qui incommodum ſuſtinere debet, ſecundum iura commodum quoque iuſtum eſt ut ſentiat. Ordines pariter ſuſcipere poteſt, ſi abſque gravi ſcandalo ab eis abſtinere nequeat, quia licet non habeat titulum, cum non ſit Religioſus, lex tamen Eccleſiæ non

vi-

videtur obligare, quando abſque gravi infamia aut ſcandalo impleri nequit. Præterquam quod, ſi dum hic non poteſt in foro externo nullitatem ſuæ profeſſionis probare, vult Eccleſia ut perpetuo maneat Religioni addictus, cum ipſa, quæ de bonis Religionum diſponere poteſt, velit & intelligat ut a Religione ſuſtentetur, iam non eſt in caſu quo mendicare cogatur. Dixi *velit & intelligat a Religione eum ſuſtentari*, ſicuti vere profeſſos, quia ſi vult Eccleſia & iubet, ut tamquam profeſſus in Religione permaneat, ac proinde incapax ſit cuiuſcumque dominii, ideſt ne quid ut ſibi particulare & proprium habeat ac poſſideat, nec ſæculi occupationibus ſe immiſceat, quæ Religioſo non conveniunt, eo ipſo vult & intendit, ut Religio ſuſtentationem ei impartiatur. Quoad ius ſuffragii in Capitulis dici nequit hæc uſurpare, quando ſe ſpoliaret ſi poſſet, ideſt ſi Eccleſia non obſiſteret, a Religione recedendo; idcirco tale ius non uſurpat invito domino. Circa Prælaturas, ſi ad illas eligatur, ſatis erit, ait Paſſerinus, ut ſe excuſet quantum poteſt ab eis acceptandis: quod ſi eas acceptare cogatur, geſta per ipſum valida erunt. Barbaſius §. *de officio Prætoris*, & poterit ex naturali æquitate frui etiam emolumentis illius oneris, quod compulſus fuit ſubire, necnon Sacramenta aliis miniſtrare, cum habeat poteſtatem Ordinis, nec illa careat iuriſdictionis, favente tunc lege publici officii, & errore communi, dum apud omnes habetur pro profeſſo, & habetur titulus coloratus, cum ab Ordinario approbetur tamquam Sacerdos capax, Religioſus profeſſus, Prælatus, quæ omnia in faciem Eccleſiæ ei conveniunt. Quoad confeſſionem ſacramentalem ſuorum peccatorum cenſet Cotonus citatus hic a Rothario, eas deponere poſſe apud Confeſſarium Ordinis, nempe Confeſſarium approbatum a Prælato Ordinis, tamquam unum de familia Monaſterii, vel Tertiarium; vel dici poteſt cum Rothario, præſumi poſſe, iuriſdictionem etiam pro his datam fuiſſe ab Eccleſia, quæ cum in odioſis tales habeat ut profeſſos, ut ſi delinquant, eos puniat pœna iuſta per ſacros Canones infligenda profeſſis, etiam in favorabilibus præſumitur hos conſiderare tamquam Religioſos, idcirco iuriſdictio conceſſa pro aliis Religioſis in foro conſcientiæ, cenſeri poteſt ad hos quoque extendi, ne ipſis remedia deficiant pro eorumdem ſpirituali ſalute. Et revera, ſi nulliter profeſſi, nec valentes oſtendere nullitatem profeſſionis, ex iudicio Eccleſiæ habentur tamquam profeſſi, & ex ipſius Eccleſiæ lege ſubduntur iiſdem pœnis ac vere profeſſi, conveniens eſt ut iiſdem fruantur indultis, & privilegiis, quibus potiuntur profeſſi, iuxta allatum iuris axioma, quod *ſentiens incommodum, ſentire debeat & commodum*. Et hoc intelligendum eſt, licet taliter profeſſus ſuo tempore reclamaverit, eo quia ob difficultatem manifeſtandi rationes nullitatis ſuæ profeſſionis clare eam probare nequierit, quia Eccleſia tali iudicio habet quidem ipſum tamquam profeſſum, ac ideo firmat eum in facultate fruendi bonis ac privilegiis Ordinis ſimiliter ac vere profeſſi fruuntur; eum tamen non obligat profeſſionem ratificare: etſi aliqui dicant, quod ſi impedimentum oriatur ex defectu conſenſus, teneatur profeſſionem ratificare, ſicut qui dum Matrimonium contrahens ficte conſentit, tenetur novum præſtare conſenſum ne decipiat alteram parte in re gravi; quemadmodum in caſu noſtro decipit Religionem, quæ ſuum tribuit conſenſum, ac ideo, dicunt, hunc licite reclamare non poſſe neque infra quinquennium, nec poſtea, & ſi exeat, redire teneri, immo ad redeundum compelli poſſe. Sed plane nimis dura videtur hæc ſententia, ut quis ſtatum perpetuum vitæ aſſumat, ad quem non eſt vocatus, immo cui obnititur & repugnat. Paritas vero deſumpta a Matrimonio valde latam habet diſparitatem ob incommoda graviſſima alteri coniugi obvenientia, niſi ratificetur aſſenſus, a quibus incommodis vacat Religio. Quid enim ſua intereſt, quod aliquis ſuus alumnus, qui conſenſum non præſtiterit profeſſioni, vel maneat in Religione, quando per ſua obſequia, non ſecus ac vere profeſſi, onera quæ exinde fert Religio eum ſuſtentando compenſet, vel a Religione diſcedat, ac careat alumno, a quo nonniſi coactum ſervitium attendere valeat, immo forte plures noxias perturbationes ac vexationes?

Nota cum Paſſerino & Rothario, poſt elapſum quinquennium a Tridentino conceſſum ad reclamandum, nulliter profeſſum non valentem exire nec ratificare volentem, obligatum manere ad Regularem vitam non ſecus ac ſi voviſſet, licet non ex vi voti, ſed ex præcepto Tridentini Concilii, nolentis hunc Religionem relinquere, & præcipientis puniri tamquam apoſtatam ſi eam deſerat; unde poteſt ſine ſcrupulo modo ſupra explicato gaudere privilegiis, & frui bonis Religionis. Circa hoc autem



Digitized by Google

qui ulterius videre rem cupit, conſulat Lezzanam, Pellizzarium, Peyrinum, Salmant. & alios.

## §. XXXIII.

*De ratificatione profeſſionis invalidæ.*

Profeſſio ex multiplici capite invalida eſſe poteſt ac nulla. Hinc tot ſunt modi profeſſionis invalidæ ratificandæ, quot ſunt defectus eſſentiales profeſſionem vitiantes, ſeu invalidantes. Unde hic ſermo erit tum de modis, quibus volens ratificare poſſit profeſſionem invalidam, tum de neceſſariis conditionibus ad hunc effectum, quæ tamen intelligenda ſunt de profeſſione invalida ac irrita, quæ capax ſit ut ratificetur: Nam ſunt quædam profeſſiones ita intrinſece irritæ ac nullæ, ut ullo modo ratificari nequeant, puta ſi emiſſa fuerit in Religione per S. Sedem non approbatam profeſſio perpetuo amentis, vel decrepitæ ætatis, vel ſi in Religione eſſet lex ſeu ſtatutum per Apoſtolicam Sedem approbatum, nullam fore profeſſionem factam ab infecto ſanguine, ab illegitimo, a quinquagenario, quia nunquam ratificari poteſt profeſſio, quæ valide fieri nequit; & valida fieri nequit niſi ablato impedimento, quod in dictis caſibus nunquam auferri poteſt. Verum in impedimentis quoque, quæ auferri poſſunt, contingit quod ratificari nequeat profeſſio niſi impedimenta tollantur, videlicet ſi adſit defectus legitimæ ætatis, aut anni probationis non completæ, aut non habiti in loco ſtatuto ſeu deſignato: niſi enim hæc impedimenta tollantur, ratificari nequit profeſſio irrita. Poteſt inſuper profeſſio eſſe nulla ex defectu ſe tenente ex parte Novitii, ut ſi ficte, vel ex metu aut dolo in profeſſionem conſenſit; vel ex defectu ſe tenente ex parte Religionis, ut ſi profeſſio acceptata fuerit a non habente poteſtatem, aut Superior in eam conſenſerit coactus ex metu & violentia, vel deceptus, aut aliis huiuſcemodi modis. Videndum igitur ut ratificatio ſubſiſtat, quomodo ratificans profeſſionem ſe gerere debeat in ſingulis aſſignatis caſibus.

Ratificatio actus invalidi ſecundum Iuriſtas aliud non eſt, niſi novus actus validus ſubrogatus ad ſupplendum actum præcedentem invalidum, & finis illius eſt facere nunc bene quod antea nulliter aut ficte factum fuit. Relative huic Iuriſtarum doctrinæ ratificatio profeſſionis ita a Doctoribus definitur: *Ratificatio profeſſionis eſt priorem profeſſionem nullam per novam promiſſionem factam Deo validam reddere ſeu facere*; idcirco ratificatio eſt primus actus validus, quo quis Deo ſe obligat, cum connotatione actus præcedentis, qui exterius tantum ſpeciem obligationis præſeferebat, reipſa tamen non obligabat ob ſubſtantialem defectum irritantem. Hinc aiunt Doctores, ut Lezzana, ratificare profeſſionem idem eſſe, ac eam de novo fieri. Idcirco per ſolum & merum tractum temporis non ratificatur profeſſio, tametſi tollatur impedimentum ſeu defectus, propter quem fuit invalida, ut contingit in Matrimonio nullo, quod non incipit valere tractu temporis, niſi novus conſenſus contrahentium apponatur. Nam iuxta regulam 18. iuris in 6. *quod de iure ab initio non ſubſiſtit, tractu temporis non convaleſcit*. Quare ſi defectus ſe tenuit ex parte profitentis, requiritur novus conſenſus exterius ſignificatus, eo quod primus nullus fuerit, & alioquin aſſenſus eſt de ſubſtantia contractus. Quare communiter ſentiunt Theologi, ad ratificationem profeſſionis requiri, ut ratificans ſciat & cognoſcat nullitatem ſuæ anterioris profeſſionis. Nam ſine tali cognitione novus conſenſus non ſufficeret ad ratificandam profeſſionem, quæ nulla eſt, quia alias putaret illam priorem confirmare, & non novam emitteret; ut requiritur, & ideo animum non haberet abſolutum profitendi, ſed ex falſa ſuppoſitione præcedentis profeſſionis factæ in illam conſentiret, cum error valde conſenſui adverſetur l. *ſi per error.* §. *de iuriſdictione omnium iudicum*. Ita Suarez, Sanchez, Pellizz. Peyrin. Garcia, Bonac. & alii. Hinc non dicitur aliquis de novo profeſſionem ratificare, quando ab initio validam cenſens approbat ac renovat, niſi ea expreſſa intentione ratificet, ſi ex aliquo capite invalida fuerit. In tali tamen caſu ratificandi profeſſionem, quæ invalide fuit emiſſa, ſi Novitiatum integre, & non interrupte cum aliis requiſitis Novitius percurrerit, non tenetur novum ſuſcipere Novitiatum, utpote quia iam impleverit quod ex hoc capite Eccleſia requirit.

Verum quia fieri potuit, ut conſenſus vitiatus fuerit vel ex parte ſolius profitentis, ut ſi non conſenſit, aut metu vel dolo facta fuit profeſſio, vel ex parte ſolius admittentis, ut ſi non habuit legitimam poteſtatem, ſi non conſenſit, vel ſi ex dolo circa ſubſtantialia conſenſum præbuit, vel ex parte utriuſque ob impedimentum, quod in favorem Religionis & profitentis a iure ſtatu-

ſtatutum ſit; ex quocumque horum capite hoc contingat, ſtando cum probabiliori dicendum eſt, quod quando conſenſus deficit ex parte alterius tantum, ſatis erit quod ille novum conſenſum eliciat ac ſignificet, quia iam ex parte alterius, qui ſuum conſenſum præbuit, nec ut ſupponitur, fuit retractatus, perſeverare cenſetur, nec in tali caſu requiritur ut innoventur ſolemnitates, quæ in emittenda profeſſione fieri conſueſcunt. Immo quando deſuit conſenſus in profitente, poteſt, ut antea notatum fuit, tacite profiteri, actus profeſſorum exercendo, cum ſacra Congregatio Concilii admittat diviſionem profeſſionis, quæ communiter habetur apud Theologos in expreſſam, quæ verbis, & tacitam, quæ factis internum conſenſum ratificantis explicat, dum in aliquibus declarationibus profeſſionis invalidæ addit, teſte Fagnano, clauſulam, *dummodo expreſſe vel tacite non ratificaverit*. Hoc tamen modo, ideſt per tacitam ratificationem non revalidatur profeſſio, niſi poſt quinquennium conceſſum a Tridentino ad reclamandum, ut infra dicetur, incipiendo a die poſt dictum quinquennium expletum, quo cognita fuit emiſſæ profeſſionis nullitas, ac peragendo actus profeſſorum animo ſeu intentione ratificandi profeſſionem, quæ nulliter emiſſa deprehendatur. Quando vero defectus conſenſus ſit in utraque parte, in profitente & admittente, probabilius eſt requiri novum aſſenſum in utroque, ut exigit natura cuiuſvis contractus. Et Suarezius tom. 3. *de Relig.* lib. 7. cap. 1. n. 20. ac alii contra alios volunt cum Navarro lib. 3. Conſil *de Regular.* conſ. 27. n. 2. quod quando deſuit conſenſus ex parte Prælati admittentis, non requiratur novus conſenſus, eo quia ſuppleverint Eccleſia & Pontifex intendentes profeſſionem acceptare, & afferunt cap. *Significatum de Regularib.* cap. 1. in 6.

## §. XXXIV.

### *De effectibus profeſſionis validæ ac ratificationis.*

Varii ſunt effectus quos parit Religioſa profeſſio; alii communes ac præcipui, qui ex vi ſolius profeſſionis dimanant, aliqui qui veluti de conſequenti profeſſo obveniunt, cuiuſmodi ſunt privilegia, exemptiones, aliique favores qui ex munificentia ſummorum Pontificum Religioſis perſonis competunt; ſed de his in poſterum ſermo habebitur. Nunc igitur de communibus ac præcipuis effectibus, qui ex vi ſolius profeſſionis procedunt, loqui debemus, & hi multiplices ſunt; primus quorum iuxta communem poſt D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 3. ad 3. eſt pleniſſima peccatorum omnium remiſſio, non tamen quoad reatum culpæ, cum talis actus non ſit Sacramentum, ſed quoad reatum totius temporalis pœnæ debitæ profitenti in Purgatorio, & hoc habetur etiam in Decretis 23. q. 2. cap. *admonere*, & cap. *Quis aliquando* §. *his auctoritatibus de pœnitent.* diſp. 1. necnon in vitis Patrum. Unde D. Hieronymus in ep. 8. & 25. appellat profeſſionem *ſecundum Baptiſma*. Ad hunc tamen effectum conſequendum neceſſe eſt ut qui profitetur ſit in gratia; quia non ſecus ac alia opera bona, illa pœnæ remiſſionem non cauſſat ex opere operato, ſicut Baptiſmus, ſed ex opere operantis, ideſt ex merito ipſius excellentiſſimi operis, quo profitens ſe totum divinis mancipat obſequiis. Secundus effectus eſt tollere irregularitatem ex defectu natalium quoad ſacrorum Ordinum ſuſceptionem, non vero quoad Prælaturas ex cap. 1. *de filiis Presbyteror.* Poſſunt tamen circa Prælaturas a ſuis propriis Superioribus diſpenſari iuxta Sanchezium. Tertius effectus eſt abolere ingratitudinem filii erga patrem, ita ut nequeat eum exhæredare ex cap. *finali* 19. q. 3. Quartus effectus eſt dirimere Matrimonium ratum, non conſummatum. Quintus effectus eſt ut in ipſam profeſſionem commutentur vota omnia facta in ſæculo vel in Novitiatu, tam realia quam perſonalia ut ex cap. *Scriptorem de voto*, & DD. communiter cum D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 1. & in 4. diſt. 38. q. 1. art. 4. quia obſequia omnia Deo promiſſa, utpote opera particularia, eminenter continet ipſa Religioſa profeſſio, per quam ſe ac omnia ſua profitens divino dicat obſequio; moritur enim priori vitæ, nihil, nec propriam voluntatem ſibi reſervans. Et hoc contingit etiam, ſi profitens expreſſam intentionem haberet ea non commutandi, quia hæc commutatio non pendet a voluntate profitentis, ſed ex iure eccleſiaſtico, & naturali, & ex ipſa rei natura, ut docent Sylveſt. Lezz. Caiet. qui addunt, hoc intelligendum eſſe etiam de iuramentis ſive realibus ſive perſonalibus ſoli Deo factis ante profeſſionem. Quod ſi iuramenta facta fuiſſent homini, & ab eo acceptata, non poſſent in profeſſionem commutari, cum enim hæc ſint Ius acquiſitum tertio, in melius commutari nequeunt; quia cum promiſſarius ius ad

rem promiſſam acquiſierit, ſine libera ceſſione privari nequit. Nec pariter eximeretur a tali onere ſi eſſet hæres defuncti habentis tale votum reale, idcirco implendum eſſet ab hæredibus profeſſi, quia talis obligatio coniuncta eſt hæreditati.

Num vero gaudere poſſit tali votorum commutatione Religioſus, qui ieiunia aliaſve Ordinis auſteritates plerumque non obſervat, reſpondet Cuniliatus cum regula generali commutationis votorum, quod ſicut notabiliter deficiens in obſervantia re vel actione in quam commutatum eſt votum, reus eſt ſacrilegæ omiſſionis, ſic in præſenti. Nam in eo præcipue fundatur ratio D. Thomæ: non enim ſatis eſt ut tria vota obſervet, eo quia commutatio facta non fuit in ſola vota ſolemnia, ſed magna ex parte in cæteras auſteritates, quas unaquæque Religio plus minuſve habet. Sextus effectus eſt maculam expiare circa aliquos iudiciales actus, & ſic ineptus ad teſtificandum, eo quod periurii ac furti fuit damnatus, per profeſſionem fit aptus ad ferendum teſtimonium, quia in eo qui totus dicatus eſt Dei obſequio ceſſat præſumptio falſæ teſtificationis ex illis delictis ortæ. Septimus effectus eſt, ut per profeſſionem filius familias liberetur patria poteſtate, ſecus vero in aliis, in quibus id eſſet in eius detrimentum, iuxta regulam iuris in 6. *quod in gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum*. Octavus tandem effectus intrinſecus & eſſentialis profeſſionis Religioſæ eſt fundatus in contractu inter Religionem & profeſſum, ut profitens per quamdam filiationem, ac honorificam ſervitutem, qua ſe tradit in tali actu Religioni, tranſeat in dominium & poteſtatem Religionis, ſuorumque Prælatorum ad obſequendum in omnibus quæ ſunt iuxta Regulam, Conſtitutiones, ac conſuetudines illius, ita ut vi talis actus ſeu contractus Religioni obtemperare debeat, ab ea regi, ac nunquam illius ſubterfugere dominium, iugum excutiendo, & ſi eam deſerat, habitumque dimittat, cogi poteſt ut ad illam revertatur, necnon ut apoſtata ac deſertor Religionis ab ea incarcerari poteſt, & puniri. Viciſſim vero Religio quoque tamquam mater filium, Dominus ſervum, Reſpublica civem, ſe obſtringit ac obligat ad conſulendum in omnibus Religioſo tam benevalenti quam ægroto, tam viventi quam defuncto, de neceſſariis omnibus ad victum, veſtitum, educationem, tam ſpiritualem quam intellectualem, necnon ad quæcumque alia ſubſidia & ſuffragia, iuxta Regulam & Conſtitutiones Ordinis. Verum ſicut vi profeſſionis Religio tenetur Religioſum alere, ac in omnibus, quæ ei opus ſint providere, eum dirigere, gubernare, nec ſine eius culpa poteſt eum eiicere; ita Religioſus ſe obſtringit eum ad ei obſequendum circa illa omnia, quæ ſpectant Regularem vitam, prout in eius Regula, Conſtitutionibus, conſuetudinibuſque præſcribitur, tum ad eidem inſerviendum tam in divini cultus miniſteriis, quam quoad reliqua omnia quæ a Superioribus ei iniunguntur, ſecundum ius quod ad normam Regulæ ac Conſtitutionum habet Religio in ſui Religioſi operas, artes, miniſterium, induſtriam ac laborem. Et quoad ea quæ ſpectant ad Regularem vitam, certum eſt teneri Religioſos omnes utriuſque ſexus vi ſuæ profeſſionis obſervare Regulam, & Conſtitutiones, etiamſi conſtituti ſint in gradu Superioris, tam quoad vim directivam quam coactivam, cum etiam Prælati membra ſint Religionis, & Conſtitutiones factæ ſint auctoritate Capituli generalis, quod ſuper ipſos quoque habet auctoritatem. Suarez, Rodriquez, Lezzana & alii. Ut autem dignoſcatur quænam culpa vi Regulæ aut Conſtitutionum incurratur, num mortalis, an vero tantum venialis, videndum, quantum Regula ſeu Conſtitutiones cuiuſcumque Ordinis obligent, an ſub mortali vel ſub veniali, vel ad culpam, vel tantum ad pœnam. Circa vero alia obſequia, quæ iuxta Regulam aut Conſtitutiones & Regularem conditionem Religio exigere poteſt ac Superiores iniungere Religioſo in divinis miniſteriis, aliiſque operibus, quæ utilia eſſe poſſint Religioni, paratus eſſe debet meliori modo quo queat eidem inſervire; idcirco tenetur, ait P. Cuniliatus, ſe idoneum reddere ſtudio & labore ad munera ſibi imponenda iuxta ſui Ordinis inſtitutum, eademque obeunda; & quia contractus huiuſmodi eſt eorum, qui in utilitatem utriuſque contrahentis cedunt, hinc reus fit gravis culpæ ſi committat culpam levem iuridicam, ideſt ſi omittat eam curam & diligentiam, quæ a diligentioribus impendi ſolet. Quocirca reus fit lethalis peccati Religioſus, qui in Religione ubi coluntur ſcholaſtica ſcientiarum exercitia, ut fit in Ordinibus Mendicantibus, negligit incumbere ſtudiis, Philoſophiæ, Theologiæ aliiſque ſacris, quibus idoneum ſe reddat ad inſerviendum Religioni in Scholis, in Confeſſionali, in Pulpitis, in Chorali cantu; ſi neceſſarium laborem omittat, ſedulamque diligentiam non im-

impendat, ut ad hæc, aliaque obeunda munia aptus fiat. Neque ſibi blandiri debet ac cor ſuum ſeducere, quod ſibi ſufficiat in aliquo dumtaxat officio Religioni inſervire; minime gentium; quia ad omnia ſi poſſit, aptum ſe reddere debet ex ſtricta & rigoroſa iuſtitia: non enim ſuit ad Religionem admiſſus, neque ab eadem conductus, ut in tali miniſterio dumtaxat eidem inſerviat, ſed ad omnia obeunda, quatenus caſus recurret, ipſique Religioni opus ſuerit; quandoquidem ipſa ſubminiſtrat media requiſita, quibus ſi velit poſſit ad omnia Inſtituti munera ſe coaptare, ad quod, iterum dico, tenetur eam ſedulitatem præſtare, quam non ſolum diligentes, ſed, ita exigente natura huius contractus, diligentiores impendere debent. Heu! quot Religioſi, vereor, plura mortalia quoad caput hoc contra ſe opponi experientur in Chriſti iudicio, quorum nullam vel modicam rationem habuerunt, & quidem inexcuſabiliter, quia hæc ſcire tenentur, utpote eorum ſtatui intrinſeca & eſſentialia, qui alioquin tempus terueIunt in ludis, ſolatiis, nugis, itineribus, ac ſtudiis ſuæ vocationi extraneis, loco illud impendendi ad ſe habiles efficiendos inſerviendi Deo, & Religioni iuxta ſpiritum ſuæ vocationis, ſuique Inſtituti. Hactenus P. Cuniliati, cuius ſingula verba hic attuli, nec ita facile ut rigida vel captioſa contemnatur hæc ſententia, utpote quæ magiſtrum habet tanti ſtudii in morali diſciplina & auctoritatis. Hanc doctrinam confirmant præcipue quoad Religioſos Mendicantes eorum Inſtituta, ac finis & intentio piorum fidelium in bonis, quæ his Ordinibus ſtabilia bona poſſidentibus, reliquerunt, & in eleemoſynis, quas & his, aliiſve bona ſtabilia non poſſidentibus, pro eorum ſuſtentatione elargiuntur. Quia Ordines Mendicantium utpote aſſociantes in ſuis Inſtitutis Martham ſimul & Magdalenam, vitam ſcilicet activam & contemplativam, ad hoc approbati fuere ab Apoſtolica Sede, ut coadiutores eſſent in ſollicitudinem ſpiritualis Fidelium ſalutis, & Fideles ad hunc finem, & ea intentione reliquerunt ſuas facultates iſtis Ordinibus, & quotidianas pro eorumdem ſuſtentatione ipſis eleemoſynas elargiuntur, nempe ut inceſſanter ad Dei gloriam per orationis frequentiam, aliaque eccleſiaſtica officia ſe exerceant, & ad proximorum utilitatem, eis miniſtrando tamquam coadiutores in prædicationis miniſterio, in eorum confeſſionibus excipiendis, aliiſque eccleſiaſticis muniis, quæ ipſis neceſſaria ſunt ad ſpiritualem eorum profectum & ſalutem: Unde manifeſtiſſime patet teneri hos Religioſos ex ſtricta iuſtitia ſe aptos reddere ſpirituali proximorum bono inſerviendi, ut de piis Fidelium elargitionibus participent, ita ut ſi negligant, non ſine gravi culpa defraudent in hiſce ordinibus intentionem tum ſummorum Pontificum in eorumdem Inſtituti approbatione, tum Fidelium in eorum elargitionibus ac Eleemoſynis. Et equidem cum S. Franciſcus in ſua Regula præordinet, ut Fratres, quibus dedit Dominus vires laborandi, ſine præiuditio orationis & devotionis laborent de laboritio pertinente ad honeſtatem, & ut de mercede talis laboris pro ſe & fratribus ſuis neceſſaria corporis recipiant; & quando non daretur pretium laboris, vel hoc non ſufficeret ad ſuſtentationem, recurratur ad menſam domini *petendo eleemoſynas:* Hunc regulæ punctum elucidans Nicolaus III. ait, non fuiſſe S. Inſtitutoris intentionem, quod vacantes ſtudio vel divinis officiis & miniſteriis exequendis, manuali labori ſubiiceret: & ante Nicolaum III. docuit S. Thomas, Religioſos poſſe de eleemoſynis vivere, primo ptopter neceſſitatem, quæ contingit quando non poſſint victum labore manuum ſibi quærere, vel ſi illud quod ex opere manuum acquirunt eis ad victum non ſufficeret: Secundo ſi prædicent auctoritate Prælatorum, aut altari miniſtrent, & Sacramenta adminiſtrent, vel etiam ſi ſtudio ſacræ Scripturæ ad communem utilitatem totius Eccleſiæ inſiſtant. Poſt hæc ſubiungit S. Patriarcha: Si vero aliqui ſint Religioſi, qui ſine neceſſitate & utilitate quam afferunt, velint otioſi de eleemoſynis quæ dantur pauperibus vivere, hoc eſt illis illicitum. Et ſimilia habet S. Auguſtinus *de Opere Monachorum*, & S. Bonaventura in ſua epiſt. ad Provinciales, & Cuſtodes ſui Ordinis, ubi ait de otioſis Religioſis, *non tam carnaliter, quam crudeliter ſanguinem comedunt animarum*. Igitur ex D. Thoma, & S. Bonaventura Religioſi ex eleemoſynis vivere poſſunt, tametſi manibus non laborent, ſi pro Eccleſia ſpiritualiter & utiliter laborent. Et hoc probat mos etiam quarumdam Civitatum, præcipue Belgii, vicinarumque Provinciarum (notat Van-Eſpen) non recipiendi Ordines Mendicantes cum facultate oſtiatim quæſtuandi, niſi ut Parochiarum & Ordinariorum Sacerdotum coadjutores ſint & ſubſidiarii cum onere inſerviendi populo in ſpiritualibus, ubi id neceſſitas poſtulaverit; & nomine eleemoſyna-

rum

Digitized by Google

rum veniunt bona etiam ſtabilia, quæ ad hunc finem Ordinibus Mendicantibus a S. Sede indultum fuit, & per Tridentinum approbatum poſſidere, ob inſufficientem eleemoſynarum collectionem, & hac intentione a piis Fidelibus hiſce Ordinibus relicta fuere. Sed de hoc fuſius in poſterum in Tractatu de paupertate Religioſa.

## §. XXXV.

### *De jure reclamandi ad reſcindendam profeſſionem.*

Reclamationis nomen in præſenti ius illud ſignificat, quod competit cuique Regulari utriuſque ſexus prætendenti ſe invalide profeſſionem emiſiſſe, ut intra tempus a iure præfixum coram legitimo iudice cauſſas nullitatis ſuæ profeſſionis allegare queat, ad hoc ut etiam pro foro externo a Religionis jugo, ipſiuſque oneribus eximatur. Olim, ſicuti notant Canoniſtæ ad cap. 1. §. *de iis quæ vi metuſve cauſſa fiunt*, ſi qui profeſſus Monaſterio exiverat, juſtam cauſſam timoris ſeu nullitatis ſuæ profeſſionis prætendebat & allegabat, ad ſuum Monaſterium redire non compellebatur, niſi prius cauſſa definita. Verum cum hujuſmodi receſſus a Monaſterio, ac indefinita & illimitata facultas contra ſemel emiſſam profeſſionem reclamandi, varia ſecum traheret, incommoda, his occurrere volens ſancta Trid. Synodus ſtatuit ſeſſ.25.c. 19. *de Regularib.*, quod *quicumque Regularis prætendat, ſe per vim & metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacumque de cauſſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine Superiorum licentia, non audiatur, niſi intra quinquennium tantum a die profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſſas quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo & Ordinario. Quod ſi antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandam quamcumque cauſſam admittatur, ſed ad Monaſterium redire cogatur, & tamquam apoſtata puniatur, interim vero nullo privilegio ſuæ Religionis juvetur*. Tria igitur hic ſtatuit S. Synodus: 1. ut Regularis prætendens ſuam profeſſionem invalidam eſſe & nullam *ob vim, metum, vel allatum defectum ætatis, aut quid ſimile*, debeat cauſſas nullitatis adducere ante quinquennium a die profeſſionis, alias non eſt audiendus, quia expleto quinquennio profeſſio præſumitur valida aut ratificata. Fagnanus tamen infert ex verbis Concilii, non fuiſſe ipſius mentem, ut per lapſum quinquennii inducatur tacita profeſſio, ſed tantum ut poſt tanti temporis ſilentium audientia negetur. Nec iam abſurdum eſt, ut qui tamdiu ſiluit non audiatur. Verum cum Synodus nullam cauſſam nullitatis excipiat, ſed duabus expreſſis dicat, *aut quid ſimile*, ideſt nullitatem profeſſionis inducens, non videtur Synodum diſtinxiſſe inter impedimenta temporalia ac perpetua, unde elapſo quinquennio pro quocumque impedimento non habetur locus ad reclamandum, licet quis ignorantiam nullitatis, aut impedimentum prætendat, quominus cauſſam nullitatis deducere potuerit. Et hoc confirmavit ſacra Regularium Congregatio, nempe reiectum fuiſſe poſt quinquennium quemcumque recurſum, ut fieret locus ad reclamandum, & hæc ſacræ Congregationis declaratio, nempe reclamantem poſt quinquennium non eſſe audiendum, habetur ex Gregorio XIII. Si vero impedimentum notorium ſit facti permanentis, ut ſuper illud quæſtio ulla moveri nequeat, etiam poſt quinquennium proponi poterit (ait Van-Eſpen cum Fagnano) *non quia, puta, ſi vir in habitu muliebri profeſſionem emiſerit inter Moniales, adeſt periculum ſcandali, & peccati perpetuum, ſed ob notorietatem facti permanentis*.

Plures tamen Canoniſtæ ſuſtinent, quinquennii lapſum non impedire quin ex iuſta cauſſa detur reſtitutio in integrum, & hanc opinionem confirmat praxis Curiæ Romanæ notat Van-Eſpen ex diſcurſu 41. *de Regularib.* Card. de Luca.

Secundo juxta eumdem Concilii Trid. decretum Regularis cauſſas quas prætendit nullitatis deducere debet coram ſuo Superiore, ideſt Prælato locali Monaſterii ubi profeſſus eſt, vel ubi cum obedientia collocatus a Superioribus de familia moratur, & *Ordinario*, nempe Epiſcopo loci, a quibus ſententiam attendat. Tertio, quod ſi Regularis, antequam cauſſam nullitatis coram ſuo Superiore & Ordinario deduxerit, habitum ſponte dimiſerit, vel ſine licentia fugiat, nullatenus ad allegandam cauſſam admittatur, ſed ad Monaſterium redire cogatur, & tanquam apoſtata puniatur. Porro ut ad Monaſterium redire cogatur donec cauſſa deducta finita ſit, non attenditur num cauſſa dimittendi habitum iuſta fuerit vel non, ſicuti monet de Luca cit. diſcurſ. 41. *de Regularib.*

Illicite tamen & mortaliter uterentur tali iure reclamandi, qui vere in conſcientia ſunt profeſſi, vel ante quinquennium coram

Deo

Deo, & in conſcientia tacite vel expreſſe profeſſionem ratificaverint, immo & dubii tantum de validitate; quia quoad priores vere profeſſi ſunt, & locus reclamationi datur tantummodo quando profeſſio invalida fuerit nec poſtea ratificata, & poſterior in dubio expoliare nequit Religionem ſubdito quem poſſidet, & in dubio non datur locus compenſationi, ut dicitur in materia iuſtitiæ, & cum profeſſionem emiſerit, in dubio præſumendum eſt, illam, ſicut oportet, emiſiſſe. Si quis autem opinionem haberet probabiliorem, ſe non eſſe profeſſum, tunc poterit licite reclamare, non ſecus ac fit in iis quæ ſunt iuſtitiæ, cum in tali opinione detur locus compenſationi. Nec pariter poterit reclamare, qui ficto animo tacite profeſſus ſit, niſi per teſtes, quibus hoc ſignificaverit, probare queat, ſe ingerendo exercitiis profeſſorum proteſtatum fuiſſe, nolle per hæc ſigna profiteri vel profeſſionem ratificare; alias ei non eſſet credendum, licet ſuam fictionem iuramento firmaret. Teſtibus enim deficientibus in propria cauſſa nemini etiam iuranti in foro externo fides habetur, præcipue ſi extent geſta in contrarium, ex cap. *Vidua* q. 1. cap. 2. Item ſi quis expreſſe profeſſus fuerit, vel ratificaverit, tametſi coram teſtibus proteſtetur ſe ficte profiteri, nihil in foro externo ei talis proteſtatio inſervit, quia generalis lex eſt in omni contractu, qui a duorum voluntare pendet, non valere proteſtationem, præcipue citra iuſtam cauſſam, niſi alteri parti innoteſcat: ſecus enim dicendum ſi detur iuſta cauſſa talis ſecretæ proteſtationis, puta ſi ad vitandum ſcandalum, vel ob vim & metum vult & debet exterius profiteri, vel profeſſionem factam ratificare, dum tamen interius non vult conſentire, tunc enim valebit proteſtatio.

Religioſus reclamans debet quidem recipere alimenta a Religione uſque ad ſententiam definitivam excluſive, quia interim filius & pars Conventus cenſetur, ipſe autem cum ſit actor pro ſua utilitate ſubire debet expenſas occurrentes pro obtinenda ſententia. Lite completa, ſi iudicium exeat reclamanti favorabile, Religio antequam exeat ab Ordine, omnia eidem reſtituere debet, quæ ipſi dum erat in Ordine relicta fuerint a conſanguineis, cognatis aut amicis, quia relicta præſumuntur intuitu potius cognationis vel amicitiæ, quam Religionis; omnia item quæ ex hæreditate, legato, donatione, renunciatione aliove titulo, intuitu eiuſdem Religionis ei obvenerint, cum hæc omnia valida non ſint, niſi ſecuta valida profeſſione. Non tenetur tamen Religio ei reddere lucra ſeu emolumenta, quæ ipſe intuitu ſtatus Religioſi ſeu titulo Religioſo acquiſierit, ut ſunt ea quæ per auditionem Confeſſionum, Conciones, Lectiones &c., ipſi relicta ſunt ab extraneis, utpote quæ intuitu Religionis donari cenſentur, & quæ per pecuniam ex his perceptam acquirere potuerit, quia horum omnium proprietas perpetuo apud Religionem manet, utpote illius intuitu acquiſita. Bordon. Pellizz.

Non ſecus ac Religioſus nulliter profeſſus ius habet reclamandi intra quinquennium, ut in iudicio talis nullitatis diſcedendi e Religione libertatem acquirat, cum correlativorum eadem ſit ratio, Religio quoque, quando ipſi conſtet eum invalide profeſſionem emiſiſſe, nec curet aut velit reclamare, poteſt eum cogere intra quinquennium ad reclamandum, & ſi nolle reclamare perſiſtat, illum eiicere poteſt, dummodo illius profeſſionis invaliditas non ſit ex defectu ſolius conſenſus, ut antea notatum iam fuit; alias diſpoſitio iuris, quæ inducta fuit in favorem Religionis, cederet in eius perniciem, ſi teneretur alere Religioſum, & ſe exponeret periculo ut ab eo deſeratur, & ipſa non poſſet eum cogere vel ad ratificandam profeſſionem, vel ad reclamandum iuxta Tridentinum, vel tandem eum expellere. Peyrin. Lezzan. Ad hoc tamen non requiritur auctoritas Ordinarii; nam hæc petitur tantummodo, ne Religioſus manere cogatur in Religione, non vero quando Religio cedit iuri ſuo, & cum illi conſtat de nullitate profeſſionis, fictum Religioſum, qui renuit reclamare vel ratificare profeſſionem, a ſuo conſortio vult eiicere.

## §. XXXVI.

*De Regulari aſſumpto ad Epiſcopatum, Cardinalatum, Abbatiam vel Parochiam extra Ordinem, circa eius liberationem a iugo Religionis.*

Circa Regularem aſſumptum ad Eccleſiaſticam dignitatem, ideſt in Epiſcopum, aut ad aliam dignitatem quaſi Epiſcopalem, cuiuſmodi eſt Cardinalatus, Abbatia, ut extra Religionem, Diœceſim ſeu quaſi Diœceſim propriam habeat, ſeu nulli Epiſcopo ſubiectam, varia inquiri ſolent a Theologis, quoad exemptionem eorum, ad quæ vi ſuæ profeſſionis tenetur, nempe an abſolu-

tus

tus maneat a tribus votis ſolemnibus, an de ſuis bonis diſponere poſſit, an teneatur etiam extra Ordinem ad illius obſervantias, an omnia intelligenda ſint de Epiſcopis generatim, ideſt etiam de Epiſcopis Titularibus, necnon de iis qui Epiſcopatui renunciarunt poſt eorum renunciationem, ac tandem de iis ad quos ſpectant eorum bona. Et quoad primum non deſunt Theologi cenſentes, Regularem ex quo ad Epiſcopatum aſſumptus eſt, liberum fieri ab onere duorum ſubſtantialium votorum, paupertatis ſcilicet & obedientiæ, cum caſtitati ex ipſo ſacro Ordine obnoxius reddatur. Probabilius tamen & communius ſuſtinent DD. huiuſcemodi Regularem per aſſumptionem ad Epiſcopatum, vel ad aliam huiuſcemodi eccleſiaſticam dignitatem non eximi ab obligatione votorum, licet ob munus & excellentiam dignitatis non eum æque obliget, ac in ſtatu puri Religioſi, eorum obſervantia. Nam primo Regularis factus Epiſcopus, adhuc manet verus Religioſus, ut communiter ſentiunt DD. & hoc oſtendit obligatio, quæ eidem ineſt habitum deferendi ſuæ Religionis. Unde cum ſit de eſſentia ſtatus Religioſi, quod tribus votis ſubſtantialibus obſtringatur, ut ex cap *Ad Monaſterium de ſtatu Monachali*, ab his non eximitur Religioſus per aſſumptionem ad dignitatem Epiſcopalem, aut quaſi Epiſcopalem. Etenim ſi Pontifex ipſe, qui exigente graviſſima cauſſa boni communis facultatem habet diſpenſandi in ſolemnibus votis, nequit ab his diſpenſare, niſi diſpenſandum extrahat de ſtatu Monachali, ideſt faciat eum de Monacho non Monachum, & minime cum illo diſpenſare valet donec maneat Monachus ſeu in ſtatu Monachali eum relinquendo; hinc cum Religioſus per aſſumptionem ad Epiſcopatum non ſubtrahatur a ſtatu Religioſo, ſed in illo prorſus relinquatur, ut non ſecus ac antea vere Religioſus ſit, plane ſequitur, æque ac ante aſſumptionem ad Epiſcopatum tribus ſubſtantialibus votis eſſe obnoxium. Secundo, quia licet Regularis dum factus eſt Epiſcopus, æque ac antea eodem ritu ſeu modo non ſit prorſus obſtrictus ad paupertatis & obedientiæ obſervantiam, non idcirco ab eo tolluntur hæc duo vota, immo nec relaxantur ac minuuntur, niſi quatenus eorum obſervantia opponitur Epiſcopali muneri vel dignitati tamquam maiori bono; vota vero paupertatis & obedientiæ non obſiſtunt muneri Epiſcopali, nec ipſum dedecent, quin potius tamquam ſtatum perfectiſſimum iuvant & valde decent. Eximuntur quidem ab obediendo Prælatis Regularibus, eo quod ipſi per accidens ſint in ſtatu ſuperiori, non ſecus ac Generales Religionum, qui non habent ſupra ſe Prælatum Regularem, & ſubiecti ſunt Pontifici non ſolum ut alii Fideles, ſed ſicuti Prælato Generaliſſimo omnium Religionum. Non pendent pariter a Regularibus Prælatis quoad bonorum eccleſiaſticorum aliorumve adminiſtrationem, quod repugnat muneri Epiſcopali, ac proinde libere de illis diſponere poſſunt in quoſcumque uſus decentes, prout melius illis videatur; ſed remanet in ipſis dominii abdicatio, quæ Epiſcopali muneri non adverſatur iuxta D. Th. 2. 2. q. 88. art. 11. ad 4. & q. 185. art. 8. ad 3. ubi explicans cap. *Unic* 17. q. 1. ait: *Proprium autem nullo modo habere poſſunt; non enim paternam hæreditatem vindicant quaſi propriam, ſed quaſi Eccleſiæ debitam*, & cum S. Th. ſentiunt Lezz. Sanch. Azor. Bonac. Lezz. & alii.

Quare cum citatis Doctoribus infertur, non poſſe Regularem Epiſcopum de illis bonis teſtamentum facere, tametſi poſſit inter vivos, non ſecus ac alii Epiſcopi, licite diſponere de bonis Beneficii, aliiſve ad moderatam ſuſtentationem ſecundum proprium ſtatum, & ad donationes ipſi congruentes, & ſuperflua in eleemoſynas, & alia pia opera erogare tenetur.

Circa vero obligationes Epiſcopi vel Abbatis &c. Regularis quoad alias Regulæ vel Conſtitutionum obſervantias, ſupponunt ac docent Salmantic. cum Caiet. Lezz. & aliis, quoad vim coactivam, ſeu quoad pœnas & cenſuras in eis contentas, non teneri. Idemque dicito circa vota ſubſtantialia, ita ut ſi Regulam Conſtitutioneſve, aut etiam vota tranſgrediantur, non ſubiaceant pœnis aut cenſuris indictis contra tranſgreſſores. Nam dedecet Epiſcopalem, ſeu dignitatem quaſi Epiſcopalem ita ad talia obligari, ut ſi delinquat pœnis ſubiiciatur; hoc enim convenit diſcipulis, ideſt inferioribus regendis, non magiſtris, quales ſunt Epiſcopi a Prælatorum iuriſdictione exempti. Tenentur quidem, ut hic ſupponunt ac docent cit. Salmanticenſes cum D. Th., Turrecremata & aliis, ex morali honeſtate ad obſervantiam Regulæ, aliarumve principalium Conſtitutionum, dummodo tamen earum executio ſuum non dedeceat ſtatum, vel ipſorum muneri non repugnet, quia ſi eorum muneri eſſent obſtacula, ut nimiæ vigiliæ, immoderatæ abſtinentiæ,

ſilen-

Digitized by Google

ſilentium, ſolitudo, & alia eiuſdem generis, quæ dedecent ipſorum ſtatum ac dignitatem Epiſcopalem, ad hæc nullo modo tenebuntur. Status enim Regularis comparatur ad Epiſcopalem ſicut diſciplina ad Magiſterium, & ſicut diſpoſitio ad perfectionem: adveniente vero perfectiori forma non excluditur diſpoſitio illam conſervans & eum illa compatibilis, bene quidem quantum ad id quod obſtat illius perfectioni; & ſimiliter adveniente Magiſterio excluditur diſciplina diſcipuli quantum ad id quod indecens eſt illi ſtatui, euiuſmodi eſt quod Magiſter audiat lectiones, inſtruatur, caſtigetur, non quantum ad illud quod cum ipſo compatitur, ut quod ſtudeat, legat, meditetur: idem igitur cum proportione in caſu noſtro eſt diſcurrendum. Ita D. Thom. loco cit.

Licet autem ex quadam decentia teneatur ad dictas Regulæ & Conſtitutionum Ordinis, ex quo aſſumptus eſt, obſervantias, quæ non opponuntur ſuo muneri, nec eius dignitatem dedecent, probabilius tamen non tenetur vinculo legali & quoad culpam; quia ad hoc ut obſervantia Regularis obliget quoad culpam, neceſſe eſt ut talis ſit Regulæ ſubiectus; idcirco ad tantum obligare nequit Religioſum factum Epiſcopum, utpote qui per aſſumptionem ad huiuſmodi dignitatem poſitus ſit extra regimen Religionis, ac proinde a iugo Regulæ ſubtractus. Sic Caiet. tom. 2. Opuſcul. tract. 35. *de obligat. & obſerv. præcept.* q. 2. ubi retractit ſententiam, quam antea tenuerat cum Lezz. Covaruv. Bonac. Suarezio & aliis. Et ſic abſolvitur etiam a reliquis votis profeſſioni annexis ac acceſſoriis vitæ Monaſticæ. Idcirco non peccaret comedendo carnes, etiamſi talis abſtinentia ſub mortali culpa præciperetur, ut in Minimis perpetuo, & in aliqua Religione feria ſexta, quando ea die occurrat celebratio Nativitatis Domini.

Tenetur tamen debito legali quoad culpam deferre habitum ſui Ordinis, ubi non invaluerit contraria conſuetudo, ut in Gallia, ut ex cap. penult. *de vita & honeſt. Cleric.* & ſic tenent cum D. Thom. Leſſius, Suarez & alii. Nunc autem ſatis eſt ut ſervent colorem habitus ſui Ordinis, cum iam in Rituali Romano reformato per Clementem VIII. conceſſum ſit Epiſcopis Regularibus, ut retento colore, quoad formam habitus poſſint ſe conformare Epiſcopis ſæcularibus, ſalvo quod nequeunt portare Rochetum, bene quidem in functionibus Eccleſiaſticis ſuperpelliceum ſuperponere. Eximuntur vero ab hoc onere Canonici Regulares facti Epiſcopi ex privilegio Leonis XI. Conſtit. ſua 24. Cardinales item ex Ordinibus aſſumpti deferre poſſunt birretum rubrum ex conceſſione Gregorii XIV. teſte Lezzana. Licet Epiſcopus Regularis peccet mortaliter habitum ſui Ordinis temere deponendo, non incurrit tamen pœnam excommunicationis cap. 2. *Ne Clerici vel Monachi*, quia ibi loquitur textus de Religioſis viventibus ſub obedientia ſui Abbatis, eiuſque Regulis obſtrictis, ne detur ipſis occaſio evagandi. Sic Lezz. Pellizz. Sanch. & alii.

Huiuſcemodi exemptionibus gaudet Religioſus ſtatim ac a Sede Apoſtolica electus eſt & confirmatus; quia ex tunc eſt ſub ſpeciali Romani Pontificis protectione, a qua ſine licentia recedere nequit, ac ideo ex tunc liberatur a ſubiectione Prælatorum Regularium, & incipit gaudere Epiſcopali iuriſdictione. Gaudent Regulares hoc privilegio, etiamſi relinquant Epiſcopatum, & deponantur, quia adhuc perſeverat dignitas, & ſtatus perfectio, quæ cauſſa fuit ut talem diſpenſationem adipiſcerentur. Lezz. Navar. & alii. Quare ob eamdem rationem huiuſcemodi exemptionibus potiuntur etiam Epiſcopi, qui dicuntur Titulares, nempe ſubditis carentes. Suar. Azor. Lezz. cum aliis.

Circa Regulares vero aſſumptos ad Parochialem Eccleſiam, vel ad alia beneficia extra Religionem, quidquid aliqui in contrarium ſentiant, verius eſt, hoſce quidem abſolvi ab obſervantiis Regularibus, quæ in Eccleſia ſæculari una cum Parochiali munere commode ſervari nequeunt; ad alias vero quæ tale munus minime impediunt, teneri non ſolum ex decentia, ſicuti Epiſcopus, ſed ex debito legali & ſub ea culpa, ſub qua alii Religioſi tenentur, & iiſdem pœnis ſubiiciuntur quibus alii Religioſi; quia in Parocho non currit eadem ratio, vi cuius diximus Epiſcopum abſolvi. Unde tenetur portare habitum ſuæ Religionis, ita ut ſi temere dimittat, in excommunicationem incidat, & renunciata Eccleſia Parochiali tenetur redire ad Monaſterium ſub obedientia ſui Superioris, ſicuti omnes alii Religioſi. Pellizz. Sanch. & alii.

Bona autem Epiſcoporum Regularium, ac eorum qui Beneficiis inſerviunt, quæ ipſi habebant antequam fierent Epiſcopi vel Beneficiati, ad Religionem pertinent: quæ ve-

vero poſtea acquiſivere vel ex beneficil fructibus, vel ex opere, debentur Eccleſiæ cui inſerviunt. Poſſunt tamen ea ſecum deferre ſi ad aliam Eccleſiam tranſeant, cum ſub ea conditione intelligantur eis ab Eccleſia conceſſa. Bona autem Beneficiarii Regularis ex hæreditate vel legato acquiſita, acquiſita ſunt Monaſterio, cui adhuc manet ſubiectus ſi capax ſit ſucceſſionis, ſin minus, Eccleſiæ cui inſervit. Bona quæ poſt mortem apud eum ſive Parochum ſive Epiſcopum inveniuntur, dicit Lezzana ex Bulla Gregorii XIII. pertinere ad Cameram Apoſtolicam. Er ſi bona dederint Religioni dum viverent, ſecundum Lezzanam non ſunt reſtituenda Cameræ Apoſtolicæ, niſi Camera petat. Quoad bona tandem Epiſcopi Regularis Titularis, alii volunt ad Pontificem, alii ad Religionem pertinere, alii ad ſuam Eccleſiam, cuius titulum habet, ut Suarezius, & ſi non poſſint ei cum effectu applicari, diſpenſanda eſſe in pia opera. Salmant. hic.

Num vero Epiſcopi Regulares gaudeant privilegiis ſuæ Religionis, reſpondent cum diſtinctione DD. nempe circa privilegia, quæ ita Ordini conferuntur, ut ſingulis cenſeantur conceſſa, & quorum uſus eſſe poteſt ſine ullo gravamine Religionis, ut Indulgentias lucrari, his plane gaudere dicuntur; circa privilegia vero, quorum uſus cedere poteſt in Religionis detrimentum, ut habere vocem activam & paſſivam, reſidere in domibus Ordinis, his potiri nequeunt, ſicut nec privilegiis quæ generaliter conceſſa ſunt corpori Religionis, & in illius favorem ad conſervationem vel eius augmentum, ut pro domorum ædificatione, bonorum adminiſtratione, ſubditorum regimine, Prælatorum electione. Cum enim talis ſemotus ſit a corpore Religionis, gratiis corpori conceſſis potiri nequit. Suarez, Lezzana & alii.

## §. XXXVII.

### *De Religioſis Apoſtatis, & Fugitivis.*

Apoſtaſia vi nominis ſignificat quamdam deſertionem vel receſſum a Deo in aliquo bono, ſicuti contingit in Religioſis Apoſtatis, & Fugitivis, qui nituntur excutere iugum, ſeu obligationem quam habent Ordini Religioſo, in quo ſtatum Regularem profeſſi ſunt, ideſt perpetuum, ac fidelem famulatum Deo voverunt. Licet tam Apoſtata, quam Fugitivus ſint Religionis deſertores, latum tamen iuxta DD. eſt diſcrimen inter Apoſtatam, & Fugitivum, non ſecus ac inter Superiorem, & inferiorem, inter univerſalem, & particularem, nec ſunt convertibiles; nam Apoſtata eſt ille, qui deſerit Religionem cum animo ſe ſubtrahendi in perpetuum iugo Religionis; cum ex oppoſito, qui etiam dimiſſo habitu fugit cum intentione aliquando redeundi, vere, & proprie non eſt Apoſtata, ſed fugitivus; ſicuti e contra eſt vere Apoſtata, qui animo numquam redeundi deſerit Religionem, licet in ſua deſertione habitum retineat. Nihilominus tamen in praxi, ſeu in foro externo fugitivi accipiuntur, & habentur ut veri Apoſtatæ, & pro eodem ſumuntur in Decretis de Apoſtatis & eiectis a S. Congregat. Concilii iuſſu Urbani VIII. editi 21. Septemb. 1624., ac iiſdem pœnis plectendi quando per multum temporis extra Monaſterium vagentur. Qui habitu dimiſſo in fuga capitur, puniri poteſt ab Ordinario, tamquam ſui inſtituti deſertor. Non eſt Apoſtata, nec Fugitivus, qui a Monaſterio recedit ſine licentia ſui Prælati, ut accedat ad Superiores, ut aliquid obtineat, vel ut conqueratur de inferioribus Prælatis. Peccant tamen, quia in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. *de Regular.* interdicitur Religioſis receſſus a ſuis Conventibus abſque licentia Prælati, etiam prætextu Superiores ſuos adeundi, niſi fuerint ab eis vocati. Unde hi contra tale præceptum delinquerent; quamvis ſi certe conſtaret, vexationem eſſe iniuſtam, & alia via niſi fugiendo ad Superiores poſſe evadi, non eſſet peccatum grave talis fuga, quando abſque ſcandalo exequeretur, quod præponderaret damno, cui iniuſte ſubiacet; cum Concilii mens non fuerit denegare iuſtam defenſionem, quæ a iure naturali conceditur. Quod ſi Religioſus iniuſte gravatus alia via damnum vitare poteſt litteris de illo Superiores monendo, non poteſt licite fugiendo eos adire.

Non poteſt Religioſus iuſſu Superiorum in Carcere detentus, ſive iuſte, ſive iniuſte detineatur, etiamſi perpetuo in ea, vel ad triremes eſſet damnatus, fugere ut libere per mundum vagetur; ita ut talis fugitivus eſſet, & Apoſtata; idcirco ut talis puniendus. Et ratio eſt, quia Religioſus ex voto obedientiæ præceptis ſuperiorum, præcipue iuſtis, vel ſaltem ſi evidenter non conſtet eſſe iniuſtos, parere tenetur, & nullo modo ſine licentia e clauſtro exire poteſt.

Pœnæ contra fugitivos, & Apoſtatas a Re-

Religione ex iure communi ſunt ; prima excommunicatio , quæ ipſo facto incurritur ſi fuga capiatur cum depoſitione habitus ; ut expreſſe in Cap. *Periculoſa* 2. *Ne Clerici vel Monachi* in 6. Secus vero ſi fiat cum detentione habitus ; quia nullus textus allegari poteſt dictam excommunicationem infligens . Secunda , ſuſpenſio ab Ordinibus ſacris , quos Apoſtata , ac fugitivus ſuſcepit , & ſi durante ſuſpenſione celebret , incurrit irregularitatem ; Cap. *cum æterni ſentent.* , *& re iudica* lib. 2. tit. 14. in 6. a qua irregularitate licet de iure communi diſpenſare non valeat niſi Papa , de iure tamen particulari per privilegia poſſunt ab ipſa diſpenſare cum ſuis ſubditis Prælati Regulares ex conceſſione Sixti IV. in Bulla *Mare magnum* , quæ incipit *Regimini* & S. Pii V. Bulla quæ incipit *Dum ad Congregationem Caſſinenſem*.

Tertia , quod durante fuga , & Apoſtaſia Religioſus Fugitivus vel Apoſtata privatus exiſtit privilegiis ſuæ Religionis , ut ex Tridentino ſeſſ. 25. *de Regularib.* cap. 19. Item privatio vocis activæ & paſſivæ , Carceris , flagellationis , ieiunii &c. quæ diverſimode ſuis Apoſtatis , & Fugitivis a Religionibus ſunt impoſitæ .

Recipientes Apoſtatas , & Fugitivos , retinentes vel occultantes , aut eis pro fuga , & Apoſtaſia conſilium , aut auxilium præſtantes peccant mortaliter , & ipſo facto excommunicationem incurrunt ; ut ex Bullis Pontificum citatis a Caſarubi in compendio privilegiorum , & ſignanter refert Conſtitut. Innocentii VIII. editam in favorem Minorum obſervantiæ .

Prælati , ſeu Superiores Regulares tenentur Fugitivos & Apoſtatas requirere & revocare , ac cogere ut ad Ordinem revertantur ; ut ex Conſtit. Gregorii IX. in qua hoc præcipit , ac ſtatuit , ut ſi hos Fugitivos inobedientes invenerint , & excommunicent , & tamdiu faciant ab Eccleſiarum Prælatis excommunicatos publice nunciari , donec ad mandatum ipſorum humiliter revertantur .

Nec valet dicere , hunc canonem ſic præcipientem contraria conſuetudine fuiſſe abrogatum ; quia ut graviter probat Fagnanus in hoc capite *Ne Religioſi de Regularib.* n. 4. & ſeq hæc obligatio , quæ incumbit Prælatis , perquirendi , ac reducendi fugitivos , & Apoſtatas , oritur ex iure divino , quo tenentur omnes , quibus cura animarum incumbit , oves ſuas curare , & errantes reducere : Fugitivi vero , & Apoſtatæ non deſinunt eſſe ſubditi ſuperiorum Regularium ; idcirco contraria conſuetudo non vocandi illos nutrit peccatum , non ſolum ex parte ſubditorum , qui extra Religionem vagando , propriæ ſalutis ſpiritualis detrimentum incurrunt : ſed etiam ex parte Prælatorum , qui eos non inquirendo huiuſcemodi ſubditorum ſpirituali detrimento cooperantur : igitur & ſubditi non redeundo , & Prælati , eos non inquirendo , & revocando gravi culpa in conſcientia gravantur. Et eo vel maxime , quod obligatio inquirendi , & reducendi ad Religionem Fugitivos ſubditos innovata fuit a S. Congregat. Concilii , & iuſſu Urbani VIII. in ſuis decretis editis 21. Septemb. 1624. , & iuſſu Innocentii XII. in Decreto edito 24. Iulii 1694. innovata fuit , & confirmata . Igitur prompte recipiendi ſunt quando pœnitentes redeunt , non obſtantibus Conſtitutionibus prohibentibus recipere eos , qui ter Apoſtatarunt , ut ſtatuit S. Congreg. Epiſcopor. & Regularium in una Carthuſianorum 15. Decemb. 1603.

## §. XXXVIII.

*De Religioſo commorante in Hoſpitio Religionis , vel Conventu ſuppreſſo Religioni conceſſo , nec ad conventualitatem reſtituto , num licite habere poſſit talem habitationem.*

Suppoſita , ut iam antea vidimus , gravi ac ſtrictiſſima obligatione , qua urgentur Religioſi ſervandi Clauſuram , ideſt manendi intra Clauſtra , ex hoc oritur non levis difficultas , num Religioſus licite ducere valeat vitam extra Clauſtrum in aliquo Hoſpitio Religionis , vel Conventu ſuppreſſo nec ad ſtatum Conventualitatis reſtituto , ubi nulla Religioſæ obſervantiæ munia exerceri poſſunt , cum ſola licentia ſeu etiam deputatione Superiorum ſui Ordinis , abſque S. Sedis diſpenſatione : & pro clariori intelligentia :

Supponendum , Hoſpitia Religioſorum Ordinum & Conventus ſuppreſſos , ad Conventualem ſtatum non reſtitutos , quæ non ſecus ac Hoſpitia inſerviunt Religioni ad commodum Religioſorum tranſeuntium , eſſe loca prorſus ſæcularia , non ſecus ac cæteras ſæculares domus , ſupra quæ Superiores Religionum nullam habent ſpiritualem iuriſdictionem , iuxta ſummorum Pontificum ſtatuta , & declarationes , præcipue Innocentii X. in ſua Conſtitut. ſuppreſſionis parvorum Conventuum , & S. Congregationis Decreta .

His

Digitized by Google

His ſuppoſitis dicendum, Religioſum quemvis, etiam de licentia, ſeu deputatione ſuorum Superiorum, ſine Pontificis beneplacito licite, ac tuta conſcientia commorari non poſſe in Hoſpitio Religionis, ſive in Conventu ſuppreſſo Religioni conceſſo, ubi non ſit noviter ſtatuta Religioſa familia, ac Regularis obſervantia iuxta Ordinis Regulas, & Conſtitutiones: Nam hoc repugnat & auctoritati Summorum Pontificum, & conditioni ſtatus Religioſi, uterque quorum irrefragabiliter exigit, quod Religioſus habitare debeat in Religioſo loco, ſeu in formali Monaſterio, ubi adſit familia religioſa ſufficiens ad peragenda Spiritualia Religionis exercitia, & nullatenus ad ſingularem vitam ducendam in loco laicali, & Sæculari, cuiuſmodi ſunt Hoſpitia Religionis & Conventus ſuppreſſi, nec iterum ad Conventualitatem reſtituti. Quod Hoſpitia Religionis, & Conventus ſuppreſſi ad Conventualitatem non reſtituti ſint loca mere laicalia, & ſæcularia, minime Religioſa, patet ex variis declarationibus ſummorum Pontificum, & Sacrarum Congregationum: Et circa Hoſpitia Congregatio in cauſa Calaguritana de Bilbao ſtatuit, Patres Carmelitas diſcalceatos poſſe continuare in Hoſpitio, vel potius ipſum reducere ad Hoſpitium Sæculare cum habitatione, quæ tantum inſerviat pro excipiendis Religioſis itinerantibus, quod in illo nulla ſervetur forma Regularis, non erigatur Eccleſia, nec retineatur Campana, nec aliquod ſignum, quod vero Conventui adaptetur & tranſcendat naturam, & conditionem meri, & ſimplicis Hoſpitii ſæcularis, addita prohibitione, quod Religioſi ibi ſe transferentes non aſſumant titulum Præſidentis, vel alterius officialitatis, ſubiiciendo ulterius in caſu contraventionis ipſo facto pœnis contra degentes extra Clauſtra, non obſtante quacumque exemptione: Sic P. Ferraris in ſua Bibliote. v. *conventus* art. 1. n. 9.

De Conventibus vero ſuppreſſis, etiamſi Religioni ſint conceſſi, quod non ſint amplius loca Religioſa, ſed ſimpliciter Laicales ſæcularesſque domus, clare habetur in citata Conſtit. Innocentii X. de ſuppreſſione parvorum Conventuum, in qua penitus tollit his locis titulum omnem, eſſentiam, ac denominationem Regularem, ac ad laicalem ſtatum illos reducit: *omnem Conventualitatem, titulum, eſſentiam, ac denominationem regularem in eis penitus extinguentes, illos ad ſtatum ſæcularem reducimus*. ita laudata Conſtitutio §. 2. In eadem Conſtitutione ſuppreſſionis comprehendit Pontifex non ſolum Conventus, & Hoſpitia, ſed Grancias quoque aliave Monaſterii membra, etiam curam ſæcularium animarum habentia. Mandat inſuper Pontifex in dicta Conſtitutione Epiſcopis, ne permittant in Granciis Monaſteriorum Regulares Sacerdotes habitare, ſed pro cuſtodia, & adminiſtratione bonorum, deficientibus perſonis ſæcularibus idoneis, ſinant Regulares uti opera Converſorum ſuorum, cum hoc tamen, quod in Capellis dictarum Granciarum ſaltem diebus feſtis celebretur per Sacerdotes etiam Regulares, qui tamen in eis non pernoctent. In Curatis autem, & Parochialibus non permittant curam animarum exerceri per Regulares, ſed ad id idonei Sacerdotes in Vicarios vel perpetuos vel amovibiles a Superioribus deputentur. In hac diſpoſitione Granciarum, ac Parochialium locorum includit Pontifex etiam Canonicos Lateranenſes, quos noluit extra Clauſtra degere ad curam animarum exercendam, non obſtante diſpoſitione cap. *Quod Dei timorem de ſtatu Monachor.* Immo ut tolleret abuſum a Religioſis permanendi ſingulariter ſeu ſeiunctim a cœtu Religioſorum extra Clauſtrum, quando contingit, quod in locis, ubi ſuppreſſa fuerunt duo Monaſteria eiuſdem Ordinis, Pontifex reſtituto maiori ad Conventualitatis naturam Conventum Minorem cum ſuis bonis eidem maiori coniunxit, iuſſit vendi domum Conventus minoris ſuppreſſi intra ſex menſes, & pretium inde retractum inveſtiri in tot bonis ſtabilibus ad utilitatem alterius Conventus, ut ſic adimeretur Fratribus occaſio redeundi ad Conventum minorem relictum in ſua ſuppreſſione, ideſt in conditione loci laicalis, ibique minus religioſe vivendi non ſine Ordinis dedecore, cum gravamine propriæ conſcientiæ, ac æternæ ſuæ ſalutis diſcrimine.

Inſuper ita ſemper ſoliciti fuere ſummi Pontifices, ut Regulares religioſam vitam ducerent intra clauſtra, nempe in religioſa domo, quod idem ſonat, in aſſidua ſpiritualium exercitiorum occupatione, ſicuti a Regula, ac ſtatutis cuiuſque reſpectivi Ordinis præſcribitur, ut præter quamplurima Decreta in huiuſcemodi propoſito edita, quæ hanc Pontificum mentem voluntatemque inculcant; una ex præcipuis rationibus, quæ ipſorum zelum interdum impulerunt ad ſuppreſſionem parvorum Conventuum plane fuit, quia ob exiguum numerum Religioſorum ibi degentium divini officii celebrationi ſtatutis horis in Choro, orationi mentali, aliiſque ſpiritualibus exercitiis, ac ſtu-

diis

diis in communi vacare, ſilentium, Clauſuram, vitam communem, cæteraſve inſtitutiones ſervare non poſſunt, quæ ad tria principalia vota ordinantur, & ſine quibus vix conſiſtere valent regularis vitæ baſis, & fundamentum; ut habetur in allata Conſtitutione Innocentii X. *Inſtaurandæ*.

Dixi *in Religioſa domo*, quæ talis eſſe nequit, niſi per ſummi Pontificis approbationem elevetur ad titulum, naturamque Conventus, ſeu Religioſorum habitationis, ut patet ex variis locis iuris Canonici, circa erectionem novi Conventus, ubi ſtatuitur erigi non poſſe ſine Pontificis placito ſeu licentia, ut in cap. 1. *de exceſſib. Prælator. in 6.* ex Clementina cap. *Cupientes* 3. *in princi. de pœnis*, ac ex laudata Conſtitutione Innocentii X. *Inſtaurandæ* §. 5. Huiuſmodi autem placitum, ſeu licentia non conceditur a S. Sede, niſi ſub conditione, quod commode, & competenter ibi ſuſtentari valeant ſaltem ſex Religioſi, quatuor quorum ſint Sacerdotes probatæ vitæ, qui ibi munia ſpiritualia exerceant a proprio inſtituto præſcripta. Hinc in ſuppreſſione conventuum declarant Pontifices, omnem Conventualitatem, titulum, eſſentiam, denominationem regularem in eis ſe penitus extinguere, ac ad ſæcularem ſtatum eos reducere.

Dixi *nequidem de ſuorum Superiorum licentia, & deputatione*, quia cum talis licentia & deputatio ſit actus iuriſdictionis ſpiritualis, quæ directe, & immediate non verſatur niſi circa ſpiritualia, utpote eius obiectum, non circa temporalia; hinc Religioſam ſolummodo habitationem, quæ iu ſpiritualibus complectitur, poteſt Superior Religioſo ſubdito concedere, & deſtinare, non vero laicalem, ſeu ſæcularem, cuiuſmodi ſunt Hoſpitia, & conventus ſuppreſſi, ad regularem ſtatum, naturam, & conditionem non reſtituti, cum loca ſæcularia quatenus talia iuriſdictioni ſpirituali directe non ſubiaceant. Igitur nullus Religioſus ſine S. Sedis diſpenſatione ex iuſta & legitima cauſa, ſecuti ad validam, licitamque diſpenſationem requiritur, licite, ac tuta conſcientia morari poteſt in Hoſpitio Religionis, vel Conventu ſuppreſſo non reſtituto ad priorem ſtatum Regularem eum ſua familia ſicuti prius, & abſque eo præter gravem culpam inobedientiæ S. Sedi & tranſgreſſionis contra ſtatum Religioſum, quo quiſque (ut patet ex ante dictis) tenetur habitare in formali clauſtro in Religioſis exercitiis ſui ordinis, incurrit pœnas indictas a ſummis Pontificibus contra degentes extra Clauſtra etiam cum deputatione & licentia ſuorum Superiorum, qui non minus, quam in Hoſpitiis, in Conventibus quoque ſuppreſſis dum manent in tali conditione, expoliati ſunt omni iuriſdictione, & Superioritate, ut in citata Innocentiana *Inſtaurandæ*, in qua aperte declarat Pontifex, ſe expoliare talia loca omni *Spirituali iuriſdictione, & Superioritate: auctoritate Apoſtolica tenore præſentium extinguimus, ſupprimimus, & abolemus, una cum omnibus eorum dignitatibus, officiis, ac Miniſterii, illoſque ab omni... ſuperioritate, iuriſdictione, ac alio quocumque iure Regularium eximimus & totaliter liberamus* &c. Sic in cit. Conſtitu. *Inſtaurandæ*; in Conventuum ſuppreſſione §. 2.

## §. XXXIX.

*De tranſitu ab una ad alteram Religionem.*

Primitus dum una fere omnium Monachorum erat Congregatio, unumque Inſtitutum, facilior ac frequentior erat Monachorum de uno ad alium Monaſterium tranſitus, quam hodie quando Religiones, licet in ſubſtantialibus conveniaut, aliæ tamen ſunt laxiores, aliæ perfectiores, aliæ ſtrictiores, de quibus iam actum eſt. Quare tranſitus poteſt eſſe a Religione laxiori ad ſtrictiorem, vel reſtrictiori ad laxiorem, vel ab una ad aliam æque perfectam ac ſtrictam. Et pro clariori hujuſce rei elucidatione, præmiſſis generalibus principiis circa quemcumque tranſitum ad aliam Religionem, ſermo erit de iis omnibus, qui de una ad aliam Religionem ſive ſtrictiorem ſive laxiorem tranſire peroptant, necnon de pœnis illis correſpondentibus, qui licite de una ad aliam Religionem tranſire volunt.

In propoſito igitur hujuſcemodi ab una ad aliam Religionem commigrationis, ſupponendum iuxta monitum illud Apoſtoli. *Manete in vocatione qua vocati eſtis*, maximum eſſe levitatis ac inſtabilitatis, ne dicam ingratitudinis indicium, quod aliquis Matrem Religionem deſerat, a qua lac Religioſæ educationis ſuxit. Hinc talis prurigo mutandi Monaſterii Ordiniſque ſuſcepti, a Patribus multis titulis olim improbata fuit, & præcipue a D. Bernardo lib. *de præcept. & diſcipl.* cap. 16. a S. Anſelmo lib. 1. epiſt. 29. immo nunquam talis mutatio laudabilis fuit, & ullo modo conſulenda. Primo, quia ut docet D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 8. facilius quis proficit in Religione, in qua conſuevit vivere, quam in



Digitized by Google

illa, qnam non novit. *Certa enim pro dubiis relinquere tutum non eſt*, ait D. Bernardus loco cit. Unde Caſſianus conſone Sanctis Thomæ & Bernardo in Collat. 14. cap. 5. inquit: *Unicuique utile eſt ſecundum propoſitum quem elegit, ut ſummo ſtudio ac diligentia ad operis accepti perfectionem pervenire feſtinet, & nequaquam a ſua quam elegit ſemel profeſſione diſcedat*. Et hanc regulam tradit etiam D. Anſelm. loco cit. 2. *Propter ſcandalum ipſorum quos deſerit*, ait D. Bernard. loco cit. & quia Religio deſerta contemnitur. 3. Quia nulla eſt Religio tam laxata, quæ viros exemplares, moribus ac virtute præclaros non nutriat, licet una plnres, alia pauciores. Decet tamen Religionem exempla perfectionis non a multis, ſed a paucis expetere, ut eruitur ex laudato Caſſiano lib. 4. *de Inſtitutis* cap. 40.

Secundum præſentem diſciplinam ſtatutam a Concilio Trid. ſeſſ. 25. cap. 19. *de Regularib.* non ſit tranſitus præcipue ad Religionem laxiorem ſine Pontificis diſpenſatione, quæ ex iuſta cauſſa conceditur, & talis diſpenſatio concedirur a Papa in Signatura gratiæ, & a S. Pœnitentiaria ad ſupplicationem Procnratoris Generalis, & de utriuſque Religionis conſenſu S. Pœnitentiariæ exhibito. Iuſtæ aurem cauſſæ huiuſce diſpenſationis obtinendæ ſunt infirmitas vel debilitas, ex qua interdum provenit quod non poteſt aliquis ſtatuta arctioris Religionis ſervare, poſſet tamen ſervare ſtatuta Religionis laxioris. Præter hanc cauſſam aliæ duæ recenſentur a Doctoribus. Licitum eſt & laudabile ex iure communi tam Fratribus omnibus, quam Monialibus tranſire de uno ad alium Ordinem ſtrictiorem, tamen ſine ulla Papæ diſpenſatione, ſicuti tradit D. Thom. cit. art. 8. dummodo tamen in aliqua Religione ſpeciali ſtatuto non ſit interdictum, ſicuti revera ex Pontificis indulto habetur in aliquibus Ordinibus, præcipue in Societate Ieſus ex privilegio Pauli III. Pii IV. & V. Carmelitarum Excalceatorum, Ciſtercienſium, ita ut Religioſi ex his tranſire nequeant ad aliam Religionem etiam ſtrictiorem niſi ad Carthuſianam; & Clerici Regulares Miniſtrantes ex privilegio Pauli V. nequidem ad Carthuſianos ſine Pontificis diſpenſarione tranſire valent.

His tamen non obſtantibus privilegiis, quæ iam per viam commnnicationis privilegiorum ad omnes, præcipue Mendicantes extenduntur Ordines, ubi etiam ſunt in uſu, poſſunt Prælati Regulares licentiam concedere ſuis ſubditis Religioſis ad ſtrictiorem Ordinem tranſeundi, cum hoc eis non interdicatur in dictis privilegiis, quæ ſolum vetant Religioſis, ne ſine licentia & conditionibus aſſignatis tranſire queant, & eorumdem privilegiorum finis non eſt tollere, immo augere Prælatis Regularibus auctoritatem, ſalvo tamen, ego dicerem, ſi in huiuſmodi privilegiis talis licentia expreſſe ſervata non ſit S. Sedi, & cum tali reſtrictione accepta ſint ab Ordinibus communicantibus, in quo caſu opus eſſet, ut qui zelo maioris perfectionis tranſire vellent ad ſtrictiorem Ordinem, licentiam petere tenerentur a Pontifice vel a ſacra Congregarione Regularium, alias & recipientes & recepti non evitarent cenſuras, quæ in ipſis indicuntur.

Cæterum tranſiens ad alium Ordinem, ſicuti antea diximus, percurrere deberet in eo integrum Novitiarum; & ſi ante profeſſionem a novo Ordine repelleretur, vel ad ipſum aſpirans non admitteretur, vel mutata ab ipſo voluntate ad priorem redire vellet, teneretur prior Religio, in qua profeſſus eſt, eum recipere, quia adhuc manet membrum prioris Ordinis; idcirco & ipſe tenetur ad illum redire, vel ab illius Superiore reduci debet, quia iſte ius acquiſitum non amiſit, niſi ſub conditione quod in alia perſeveraverit. Bonac. Lezz. Pelliz. & alii. Facta tamen profeſſione liber manet ab omnibus prioris Ordinis obſervantiis ac propriis votis prioris Religionis, ita ut ſi ab ipſa eiiciatur, nec illa tenetur eum recipere, nec ipſe ad eam redire. Etenim vel poſterior perfectior eſt, & ſic omnia vota in melius commutata ſunt, vel ſi eſt imperfectior, quod perfectius erat, ex legitima diſpenſatione tollitur, a legitima poteſtate. Sanch. Lezz. Immo in ipſo poſteriori Novitiatu liber eſt ab obſervantiis, & votis prioris. Ita Minimus veſci potaſt carnibus, quia iam amplius non vivit ſub priori Regula, quæ præcipit a carnibus abſtinere.

Nota 1. ſuſcipiens habitum & profitens in una Religione animo firmo vel dubio, ſtudiorum curſu completo, vel ſacro Presbyteratus Ordine ſuſcepto tranſeundi ad alium Ordinem, licet hoc ei non interdicatur debitis ſervatis conditionibus, cum non ſolum hoc ei concedatur ex iure poſitivo communi ob ſpiritualem profectum & maius Dei obſequium, quod in arctiori Ordine obtinetur, ut ex cap. *licet*, cap *non eſt*, cap. *Sane* & alibi, ſed etiam a iure naturali, cum per talem tranſitum ſit votum in melius commutare; hic tamen mortaliter peccat,

quia

Digitized by Google

quia in re gravi Religionem decipit, ac reſtituere tenetur priori Religioni expenſas ab ea factas toto tempore quo fuit in ea, quia ex peccato contra iuſtitiam cum alterius damno oritur obligatio reſtitutionis, licet detrahere poſſet æſtimationem laboris ac miniſterii exhibiti, ſi illo indigeret Religio, ac pro illo Miniſtro æque factura eſſet eaſdem expenſas; ſecus autem dicendum. Eximeretur quidem tali onere ſi in priore Religione mos fuiſſet ut Religioſi Sacerdotes applicare debeant omnia Sacrificia pro Religione, quando tamen per eorumdem ſtipendia facta fuiſſet integra expenſarum compenſatio; alias teneretur ad illam partem, cui compenſatio ſtipendii Miſſarum non correſponderet.

Nota 2. Religio arctior, ad quam ius commune tranſire concedit, ſecundum communiorem & probabiliorem ( & eſt ſententia D. Thomæ 2. 2. q. 189. art. 8. ) non eſt intelligenda ea quæ durior eſt & aſperior, cum ex duriori & aſperiori concedatur tranſitus ad Carthuſianam, quæ in aſperitate eſt pluribus aliis remiſſior, ſed quæ perfectior ſit ex fine & mediis, & fructuoſior Eccleſiæ; quia ratio & fundamentum huius tranſitus, ut ſit licitus, eſt maior Dei honor, & maior perfectio ſpiritualis propria, quæ ſumitur non ex maiori aſperitate, ſed ex perfectiori fine proximo, ac mediis in ordine ad illum; idcirco ad Religionem, quæ in iſtis præcellit, non ad præciſe auſteriorem tranſmigrari poteſt. Dixi *præciſe*; quia ſi ſimul aſperior ſit ac perfectior, ad hanc plane ex aliis fieri poterit tranſitus. Inſuper tranſire de Religione perfectiori ad rigidiorem, hoc eſſet deſcendere, non aſcendere, ac votum in minus commutare; quod non liceret, cum hoc non cederet in maiorem Dei gloriam & animæ utilitatem. Similiter igitur in caſu noſtro. Quare in iuris conceſſione tranſeundi ad Carthuſianos non attenditur maior eius perfectio & auſteritas, dum adſunt aliæ in victu, veſtitu, &c. auſteriores, ſed quia eſt ſecurior, utpote ab hominum conſortio & ſæcularibus curis magis ſemota. S. Antoninus, Lezzana, Navarrus & alii.

Nota 3. tres requiri conditiones ut licite fiat tranſitus ab una ad aliam Religionem. Prima conditio eſt, ne tranſiens levitate, aut temeritate, aut aliquo humano fine, ſed ex puro & ſincero animo vitæ perfectioris ductus ſit, Sanch. Bonac. Suar. In dubio autem præſumendum eſt bono animo procedere; & ſi in dubio Superior denegaret facultatem tranſeundi, ſtandum non eſt iudicio Superioris, nec ſubditi, ſed requirendum eſt iudicium alterius Superioris, qui ſuperior ſit & reſpectu ſubditi, & reſpectu Prælati immediati, ut eſt Provincialis vel Generalis, eiuſque iudicio acquieſcendum, ut ex cap. *licet*. Secunda Conditio ſignata in dicto cap. *licet* eſt, ne talis tranſitus cedat in gravamen, iacturam, infamiam, aut dedecus Religionis deſertæ, quod contingit quando ſine culpa ob talem tranſitum deſpicitur, vel contemnitur, vel eius decor & honor imminuitur; quia ſic in dicto cap. dicitur, *ſicut maius bonum minori bono præponitur, ſic communis utilitas privatæ utilitati præfertur*. Unde ſi Religio ob talem tranſitum grave damnum pateretur, ut ſi tranſire volens eſſet Doctor vel arte peritiſſimus, vel perſona valde notabilis, a tali tranſitu abſtinere debet. Sic Portellus cum aliis. Tertia conditio aſſignata in cit. cap. eſt, ut licentia a Prælato petatur cum humilitate, ideſt cum debita reverentia & puritate, nempe ſuum animum integre & manifeſte Superiori declarando. Sufficit autem quod licentia petatur ante tranſitum, licet non obtineatur, niſi ex iuſta cauſſa denegetur; qua deficiente docet D. Thomas 2. 2 q. 189. art. 8. teneri Prælatum eam concedere, ne inſtinctui Spiritus ſancti videatur reſiſtere, alias, ut ex cit. cap. poſſet ſubditus ſine illa tranſire, expectato tamen debito reſponſionis tempore neceſſario pro dictæ reſponſionis conſultatione & examine. Prælatus vero, a quo petere debet licentiam ( niſi ob ſpeciale ſtatutum hoc reſervatum ſit Generali vel Provinciali ) eſſe debet Conventualis, quando ſit in Religione, in qua Conventualibus ius competit recipere Fratres ad Ordinem, alias Provincialis ſolummodo concedere debet talem licentiam, cum per illas cauſſas contractus diſſolvantur, per quas inſtituuntur. Sylv. Peyr. Si autem Prælatus immediatus tranſire velit, ex iure communi licentiam huiuſmodi a Provinciali petere debet, ſi Provincialis a Generali, ſi Generalis a ſummo Pontifice, cum illa ſemper peti debeat a proprio cuiuſcumque Prælato. Hanc licentiam relaxare nequeunt Abbatiſſæ vel Prioriſſæ ſuis Monialibus, dum aliqua ad ſtrictiorem Ordinem tranſire vult; quia iſtæ in iure cum non habeant iuriſdictionem ſpiritualem, non comprehenduntur nomine Prælati: Unde eam petere debent a ſuis Prælatis, ab Epiſcopo nempe, vel a Regularibus propriis Prælatis, & in nullo caſu requiritur conſenſus Conventus, cum ex

cit. cap. exigatur quod a ſolo Prælato licentia poſtuletur. Et ſi Prælatus ex iuſta cauſſa licentiam deneget, ſuſpendere debet, & altera Religio eum recipere nequit. Hanc tamen licentiam non poteſt Superior relaxare, niſi certus ſit, paratum eſſe ſtrictiorem ordinem ad eum admittendum, ne ex hoc capiat occaſionem evagandi, ut conſtat ex Decreto ſacræ Congregationis iuſſu Urbani VIII. editum 21. Sept. 1624.

Qui de una ad aliam Religionem tranſit, bona omnia per eum acquiſita, ſive per hæreditatem, legatum, ſive per propriam induſtriam, ac quæcumque alia ratione illius quovis modo Religio acquiſierit, eidem Religioni tamquam ipſius propria relinquere debet; & quidquid poſtea acquirat, poſteriori Religioni acquiſitum erit. Bonac. Sanch. Azor. Lezz.

## §. XL.

### *De expulſione Religioſorum incorregibilium.*

Mos erat olim quoque, ut habetur in Regula S. Benedicti cap. 28. ut Monachi contumaces, & incorregibiles, ideſt ſi poſt omnia pœnalia remedia quæ Religioſo Superiori conceſſa ſunt exercere contra pervicaces ſubditos ad eorum emendationem, pertinax ac rebellis perſeveraret, ne alia ſana membra contaminaret, ut incorregibilis e Congregatione & Monaſterio eiiceretur; immo ut conſtat ex S. Iſidoro apud Menardum ad cap. 37. Con. Reg. §. 4. exuebatur habitu Monachali, & veſtibus ſæcularibus induebatur. Et hoc obtinuiſſe etiam poſterioribus ſæculis docent & Concilium Meldenſe anno 845. in can. 59. & D. Thomas ſæculo XIII. Quodlib. 12. q. fin. Nequaquam igitur repugnat profeſſioni Monachali, quominus Monachi ſeu Regulares poſt emiſſam profeſſionem propter inobedientiam & rebellionem, in qua contra omnia opportuniora ac graviora remedia pertinaces perſtiterint, e Monaſteriis ac e gremio Religionis, quidquid dicant aliqui in contrarium, eiiciantur, ne contagio ipſorum reliqui inficiantur. Verum cum experientia compertum fuerit, quod aliqui Prælati nimis proni eſſent ad eiiciendos ſuos Monachos, qui exinde vagandi occaſionem arriperent, frenum poſuit tantæ facilitati ac frequentiæ huiuſce Monachorum expulſionis cum ſua Decretali Gregorius IX. in cap. fin. §. *de Regularib.* in qua præſcribit, *ut præſidentes Capitulis celebrandis ſecundum ſtatutum Concilii Generalis, ſeu Patres Abbates, ſeu Priores, fugitivos & eiectos de Ordine ſuo ſolicite requirant annuatim, qui in Monaſteriis ſuis recipi poſſint ſecundum Ordinem Regularem. Abbates, ſeu Priores eorum, monitione prævia, ſeu per cenſuram eccleſiaſticam, compellantur ad receptionem illorum, ſalva Ordinis diſciplina. Quod ſi hoc regularis ordo non patitur, auctoritas noſtra provideat, ut apud eadem Monaſteria in locis competentibus, ſi abſque gravi ſcandalo fieri poterit, alioquin in aliis Religioſis domibus eiuſdem Ordinis ad agendam ibi pœnitentiam talibus vitæ neceſſaria miniſtrentur.*

Advertit hic Van Eſpen cum Fagnano ad dictum cap. fin. n. 37. 38. aliiſve Canoniſtis, dum mandat, eiectos annuatim perquirendos eſſe, *hanc Decretalem neceſſario ſupponere, de cætero illos eiici non poſſe, ita ut extra loca ipſorum vagentur, ſed tantum ne ſint cum aliis Religioſis; alioquin inutilis eſſet circuitus, ut cogendi eſſent Superiores Regulares ad recipiendos eiectos incorregibiles, ſi ſtatim poſſent illos Monaſterio eiicere; ſed bene quidem ut in loco competenti ab aliis ſeiuncti detineantur ad agendam pœnitentiam.* Sic Fagnanus, qui refert alios Canoniſtas, qui agnoverunt, per hanc Decretalem ſublatam fuiſſe incorregibilium expulſionem ab Ordine vel Monaſterio, eamque ſub Pio IV. approbatam fuiſſe edito Decreto, & Procuratoribus Ordinum indicto pro ſua executione.

Cum autem hæc Decretalis adverſaretur S. Benedicti & Auguſtini aliorumque Regulis, quæ huiuſcemodi expulſionem incorregibilium ſatis clare permittunt, ac ideo acriter tempore Urbani VIII. diſputatum fuiſſet, num hæc Decretalis & Decretum Congregationis in praxi fuerint recepta, ac conveniret in uſum deduci; gravibus rationibus nixi ſunt Regulares ſuadere hanc expulſionem permittendam eſſe, & ex oppoſito validæ adductæ fuerunt rationes, quæ videbantur poſtulare Decretalis huius, ac Decreti obſervantiam.

Cum autem omnia perpendiſſet ſacra Congregatio, approbante Urbano VIII. inter cætera Decreta de Regularibus apoſtatis & eiectis ſtatuit quæ ſequuntur: *Ad hæc ut in poſterum nullus legitime profeſſus eiici poſſit, niſi ſit vere incorregibilis. Vere autem incorregibilis minime cenſeatur, niſi non ſolum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris diſpoſitione requiruntur, ſublatis in hac parte ſtatutis & Conſtitutionibus cuiuſque Religionis & Ordinis etiam a Sede Apoſtolica*

con-

*confirmatis*, *verum etiam unius anni ſpatium in ieiunio & pœnitentia in carceribus, proindeque Religio privatos habeat carceres in qualibet ſaltem Provincia. Elapſo autem anno ſi nihilominus non reſipuerit, ſed animo indurato in ſua pervicacia perſeveraverit, ne contagione peſtifera plurimos perdat, tamquam pecus morbidum, membrum putridum tandem eiici poſſit, ſed ab ipſomet Generali tantum, ex conſilio & aſſenſu ſex Patrum ex gravioribus Religionis, colligendis ex ſingulis Congregationibus Generalibus; tuncque nonniſi inſtructo ſecundum eorum ſtylum & Conſtitutiones proceſſu, & plane probatis cauſſis expulſionis ad ſacrorum Canonum præſcriptum.*

Hoc tamen Decretum de expulſione, licet tantam habeat moderationem, non ita facile admittitur, ſed potius Decretalis Gregorii IX. præcipue in Belgio, Gallia, & alibi. Hinc prudenter notat Van-Eſpen, quod cum moderna diſciplina non ita facile permittat expulſionem Monachorum rebellium, multo maior hodie in recipiendis ad profeſſionem Monaſticam cura, diligentius ac exactius examen & probatio adhibenda ſunt quam olim, cum ſimiles a Monaſterio eiicere liceat.

Cum autem Religioſa profeſſio ita liget Religioſum, ut ſine Pontificis diſpenſatione, quam ipſe nonniſi ob graviſſimas cauſſas dare valet, ab ea liberari nequeat, hinc obnoxius remanet tribus votis ſubſtantialibus, licet eorum obſervantia ſtatui expulſionis accommodari nequeat, alias contra regulam iuris ex ſuo delicto commodum reportaret: melioris enim eſſet conditionis quam Religioſi Epiſcopi aut Cardinales. Unde expulſus ſi denuo reciperetur ad Religionem, non teneretur innovare Novitiatum, cum profeſſio iam antea emiſſa, licet ſuſpenſa quoad exercitium, ſuam vim retineat. Et quamvis, ut ſupra dixi, votorum obſervantia ſtatui expulſionis accommodari nequeat, voto tamen caſtitatis æque ac ante expulſionem obſtrictus remanet, necnon paupertatis, ut, quatenus hic ſtatus permittit, hanc obſervare teneatur, per uſum tantummodo bonorum quæ teneat, utilem & honeſtum; quia cum nec in tali ſtatu ei competere poſſit ius dominii, nec libera adminiſtratio rerum quæ habeat ad omnes uſus, proinde multo minus illas donare, nec per teſtamentum diſponere poteſt; non enim datur textus; nec ratio, ob quam in hoc ſtatu talis poteſtas ei conferatur, & vi voti hoc eidem interdicitur. Bonac. Lezz. Sanch. cum aliis hic allatis a Salmantic. en lib. contra Leſſium & Molinam oppoſitum probabiliter ſentientes. Idcirco cum eiecti incapaces ſint teſtandi, quia dominii incapaces, ut ad teſtandum & donandum requiritur, bona non ſibi ſed Religioni acquirunt, quæ ipſis liberam tantum adminiſtrationem, prout ad utiles & honeſtos uſus eis opus ſit, concedit; igitur poſt eius mortem omnino competunt Religioni, eique ſunt reddenda. Sic Suarezius, Leſſius cum aliis, dummodo tamen poſt expulſionem aſſumptus non fuerit ad Epiſcopatum, quia in tali caſu omnia eius bona, quæ in hoc acquiſivit, cedunt Eccleſiæ cui inſervivit.

Quamvis autem expulſus ad vota ſubſtantialia teneatur, non tenetur tamen ad alia vota profeſſioni annexa, quæ in aliquibus Religionibus admittuntur, licet non extinguantur, ſed remaneant tantummodo ſuſpenſa. Similiter non tenetur ad alias obſervantias ac auſteritates Religionis, ideſt non tenetur ad Horas canonicas, ſi Sacris non ſit initiatus, ad ieiunia, abſtinentias, orationes, licet ſub gravi culpa in Regula præcipiantur; quia non cenſetur Religioſus promittere Religioni Regulæ obſervantiam, niſi dum a Religione alitur, regitur, & in aliorum conſortio vivere permittitur; cum illorum obſervantia extra Religionem ſit longe difficilior & per accidens ob defectum alicuius principalis commodum ex ſuo delicto reportat, quod in his circumſtantiis non eſt inconveniens. Lezz. Pellizz. Sanch. cum aliis. Quod dicitur de expulſis, intelligitur de damnatis perpetuo ad triremes.

Expulſi ſecundum veriorem ac probabiliorem tenentur depravatos mores corrigere, ut per ipſos non ſtet quin denuo a Religione admittantur & in ipſa perſeverent, idcirco eſſent in mala fide ſeu conſcientia ſi aliter ſe gererent, ideſt quando non curent tale impedimentum removere; ac tenentur ad Religionem redire quoties ſpes fuerit ut admittantur, tametſi iterum atque iterum repulſam paſſi ſint, quia eiecti ſunt vere & ſubſtantialiter Religioſi ac proinde obnoxii ad vitam ſub eius obſervantiis in Religione ducendam. Salmant.

### §. XLI.

*De habitus dimiſſione.*

Suppoſito ſtrictiſſimo vinculo profeſſionis, quod ob ipſius naturam profeſſionis &

vim neceſſario ſupponi debet, nempe quod actus profeſſionis, quo quis pro toto vitæ ſuæ tempore Deo ſacratur, ita profitentem Religioni indiſſolubiliter obſtringit ac devincit, ut ſine legitima diſpenſatione, ob graves cauſas, ſummi Pontificis, aut ipſius diſpoſitione tolli nequeat, ut contingit in promotis ad Epiſcopatum aut Cardinalatum, vel in iis qui cum tali facultate deſiderio maioris perfectionis ad ſtrictius rigidiuſque tranſeunt Inſtitutum; nemo non videt, quemvis Religioſum valide profeſſum, ſine culpa graviſſima a ſua Religione in qua profeſſus eſt, pro ſui ipſius arbitrio non amplius reſilire poſſe, cum illicitum ſit immutabilem ſtatum ex voto libere aſſumptum deſerere, utpote quod iniurioſum ſit ei, ad cuius honorem iſte ſtatus aſſumptus eſt, & Religioni, cuius per profeſſionem factus eſt membrum, ſubditus, & filius, a cuius proinde ſinu ſe divellere nequit. Huiuſmodi enim Religioſus a Religione ex ſuo rebelli arbitrio recedens eſt fidei fractor, ſuæ profeſſionis violator, & ſacrilegus deſertor clauſtri, in quo vivere & mori ſtatuit ac ſuo voto firmavit. Iſte autem arbitrarius receſſus cum diverſimode & cum maiori vel minori culpa contingere poſſit, ideſt vel per fugam, vel per apoſtaſiam, vel per pœnalem eiectionem; licet de his iam antea actum ſit, reſtat ut de duobus prioribus aliquid addatur iis, quæ diximus in §. 37. Verum quia quæcumque ſit, ſive fugæ ſive apoſtaſiæ, Religionis deſertio, incipit a Religioſi habitus dimiſſione vel depoſitione, hinc viſum eſt de hac prius loqui, & poſtea ſermo habebitur amplior quam antea de fuga & apoſtaſia a Religione.

Deriſerunt ac irrident hæretici Monachorum ſeu Regularium morem, habitum diſſimilem a laicis deferendi, unde in veſtium quoque apparentia profitentur ſe renunciare ſæculo ac eius pompis; ſed immerito, cum vetuſtiſſima ſit ab ipſo Eccleſiæ exordio huiuſcemodi conſuetudo diſtinguendi ſe in exteriori habitu, in iis viris, qui in morum profeſſione diſtinguuntur, ut contra heterodoxos notat Bellarminus iuxta teſtimonium Dionyſii in lib. *de Eccleſiaſt. Hierarch.* cap. 6. ubi mentionem facit de more antiquo mutandi veſtes in amplectendo Monachi ſtatu, & Suarezius auctoritate S. Ioannis Chryſoſtomi homil 69. in Matthæum trahit exemplum huiuſce veſtium a laicalibus diverſitatis ab Elia, Ioanne Baptiſta, aliiſque Patribus veteris legis, qui ſpeciali cultu Deo inſerviebant. Porro S. Baſilius in regul. cap. 11. aſſignat miſticas ſignificationes, rationeſve, quare peculiaris habitus Monachis tradatur, & quidem incommodus ac mortificationi accommodatius, nempe tum ut conſulatur paupertati ac decentiæ ſtatus, ſemota quacumque vanitate ac ſuperfluitate, tum ad exercitium pœnitentiæ, mortificationis & humilitatis, quibus valde inſervit aſperitas & vilitas: in colore vero, put. in albo, ſignificatur conſcientiæ puritas, in nigro compunctio & mœſtitia cordis, in cinericio mortis meditatio. Idcirco nihil invenitur in habitu Monaſtico ſeu Regulari, ex quo motiva ad virtutis exercitium erui non poſſint. Et inſuper huiuſcemodi veſtitus diſtinctivum neceſſarium fuit ad plura incommoda vitanda, & ut omnes in eodem Clauſtro uniformiter induti conveniant, & ut Monachi a non Monachis, & unus Monachorum Ordo ab aliis diſtingueretur.

Quare licet habitus non faciat Monachum, cum tamen ſignum ſit Religionis quam Religioſi profitentur, ideo ſtricte tenentur Religioſi omnes habitum proprii Ordinis ſemper ac in quavis occaſione continuo deferre, ut ſi dimittant, niſi levitas materiæ aut aliqua cauſſa, ex recenſendis, excuſet, graviter delinquant, ut docent Navarr. Suar. Caiet. citati a Rothar. ex cap. 2. *Ne Clerici vel Monachi* in 6. cap. *Vidua* 20. q. 1. & alibi. Immo ſi Religioſus tacite vel expreſſe profeſſus habitum ſuæ Religionis temere deponat ſeu dimittat, in excommunicationis pœnam ipſo facto incurrit, ut conſtat ex cap. 2. *Ut periculoſa de Religioſ. domib.* ubi ſic: *Ut periculoſa Religioſis vagandi materia ſubtrahatur, diſtrictius inhibemus, ne de cætero aliquis, quantumcumque Religionem tacite vel expreſſe profeſſus in Scholis, aut alibi, temere habitum ſuæ Religionis dimittat: Si quis tamen horum temere violator extiterit, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat.* Quod præceptum ſub eadem pœna Moniales quoque adſtringit, cum eadem ratio canonis currat quoad omnes, ideſt *ut periculoſa Religioſis vagandi materia ſubtrahatur.* Habitus enim, cum feratur in ſignum ſtatus aſſumpti, idcirco ſtatu eodem perdurante, eſt contra rationem illius ſignum deponere. Hinc patet, obligationem deferendi habitum Regularem fundari non tantum in propria Regula uniuſcuiuſque Inſtituti, (unde illius dimiſſio maiorem culpam habet, quam violatio alicuius obſervantiæ proprii Inſtituti, quæ in Regulis ad nullam

cul-

culpam obligantibus, neque, præciſo ſcandalo aut contemptu, eſt peccatum veniale) ſed fundari præcipue in Iure canonico ut patet ex ſupra citatis Decretis. Immo cum Iure Canonico aliquid quoque ad ius naturale ſpectans immiſceatur, ut notat Suarez citatus hic a Rothario: Nam cum habitus Regularis detur tamquam ſignum profeſſionis ac perpetui ſtatus aſſumpti, eo ipſo quod quis obligationem habeat publice permanendi in dicto ſtatu aſſumpto, tenetur etiam deferre ſignum datum & publice inſtitutum ad talem ſtatum denotandum. Igitur cum propter moralem connexionem habitus cum ſtatu, quem quis profeſſus eſt, eiuſcemodi ſtatum in ſe naturaliter proteſtare ac manifeſtare debeat, tenetur quoque ex quadam naturali convenientia habitum talis ſtatus deferre, dum per eumdem habitum ſuum ſtatum per profeſſionem aſſumptum proteſtatur Religioſus ac manifeſtat. Unde ſicut vir naturaliter virili veſte uti tenetur, ita Monachus Monachali.

Quia obligatio deferendi & non dimittendi habitum Religioſum proprii Inſtituti fundatur non ſolum in propria Regula, ſed præcipue in Iure canonico, malitia culpæ in hac tranſgreſſione non eſt menſuranda a contemptu aut ſcandalo gravi, ut contingit in aliis tranſgreſſionibus Regularum, ſed menſuranda eſt a tranſgreſſione graviſſimæ legis canonicæ ſtricte & generatim ac univerſaliter prohibentis Regularibus omnibus proprii habitus dimiſſionem; violatio autem legis gravis eſt ex ſe peccatum mortale, præciſo etiam contemptu & ſcandalo. Volens igitur actum facere qui legi adverſatur, tameſi aliud gravius non intendat, per ſe mortaliter peccat. Ita ſentit Sylveſter, qui verb. *excommunicat.* 9. n. 15. explicans particulam citati Canonis *temere dimittentes habitum*, vult, habitum temere dimitti non tantum ex contemptu, ſed quoties ſine rationabili cauſſa dimittitur, & teſtatur Suarezius hanc eſſe communem Doctorum ſententiam.

Et ut melius funditusve deprehendatur, quandonam habitus dimiſſio ſit graviter culpabilis, & pœnæ ſubiaceat excommunicationis Religioſis habitum dimittentibus in Canone indictæ, duo in eodem canone ſunt attendenda; & præcipua ipſius conditio, quæ conſiſtit in temeritate dimiſſionis habitus; & ipſius dimiſſionis finis, qui eſt intentio ſeu animus divagandi. Quare manifeſtiſſime patet, quod ad incurrendam huiuſce Canonis cenſuram ſatis non ſit quævis habitus dimiſſio, ſed primo quod talis dimiſſio temere fiat. Temere autem habitus dimittitur, ſi abſque ulla rationabili cauſſa hoc fiat; ſecus vero dicendum ſi iuſta cauſſa ad hoc aliquem inducat. Barboſa in dictum caput. Quare ignorantia craſſa, dummodo non ſit affectata, a tali cenſura excuſat, licet non a peccato, ut Sanchez n. 43., vel ſi ex levitate, timore aliave cauſſa non ſufficienti dimittatur, ut Pellizz. n. 14. 15. Nam ille temere dicitur aliquid facere, qui nulla cauſſa ductus operatur, pro nihilo reputans violationem, & ſic cum quodam contemptu formali vel virtuali legis, ut D. Thomas 2. 2. q. 53. art. 3. ad 2. Non requiritur tamen ad mortalem culpam & excommunicationem incurrendam, quod habitus dimiſſio facta ſit animo eum non reſumendi, quia Canon loquitur de habitus dimiſſione, quæ occaſionem præbeat vagandi, & occaſio huiuſcemodi eſſe poteſt dimiſſio habitus facta etiam ad tempus. Excuſatur igitur tum a culpa, tum ab incurrenda cenſura habitum ex iuſta & rationabili cauſſa dimittens; tunc enim non temere hoc fieri dicitur. Quare penitus excuſaretur qui habitum dimitteret ad infidelium converſionem, quam eo retento commode procurare ac agere nequit, ad ſui vel aliorum vitandum periculum ſcandali, infamiæ, aut bonorum iacturæ, vel quia tranſiturus ſit per loca Turcarum, aliorumque infidelium vel hæreticorum, ſive quia ab eis captus non permittatur in habitu Religioſo incedere, vel ſi ob gravem metum, (non in contemptum Religionis incuſſum) cogatur Religioſum dimittere & ſæculari indui, & ſic dicito de aliis huiuſcemodi caſibus, in quibus habitus dimiſſio cenſenda non eſt temeraria, ſed rationabilis & prudens.

Religioſus ex Ordinibus minus auſterioribus, ubi obſervantia de non dimittendo habitu non in toto rigore ſervatur, qui temere, ideſt ſine certa rationabili cauſſa impellente intra clauſtra habitum dimitteret, abſque eo quod id ipſi ullam occaſionem vagandi præbeat, & ſine ulla prorſus intentione occultandi ſtatum & vagandi, ſed ob aliquod corporale commodum, ut mos eſt apud aliquos incedere tempore æſtivo per loca interiora Monaſterii ſine habitu, alleviationis gratia a nimio calore, ſecluſo ſcandalo, non peccat ſaltem graviter, nec incurrit dictam excommunicationem, cum ipſa incurratur ob dimiſſionem habitus factam ad finem libere vagandi, ut aperte habetur in principio ipſius capitis: *Ut periculoſa*,

ubi ſic: *Ut periculoſa vagandi materia ſubtrabatur*, & ceſſante cauſſa finali legis, ceſſat legis diſpoſitio L. *Adigo* §. 2. ff. *de iure patronatus*, maxime ſi lex ſit pœnalis, cuiuſmodi hæc eſt, de qua agitur, cum lex pœnalis ſit potius reſtringenda quam amplianda cap. *Odia* 15. & cap. *in pœnis* 49. *de regulis iuris in* 6. Hic autem Religioſus in caſu præſenti, dum ſiſtit intra ſepta Monaſterii, ut ſupponitur, dici nequit quod vagetur extra illud, idcirco dictam pœnam non incurrit, præſertim cum hoc non faciat animo ſe occultandi, ut liberius exeat extra Monaſterium ad divagandum. Non incurreret etiam talem pœnam, nec etiam culpam Religioſus, qui intra, & etiam extra ſepta Monaſterii, ex quadam levitate habitum dimitteret ſuæ Religionis, v. g. ut expeditius currat, natet, ſaltet, ludat aut lapidem proiiciat, ut ſe in balneo melius lavet, & ob alias huiuſcemodi cauſſas indifferentes, cum hoc temere non faceret, ideſt in contemptum legis, nec ad finem vagandi.

Altera conditio ſupracitati capitis *Ut periculoſa*, qua ſub excommunicationis pœna vetita eſt Religioſis habitus dimiſſio, eſt finis huiuſce legis, ne ex habitus dimiſſione occaſio vagandi capiatur. Quare Doctores excuſant a lethali culpa, & ab incurrenda Canonis excommunicatione Religioſum, qui habitum deponit ad dormiendum, quieſcendum, ſtudendum, ſut illum purget, accommodet, ſaxum vel aliquid grave deferat, infirmitatis cauſſa, vel periculi mortis propter calorem æſtivum, vel ut terram fodiat: Quia dimiſſio habitus ut gravis culpa ſit, & excommunicationi obnoxia, fieri debet animo occultandi ſtatum, & ut alius æſtimetur indutus animo liberius vagandi. Quare Doctores a Canonis violatione, ac ideo a culpa & pœna illum quoque excuſant, qui aliam perſonam agit in honeſto ludo, aut in pia aliqua ſacra hiſtorica repræſentatione habitum dimittit, etiamſi alias veſtes ad hunc effectum induat; quia dimiſſio habitus ad hoc ut ſit graviter culpabilis, ſeria eſſe debet, quæ vel ſit vagandi occaſio, vel ex intentione ac animo ſe alium fingendi, & ſe Religioſum eſſe occultandi. Sic Pellizz. Lezz. Navar. Suar. Peyrin. citati hic a Salmanticenſibus. Et hoc iſti extendunt quoque ad caſum, quo Religioſus habitum dimittat ob turpem finem & inhoneſtum, nempe ut liberius furetur, fornicetur, vel ne comprehendatur in crimine; ſed non video quo ſolido fundamento hoc dicere poſſint, ac proinde multo verius ac probabilius mihi videtur ſentire Paſſerinus, qui cum Sayro, Bannez, Suarezio & Sylveſtro ſuſtinet, hoc minime excuſari a cenſura, licet hoc faceret per breve tempus, ideſt cum animo ſtatim ſuum habitum reſumendi; ſiquidem intentio Canonis præcipue verſatur contra hanc, quam vocat *periculoſam vagandi occaſionem*: quæ enim periculoſior evagatio, quam ire præſertim ad meretricem? ad quam ut liberius & ſecurius accedat habitum deponit, ut ſuum ſtatum Religioſum occultet. Hanc igitur dimiſſionem inſervientem libertati & ſecuritati, præſertim intendit Papam per cenſuram coercere & impedire. Sic cum Sayro, Sylveſtro, Suarezio, Bannez. Ad ſummum excuſari poſſet ab hac cenſura cum Paſſerino, & aliis antea citatis ille, qui cum acceſſerit proprio habitu indutus ad lupanar, ibi ut voluptuoſius peccet, eo ſe expoliat, quia huiuſcemodi expoliatio in tali circumſtantia non eſt proprie dimiſſio, quia tunc habitus reſumendus deponitur ſecundum ſolitum & conſuetum uſum; & maxime, ut advertit Paſſerinus, ſi eundi cauſſa ad lupanar dimiſſo habitu Religioſo, vel notabili illius parte, alterius habitum non aſſumat; ſed immerito; nam cum tales vagari non ſoleant nudi aut indecenter veſtiti, talis eorum vagatio, ut notant Navar. Pellizz. erit plane cum aliquo alio habitu, quo fingendo ſe alterius ſtatus proprium occultat, ac proinde non effugeret cenſuram.

Cum Pontifex in laudato Canone prohibuerit ſub cenſura Religioſis depoſitionem ſui habitus, ne proprium ſtatum ita occultando occaſionem ex hoc evagandi arripiant; hinc cenſuram incurrit non ſolum qui ad finem ſuum ſtatum occultandi, & ſic liberius evagandi, proprio habitu dimiſſo alium aſſumit, ſed ille quoque, qui ſine ulla rationabili cauſſa, retento etiam proprio habitu, veſtem alterius ſtatus ſuper illum induit, ut ſe occultet, ideſt ut exterius nullo modo Religioſus appareat, & ſic incognitus accedat, ut probabilius ſentit Paſſerinus cum permultis graviſſimis Doctoribus, inter quos Caietanus & Navarrus: Quia occultatio propriæ Religionis, licet non ſit phyſica dimiſſio, eſt tamen moraliter & æquivalenter quantum ad effectum a lege vetita, utpote præbens materiam & occaſionem divagandi, ut conſideravit Rota Romana apud Achilem de Graſſis allata a Paſſerino, qui ſimul cum Palao probare contendit, in lege pœnali dari extenſionem,

quo-

Digitized by Google

quoties ea non data fruſtraretur & facile eluderetur lex, ut contingit in irritatione teſtamenti uſurarii per cap. *Quamquam de uſuris* in 6. quam irritationem extendunt DD. ad Codicillum & donationem cauſſa mortis; Et hæc non eſt extenſio, ſed tacita incluſio ex Gloſſa communiter recepta in cap. 1. verb. *Italiæ de tempor. ordin.* in 6. Et hanc ſententiam firmius probat Paſſerinus, contendens, occultationem eſſe veram dimiſſionem a Canone prohibitam ſub cenſura, quia deferre habitum Religionis in ſenſu & ſermone communi ac proprio, eſt illum deferre in ſignum proteſtativum proprii Inſtituti, & ſenſibile ſignum Religioſæ profeſſionis; idcirco tale ſignum deferendum eſt patens & ſenſibile. Hic tamen advertendum cum Paludano, Religioſum itinerantem geſtantem pallium vel aliam ſupraveſtem, ad modum ſæcularium, ſe defendendo a pluvia, vel habitum a ſordibus luti vel pulveris, reſpective ad Religiones illas, apud quas hoc conceditur, & mos iam invaluit, non comprehendi ſub hac cenſura, quia pallium aut alia æquivalens veſtis reſpectu itinerantium cenſetur habitus communis Religioſis & ſæcularibus; nec omnino ac totaliter habitum occultat, ſed illum ita defert, ut ab iis qui familiariter cum eo converſantur, dignoſcatur tamquam Religioſus talis Inſtituti; cum enim ſimus in pœnalibus, vitanda eſt nimia extenſio.

Aſſumens habitum alterius Religionis, proprio dimiſſo ſine ulla rationabili cauſſa, non excuſaretur a cenſura Canonis contra eum qui temere habitum ſuæ Religionis dimiſerit. Sic Paſſerinus, Sanchez, Suarez *de cenſuris*.

Aliqui rationabilius cenſent, Religioſum manentem nocte in domo paterna, ſi occaſione tranſeundi ad domum ſui conſanguinei vel familiaris habitum deponit, ut vitet ſcandalum quod oriri poſſet ſi aliqui eum viderent in habitu Religioſo in tali hora ſolum ſine ſocio in publica via, non ſubiacere cenſuræ canonis. Paſſerinus tamen diſtinguit in tali habitus depoſitione in tali circumſtantia, nempe ſi adſit rationabilis cauſſa tranſeundi ad domum conſanguinei vel familiaris non incurrere excommunicationem latam in Canone contra Religioſos habitum ſuæ Religionis deponentes, quia tunc rationabilis cauſſa tollit temeritatem dimiſſionis: ſi e contra non adſit rationabilis cauſſa huius divagationis, ad ſcandalum vitandum tunc tenetur ſe abſtinere a tali tranſitu de domo in domum, non autem dimittere habitum ad liberius & ſine ſcandalo divagandum, cum hoc illud ſit, quod Canon impedire intendit: nam ſemel dato quod præciſe ad vitandum ſcandalum ſine incurſu in cenſuram poſſit quis nulla impellente neceſſitate habitum dimittere, lex inutilis eſſet, & facile ab omnibus eluderetur.

Quare manifeſtiſſime ſequitur, eſſe omnino inexcuſabilem Religioſum a gravi tranſgreſſione laudati Canonis, (ac ideo eximi non poſſe ab excommunicatione in eodem Canone indicta contra deponentes habitum Religioſum, ut occaſionem arripiant vagandi) qui iuxta morem quorumdam locorum, tempore Bacchanaliorum, aut quavis alia huiuſmodi occaſione habitum deponit ac ſæcularem habitum induit, ut larvatus divagetur, & libere diſcurrere poſſit ad prophana ſpectacula theatrorum, chorearum, ac per alia huiuſmodi loca, in quibus eſt omnino inconveniens comparere cum habitu ſui Ordinis, qui, ut diximus, eſt ſymbolum ſanctitatis ac pœnitentiæ. Quænam, amabo, neceſſitas aut convenientia occurrere poteſt Religioſo, qui cum habitu aſſumpſit ſtatum virtutis pœnitentiæ ac mœroris iuxta ſacros Canones, ubi *lugentes* appellantur Monachi, & per ſolemnem trium votorum profeſſionem valedixit omnibus ſæculi oblectationibus, ut unice Dei famulatui in ſanctis exercitationibus vacaret, ut ad ea loca ſe conferat, ut quoquo verſus nanciſcatur occaſiones ac pericula in culpam labendi, (quæ ſæculares ipſi aliquo Dei timore perculſi ſolicite effugiunt) ubi caſtitas menti, & non raro etiam corporis periculum ſubit? Quare ſi diſtrictius inhibetur in citato Canone, *ut periculoſa & temeraria, habitus depoſitio*, ideſt *ſine rationabili ac iuſta cauſſa*, ut communiter illud *temere* expreſſum in Canone explicant Theologi omnes & Canoniſtæ, teſte Sylveſtro ſupra citato, cum Religioſus habitum ſuæ Religionis deponens ut cum veſte ſæculari larvam aſſumat, ſine prorſus rationabili, immo cum irrationabiliſſima cauſſa hoc faciat, videlicet ex motivo propter quod Canon fuit conſtitutus, nempe evagandi per plateas, per theatra, &c. procul dubio gravem culpam incurret. Hanc ſententiam ſequuntur celebriores omnes Theologi, ut Bannez, Sylveſter, Graffius, Barboſa in *6. Decretalium* in dictum caput, Lezzana, Comitolus, & Salmanticenſes cum permultis aliis. Et revera ſi hæc non eſt genuina toties laudati Canonis periculoſa evagatio, quænam alia,

quæ-

quæſo, talis dici poterit, quando nulla alia excogitari poteſt, quæ tot & tam gravia pericula ſecum afferat ſicut licentioſa cum larva evagatio, quæ proinde adeo in ipſis ſæcularibus perſonis a piis, prudentibuſque viris damnatur? Quam ideo reprobandus videtur Manrique, qui parvo ſuo Morali Opere libere oppoſitum docet, nullo alio ſuffultus fundamento, niſi quod hoc viderit in uſu apud viros, quos immerito *timoratos* appellat! Ridiculum, horrendum plane recenſeri a Theologo inter timoratos Religioſum ſe immiſcentem cum ſæcularibus non timoratis in periculoſa larvæ licentia.

Non deſunt qui hunc Religioſum excuſent exemplo Clericorum ſæcularium, qui larvati incedendo non videntur peccare, quamvis depoſito Clericali habitu perſonam occultent ut alii æſtimentur; ſed præcipue illum excuſant, eo quia Canon per contrariam conſuetudinem abrogatus ſit. Verum quam longe aberrent a vero qui exemplo Clericorum aut contraria conſuetudine putant excuſabilem a cenſura Religioſum, qui habitum deponit ut larvatus incedat, non difficile deprehenditur. Nam quoad Clericos falſum eſt eos non graviter peccare iuxta communem Doctorum, qui de re hac agunt omnes, & non pauci etiam de non rigidioribus, ut Belletus, Reiffenſtuel, Laurentius in lib. 3. *Decret.* Sylveſter, Sanchez, P. Ferrari in ſua Bibliotheca, & alii qui ſuſtinent non poſſe Clericos ſine gravi culpa perſonatos incedere, ſeu larva ſe tegere **ex cap.** *Cum demum* 12. *de vit. & boneſt. Cleric.* ex cap. *Nullus* diſt. 44 ex cap. *Nullus Presbyter.* diſt. 5. *de Conſecrat.* & ſacra Congregatio 10. Aprilis 1654. teſte citato Ferrari verb. *Cleric* art. 4. n. 14. declaravit poſſe Epiſcopum Clericis tempore Bacchanaliorum cum larva incedentibus pœnam imponere excommunicationis, quæ pœna plane non infligitur niſi intercedat culpa mortalis. Cum igitur Clerici huiuſmodi graviter peccent, & pœna excommunicationis mulctari poſſint ab Epiſcopo, a fortiori fient mortaliter culpabiles Regulares profeſſi, cum eidem pœnæ in laudato Canone ſubiiciantur.

Circa vero contrarium uſum ſeu conſuetudinem, a qua abrogatus ſit Canon, quo excuſant alii a Canonis cenſura Regulares in ſui habitus depoſitione ad aſſumendam larvam pro liberiori divagatione; ſi attendatur ad ea quæ ab abrogandam legem per contrariam conſuetudinem requiri docent Theologi & Iuriſtæ, facillime dignoſcetur, hoc eſſe vaniſſimum ſubterfugium contra hanc ſententiam nihil concludens. Nulla enim conſuetudo induci poteſt contra ius divinum, vel naturale, & iuxta Gloſſam contra id quod quamdam connexionem habet cum iure divino vel naturali, & contra nervum diſciplinæ. Unde licet depoſitio habitus Religioſi non opponatur iuri naturali & divino, opponitur tamen cuidam Religioſo ritui, qui magnam habet connexionem & convenientiam præcipue cum iure divino ratione profeſſionis Religioſæ, qua per tria vota Religioſus ſub tali veſte ſe perpetuo Dei famulatui dicavit, & opponitur nervo Regularis diſciplinæ, cum habitus Regularis ſit ſignum proteſtativum Religioſi ſtatus, ac ſymbolum virtuoſæ vitæ in tali ſtatu ducendæ. Et dato etiam, & non conceſſo, quod induci poſſet contra talem Canonem legitima conſuetudo ipſius canonis abrogativa, titulus conſuetudinis nihil prorſus excuſat Religioſum in ſui habitus depoſitione ſive occultatione ad larvam aſſumendam, cum falſo talis conſuetudo ſupponatur, utpote quæ nunquam hactenus inducta cenſeri poteſt. Quia cum iuxta communiſſimam regulam Theologorum & Iuriſtarum ad inducendam conſuetudinem requiratur uſus maioris partis Communitatis, & frequens per totum tempus ad præſcribendum ſtatutum, conſuetudo larvæ non eſt hactenus inducta inter Regulares, cum talis uſus larvæ nunquam hactenus invaluerit in maiori parte Religioſorum etiam in laxis Inſtitutis militantium, cum de obſervantioribus hoc nequidem ſuſpicari poſſit. Nam quantumvis perquiratur in domibus Ordinum etiam laxiorum, in locis quoque ubi larva eſt valde familiaris, ut Venetiis, vix invenietur quarta pars eorumdem Religioſorum, qui larva uſu ſint, & inter hos etiam pauci, qui eum uſum frequentarint. Igitur cum probabiliſſimum ſit, uſum larvæ non invaluiſſe niſi in minori parte Religioſorum, & inter aliquos illorum niſi perraro, manifeſtiſſime ſequitur, nunquam hactenus talem conſuetudinem (poſito quod induci poſſet) inductam eſſe, ac proinde Canonem in ſuo robore permanere, & ideo peccare Religioſum, qui depoſito ſuo habitu, vel tecto ſæculari veſte larvatus incedat, & conſequenter dicti Canonis excommunicationem incurrere.

CA-

## CAPUT III.

*De Votis ſolemnibus, quæ in Profeſſione Religioſa emittuntur.*

Vota, quæ in profeſſione Religioſa emittuntur, videlicet obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis, ſubſtantialia ſunt ſeu eſſentialia Religioſo ſtatui, utpote qui ab horum profeſſione præcipue dependeat, dum tota Religioſi ſtatus profeſſio, quæ eſt actus, quo vovens Deo ac Religioni mancipatur, conſiſtit in ſponſione facta Deo ac Religioni hæc tria vota fideliter ſervandi, & vota ſecundum omnes ea ſunt, quæ in Religioſa profeſſione verum Religioſum talis Inſtituti conſtituunt. Profeſſio autem trium votorum, quæ fieri ſolet in Ordinibus a Sede Apoſtolica approbatis, dicitur ſolemnis, & tria vota vocantur ſolemnia, quia quibuſdam ritibus & ſolemni modo profeſſio peragitur, ad differentiam votorum ſimplicium, & præcipue quia per Religioſam profeſſionem vovens ſe totum conſecrat Deo, & propter Deum ſe totum homini, ideſt Prælatis Religionis ſubiicit. Sed de his ſatis ſuperque antea iam diximus. Quare de Votis in particulari hic agere inſtituimus.

### §. I.

*De Voto ſolemni Obedientiæ,*

Votum obedientiæ cæteris Religionis votis S. Thomas 2. 2. q. 186. art. 8. iure merito præfert, & etiam D. Hieronymus; loquens enim de Monachis ſui temporis in epiſt. 22. ad Euſtochium ait: *Prima apud eos confœderatio eſt obedire Maioribus, & quidquid iuſſerint facere*. Et S. Patri cohærent Sulpitius Severus & Caſſianus. Nam primus Dialog. 1. cap. 11. *Præcipua*, inquit, *ibi virtus & præcipua eſt obedientia*. Deſcribens alter Magiſtri Novitiorum officium lib. 4. *Inſtitut.* cap. 8. ita habet: *Hæc erit eius ſolicitudo & eruditio principalis, ut doceat iuniorem primitus ſuas vincere voluntates, quem ſtudioſe in his ac diligenter exercens, hæc illi ſemper imperare de induſtria procurabit, quæ ſenſerit animo eius eſſe contraria. Multis ſiquidem experimentis edocti tradunt, Monachum, & maxime iuniores, nec voluptatem quidem concupiſcentiæ ſuæ refrænare poſſe, niſi prius mortificare per obedientiam ſuas didicerint voluntates*. Et S. Benedictus in Regula cap. 5. notat, quod *primus humilitatis gradus eſt obedientia ſine mora*. Quare de votis ſolemnibus agendo in particulari, horum graviſſimorum virorum ſententiam ſecutus, cenſui priorem locum obedientiæ præbere.

Obedientia (quæ dicitur quaſi *obaudientia*, quia per illam vox & præceptum Superioris auditur & admittitur) non tam virtus eſt, quam virtutum mater, ut cum ſuperioribus Patribus tradit etiam D. Gregorius lib. ultimo *Moralium* cap. 22. ubi ſic ait: *Obedientia ſola virtus eſt, quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertaſque cuſtodit*. Hinc S. Thomas 2. 2. q. 104. art. 3. ait: *Inter alias morales virtutes per ſe loquendo laudabiliorem eſſe virtutem obedientiæ, quæ propter Deum propriam voluntatem contemnit, quam aliæ virtutes morales, quæ propter Deum alia bona contemnunt*. Hic tamen non præfert S. Doctor obedientiam Religioni, & virtutibus theologicis, cum alibi haſce omnibus moralibus virtutibus anteferat, ſed conferendo obedientiæ votum cum aliis duobus ſubſtantialibus, caſtitatis ſcilicet & paupertatis, quod docet eſſe potiſſimum q. 186. art. 8 quia per votum obedientiæ Religioſus aliquid maius offert Deo, ſcilicet ipſam voluntatem, quæ eſt potior quam corpus proprium, quod offert Deo per continentiam, & quam res exteriores, quas offert homo per votum paupertatis. Conſonat doctrina Angelici Doctoris Scripturæ, in qua de obedientia dicitur 1. Regum 15. quod *melior eſt obedientia quam victima*.

Verum prout obedientia pertinet ad Religioſos, & cadit ſub voto ſubſtantiali quod emittitur in profeſſione Religioſa, eſt ſpecialis virtus moralis reddens animum promptum ad obtemperandum Superiori, eiuſque iuſſa implenda; quæ generatim accipitur late & materialiter pro cuiuſvis operis præcepti virtuoſa executione, licet ſine intentione exequendi præceptum. Et in hoc ſenſu nullam ſpecialem virtutem conſtituit, ſed ad omnes virtutes ſe extendit, cum omnium virtutum actus poſſint eſſe præcepti; & ſtricte ac formaliter pro virtute quæ reſpicit præceptum ut præceptum eſt, & agit ea intentione ut præceptum impleat, & hæc eſt ſpecialis virtus; quia tametſi ad materiam omnem ſe extendat, in omnibus tamen unam formalem intentionem reſpicit, videlicet præceptum Superioris exequi, in cuius formali executione, præter honeſtatem rei præceptæ, ſemper honeſtas etiam ſpecialis relucet. Sic ex D. Thoma 2. 2. q. 104. art. 2.

De

De hac porro obedientia, qua per votum in profeſſione Religioſi ſeu Regulares Deo conſecrantur, hic agere ſuſcipimus, & definiri ſolet: *Obedientiæ votum eſt actus promiſſionis, quo homo propter Deum, cui ſuæ voluntatis arbitrium offert, ſe obligat ad obtemperandum ſuis Superioribus in iis omnibus, quæ ſub voto obedientiæ cadere poſſunt*. Obedientia huiuſmodi voto firmata ex communi eſt de intrinſeca eſſentiali ratione ſtatus Religioſi. Obedientia autem Religioſa ſecundum D. Bernardum Opuſcul. *de præceptis & diſpenſat.* alia eſt *perfectionis*, quæ etiam dicitur *cæca*, & alia *neceſſitatis*, quam D. Thom. Quodlib. 1. art. 15. *ſufficientem* appellat. Obedientia perfectionis ſeu cæca illa eſt, quæ ſine ulla ſcrutatione rationum præcepti, *ſine querela* (ait D. Bernardus loco cit.) paret in omnibus quæ a Superiore, qui locum Dei tenet, præcipiuntur, quando illicita non ſint, ideſt contra Deum, quia *legem neſcit* (ait laudatus Bernardus), *terminis non coarctatur*, *nec contenta anguſtiis profeſſionis largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis*. Obedientia vero neceſſitatis ea eſt, quæ terminis Regulæ & votorum coarctatur, de qua ſic idem S. Doctor Claravall. *Is qui profitetur, ſpondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, ſed determinate ſecundum Regulam, quam profitetur*. Et hæc eſt obedientia, quæ per votum in ſolemni profeſſione promittitur, & qua Religioſus voluntatem ſuam Prælati Regularis voluntati ac auctoritati ſubiicit ac ligat.

Triplici titulo neceſſario tenetur Religioſus ex obedientiæ voto parere ſuo Superiori, nempe titulo humanæ traditionis, quia ſcilicet ſe tradidit ac ſubiecit Religioni ad vitam ducendam ſecundum Superiorum mandata; titulo voti, quo Deo ſpopondit, obediendi homini propter ipſius Dei amorem; titulo iuriſdictionis, quam tenet quilibet Eccleſiæ Prælatus in ſuis ſubditis. Verum quia Religioſus per obedientiæ votum obtemperare promiſit non cuicumque optioni ſeu voluntati Prælati, ſed præceptis tantummodo, cum obiectum ac motivum, a quo ſpecificatur obedientiæ virtus, ſit præceptum; idcirco plane lethaliter non peccat ſi ea non exequatur, quæ etiam ardenti animo a Prælato exoptantur, eo quia non adſit præceptum, quod deliberatam & efficacem includit iubentis voluntatem ut fiat quod iubet, & deſiderium non connotat niſi indeliberatam & inefficacem voluntatem ſeu velleitatem. Immo iuxta multos non peccat ſubditus in tali caſu nequidem venialiter, utpote qui non tranſgrediatur præceptum, quod, ut ſupponitur, minime extat, ſed & in caſu etiam præcepti mortaliter non delinquit ſubditus, niſi ei præcipiatur a Superiore aliquid grave illis modis, qui in Conſtitutionibus præſcribuntur. Superior enim, quemadmodum Legislator, ut dicitur in tractatu de legibus, iubere nequit aliquid leve, quod omnibus inſpectis leve eſt, ſub mortali, puta ſilentium, ingreſſum in alterius cellam, ne quis ſine licentia comedat. Poſſunt tamen res ſecundum ſe leves & indifferentes ſub gravi culpa præcipi ob notabiles circumſtantias rem levem comitantes, vel quia levium ſeu indifferentium obſervantia ad finem intentum a Religione graviter conducit, puta ſi res levis cederet in alterius damnum ac detrimentum, vel ſcandali periculum immineat, vel famæ Religionis detrimentum, vel ne aliqua lex aut conſuetudo Religionis omnino corruat ac relaxetur, vel huiuſmodi res leves aut indifferentes ſint magnarum virtutum impedimentum, aut aliquorum peccatorum cauſſa, quod arbitrio Prælati eſt metiendum. Sicut vero non tenetur ſubditus exequi ſub culpa quod etiam efficaciter optaret Superior, ita nec ea quæ ſub conſilio dumtaxat ei proponit Superior, quia conſilium ad nihilum obligat: erit tamen perfectiſſima obedientia, quæ ideo dicitur perfectionis, ſi levia, & conſilia obſervet. Præcepta vero cenſendum eſt obligare ſub gravi, quando aliquo ſigno explicatur eſſe abſolutam Superioris voluntatem ut impleantur, & niſi in aliqua Religione adſit alia ſpecialis formula, quæ ut plurimum hiſce verbis indicitur, *in virtute Spiritus Sancti*, *ſanctæ obedientiæ*, *& præcepto*.

Licet tamen graviter non peccet Religioſus, niſi dum agit contra expreſſum præceptum Superioris, nihilominus graviter peccare poteſt etiam ob violationem præcepti taciti, quando nempe innoteſcat Superiorem intendere ad aliquid obligare, quia iuxta D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 2. non minus eſt obiectum obedientiæ præceptum Superioris tacitum, quam expreſſum; ait enim ibi S. Doctor, quod *ſpeciale obedientiæ obiectum ſit præceptum tacitum vel expreſſum Superioris: voluntas enim Superioris quocumque modo innoteſcat, eſt quoddam tacitum præceptum*. Qui vero paret præveniendo præceptum, perfectius paret, ut concludit cit. loco Doctor Angel. Hinc plus re-

requiritur, ait Cuniliatus, ut quis fiat culpabiliter inobediens, nempe violatio præcepti expreſſi vel taciti, quam ut quis conſtituatur virtuoſus obediens, cum ad hoc ſufficiat ut tantum innoteſcat Superioris voluntas, quocumque modo deprehendatur.

Ad obedientiam perfecte a Religioſo exercendam, eiuſque votum implendum quatuor conditiones exquiri communiter docent DD. Prima, quod ſit cæca, ideſt non ſcrutetur præcepti rationes, ſed cognito præcepto, dummodo non conſtet ſubdito illicitum eſſe quod a Superiore præcipitur, prompte exequatur, etiam nullo expectato præcepto, ſed ſola voluntate Superioris ſignificata. *Multos enim videmus* (ait D. Bernardus loco cit.) *poſt præcipientis imperium multas facere quæſtiones, cur? quare? quam ob rem? ſæpius interrogare, crebras ingeminare querelas: tales non faciunt obedientiam Deo acceptam, nec hominibus gratam*. Perfectus enim obediens non debet differre, nec tergiverſari, non excuſari, non lente opus aggredi, præcipue quando non præcipiuntur quæ cedunt in ſubditi commodum & honorem, cum non ſit laudabile regulariter loquendo ita promptum & alacrem in his ſe exhibere. Secunda, ut obediat etiam voluntate exequendo quod præceptum eſt. Tertia, ut ſit fortis in opere præcepto implendo, ac in illo perſeverando, ne ob rei difficultatem ab obediendo reſiliat. Quarta, quod ſit humilis, ut Religioſus iudicium ſuum & voluntatem iudicio & voluntati Superioris ſubmittat, ut plena animi ſubmiſſione faciat propter Deum quidquid Prælatus iuſſerit.

Ex iam dictis manifeſte colligitur, quantum a Religioſa obedientia aberrent Religioſi illi, (ſubiungit hic P. Cuniliatus) qui ita ſe gerunt, ut immemores graviſſimæ ac ſtrictiſſimæ ſuæ obligationis, quam, per ſolemne obedientiæ votum ſe totos arbitrio Superioris Religionis ſubiiciendo, contraxerunt, nunc propriam, non Superioris voluntatem proſequi præſumentes, ea munia conſtanter ſubire reluctant, quæ ipſis non placent, tametſi certo norint velle Superiorem ut ab ipſis exercerentur, eaque dumtaxat libenti animo amplectuntur, quæ eorum genio, commodo ac utilitati congruunt. Quam, amabo, excuſationem ſibi efformare poſſunt hi in conſcientia coram Deo, cui per obedientiæ votum proprii arbitrii abdicationem promiſerunt ad Religioſi obſequendum & ſe ſubiiciendo Superioribus (ut D. Thom. ait Quodlib. 10. art. 10. ad 3.) in quo ſtat exercitium voti obedientiæ, dum ſtudioſi ut genio ſuo indulgeant, Superiorum diſpoſitioni ſe ſubdere reluctant? Quam coronam mercedis, qui fidem promiſſis non ſervavere, a iuſtiſſimo Dei iudicio ſperare poſſunt, quando vix unam actionem exhibere poterunt, vix unum officium perfunctum, quod ipſi non exquiſierint ac ex propria voluntate non retinuerint, minime vero ſuſceptum ex humili ac ſincero obediendi affectu, ſine propriæ voluntatis admixtione?

Obiectum ſeu materia voti obedientiæ, ſi quatenus remotum eſt & materiale conſideretur reſpectu obedientiæ perfectionis, ſunt ea omnia, quæ illicita non ſunt; ac proinde perfecte obedientes non attendunt, an iuſſa Superioris ſint ſupra vel præter Regulam; reſpectu vero obedientiæ neceſſitatis, non ſunt omnia non mala, ſed ea tantummodo, ad quæ ex vi voti obedientiæ ſubditus tenetur, ſcilicet ad ea quæ tacite vel expreſſe continentur in Regula, vel quæ ad eius perfectam obſervantiam directe vel indirecte neceſſaria ſunt vel utilia, vel convenientia, cum votum non obliget niſi iuxta formam ac intentionem voventis, quæ ſecundum Religionum genium ac ſtylum non requiritur abſoluta, ſed ſecundum Regulam. Si autem obiectum ſeu materia obedientiæ accipiatur prout proximum & formale, eſt præceptum Superioris iubentis ſeu vetantis, ſine quo dari nequit obedientia formalis ſecundum ſpecificam eius rationem: cum motivum obedientiæ ſit facere aliquid præceptum quatenus præceptum; licet tamen obedientiæ votum non obliget ad obiectum ſeu motivum formale, ideſt ad præceptum prout præceptum eſt, ſed ſolum ad materiale, ſeu ad præcepti executionem. Suar. Leſſ. Garcias, Lezz. Pellizz. & alii.

Dixi *directe vel indirecte*; quia Superior præcipere poteſt, ut ſupra notavimus, quod confert ad arcenda peccata, ad vitanda ſcandala, ad impediendam Conſtitutionum violationem ac Regularis diſciplinæ relaxationem, idcirco ad hæc præſervanda poteſt novas facere ordinationes, quia hoc totum virtualiter reſpicit conſervationem Religioſi Inſtituti, præſidium ac tutelam. Hinc ex his patet, obedientiam ex parte obiecti proximi & formalis eſſe eſſentialiter ac ſubſtantialiter, ideſt ſecundum intrinſeca eſſentialia, eamdem in omnibus Religionibus, dum in omnibus vovetur obedientia ſecun-

cundum Regulas, Conſtitutiones & conſuetudines Religionis; & ſolum ex parte obiecti materialis ſeu remoti ac extenſive differt in aliquibus Religionibus, quod in illis ſtrictior ſit & perfectior quam in aliis, quia Regulæ ac Conſtitutiones ad plura & ſtrictiora ſe extendunt.

Cæterum non tenetur Religioſus obedire Prælato præcipienti illicita etiam venialiter, quia ſunt contraria præceptis divinis & eccleſiaſticis, vel Superiorum, vel iis quæ in Regula continentur (niſi quando poſſet Prælatus diſpenſare), tum quia ad illicitum nemo tenetur, tum quia non eſt materia voti quod non eſt iuxta Regulam. Idcirco ſi Prælatus res inutiles, vanas, indifferentes, quæ nullatenus ad Inſtitutum conducunt, iuberet, non teneretur ſubditus parere; ſicut etiam non tenetur, ſi ſint res mere temporales, ut hoc vel illud negotium in proprium vel amicorum commodum peragere, vel quæ in aliorum damnum vel detrimentum cederent, ut ſecretum ſibi commiſſum revelare, occultum alterius crimen, quæ non cedunt nec in damnum commune, nec innocentis, quia tunc Prælatus ius non habet inquirendi; ſecus vero teneretur, quia tunc Prælatus ius haberet ad inquirendum.

In dubio autem, an res imperata ſit licita, necne, vel an præceptum Superioris ſit extra limites ſuæ poteſtatis, communiter tenent DD. a ſubdito parendum eſſe Superiori: Superiori enim certo de ſua auctoritate favet poſſeſſio, qua expoliandus non eſt a ſubdito dubitante, an ad rem præceptam ſe extendat, vel illa licita ſit, cum alioquin ſit certus ſe obſtrictum eſſe obedientiæ voto ad obtemperandum Superiori in iis, de quibus non conſtat eſſe illicita & contra Regulam, quia tunc præſumendum eſt in favorem Prælati ſeu Superioris, ac iudicandum, ipſum debitam diligentiam adhibuiſſe ad examinandam rem quam præcepit, non ſecus ac in caſu huiuſmodi non poſſet cenſeri miles exemptus a debito obediendi Ducis præcepto.

Item in dubio, num extet præceptum, ſecundum probabiliorem ſubditus tenetur obedire; quia in concurſu quo lædi debeat auctoritas Superioris, aut libertas ſubditi, rationabilius videtur profecto ſervandam eſſe Superioris voluntatem & auctoritatem, quam ſubditi libertatem, quæ illi inferior eſt (ait P. Cuniliarus) & ſe habet veluti quædam pars reſpectu totius, & a fortiori, concludit, parendum eſt, quando ſubditus habet pro ſe opinionem probabilem non obtemperandi circa aliquid, & probabilior eſt opinio Superioris iubendi circa idem. Et ſimiliter ſi darentur opiniones æque probabiles pro Superiore & pro ſubdito, prævalere debet opinio Superioris eadem ratione, quæ allata eſt in caſu dubii. Male ergo (hic aiunt Salmanticenſes) ſcioli quidam Religioſi, Theologia, vel caſibus conſcientiæ a limine ſalutatis, arundine mathematica quid Superiores his vel illis præſcribendis auctoritatis habeant, cum ſcandalo puſillorum ſactiole metiuntur, cum melius facerent, ut multoties tenebuntur, Superiorum, quibus plenius divina lux affulget, iudicio ſe ſubmittendo. Unde ait D. Gregorius lib. 2. cap. 4. *Vera obedientia nec intentionem Superiorum diſcutit, nec præcepta diſcernit, quia omne vitæ ſuæ iudicium ſubdit.*

## §. II.

*De debito ſubditi obediendi Prælato aliquid præcipienti vel ſupra Regulam, vel contra, & infra Regulam, vel præter Regulam.*

Tota controverſia, quæ circa præcepta facta a Prælato ſuis ſubditis Religioſis verſari poteſt, eſt tantummodo quoad præcepta quæ ſint vel ſupra, vel contra, aut infra, vel præter Regulam. Nam quoad ea quæ ſunt ſecundum Regulam vel Conſtitutiones, nullum occurrere poteſt dubium, poſſe Superiorem præcipere quæ in Regula ſive expreſſe, ſive implicite continentur, & ſubditum ad eorum obedientiam teneri, quia ex voto quo promiſit obedientiam ſecundum Regulam, ſe obligavit ad ea omnia quæ in Regula tum expreſſe & directe, tum implicite & indirecte continenter. Illa autem dicuntur implicite vel indirecte contineri in Regula vel Conſtitutionibus, quæ neceſſaria ſunt ad Regularem obſervantiam, quæ licet antequam a Prælato præcipiantur, Religioſus ea exequi non teneatur, cum hoc modo non teneatur niſi ad ea quæ expreſſe & directe in Regula continentur, poſito tamen Superioris mandato, ad illa etiam quæ indirecte in Regula præſcribuntur obedire tenetur; ſcilicet tenetur ad mutua obſequia, charitatis officia, Ordinis negotia, ad pœnas ſuſtinendas, quas propter culpam ſive contra Regulam ſive aliud præceptum promeruit: etenim qui vult ac promittit finem, media etiam ad il-

Digitized by Google

illum neceſſaria velle ac promittere cenſetur.

Non tenetur vero ſubditus obedire Prælato aliquod præcipienti contra vel infra Regulam. Nomine rerum contra Regulam omnia ea intelliguntur, quæ cum a Regula mandantur obſervari, Prælatus in his diſpenſat & ſimul præcipit contrarium. Nomine rerum infra Regulam hic ea accipiuntur, ad quæ Regula non ordinatur. Et primum non tenetur ſubditus abſolute loquendo obedire ſuo Prælato aliquid ſibi iubenti quod ſit contra Regulam, quia tunc præceptum facultatem Superioris excederet ac ſubditi ſubiectionem, cum hic promiſerit obedientiam ſecundum Regulam. Dixi abſolute loquendo, quia teneretur ſubditus obedire ſi in tali capite Regulæ, contra quod aliquid Superior præcipit, habet Prælatus facultatem diſpenſandi, & conſtet iuſtam cauſam habere diſpenſandi, quia tunc præceptum non excedit Superioris facultatem nec ſubditi dependentiam. Non teneretur vero ſi ipſi ſubdito manifeſte conſtaret Superiorem non habere iuſtam cauſam diſpenſandi, ſine qua plane nullus Superior poteſt ſupra legem ſeu Regulam diſpenſare. Unde ſi Prælatus Chartuſianorum præciperet alicui Religioſo carnes comedere, & ſubditus clare ſciret nullam adeſſe cauſam eas comedendi, non eſſet obligatus parere. Quod ſi ſubditus ſolum dubitaret talem cauſam adeſſe, obtemperare deberet, quia eo ipſo quod Superior præcipiendo diſpenſat, depoſito dubio ſtare debet Superioris iudicio, & iudicare quod Superior moveatur a iuſta cauſa ad diſpenſandum. Caiet. Leſſ. Peyr. Pellizz. & alii.

Prælatus limitare nequit ſeu coarctare ſua iuſſione exemptiones & privilegia, quæ aliquibus perſonis oneroſo officio applicatis Regula concedere ſolet, vel ut melius munere ſuo fungantur, vel ad compenſandum maiorem laborem quem præſtant in oneroſo officio, niſi forte in pœnam propter ſubditi abuſum cum Regulæ relaxatione. Vel quando Regula concedat tales exemptiones cum dependentia in toto vel in parte a Prælato, ut hic pro ſua æquitate ac prudentia eas limitare ac moderare valeat; alias excederet limites ſuæ facultatis, nec ipſius præceptum ſubditum ligaret. Sic Paſſerinus, Sanchez & alii.

Circa ea vero quæ ſunt infra Regulam, ea ſcilicet quæ ad Regulam non ſunt ordinata, ſi a Superiore præcipiantur, non tenetur ſubditus obtemperare. Quare ſi Religioſo oblatus eſſet Epiſcopatus, Cardinalatus &c., licet ad exemplum Sanctorum hominum ſecularet, ſi a Prælato cogeretur huiuſcemodi dignitates acceptare, eſſet laudabile ſanctæ obedientiæ exercitium mandato Prælati obſequi; vere tamen nec ullus Prælatus vim facere poteſt ſubdito ſuo præcepto, nec iſte parere tenetur haſce dignitates acceptando; quia cum votum obedientiæ ſit ſecundum Regulam, non obligat ad obediendum in iis quæ ſunt infra vel extra Regulam, cuiuſmodi eſſet amplecti illas dignitates, quæ ſunt infra Regulam, minime ad Regulam ordinatæ ac conducentes, immo ab ipſa removentes, dum illæ a Regulæ obſervantia eas acceptantem ſubtrahunt; & eo vel maxime locum non habent talia Prælatorum præcepta, quia acceptare dignitates illas non ſpectat ad commune Religionis bonum, nec ad privatum Religioſi, ſed ad commune bonum Eccleſiæ, cui conſulere non eſt nec Prælatorum Religionis, nec Religioſi. D. Antonin. Peyrin. Lezz. Suar. & alii. Poteſt quidem Religioſus obligari a Summo Pontifice ut acceptet Epiſcopatum, Cardinalatum, aliamque dignitatem extra Ordinem, Beneficium etiam ſæculare vel Regulare alterius Ordinis, non tamen ex vi voti obedientiæ, ſed ex iuriſdictione quam habet in totam Eccleſiam, cuius regimen ipſi incumbit. Nam ſi poteſtas civilis urgere poteſt cives ad ſubeunda reipublicæ munia L. *ad Magiſtrat*. C. *de decurion.* & alibi: ita Summus Pontifex hoc poteſt reſpectu omnium Chriſtianorum. Sic D. Antonin. Peyrin. Pellizz. Lezz. Soto, Suarez & alii.

Ex oppoſito vero cogi poteſt Religioſus merito ſanctæ obedientiæ voti acceptare Prælaturas Ordinis, vel Beneficium Regulare ipſius Ordinis; alias male Regulari diſciplinæ proviſum eſſet, ſi quivis Religioſus refugere poſſet onera, quæ ſunt dignitates vel Prælaturæ ipſius regiminis. Quia eiuſmodi Prælaturæ per Religioſos eiuſdem Ordinis ſunt adminiſtrandæ, ac proinde Prælatus, apud quem eſt Ordinis adminiſtratio, poteſt cogere Religioſum ſuo præcepto ad eas acceptandas, dum hoc eſt ſecundum Regulam, utpote omnino neceſſarium ad Regularem obſervantiam. Si vero Religioſus haberet aliquod impedimentum ad illas dignitates, ſi poſſet illud amovere per ſe, tenetur; ſi a Prælato vel ab alio poſſit diſpenſari, illud Prælato aperire debet, vel alium quærere a quo diſpenſetur. Si autem nec ipſe, nec Prælatus, nec alius illud amovere poteſt, puta ſi habeat irregularitatem

Pa-

Digitized by Google

Papæ reſervatam, non tenetur, immo nequit officium acceptare, cum nemo ad illicita obſtringi queat. Sic cum D. Thoma 2. 2. q. 185. art. 2. ad 2. Pellizz. Lezz. Peyrin. quos hic citant Salmantic.

### §. III.

*De debito obediendi Reformationi diſciplinæ Regularis collapſæ.*

Conditio inconſtantiæ ac mutabilitatis, in qua res omnes huius terrarum orbis verſantur, eſt lex a ſupremo rerum omnium Conditore ab ipſis ſuis primordiis mundo ſtatuta & indicta ( notat Lipſius lib. 1. *de conſtant.* cap. 16. ), ut in continuo fluxu & refluxu, mutatione ſcilicet ortus vel interitus omnia volvantur, ac nihil inveniatur ſub cœlo ſtabile ac permanens præter ipſum divinum Rectorem, ſicuti teſtatur Apoſtolus: *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*. Hanc rerum humanarum viciſſitudinem ac mutabilitatem experti quoque ſunt quotquot ſanctiſſime inſtituti fuere Monachorum & Religioſorum Ordines. Luculentiſſima habentur a Scriptoribus teſtimonia inſignis ſanctitatis, qua ſub initio eorum inſtitutionis illi Ordines floruere, quam bonum per Eccleſiam univerſam odorem diffuderunt, quam ſancte Patres illorum ac horum priores filii vixerint; ſed alii poſteriorum temporum de rebus Monaſticis Scriptores referunt, hos religioſiſſimos Ordines a primæva ſua perfectione ac ſanctitate ſenſim deficientes ad magnam ſubinde prolapſos fuiſſe corruptelam & deformitatem. Verum ſupremus totius Orbis Rector eodem conſilio, quo in tali rerum mundanarum viciſſitudine ad univerſi conſervationem providit, ut pereuntia per novarum generationem reſtituerentur, & Ordines in humana Republica deficientes, prudentum moderatorum opera inſtaurarentur, providit quoque ut in ſua Eccleſia collapſa in quocumque ordine ſive communi Fidelium, ſive particulari Clericalis Hierarchiæ, ſive Monachalis ſeu Regularis, diſciplina per Superiores ſeu Prælatos, quos ad regimen cuiuſcumque reſpectivi Ordinis conſtituit, ad priſtinum ſuum ſplendorem per reformationem reſtitueretur.

Cum autem hic agendum ſit de Regularis diſciplinæ reformatione, operæ pretium duxi cauſſas præcipuas collapſionis Regularis diſciplinæ prænotare, ut qui Monaſteriorum ſeu Ordinis reformationi vi ſui muneris intendere ac invigilare tenentur, cauſſas radiceſque collapſæ diſciplinæ non ignorantes, in his præcipue tollendis & eradicandis ſtudium ſuum ac ſolicitudinem exerceant.

Prima cauſſa laxationis Regularis diſciplinæ ſemper fuit vitium proprietatis, ut conſtat ex Gregorio lib. 10. epiſt. 22. ubi committit Epiſcopo Mariano, ut *peculiaritatem in aliquibus Monachis ſtudioſiſſime compeſcat, & Monaſterium a tali peſte mundare feſtinet*; *quia* ( ait ) *ubi peculiaritas, neque concordia neque charitas in Congregatione, unde confuſa Babylon, & vitiorum ſpelunca*. Sic Dionyſius Carthuſianus *de reformat. clauſtr.* art. 16. & alibi.

Secunda, & valde exitialis, eſt nimia divitiarum affluentia, ex qua procedit receſſus a paupertate Religioſa in victu, veſtitu, & ſupellectile, ædificiorum ſtructura & ornatu. Quia dum deflectitur a paupertate & ſimplicitate, facile ad delicias ſæculi in cibo, potu, veſtium mollitie, &c. & a chriſtiana hoſpitalitate ad ſæcularia & mundana convivia & epulas devenitur. Ubi hæc invaluerint, ſenſim omnem pietatis ac ſimplicitatis, necnon mortificationis & pœnitentiæ ſpiritum Religioſi extinguunt, ac de ſpiritualibus carnales & mundanos efficiunt, ut de his ait D. Bernardus in Apologia ad Guillelmum Abbatem. Hinc fit ut allecti a tanta ædificiorum ſumptuoſitate, ſupellectilis ſuperbia, & ciborum deliciis, non ſolum divites ſæculi Monaſteria ambiant, ſed illi etiam, qui commode & laute vivere cupiunt, quærant ſub Chriſto paupere quod in ſæculo divite invenire non valent. Unde fit ut plures in Monaſteria irrepant, ( ait Bellarm. lib. 2. cap. 6. *de gemitu columbæ* ) quos non traxit divina vocatio ad humilitatem, ſed carnalis affectus, qui mentem excæcat, duxit illos vel ad vitæ commoditatem, cum eſſent pauperes, vel ad honores ambiendos in Religione, cum in ſæculo non invenerint qua via poſſent aſcendere, vel ex alio humano conſilio veſtem induerunt, ſed mores non mutavere. Huiuſcemodi autem in Religionem ingreſſus & admiſſiones nonniſi integram Monaſticæ diſciplinæ ruinam parere poſſunt. Facile in Monaſteriis iſtiuſmodi tepecit, ne dicam extinguitur, ſpiritus orationis ac meditationis, & hoc facile intelligit qui novit quam parum cum abundantia ac deliciis in cibo & potu, aliiſque corporis oblectamentis huiuſmodi ſpiritus conſiſtat. Spiritu vero orationis ſemel refrigeſcente, ipſam

ipſam quoque Religionem refrigeſcere neceſſe eſt, ut fuſe Lezz. *de Reform. Regular.* cap. 3. & 4. Hæc aliaque (ait celeberrimus Canoniſta Van-Eſpen) ut ſunt otium, evagandi libertas, rerum temporalium cura, ac de his cum hominibus ſæcularibus tractandi, immo & lites ac contentiones Forenſes ſuſtinendi ac proſequendi neceſſitas, Monaſticæ diſciplinæ adeo exitialia, primitus nonniſi ex nimia divitiarum, rerumque temporalium affluentia oriri ſolent.

Ruinam diſciplinæ Monaſticæ, avitamque pietatem in multis Ordinibus ex divitiarum affluentia tamquam a venenoſo fonte profluxiſſe agnoverunt inter alios Trithemius ſupra tit. 29. cap. 7. n. 14. Arnoldus Abbas Lubecenſis in *Supplem.* Stelmod. lib. 3. cap. 9. D. Bernardus, Alexander III. in epiſt. ad Abbates Ciſtercienſes in cap. 3. §. *de ſtatu Monachali*, in qua deplorat ruinam ſanctitatis huius Ordinis ex temporalium rerum affluentia. Qui igitur reformandæ Regulari diſciplinæ intendunt, nequaquam divitiarum abundantiam deſiderare debent, ſed quod ſatis ſit ut Religioſi, non laute & ſplendide, ſed commode tantum, ut præſcribit Tridentinum, ſuſtentari valeant, & ſicuti ſtatuerant primi Carthuſiani Ordinis fundatores, ut referunt Robertus Montenſis & Iacobus a Vitriaco in *Hiſtor. Occident.* lib. 2. cap. 18. Et ubi opulentia iam adeſt, multum & præcipue ſatagendum eſt, quomodo diſſolutionum rivulos ex divitiarum abundantia tamquam ex infecto fonte manantes occludere ac exſiccare queant.

Tertia relaxationis cauſſa fuit etiam nimia paupertas. S. Franciſcus & alii Ordinum Mendicantium Patres videntes rerum temporalium copiam Monachalibus Ordinibus Regularis diſciplinæ diſſolutionem periſſe, omnium temporalium rerum poſſeſſionem & in Particulari & in communi interdicere putarunt. Verum, non ſecus ac nimiæ divitiæ, ipſa paupertas relaxationis cauſſam præbuit. Nam cum illi Ordines ſenſim multiplicarentur, nec moderatus modus in recipiendis ad habitum ſervaretur, eorum paupertas & neceſſariorum deficientia, & quæ hinc conſequuntur moleſtiæ, eos ad vitæ ſubſidia inquirenda etiam cum relaxatione diſciplinæ quodammodo coegerunt, ut conſtat ex D. Bonav. in epiſt. 2. ad Provinciales ſui Ordinis, in qua demonſtrat, primam inter cauſſas prolapſionis ſui Ordinis fuiſſe nimiam paupertatem. *Hinc* (ait ibi S. Doctor) *negotiorum multiplicitas, qua pecunia noſtri Ordinis paupertati ſuper omnia inimica, avide petitur, incaute recipitur, & incautius contrectatur.* Unde ex tali penuria & Fratrum multiplicatione profluebat quoque evagatio plurimorum ad eleemoſynarum quæſtum, vel etiam propter corporale ſolatium, (ait cit. Doctor Seraphicus) pergravantium eos per quos tranſeunt, & ſcandala potius quam exempla poſt ſe relinquentes, inde cum divitibus & magnatibus huius ſæculi nimia familiaritas, teſte Matthæo Pariſienſi Monacho Benedictino ad an. 1235. ideſt circa vix annos 30. ab exordio Fratrum Minorum & Prædicatorum, ita ut tunc eſſent hi magnatum conſiliarii, nuncii &c. Hinc prætextu pariter paupertatis ac neceſſitatis ſublevandæ ſenſim inducta eſt in Ordinem *ſepulturarum, & teſtamentorum avida quædam invaſio, non ſine magna Cleri turbatione & maxime Sacerdotum.* Sic in alia Doctor Seraphicus ad eoſdem Provinciales.

Hæ ſimileſve diſſolutionis Ordinum Mendicantium cauſſæ & occaſiones fuere nonniſi nimia Fratrum multiplicatio, & ex ea profluens rerum neceſſariarum defectus. Quapropter S. Bonaventura cit. epiſt. his abuſibus mederi volens, alia ſua Provincialibus ſui Ordinis præcipit, ut reſtringatur multitudinis receptio. Hinc in reformatione Ordinis Minorum, quæ originem dedit Ordini Capuccinorum, ſtatuitur in ſprimis illius Conſtitutionibus, ut Conventus familiæ numerum Fratrum ſeptimum vel octavum non excedat, & in magnis Civitatibus decem vel duodecim circiter ubi commode habitare poſſint. Et ob id potiſſimum, ut perfectio & ſine impedimento Regula ac ſancta paupertas obſerventur.

Inſuper temporalium rerum inopia, & ſtudium Ordinem multiplicandi fecit, ut plures non probati, ideſt ſine ſufficienti examine indiſcriminatim & præcipitanter ad Ordinem admitterentur, & præcipue quando ſpes erat eorum bona ad Monaſterium obventura, vel eos pecuniam daturos, qua Conventus inopia repararetur, aut debita contracta ſolverentur, ut eis exprobravit ſupra laudatus S. Bonaventura in *Apolog.* 18. ita ut in talibus admiſſionibus eos ſimoniæ damnaverit. Hi porro non ſatis probati in ſua vocatione, & ex aliqua alia humana conſideratione facilius quam oportebat admiſſi; rigorem Regulæ non ferentes, eam per ſubtiles interpretationes mitigare ſtudebant. Hiſce interpretationibus acceſſere mitigationes ac privilegia ab Apoſtolica Sede importune impetrata, quibus ſenſim

ab ipſius Regulæ rigore recedebatur, ut in cap. *Exiit in* 6. Clementina *Exivi*.

Regularis obſervationis collapſioni non parum contulit ſæcularium utriuſque ſexus confeſſionum exceptio; dum præfecti aliquando ad hoc Miniſterium Fratres non ſatis in Religioſa vita exercitati & ſolidati, nonnunquam contingit, ut plus ipſi inficiantur, quam pœnitentes ipſorum opera expurgentur.

Quare nihil impenſius & magis ſolicite in Ordinum Conſtitutionibus inculcatur, quam ut nonniſi admodum probati & ætate provecti ad ſæcularium, prælertim mulierum confeſſiones excipiendas promoveantur. Immo ut hoc periculum a Fratribus averterent primi Capuccinorum, curarunt, ut per ſuam Bullam Gregorius XIV. omnibus ſine ulla exceptione interdiceret, quorumcumque, etiam Clericorum, confeſſiones excipere. Huiuſce, aliarumve Hierarchicarum functionum exercitatio, quam multas obtulit Ordinibus Mendicantibus cum ſæcularibus perſonis etiam familiariter converſandi occaſiones, quæ ſunt teterrimæ Religionum peſtes! Hinc innumeræ exhibentur occaſiones, prætextus, ac etiam neceſſitates egrediendi & evagandi, quæ raro contingunt ſine vitæ Religioſæ diſpendio, ut notat S. Thomas de Villanova Serm. 2. in Dominic. 1. Quadrageſ. quando nihil magis ſolicitavere Patres Monachorum, & permultas adhibuere præcautiones, ne facile e Conventu Fratres egrederentur; cum talis egreſſio & evagatio raro contingat ſine aliquo Regularis vitæ detrimento. Quare ſingulari titulo convenit Religioſis illud D. Auguſt. lib. 19. *de Civit. Dei* cap. 19. *Otium ſanctum quærit charitas veritatis; negotium iuſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponit percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati: ſi autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem*. Attente igitur perpendant quibus cura & auctoritas incumbit reformandi & corrigendi, qua ratione hiſce relaxationis cauſſis occaſionibuſve pro loco & tempore occurrere ac mederi, ipſamque Religionem collapſam ad priſtinam perfectionem reſtituere vel integram ſervare, & contra collapſionis pericula munire valeant.

Auctoritas reformandi Monaſteria ſeu Religioſos Ordines, ſi primæva attendatur Monaſtica vivendi norma, erat penes Epiſcopos, tum etiam Abbates; ita ut uterque indifferenter Ordinum ac Monaſteriorum reformationi intendebant, ut Eccleſiaſtica comprobant documenta, quæ referunt, ſæculo nono utroſque, Epiſcopos ſcilicet & Abbates, in ipſis Synodis ad iſtiuſmodi opus viciſſim intendiſſe. Ita habetur in Synodo Moguntina anni 813. ubi lecta ab Abbatibus vel probatis Monachis, qui in ſecunda Turma conſediſſe dicuntur, eorum Regula, Epiſcopi diligenter egerunt, qualiter Monachorum vitam in meliorem ſtatum ac augmentum cum Dei gratia perducere poſſent. Quæ autem poſt diſcuſſionem Regulæ viſa ſunt obſervantiæ Monaſticæ diſciplinæ accommodata, Synodi, quæ præcipue ex Epiſcopis conſtabat, auctoritate ſtatuta fuere. Huiuſcemodi auctoritate uſi fuere Epiſcopi in aliis Conciliis, quæ ſub iiſdem temporibus celebrata fuere, perſuaſi, præcipuam auctoritatem ac facultatem reformandi Monaſteria apud ipſos reſidere, ipſiſque competere, iuxta illud Concilii Arelatenſis apud Gratianum cauſ. 18. q. 2. can. 17. *Monaſteria vel Monachorum diſciplina ad eum pertineant Epiſcopum, in cuius ſunt territorio conſtituta*.

Verum, inſpecta diſciplina expreſſa in Decretalibus Gregorii IX. cura & auctoritas corrigendi & reformandi Monachos Abbatibus ac Moderatoribus Regularium Ordinum incumbere videtur, ut ex cap *Quanto* §. *de officio Ordinarii*; & ſi iſti ſint negligentes, ad Epiſcopos pertinet correctio Regularium & reformatio. Non poteſt Epiſcopus in tali caſu quoque devenire ad reformationem, niſi convocatis Abbatibus & Religioſis eiuſdem Ordinis profeſſis Regulam, cuius ſunt Monaſteria reformanda. Abbatibus Commendatariis nulla competit auctoritas reformandi Monaſticam diſciplinam aut Regularem obſervantiam, niſi fuerint Cardinales, ſed tota illorum directio eſt penes Priores Clauſtrales, ac proinde Monaſteriorum reformatio ad ſolos Regulares Superiores ſpectat excluſis Commendatariis.

Verum Epiſcoporum & Prælatorum reformandi ſtudium ac labor ſuum difficillime ſortiuntur effectum, niſi auxilium Principis accedat. Hinc ſæpe ſæpius Principes ac ſuprema Regum Parlamenta ſeu Conſilia ſe adiunxerunt Eccleſiaſticis Superioribus ad Monaſteriorum, Ordinumque reformationem, ut habetur de Ludovico Pio tom. 7. Conciliorum. Immo Principes ipſi ac Regia Conſilia huiuſce operis fuere primarii motores. Ita enim contigit ſub laudato Imperatore Ludovico, qui, teſte Leone Oſtienſi Monacho Benedictino in Chronic. Caſſinen.

lib.

Digitized by Google

lib. 1. cap. 16. anno quarto ſui imperii in ſuo palatio Aquiſgrani conventum faciens cum pluribus Monachis, conſtituit pro Monachis S. Benedicti ſeptuaginta duo generalia Capitula utiliſſima eiuſdem Ordinis obſervationi, quæ Capitula habentur apud Labæum tom. 7. Concilior. ad ann. 817. de quibus Capitulis Leo cit. loco eod. ſubiicit: *Quæ omnia apud nos perinde fere ac Regula S. Benedicti obſervantur*. Immo ad promovendam Monaſticam obſervantiam mittebant Imperatores ſuos Legatos, quos *miſſos* vocabant per Civitates ad explorandam diligenter Monachorum vitam & converſationem, de eorum cantu, lectione, cæteriſque diſciplinæ & eccleſiaſticæ Regulæ pertinentibus, ut habetur in Capitularibus Regum Francorum cap. 4. Non minor eſt hodie in negotio hoc Principum auctoritas, Galliæ præcipue & Belgii, unde quando opus ſit, ſtatuuntur Monaſteriorum reformationes, concedendo Epiſcopis, eoſque compellendo, ut Vicarios Generales, certoſque Conſiliarios Clericos conſtituant, qui faciant ſtatuta, aliaque ad hoc opus pertinentia, teſte Rebuffo, qui ait, *ut vidi ſæpius fieri in hoc Senatu*. Et varia de hoc exempla quoad plura Monaſteria cuiuſcumque Ordinis tum Monachorum, tum Mendicantium & Canonicorum refert hic Van-Eſpen in Gallia & in Belgio; ſic iubentibus eorum locorum Arreſtibus ſeu Parlamentis Curiiſve regiis. Immo in Gallia Generales Ordinum Romæ reſidentes indicere nequeunt reformationem Monaſteriorum illius Regni ſine Regis placito.

Solicitudo & ſtudium ſervandæ Regularis obſervantiæ fecerunt, ut Monaſteria, quæ per ſeptem ſæcula ſingula ad invicem ſeparata remanſerant, plura in unam Congregationem adunarentur. Et hoc præcipue contigit ſæculo decimo ſub S. Odone Cluniacenſi Abbate ſtrenuo Benedictini Inſtituti reformatore, qui plura Monaſteria adunavit, quæ unum corpus efficerent, ac ritum formamque Monaſterii Cluniacenſis ſequerentur, ipſumque Cluniacenſem Abbatem pro ſuo primario Abbate recognoſcerent. Sic Glaber Rodulfus lib. 3. Hiſt. cap. 5. Ad exemplum S. Odonis, plures alibi inſtitutæ ſunt Congregationes Monachorum, Canonicorum, & præcipue ſæculis poſterioribus Mendicantium.

Porro illa Monaſteriorum adunatio in unum corpus ſeu Congregationem, maximopere confert ad Regularem diſciplinam ſive ſervandam ne labatur, ſive collapſam reſtaurandam, & præcipue quia frequentius in unum convenientes Monaſteriorum Superiores, communi conſilio deliberare, & communi opera ac ſtudio elaborare in bonum ipſius Religionis melius & efficacius valent. Hinc Ciſtercienſis Ordinis Congregatio in ipſa ſua primæva inſtitutione (dicta vulgo *Charta Charitatis*) approbata ab Eugenio III. Conſtit. quæ incipit *Sacroſanctæ Roman.* ſtatuit, ut omnes Abbates Monaſteriorum Ordinis omni poſtpoſita occaſione, ſalva infirmitate, convenirent ſingulis annis ad Generale Capitulum. Huius Capituli generalis meminit D. Bernardus epiſt. 28. ad Abbatem Cluniacenſem.

Verum cum deprehenderetur, hæc Capitula in Ordine Ciſtercienſi inſtituta & annuatim celebrari ſolita, admodum convenientia eſſe diſciplinæ Monaſticæ ſuſtinendæ aut collapſæ rurſus reſtaurandæ, Concilium Lateran. IV. ſub Innocentio III. deſiderans, diſciplinam in multis Monaſteriis & Ordinibus non parum collapſam reſtaurari, & primævam Regulam reintegrari, ſtatuit, ut in ſingulis Regnis ſive Provinciis fiat de triennio in triennium (ſalvo iure Diœceſanorum & Pontificum) commune Capitulum Abbatum atque Priorum, ad quod omnes non legitime impediti conveniant apud unum de Monaſteriis ad hoc aptum. Et quia Ciſtercienſes in hoc erant valde periti, ordinat Concilium, ut in huiuſmodi novitatis exordiis advocent duos Abbates Ciſtercienſes, a quibus de norma has celebrandi Congregationes ſeu Comitia inſtruantur. Nomine *Priorum* in Decreto Concilii Lateran. videntur intelligi omnes illi Priores, qui curam animarum in Monaſterio ſuſtinent, nec alium in eodem Monaſterio in regimine immediate Monaſterii agnoſcunt, quales ſunt Priores Conventuales. Hanc Concilii Lateran. Conſtitutionem plures Pontifices, præcipue Benedictus XII. in Conſtitutionibus pro reformatione Benedictinorum & Canonicorum Regularium, & Clemens V. in Clementina *Ne in agro* §. *finali de ſtatu Monachor.* & maxime Concilium Trid. ſeſſ. 25. cap. 8. *de Regular.* ſub ſancto fine reformationis Regularis diſciplinæ in talibus Comitiis inſtituendæ expreſſe innovarunt & ſervari mandarunt. Sed de his Capitulis melius ſuo loco dicemus.

Præter Capitula autem totius Congregationis, iampridem uſitata fuere apud Monachos & Canonicos in communi viventes Capitula quotidiana, ut conſtat ex Conci-

liis & Regulis ac Conſtitutionibus Monachorum. Hæc Capitula haberi ſolebant poſt Primam abſolutam. In hoc Capitulo legi conſueverat Martyrologium, cui ſequebatur verſus *Pretioſa* cum Capitulo *S. Maria*, ut nunc in Prima. Deinde legebatur Capitulum Regulæ iuxta præſcriptum Canonis Aquiſgranenſis, & cap. 64. Regulæ S. Benedicti, quod caput Regulæ, ut iuniores præcipue intelligerent, a Superiore erat exponendum, ut mandat Benedictus XII. in citata Conſtitutione. Ab hac lectione Capituli ex Regula, poſtmodum locus ipſius Conſeſſus *Capitulum* dictus fuit, ut obſervat Haeſtenus lib. 8. diſt. Monaſt. tract. 1. diſq. 1. Huic lectioni Capituli Regulæ ſuccedit & reſpondet Lectio brevis, quæ hodie iuxta ritum Breviarii Romani dicitur in fine Primæ. Ad Regulæ lectionem pium ac utile exercitium Trithemius tradit in *Exercitat. Monaſt.* tract. 3. conſiderat. 2. *Dum Lector*, ait, *paſſum unum de more ex Regula recitat, devotus Cœnobita in corde ſuo dicat: Adiuva me dulciſſime bone Ieſu, ut ſecundum hanc normam ſervi tui Benedicti religioſe poſſim vivere, & in ſuo ſanctiſſimo ſervitio feliciter permanere. Recogitet deinde præmium paratum ferventibus, & damnationem æternam tepidis & negligentibus: denique cogitet, ſe ad fidelem conatum obligari omnium, quæ Regula continet, quemadmodum tenor profeſſionis habet.* Ultimus actus quo Capitulum complebatur, erat culparum ac defectuum Monachorum ultronea confeſſio & agnitio, de qua late cit. Haeſtenus lib. 8. &c. tract. 2. Et hoc Capitulum quotidianum ſtatutum fuit etiam a Benedicto XII. Conſtit. cit. cap. 5. ubi dicitur, per hoc fortificari & durare nervum Monaſticæ diſciplinæ, dum iuxta §. 7. laudatæ Benedicti Conſtitutionis iubebatur, ut ſalubriter tractaretur & ageretur de diſciplina & reformatione Regulari. Similia habentur etiam in aliorum Ordinum Conſtitutionibus, quæ ſi ſedulo obſervarentur, clare appareret, Capitula in Ordinibus pie utiliterque inſtituta eſſe ad reſtaurandam diſciplinam, morumque correctionem.

## §. IV.

*De debito obediendi Prælatis in reformatione diſciplinæ Regularis collapſæ, & præcipue quoad vitam communem.*

Nota 1. hic non agi de debito obediendi Prælatis præcipientibus reformationem & reductionem diſciplinæ ad primævum rigorem Regulæ collapſæ & relaxatæ ſive occaſione diſpenſationum & privilegiorum, ſive conſuetudinum immemorabilium contra Regulam, quæ de præſenti vim legis habere præſumuntur. In Religionibus mos eſt prævenire noviter profitentes nonnullis proteſtationibus, quibus obligantur ad non reluctandum reaſſumptioni primarum auſteritatum iuxta Regulam antiquam & Inſtitutoris intentionem, ſicuti teſte Paſſerino *de Statib.* q. 176. art. 8. n. 2. fieri ſolet in ipſo Ordine Prædicatorum.

Nota 2. ſermonem hic non inſtitui de reformatione laxitatum quæ graviter opponuntur vel votorum obſervantiæ, ut ſumptuoſitas in veſtitu, cibo, & habitationis ornatu, nimia libertas in uſu pecuniæ, vel ipſius copioſa retentio apud ſe ipſum inſcio vel etiam invito Superiore, quæ valde ſapiunt proprietatem, aliave huiuſce generis; vel ſtatui Religioſo, ut notabilis mutatio habitus proprii Ordinis, vel ipſius in toto aut in aliqua parte, licet non continua, depoſitio ſive occultatio, nimis frequens & affectata deſertio ſpiritualium exercitiorum, quæ in Regula præſcribuntur, præſertim publicæ orationis ſeu divinæ pſalmodiæ in choro ſine rationabili cauſſa & legitima diſpenſatione, quod nimium adverſatur ſtatui Religioſo, cui inter alia pietatis opera ſtrictiſſime & eſſentialiter incumbit orationis exercitium, utpote ſpecialis ſcopus Religioſi ſtatus, & inſtrumentum omnino neceſſarium ad viam percurrendam perfectionis, in qua vi proprii Inſtituti inceſſanter proficere debet Religioſus, dum perfectionis acquiſitio eſt principale, ne dicam ſingulare obiectum Clauſtralium profeſſionis. De huiuſcemodi laxitatum reformatione hic non non eſt ſermo. Etenim nulla hic oriri poteſt prudens dubitatio, quod nequeant, immo non debeant Superiores Ordinum, huiuſcemodi deformitatibus, quæ Religioſam obſervantiam contaminant, exercitium perfectionis impediunt, ac ipſorum conſcientiam graviter pergravant, eorumdem reformatione providere, & proinde quandocumque eam fieri contingat, Religioſi parere teneantur, abſque eo quod eis ſuffragare valeat quidquam, quæcumque etiam longiſſima earumdem laxitatum conſuetudo, quæ fuit ſemper merus abuſus.

Quare tota difficultas reducitur circa quaſdam laxitates, ſeu potius mitigationes Regulæ, quæ reſpiciunt quaſdam civiles commoditates vitæ, quæ licet ad ſæculi mollitiem accedant, in eſſentialibus tamen vitam Re-

Regularem non deformant, ideſt non verſantur circa ſubſtantialia, dum contra hæc, utpote de iure divino, nulla induci poteſt conſuetudo, ſed ſunt circa obſervantias quaſdam & adiuncta ſubſtantialibus, cuiuſmodi ſunt modus paupertatis & obedientiæ, quos declarare & relaxare valet conſuetudo; & quoad hæc pariter fere omnes conveniunt DD. quod ſi reformentur antequam prætererierit tempus ſufficiens pro legitima conſuetudine, tenetur Religioſus ſe ſubiicere reformationi. Unde tota difficultas reſtringitur ad laxitates ſeu mitigationes Regulæ, quæ iam præſcripſerunt, vel quæ cum iam in Religione invaluiſſent, novus Religioſus Regulam, prout tunc cum talibus mitigationibus communiter obſervabatur, profeſſus eſt: & circa hoc valde diſcrepant Theologi in definiendo, an facta ſuper his reformatione a Capitulo generali vel a maiore illius parte, Religioſus etiam, qui cum tali mitigatione Regulam profeſſus eſt, reformationi ſtare teneatur. Negant aliqui, ut Palaus, Moronus & alii, quia (aiunt ipſi) talis Religioſus illam Regulam profeſſus eſt non in primo rigore, ſed quatenus legitima conſuetudine erat mitigata; igitur non poteſt obligari tantummodo, niſi ad neceſſariam conſervationem in illo ſtatu mitigationis, in quo erat quando ipſe ſecundum Regulam, præcipue in Ordinibus ubi non eſt in uſu exigere ſupradictam proteſtationem, profeſſus eſt. Alii contrarium ſentiunt, ut Sylveſt. Azor. Laym. Peyrin. cum aliis; quia, (dicunt iſti) quando quis Regulam profitetur, non eam ut relaxatam, ſed ut primum inſtitutam amplectitur, ac ideo profitetur. Inſuper qui in Religione ſponte ſua profeſſus eſt, ita Regulam obſervare promiſit, ut paratus eſſe debeat quantum in ſe eſt ad ipſius conſervationem procurandam. Unde ſi bonus ſtatus Religionis collapſus ſit, tenetur pati ut inſtauretur, & ideo Regulam ſic inſtauratam ſervare. Eo vel maxime quia poſſunt Prælati iuxta Sanchez, alioſve, edere nova ſtatuta non contenta in primæva Regula, quando pro loci & temporis occaſione neceſſaria eſſent ad Religioſæ vitæ reformationem, & ut vota eſſentialia, aliaque ſtatuta ſerventur, cum hæc ad Regulam pertineant, & ſub illa implicite contineantur. Limitant tamen hi Auctores ſuam ſententiam, ſcilicet niſi profitentes poſt Regulæ mitigationem limitaverint intentionem, ſe nolle ad amplius obligare, quam ad Regulam ſic mitigatam. Sic expreſſe tenet Suarezius tom. 3. *de Relig.* lib. 10. cap. 8. n. 17. Pellizz. Cæterum (notat Suarez) nihil ſuffragari poteſt ignorantia iuris, ſcilicet poteſtatis quam habent Prælati, quandocumque opus ſit Religionem reformandi; quia cum profitendo voluntatem ſubiecerit Religioſus iis, qui habent poteſtatem reformandi, virtualiter voluit reformationem, ac proinde niſi explicite, ſaltem virtualiter & implicite ſe obligavit ad reformationem, quandocumque Superiores eam inſtaurare voluerint. Ita Fagnan. in cap. *Recolentes* n. 5. & ſeq. & adducit Innocentium in cap. *Super eo*, Abbas in cap. *Ad Noſtram* n. 4. rationem afferens, quod profitentes, Regulam profitentur non conſuetudinem, ac proinde ad Regulæ obſervantiam cogi poſſunt, nec locum habent ad reſiſtendum, ſi talis obſervantia præcipiatur. Immo addunt ulterius, valere hanc doctrinam non ſolum quoad conſuetudines initio vitioſas, ſed etiam per legitimam diſpenſationem Superiorum, ad quos ſpectat, ex rationabili cauſſa introductas; quia per diſpenſationem ſibi non abſtulit Superior facultatem, talem diſpenſationem neceſſitate boni Religionis ſuſpendendi. Attamen licet optime diſcurrant laudati DD. nimis durum videtur, quod dum quis relictis aliis auſteris Religionibus, utpote quæ ſuo genio vel imbecillitati ſive corporis ſive ſpiritus non ſint accomodatæ, eam eligit, quam mitiorem perſpicit in ſuis obſervantiis, putans ad aliam ſtrictiorem vivendi rationem non poſſe obligari, (alias nec tale Inſtitutum amplexus fuiſſet) bona venia tantorum Doctorum, nimis durum videtur, & (fateor mei ingenii imbecillitatem) neſcio intelligere, quomodo poſtquam talis bona fide in tali conditione tale Inſtitutum profeſſus eſt, ad graviora poſſit obligari: Dixi *neſcio intelligere*, cum auctoritati tantorum Doctorum adverſari nec ſatis ſim, nec audeam; quamvis cæteroquin eorum rationes multum mihi arrideant.

§. V.

*De obligatione obediendi reformationi quoad obſervantiam vitæ communis.*

Vitam communem ſervabant primævis Eccleſiæ temporibus, præſertim in Eccleſia Hieroſolymitana Fideles omnes, qui divenditis omnibus quæ poſſidebant, deferebant cunctam pecuniam ex venditionibus perceptam ad pedes Apoſtolorum, nihil ſibi retinentes, ita ut poſitis rebus omnibus in communi, nemine amplius quidquam proprium habente, ſingulis diſtribuebant Apo-

Apoſtoli, prout cuique opus erat ad eorum ſuſtentationem, ut expreſſe habetur Actor. cap. 4. Frigeſcente laicorum fervore hæc vitæ communis ratio continuavit in Clericis, qui ex hoc genere vivendi in communi ac ſub regula, nomen Canonicorum, ideſt in fraternitate viventium receperunt; idcirco tunc Clerici omnes vocabantur Canonici a nomine *Canon*, quod ſignificat regulam uſt notat S. Dionyſius Carthuſianus tract. *de vita Canonicali*, & Card. Petra tom. 1. comment. ad Conſt. 2. Paſchalis II. n. 13. Et hæc norma vivendi poſtea eſt reſervata apud Clerum Cathedralium una cum Epiſcopo viventem in Clauſtris prope Eccleſiam conſtructis, ut docet laud. Card. Petra cum aliis Eccleſiaſticis Scriptoribus: collabeſcente tamen fere apud omnes hoc ſancto vivendi in communi inſtituto, a Fundatoribus Religioſorum Ordinum aſſumpta eſt, ac cum certis regulis ſuis alumnis hanc perpetuo obſervandam ipſi præſcripſere, ut iuxta eorum intentionem tale inſtitutum amplectentes, quidquid quocumque modo adipiſcerentur, in unum confuſim conferrent, quorum adminiſtrationi aliqui inſtituerentur, qui Superiorum auctoritate ad inſtar ſeptem Diaconorum tempore Apoſtolorum, cuilibet Religioſo de eius Superioris licentia tribuerent prout eidem opus eſſet iuxta cuiuſlibet Ordinis ſtatuta, nec quidquam ullus apud ſe haberet niſi ad merum uſum facti, ad nutum Superioris revocabile.

Vita igitur communis ſtrictiſſimam habet coniunctionem cum voto paupertatis, immo talem, ut in Monaſteriis quoque, ubi ob eorum inſufficientiam dandi cuique prout ipſi opus ſit, permiſſus eſt uſus livelli, Religioſus quidquid quocumque modo ei obveniat, illud vere debet recognoſcere ut rem Monaſterii, & nullatenus ut propriam, & cum licentia ſive tacita ſive expreſſa Superioris ea debet uti, & ad ſolum uſum facti cum tali dependentia eam retinere, ut ad omnem Superioris nutum promptus ſit illam eidem tamquam rem Monaſterii reſignare, quæ omnia iam vitæ communi æquivalent, ſine qua votum paupertatis ſubſiſtere nequit. Etenim in omni Religioſo Ordine vovendo paupertatem ſimul vita communis vovetur, iuxta Regulam in qua coaptari quis voluit, prout tamen in Ordine, in quo profitetur, ſervari ſolet, ideſt vel formaliter, ut in Ordinibus ſeu Monaſteriis ſufficientibus tribuere ex communibus proventibus cuique Religioſo prout ei opus eſt, vel æquivalenter, ut in Conventibus, ubi propter eorum inſufficientiam, ſi quid præter ordinariam ſuſtentationem iuxta illorum pragmaticam alicui Religioſo opus ſit, & aliqua intuitu ipſius vel a conſanguineis, vel ex iis quæ idem acquiſierit, Monaſterio obvenerint, retribuitur, ſicut iam ob rationem dictæ inſufficientiæ indultum fuit per ſacram Congregationem & Monaſterio Minorum Conventualium SS. Apoſtolorum Romæ, ut in decreto S. Congregat. Viſitationis Apoſtolicæ iuſſu Urbani VIII. factæ die 13. Julii 1627. & Monaſteriis Monialium, ut ex reſcripto S. Congregat. Epiſcoporum & Regularium Epiſcopo Barrenſi, cui S. Congregatio remiſit etiam formulam inſcribendi Monaſterio partitas dictorum livellorum per computum ſeparatum. Sic P. Ferrari, in ſua Biblioth. Morali Canon. v. *Monialis* art. 2. Et hoc indultum non fuit revocatum per decreta S. Congregationis ſub Innocentio XII. menſe Iulii 1695. etenim ann. 1725. agitata fuit cauſſa in Rota Romana ſuper ceſſione livelli facta a Moniali ſuis conſanguineis; & ex decreto S. Congregationis Epiſcopor. & Regular. ſub die 16. Ianuarii 1739. conceditur facultas Moniali remittendi livellum ſuis conſanguineis. Igitur ex conſenſu S. Congregationis etiam poſt dicta Decreta Innocentiana viget uſus livellorum in Monaſteriis inſufficientibus ut vita communis ſervetur.

Verum licet hæc indulta excuſent interim Religioſos a proprietatis culpa, dummodo tamen ſerventur conditiones omnes & requiſita ad huiuſcemodi livellorum uſum, quæ exponuntur a Donato in *Praxi rerum Regular.* tom. 4. tract. 15. q. 11. & 19. & aliis, quos ibi citat, nempe quod habeatur a Religioſo cum dependentia a Superiore, ut paratus ſit peculium conſignare ad nutum Superioris, ut pecuniam non convertat niſi ad licitos & pios uſus iuxta decentiam ſui ſtatus, quod peculium non ſit ſuperfluum, & ſit penes caſſam depoſiti ſeu ærarii communis; non ex hoc tamen abſolvitur a debito obediendi præcepto vitæ communis, quandocumque a Superioribus inſtitueretur: Cum per huiuſmodi conceſſiones proviſionaliter indulgeat Apoſtolica Sedes, ut eas rite obſervando non ſint in mala fide, & per decreta nuper citata obligat tantummodo Monaſteria, ubi recipiendi ſunt Novitii, non alia, ad evitanda graviora incommoda quæ aliter contingere poſſent, non ſecus diſpenſat ab onere quod omnibus indiſcriminatim incumbit; unde quandocumque a Superioribus vita communis eis

præ-

præcipiatur, ampleсti eam tenentur ; & id præcipit quando Monaſteria devenerint ad talem ſufficienriam in ſuis provenribus ſive ex redditibus ſive ex eleemoſynis, ut dare valeant cuique Religioſo, prout ei opus ſit, commodam ſuſtentationem; quinimmo continuo & impenſius inſiſtunt & inculcant Summi Pontifices pro univerſali introductione vitæ communis, iuxta decretum Concilii Trid. & decreta Innocentiana. Sapientiſſimo conſilio huiuſcemodi œconomiam adhibuere Pontifices ad inducendam communem vitam in Regularibus, ut exigit votum paupertatis, quod hi profitentur, & omnium Religioſorum Ordinum Regulæ præſcribunt ad evitanda maiora mala, quæ oriri poterant, ad eam omnes univerſim obſtringendo. Periculum enim erat, ne imperfecti oneri vitæ communis non aſſueti, & nimium laxitatibus eidem oppoſitis affecti, temere huic legi reſiſtendo, vel ſimulare hanc recipiendo, in deteriora prorumperent, ut notat S. Thom. q. 90. art. 2. cum experientia manifeſtiſſime conſtet, per qualeſcumque reformationes omnium generatim ſuſceptas vitam ſanctiorem ( ait percelebris ſcriptor Hiſtor. Eccleſ. Fleury ) impetrari non potuiſſe : Quia præcepta vitæ perfectæ ( iuxta D. Thom. loco cit. ) *ſunt veluti vinum novum, quod ſi mittatur in utres veteres ( ideſt in homines imperfectos ) utres rumpuntur, & vinum effunditur, ideſt contemnuntur, & homines ex contemptu in peiora prorumpunt*. Hinc S. Auguſt. ut in eius Sermone 355. dum inſtituit vitam Monachalem ſeu communem in Clero ſuæ Eccleſiæ ſervandam, licet prius ſtatuerit neminem huic Inſtituto reluctantem Clericali Ordini initiare, conſilium poſtea mutare cenſuit, ne aliqui niſi ficte ſuæ voluntati ſe ſubmitterent. Sic enim concludit : *Nolo habere hypocritas*. Nova igitur implantatione per Novitiatum conſtitutum in Monaſterio ubi vita communis exacte ſervaretur, & eorumdem in Monaſteriis poſt eorum profeſſionem continuam detentionem, cenſuerunt Pontifices ut Ordinum Religioſorum reformatio inſtitueretur, ex quo ſucceſſive totus Ordo in primæva ſua puritate potius innovaretur, quam vetus reformaretur. Quia ut S. Franciſcus Saleſius, teſte P. Gianda in eius vita, ab experientia inſtructus dicere ſolebat, facilius eſſet novam Religionem excitare, quam veterem collapſam & relaxatam reformare. Hæc eſt vera Religionum reformatio, ideſt non materialis, ſed formalis, utpote continens finem Religioſorum Inſtitutorum, nempe gloriam Dei, quam Religioſus ſit reformatus per totalem ſui ipſius, mentis ſcilicet & corporis ſubiectionem, ei tribuit.

Verum, ſuppoſito quod ſummi Pontifices non præcipiant Religioni univerſim per antea laudata eorumdem decreta reformationem, præcipue quoad vitam communem, niſi quando Monaſteria ſatis ſint ut dent cuique Religioſo prout ei opus ſit, ut iuxta Tridentinum & Decreta Innocentiana commode vivat, pro certo tamen tenendum eſt, ſaltem implicite ſeu virtualiter obligari Superiores ſub gravi ad curandum ſolicite, & omni modo meliori elaborandum, ut talia media provideant : Quia qui graviter præcipit finem, præcipit quoque ſub gravi iis ad quos ſpectat media parare & ponere ad finem conſequendum neceſſaria. Valde igitur ſibi metuere debent de æternæ ſuæ ſalutis diſpendio Superiores omnes, & maxime maiores, qui maiori ſolicitudine qua poſſunt, non ſtudent ac elaborant, ut non ſolum in Monaſterio Novitiatus, ſicut eis præcipitur in Decreto Alexandri VIII. ſed præcipue in decretis Innocentianis de Regularium reformatione, vita communis introducatur, ſed in aliquibus aliis etiam, ſicut inceſſanter lubent Summi Pontifices. Et quia Ordinis ſeu Monaſteriorum inopia impedit tam neceſſarii & debiti operis executionem, ſuas conſcientias maxime aggravant Superiores locales, ſi non contentur, ut ex redditibus Monaſterii, vel ex aliis proventibus, quæ ab eleemoſynis Monaſterio obveniant, vel a ſpoliis Religioſorum ( quæ plane multo plura & copioſa remanerent, ſi invigilarent, ſicut ſtricte tenentur, ne ſui Religioſi quæcumque percipiunt vel a ſuis conſanguineis vel ab aliquo officio quod exercent, in vanis ac prorſus Religioſo viro inconvenientibus cum magno detrimento ipſorum animæ ac Superiorum, perderent ) res Monaſterii augeatur, ut tandem ſufficiens ſit, ut ex ſuis bonis commode in vita ſuſtentari valeant, ideſt vita communis ſervetur. Et multo magis culpabiles ſiunt ante Deum Superiores maiores, qui ſedulo non attendunt, ut Superiores locales rem reſpectivorum Monaſteriorum ita conducant, ac Religioſi intra fines paupertatis quæ ipſis obveniunt expendant, ut per bonorum auctionem opus tam ſolicite a Summis Pontificibus intentum, & impenſe præceptum, executioni mandari poſſit.

Præceptum vitæ communis graviter indicitur Religioſis Ordinibus a Conciliis Ge-

neralibus Lateran. III. ann. 1179. ſub Alexandro III. cap. *Monachi*, & Lateran. IV. 1213. ſub Innocentio III. cap. *Prohibemus*, ſed proximius Tridentinum valde ſuper hoc urget ſeſſ. 25. *de Regular.* cap. 1. ac idem præceptum innovarunt Clemens VII. ſua declaratione edita an. 1549. Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. Innocentius X. Urbani ſucceſſor an. 1654. eiuſque Innoc. ſucceſſor Alexander VII. qui confirmatis dictorum prædeceſſorum decretis, an. 1655. ſub eadem conditione vitæ communis ſervandæ conceſſit poſſe recipi Novitios ad habitum; & Innoc. XI. pariter omni adhibita ſollicitudine hoc idem mandari ſtuduit per ſuam Conſtitutionem, quæ incipit *Cum nos* an. 1679. 6. Octobris.

Innocentius tandem XII. nedum idem inculcavit, confirmavitque; verum etiam ſacram Congregationem erexit ſub titulo diſciplinæ Regularis, ut reformationi Regularium iuxta omnia, & præcipue Concilii Tridentini & ſuorum prædeceſſorum Pontificum decreta, invigilaret, a qua ſacra Congregatione plura emanarunt decreta, quorum duo habentur inter cætera initio nomine ipſius Pontificis.

## §. VI.

### *De debito obedientiæ circa ea quæ ſunt extra Regulam.*

Cum Religioſus ſubditus non teneatur ex vi voti obedientiæ niſi ad ea quæ ſunt ſecundum Regulam, ideſt ad ea quæ expreſſe vel implicite in Regula continentur; hinc non tenetur obedire Prælato aliquid ſupra Regulam præcipienti, ſive hoc præcipiat ex poteſtate dominativa, orta nempe ex voto quo Religioſus Regulæ Ordinis, & quoad eius obſervantiam, Ordinis Prælatis ſe ſubiecit, ſive poteſtate iuriſdictionis ei data a Pontifice in Religionis approbatione, quæ iam primam, ideſt dominativam ſupponit, ipſamque in ſuo robore confirmat. Poſterior enim poteſtas collata eſt Superioribus in ſubſidium prioris, videlicet ut Superior etiam per cenſuras compellere valeat Religioſos ad Regulæ obſervantiam. Unde ſi Prælatus iubeat aliquas auſteritates ſeu virtuoſas mortificationes præciſe ad exercitium virtutis, quæ cæteroquin ſunt omnino, ſcilicet explicite ſeu directe, & implicite ſeu indirecte extra Regulam, nec neceſſariæ ſunt ad ipſius Regulæ obſervantiam, puta ire Miſſionarium ad infideles, cum manifeſto periculo vitæ aut ſervitutis, a carnibus abſtinere vel nova ieiunia aut vigilias ſervare, quando hæc nullatenus præcipiantur in Regula nec in Conſtitutionibus præſcribantur, non tenetur Religioſus his obedire. Sententia eſt communis cum D. Thoma 2. 2. q. 104. art. 5. & in 2. diſt. 44. q. 2. art. 2. Et D. Bernardus Opuſcul. *de diſpenſ. & præcept.* ita habet: *Prælati iuſſio vel prohibitio non prætereat terminos profeſſionis, nec ultra extendi poteſt, nec contrahi citra.... Moventes eos, non cogentes ad celſiora; condeſcendentes eis, cum neceſſe fuerit, ad mitiora.* Immo ad ea quæ ſimpliciter ſunt ſupra Regulam obſtringi nequeunt a Summo Pontifice, cum debitum ſpeciale Religioſorum obediendi Pontifici tamquam ſupremo eorum Prælato ultra alios Chriſtianos, eſt ſolum ratione voti; idcirco quoad hoc tantum cogi poſſunt, ad quod vovendo intenderunt ſe obligare. Sylv. Sanch. Peyr. & alii.

Verum hoc non obſtante poteſt Religio de maiori parte Capituli, vel Prælatus pro toto Ordine vel aliqua Provincia facere ſtatuta, auſteritates aliquas præter expreſſas in Regula vel Conſtitutionibus imponere, quando neceſſariæ iudicentur ad perfectam votorum obſervantiam, Regulæ, vel Conſtitutionum. Et revera ad hunc finem aliquando in Capitulis Generalibus vel Provincialibus, aut a Generali vel Provinciali aliquæ novæ obſervantiæ decernuntur, ac iubentur, quæ nullatenus in Regula aut Conſtitutionibus continentur. Et ad hoc Concilium Trid. indixit Monialibus clauſuram perpetuo ſervandam.

Similiter non ſecus ac Epiſcopus ſuis ſubditis aliqua occurrente publica neceſſitate aliquid novi præcipere poteſt; Prælati quoque Religionum ad tempus imponere poſſunt in eiuſmodi circumſtantiis ſuis Religioſis aliquas auſteritates, ut aliqua ieiunia, flagellationes, orationes, &c. Non poſſunt tamen hæc iniungere alicui in particulari, niſi hoc aliquis mereretur in pœnam delicti ab ipſo contra Regulam vel aliquod præceptum commiſſi; quia & imponere pœnas delinquentibus, & hoſce illas ſuſtinere eſt ſecundum Regulam, vel ad præcavendam recidivam in aliquod peccatum, cum ſub obedientia ſecundum Regulam ſaltem indirecte comprehendantur ea omnia quæ cenſentur conferre ad Regulæ aliorumque præceptorum obſervantiam. Sylveſt. Vaſquez, Lezzana & alii.

Non ſecus vero ac ea quæ ſunt vel contra, vel infra, vel ſupra, ea quoque quæ ſunt præter Regulam, Prælatus iubere nequit,

Digitized by Google

quit, nec ſubditus parere tenetur, ut ſunt res mere indifferentes, niſi ex iuſta cauſſa, quæ ſit ſecundum Regulam vel Conſtitutiones. Ex iuſta vero cauſſa cenſetur Prælatus præcipere ſecundum Regulam, ſi præcipiat actus indifferentes, ſive alios infra Regulam, quando putantur conducere ad maiorem Regulæ obſervantiam, v. g. ſi iubeat ambulare, quieſcere, pergere ad recreationem, ut Religioſus pauliſper quieſcendo, ac ſe recreando fortior promptiorque reddatur ad Regulæ obſervantiam, ſive actus ex ſe indifferentes qui ob aliquam circumſtantiam ad dictam Regularem obſervantiam conducant. Sic omnes communiter cum D. Thoma.

Item, licet leges & præcepta humana debeant eſſe accommodata humanæ fragilitati, & non nimis dura & difficilia, iuxta D. Th. 2. 2. q. 105. art. 1. ad 3. ac proinde nequeant Prælati nimis ardua ac periculoſa ſuis ſubditis imponere, præcipue quando nullatenus hæc in Regula continentur; cum Eccleſia ipſa pia Mater caveat hæc præcipere ſuis Fidelibus; nihilominus tamen ſi agatur de bono publico ſeu communi Religionis, poteſt Prælatus obligare ſubditum ad ardua & difficilia etiam cum ipſo periculo vitæ, non ſecus ac Princeps pro communi bono reipublicæ præcipere poteſt ſuis ſubditis ut navigent, ut pergant ad bellum cum gravi vitæ periculo. Prælatus enim Religionis eſt verus Superior habens ius & debitum ad omnia, quæ ad perfectam ſuæ familiæ gubernationem ſunt neceſſaria; idcirco ius habet aliquem ex ſubditis applicandi alicui Miniſterio, ſi ad illud opus ſit, etiam cum periculo vitæ: quia ſi ad gubernationem familiæ Prælatus habet debitum providendi de neceſſariis ad conſervationem totius corporis, ius etiam habet aliquem applicandi, qui nequit ſe excuſare ab hac obedientia, eo quod non magis ipſe obligatus ſit, quam alii qui æqualiter ſunt eiuſdem familiæ membra, tali periculo ſe exponere pro conſervanda tota familia: Nam ita Superior conſulere non poſſet bono communi, cum omnes huiuſmodi prætextu ſe excuſare poſſent. In tali enim circumſtantia, notat optime Suarez, debitum obediendi tum vitæ quoque periculo non eſſet aliquid ſupra Regulam; quia licet in profeſſione Regulæ explicite Religioſus ad hoc non ſe obligaverit, ſe obligavit tamen implicite, dum ſe obligavit ad omnia quæ tum expreſſe, tum implicite in Regula continentur; & tale eſt id quod conſentaneum eſt totius familiæ conſervationi. Quare graſſante peſte poteſt Prælatus obligare Religioſum, ut aſſiſtat tam in temporalibus quam in ſpiritualibus Religioſis lue infectis: Religioſi ſi quidem tenentur mutua ſibi obſequia præſtare, & in neceſſitatibus ſuccurrere. Ita Suar. Sanch. Caiet. Pellizz. aliive, qui omnes limitant, niſi Religioſus eſſet nimis delicatus, vel infimæ complexionis, vel vir valde peritus in ſcientia, aliiſve dotibus præcellens; iſte enim obligari nequit ut cum tali periculo aſſiſtat, præcipue ſi alii ſuppetant qui huiuſcemodi dotibus ſint expertes. Nam hoc non eſſet bono communi conveniens.

Item Religioſus ex Ordine Mendicantium, deficiente Parocho ac alio Sacerdote conducto ab Epiſcopo ut peſte laborantibus Sacramenta miniſtret, poſſet obligari a Superiore aſſiſtere iiſdem infirmis in ſpiritualibus, cum Mendicantes ad hoc teneantur ex eorum Inſtituto, in quo ad hunc finem coniungitur vita contemplativa & activa, ut hac contemplativam proximo communicent, ideſt incumbant ſaluti ſpirituali proximorum; proinde ſunt coadiutores Epiſcoporum ut adiuvent eos in ovium cura, ac ideo, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 1. ad 3. & q. 188. art. 4. ad 2. & 5. eleemoſynis Fidelium ſuſtentantur; ubi vult, licere vivere Mendicantes de agro Domini, quia in eodem laborant. Neque in hoc caſu onus coniunctum cum periculo vitæ eſt ſupra Regulam; quia cum ſint coadiutores Epiſcoporum in ſpiritualibus, tenentur ſupplere defectum principalis in tanta extrema populorum neceſſitate; & hoc eſt munus, quod ex natura rei competit coadiutori. Si enim in hoc caſu defectus principalis hoc munus eis non competeret, nomen coadiutoris, quod eis conceditur a Summis Pontificibus & ſacris Canonibus Clemenr. *Dudum §. cæterum de ſepultur.* & cap. *inter cætera de officio Ordinarii*, eſſet nomen vacuum & otioſum, quod dici nequit, cum ex hoc titulo pluribus gaudeant redditibus & privilegiis, quibus alioquin non gauderent; neque laici & publici Civitatum ac Provinciarum Miniſtri conſenſiſſent in admiſſionem novorum Conventuum Religioſorum Mendicantium, qui ex eorum redditibus ſunt ſuſtentandi; neque Eccleſia novos Ordines approbaſſet, niſi eorum operam populis Chriſtianis profuturam in eorum neceſſitatibus ſpiritualibus prævidiſſet, quod maxime urget tempore peſtis. Ita Lezz. Suar. Peyr. Paſſerin. cum aliis.

aliis. Dixi *deficiente Parocho* &c., quia cum adſit Parochus vel Sacerdos alius ab Epiſcopo conductus, cum Religioſi Mendicantes ſint coadiutores, non deficiente principali, cui ex officio incumbit velle & poſſe miniſtrare ſpiritualia ſubſidia, tunc non poteſt Religioſus etiam Mendicantium ad hoc obligari, quia ſolum in ſubſidium Parochorum aliorumve ſubſtitutus, ad hæc miniſteria tenetur.

Debet item Religioſus ſubditus obedire Prælato præcipienti ut eat ad habitandum in locis aeris intemperie laborantibus, pro aliquo ſuo munere in tali loco exercendo, dummodo tamen ei non conſtet ex odio hoc ſibi imponi, quod difficiliter præſumendum eſt de Prælato. Sic Lezz. Peyrin. Pellizz. Nequit tamen obligari, ut membrum putridum magnis cum doloribus permittat ſibi ſecari, niſi eſſet perſona Communitati valde utilis, & remedium ſit certum ad vitam conſervandam ob bonum commune, propter quod ſicuti mortem, ſic dolores perpeti debet.

Tenetur quoque ſubditus parere Prælato præcipienti, ut de una in alteram Provinciam transferatur, immo etiam cum longa navigatione & illius periculis, puta ad commorandum apud Indos, ubi Religio habet Monaſteria, vel ut ea viſitet, regat &c., quia tunc non compellitur ad aliquid ſupra Regulam. Non poſſet tamen cogi ire ad prædicandam Fidem hæreticis aliiſve infidelibus cum periculo vitæ, quia hoc Regulæ præſcriptum excedit, & quia ad hoc difficillimum opus multis tum animæ tum corporis expoſitum periculis non eſt præſumendum velle Religioſum obligari ex generali debito procurandi ſpiritualem proximi ſalutem, niſi ſpeciale votum ad hoc emiſerit, ut PP. Societatis. Suar. Peyrin. & alii. Poſſet quidem Pontifex Religioſos, alioſve quoſcumque Clericos ad id cogere, ut tenet Peyrin. cum aliis. Immo Prælatus quoque iubere poſſet Religioſo Mendicanti, & ille parere deberet, ut ſi aliqua nova excitaretur hæreſis, vel pernicioſa doctrina apud Fideles, aſſiſtat aliquo in loco, ibique prædicet, doceat, ſcribat, diſputet ad Catholicæ Fidei defenſionem, etiam cum vitæ diſcrimine, cum hoc inter Mendicantes non excedat eorum Regulam, utpote ex ſuo Inſtituto Epiſcoporum coadiutores: Lezzan. Bannez & alii.

## §. VII.

*De culpa, ſub qua obligant Superiorum præcepta indicta ſub cenſura.*

Iam dictum fuit, agendo de Legibus, quod ex qualitate pœnæ quam in lege aliqua ferenda comminatur legiſlator tranſgreſſoribus incurrendam, colligitur num graviter ſeu in conſcientia intendat ſubditum obligare: Ita ut ſi pœna comminata ſit levis, vel ſub nulla culpa, vel tantum ſub veniali obſervantiæ obligationem imponit; ſi gravis, profecto ſub gravi ad obſervantiam cenſendus eſt obligare. Et quoad leges eccleſiaſticas, cum pœnæ cenſurarum ſint graviores quæ infligi poſſint a Legiſlatore Eccleſiaſtico, hinc ſentiunt DD. quod quando aliqua lex eccleſiaſtica indicitur ſub pœna cenſuræ contra tranſgreſſores; tunc profecto iuxta communem Doctorum cenſetur legiſlator velle huiuſcemodi legem obligare ſub mortali. Igitur Regulares utpote ſuperiores ſpirituales, qui ad ſuos ſubditos regendos gaudent poteſtate non ſolum dominativa in ſubditos vi horum voti obedientiæ, ſed etiam præceptiva ſeu iuriſdictionis, a Summis Pontificibus in Ordinum exemptione ab Epiſcoporum poteſtate iiſdem conceſſa, regere poſſunt ſuos ſubditos, eos ad ſuorum præceptorum obſervantiam etiam cenſuris compellendo; & cum nonniſi in materia gravi pœna cenſuræ infligi queat, hinc manifeſtiſſime patet, quod quando Prælatus Regularis aliquid ſubditis præcipit ſub pœna cenſuræ, ſive latæ, ſive incurrendæ, v. g. ſuſpenſionis, excommunicationis, irregularitatis, privationis eccleſiaſticæ ſepulturæ, tale præceptum obligat ſub mortali, quia cum gravis pœna, ſicuti eſt cenſura, imponi nequeat niſi ob gravem culpam iuxta regulam iuris, cuius intentio eſt quod pœna habeat proportionem cum culpa, ideſt non ſit gravior culpa, præceptum quod indicitur ſub pœna cenſuræ, ſemper ſupponendum eſt obligare ſub mortali. Sic D. Antonin. Suarez, Sanchez & alii communiter.

## §. VIII.

*De facultate Prælati aut Capituli Generalis quoad ea quæ in Regula imponunt vel ſub pœna tantum, vel ſolum ſub veniali.*

Variæ ſunt Doctorum ſententiæ ſupra controverſiam, num Prælatus aut Capitulum Generale zelo maioris obſervantiæ ſeu perfectionis habeant facultatem præcipiendi Religio-

ligioſis in virtute & merito ſanctæ obedientiæ, præcepto formali obligante ſub mortali ad obſervantiam eorum quæ in Regula præcipiuntur ſub pœna, vel ſub veniali tantum. Alii enim volunt, ut Salmanticenſes cum Joanne Sanctio, Valentia & Andrea a Matre Dei, Prælatum, vel Capitulum Generale vi ſuæ poteſtatis poſſe graviter, & in virtute ſanctæ obedientiæ obligare Religioſos per præcepta formalia ad obſervantiam illius quod leviter tantum obligat in Regula; alias, dicunt, ſi Prælatus, Generalis, aut Capitulum generale ius non habeant præcipiendi per præcepta formalia obligantia ſub mortali nec ea quidem quæ ſunt ſecundum Regulam, nulla unquam præcipere poterunt, ac ideo perit præceptiva eorum poteſtas. Nihil enim eſt magis ſecundum Regulam quam illud quod in Regula exprimitur & continetur. Communis tamen, &, ut ex probationibus patebit, verior ac probabilior ſuſtinet, Prælatum, & Capitulum Generale non poſſe præcipere formali præcepto obligante ſub mortali quod in Regula obligat ſolum ſub pœna, vel ſub veniali. Sed ſi hoc fiat præciſe zelo maioris perfectionis ac obſervantiæ ſeu Regularis diſciplinæ, ideſt ad melius eſſe, poſſe quidem utrumque hoc facere, quando ita neceſſitas exigat, ut conſulatur laxationi obſervantiæ quæ non leviter proceſſerit, ne totaliter collabatur. Et hæc ſententia plures habet graves auctores, Salam nempe, Bonac. Bordon. Ledeſm. Anton. a Spiritu ſancto, Paſſerin. quibus apertiſſime favent Ius canonicum, Gloſſa & D. Bernardus. Et quoad primam partem hæc probatur non obſcure ex cap. *Geſta* diſput. 74 quod eſt Gregorii epiſt. ad Natalem Epiſcopum Salonitarum in regeſt. lib. 1 epiſt. 19. ubi habetur. *Iuſtum eſt, ut nullus compellatur invitus;* ubi Turrecremata ex Hugone & Gloſſa advertit colligi, quod Religioſis nolentibus non poſſit ſtrictior vita addi, argum. cap. *Proclivis* 20. q. 3. cap. *non eſt hic* 15. q. 1. & ibidem docet Turrecremata, Conſtitutiones aſperiores non poſſe a Prælatis fieri: nemo vero negabit Conſtitutionem aſperiorem fieri, & invitum compelli creſcere, ſi quod ſub nulla culpa, vel ſolum ſub levi obligat, ita præcipiatur, ut obliget in conſcientia ſub mortali. Hoc comprobat auctoritas D. Bernardi, qui *de Diſpenſ. & voto* cap. 10. ait. *Prælati iuſſio vel prohibitio non prætereat terminos profeſſionis, nec ultra extendi poteſt, nec contrahi citra. Nihil me Prælatus prohibeat eorum quæ promiſi, nec plus exigat quam promiſi;* quæ poſteriora verba ſi ſerio attendantur, nemo plane inficiari poteſt, evidentem rationem continere. Nam ſi tota Prælati poteſtas fundatur in libera promiſſione, quam quis vovendo facit Deo & Religioni ſervandi Regulam, nemo non videt, non poſſe Prælatum ultra hos terminos ſe extendere, ac imponere ſubdito onus eo gravius, quod per totam vitam ferre promiſit. Quod ſi in manu ſeu in poteſtate Prælati ſtet imponere obligationes ſub mortali circa obſervantias quæ ſub nulla culpa a Regula præſcribuntur, manifeſtiſſime cuique patere poteſt, quantum creſcat & aggravetur iugum ſupra id quod fuit promiſſum. Igitur Prælatus nequit ſibi iuſte & rationabiliter vindicare huiuſcemodi auctoritatem. Etenim Prælatus non eſt auctor Regulæ, ſed præciſe cuſtos; unde zelo perfectionis vitæ ac purioris obſervantiæ nequit novis vinculis ligare, ſed ſufficit ut ea cuſtodiat vincula quæ ligant, eo modo quo Regula ligare vult & intendit, quia melius plane partes ſui muneris aget exigendo obſervantiam, quam ex promiſſione ſolemnis voti ſubditi reddere debent, & eo modo quo reddere promiſerunt. His omnibus adde, plures eſſe, qui ex Dei amore cupientes perfectiori ſtudio ſe exercere in Chriſtianæ pietatis officiis, ac ſe totos ipſius Dei ſervitio donare, clauſtralem vitam amplecti ſtatuunt, renuunt tamen ſe ſubiicere Religioſis illis Inſtitutis, in quibus deprehenderunt pluribus præceptis ad eorum obſervantiam ſub mortali obligantibus obſtringi, ac ideo amant ac ſeligunt iugum ſuavioris diſciplinæ Religionum, quas norunt militare ſub Regula, quæ obligat ad pœnam tantum, & ſi ad culpam, non plus quam ad venialem. Hi profecto fruſtrarentur in ſuo deſiderio, & bona venia eſſet veluti fraus quæ fieret ipſis, & proditio, ſi poſtquam votis ſolemnibus ſe tali Inſtituto ſubmiſerunt, ex ſolo zelo perfectioris utilioriſve diſciplinæ novo aggravarentur præcepto, ut ea quæ non obligabant niſi ſub pœna aut ſub veniali, obligarent ſub mortali. Adde inſuper, hoc adverſari menti ſanctorum Fundatorum Religionum, quarum Patriarchæ abſtinere voluerunt a multiplicatione præceptorum, ne tepidorum conſcientiæ laqueos adderent. Ita ſuavitate ſpiritus eorum animos leniendo, potius virtutis affectu, quam mortalis culpæ timore, ſubditos ad perfectionem dirigere ſtatuerunt, & indocilium ac pervicacium corda pœnis potius corporalibus quam pondere præceptorum in conſcien-

ſcientia obligantium emollire ac compeſcere. Cum præcepta ordinarie ſceleſtos non immutent, & e contra piorum animos pluribus ſcrupulis ac timoribus conturbent & angant.

Quoad alteram vero partem, nempe ſi urgeat neceſſitas providendi ne Religioſa ſeu Regularis diſciplina prorſus collabatur, & jam inutiliter adhibita ſint validiora remedia juxta propriam Regulam, videlicet frequentes monitiones, exhortationes, redargutiones, pœnæ canonicæ proprii Inſtituti, aliaque hujuſce generis, tunc plus quam certum eſt, poſſe Prælatum, & Capitulum Generale præcepto ſanctæ obedientiæ obligante ſub mortali præcipere ea quæ ſub nulla culpa, aut ſub culpa tantummodo veniali obligant ex Regula; & ſic expreſſe tenent Bordonus, Paſſerinus, aliive ſupra citati. Etenim cum Superior ſit cuſtos Religioſæ obſervantiæ, & poteſtas ac iuriſdictio qua pollet, ei collata ſit in ædificationem, non in deſtructionem, in talibus urgentioribus circumſtantiis adhibere poteſt hoc extremum remedium quod datum eſt in ſubſidium, quando nihil alia remedia proficiant, nempe imponere præceptum obligans ſub mortali, quod vi Regulæ vel ſub nulla culpa, vel ſub levi tantum obligabat, & vere tale præceptum obligabit in conſcientia, nec præceptum ita obligans erit in hujuſmodi caſu ſupra Regulam, ſed ſecundum Regulam, quæ dat Superiori jus ad utendum mediis neceſſariis pro illius obſervantiæ conſervatione. Nec conqueri poterunt ſubditi, quod tali gravi onere fruſtrata ſit eorum intentio in amplectendo Ordine ſuavioris inſtituti, & quod hoc ſit contra dulciſſimum ſpiritum S. Patriarchæ, qui abſtinuit pergravare ſubditos præceptis obligantibus ſub mortali, cum ipſi cauſſa ſint hujuſce rigoris, ac proinde conqueri debent de propria contumacia, quæ adeo excrevit, ut ad hoc extremum remedium neceſſe fuerit devenire, ne ex longiori tolerantia abuſus tranſeat in legem, & hinc tota Regularis diſciplina collabatur.

Cæterum advertunt citati DD. & alii, quos ipſi allegant, propter unius vel alterius Religioſi culpam non poſſe Prælatum præceptum imponere toti Communitati obligans ſub mortali ad ea, quæ ex Regula non obligant niſi ſub veniali. Et ſic dicito reſpective de Provinciali quoad Provinciam, de Generali vel Capitulo Generali quoad totam Religionem. Hoc enim præceptum eſſet indiſcretum & excedens poteſtatem Superioris, qui non poteſt ſupra Regulam aggravare vivendi modum ſubditorum innocentium propter vitam relaxatam aliorum. Nam innocentes jus retinent, ut juxta Regulam dirigantur, eſto reliqui ob indiſciplinatum eorum morem ac inſolentiam illud amiſerint. Quare Paſſerinus prudenter ait, valde reprehenſibiles eſſe Superiores illos, qui non valentes punire, immo nec verbis reprehendere ſubditos diſcolos, relaxatos & contumaces, manum imponunt ad præcepta totam Communitatem obligantia, & innocentibus gravia onera præceptorum imponunt; interim etiam remedium non afferunt, ſed in pejus cuncta procedunt, novas leges nec innocentibus nec diſcolis obſervantibus, quia illi cenſent non teneri ſub culpa ad id, ad quod Regula noluit obligare niſi ſub pœna, diſcoli vero quia cum non timeant Deum, parum curant culpam, niſi temporali pœna coerceantur.

## §. IX.

*De debito pœnæ a ſubdito ſubeundæ.*

Quia Religioſi, cum homines ſint, apti ſunt non ſecus ac ſæculares ad delicta perpetranda (& ex hoc rei eſſe poſſunt pœnæ a publica poteſtate ſibi infligendæ) & propter eorum exemptionem ab Epiſcopali juriſdictione, ab Epiſcopo mulctari nequeunt, expediens non erat hanc immediatam punitivam poteſtatem Papæ reſervari, utpote quæ in locis valde diſſitis exercenda ſit; & cum poteſtas dominativa, quam ex vi voti acquiſiere Prælati Religionum ſuper ſubditos, non aliud jus eis conferat niſi paternæ correctionis, cum Religioſi per tale votum ſe tradant Prælatis tamquam patribus, non tamquam judicibus; hinc Summi Pontifices in ipſa exemptione Regularium ab Epiſcoporum juriſdictione, poteſtatem ſimul eccleſiaſticæ juriſdictionis ad reos coercendos in Regulares Prælatos tranſtulerunt, ut docent Suarez & Navarrus, qui addunt, magna ex parte auctam fuiſſe conſuetudine, quæ vim legis obtinet, cap. *duo ſimul de offic. Ordin.*

Quoad pœnas vero quæ a Superiore infligi poſſunt ſubdito de graviſſimo crimine judicialiter convicto & confeſſo, certum eſt non poſſe ei imponere pœnam mortis ſeu mutilationis, cum judici eccleſiaſtico hoc a ſacris Canonibus vetitum ſit, ut cap. *cum non ab homine de judiciis*, eo quod lenitas eccleſiaſtica abhorreat a ſanguine, ideoque Eccleſiæ manſuetudini tales pœnæ adver-

ſen-

ſentur; item nec pœnam flagellationis per vicos & plateas, utpote quæ repugnat decentiæ, licet ſit ſine ſanguinis effuſione, neque hoc eſt in uſu inter Eccleſiaſticos, nec per ſacros Canones unquam deſignatur. Pœna igitur qua puniri poteſt Religioſus gravis criminis reus, eſt pœna triremis, ſed hæc pœna nunc per SS. Benedictum Papam XIII. ſublata fuit, & ſubrogata pœna carceris, ſequeſtrationis in Conventu, in cubiculo, ieiunii, ſubtractionis obſonii, vini, & aliæ huiuſmodi, quarum tamen duæ priores revera ſunt pœnæ iudiciales, aliæ paternæ correctiones. Ieiunia vero debent eſſe ita moderata, ut reo non detrahatur tanta cibi quantitas, quæ ei neceſſaria eſt ad vitæ ſuſtentationem. Sed de hoc fuſius ſuo loco. His igitur poſitis ſit.

Religioſus de crimine gravi contra divinam legem, eccleſiaſticam vel Regularem iudicialiter convictus, iuſtas pœnas ſubire debet, & hoc apud omnes tamquam certum ſupponitur. Nam ex quo Superior poteſt exigere omnium earumdem legum obſervantiam, & adiunctam habet poteſtatem iuriſdictionis in ſubſidium, ut reſiſtentes paternis ſuis monitionibus & punitionibus, pœnis canonicis poſſit tamquam iudex coercere; ex hoc ſequitur, quod ſi Superior iuſte haſce pœnas infligere poteſt ſubdito contumaci, hic quoque ex vi voti obedientiæ tenetur in conſcientia eas ſubire, cum non excedant Superioris poteſtatem, nec debitum ſubditi in obediendo, cum utraque ſint virtualiter & implicite intra limites Regulæ.

Quod ſi Religioſus innocens ex falſa Superioris præſumptione, etiam ſervato iuris ordine, damnatus eſſet ad ſuſtinendam aliquam pœnam, non teneretur ex obedientiæ voto pœnam inflictam ſubire, dummodo tamen pœna privatim eſſet exequenda, quia ſi publice data fuiſſet ad aliorum exemplum, eam ſubire deberet; alias ſcandalum pareret ſuis fratribus, præcipue iis qui falſa laborarent præſumptione ſuæ reitatis.

Circa dubia de exiſtentia præcepti Superiorum, vel de eorum valore, inter alios videri poteſt Rotharius tom. 2. punct. 13. cap. 1. lib. 2. & de dubiis circa materiam de re illicita ibid. punct. 14.

## §. X.

### *De Appellationibus Religioſorum, qui ſe gravatos credunt in pœna a Superiore locali ſibi impoſita.*

Appellationis ſubſidium, quo quiſque gravatus omni poſſibili conatu curat ſe defendere ab iniuſto gravamine, ab ipſo iure naturæ procedit, quo data eſt unicuique poteſtas ſeu ius ſe defendendi ab invaſore. Appellatio eſt provocatio a iudicio ſeu gravamine Superioris ad alium maiorem iudicem ſeu Superiorem, ut ex can. *placuit* q. 6. Appellatio Religioſi alia eſt a iudicio idest ab impoſitione pœnæ facta iudicialiter, ideſt a Superiore ut iudice, & ſervato iuris ordine, ideſt iudicialiter procedente conſtructo proceſſu, datis defenſionibus & pronunciata ſententia; alia a correctione, quando pœna imponitur abſque ſtrepitu fori iudicialis, & in hoc ſe gerit Superior tamquam pater. Licet Regulares, multo magis quam alius reus, ob votum obedientiæ ſuo Superiori ſe ſubdere teneantur, eique iuſta imponenti obtemperare, nihilominus tamen, quia contingere poteſt ut excedente Superiore limites ſuæ poteſtatis vel æquitatis in pœnis ſuis ſubditis imponendis iſti graventur, nec ulli ex iure ipſo naturæ deroganda eſt iuſta defenſio, ut habetur expreſſe in Iure cap. *Cum iter de exceptionibus*; hinc licet odioſum ſit in Clauſtris nomen appellationis, utpote contentioſum, & indifferenter pro levi etiam cauſſa uſurpatum pacem Religioſam perturbet; tamen Regularibus quoque conceſſum eſt ab iniuſto gravamine per Superiorem ſibi illato remedium appellationis; non enim per votum obedientiæ, quo Regulares ſuis ſubduntur Prælatis, tenentur pati per ipſos ultra modum a iuſtitia punitiva in delinquentes præſcriptum, &, quod peius eſt, luere aliquando pœnas ob crimen non patratum. Verum cum appellatio ſit remedium iuris contra iniuſta gravamina, idcirco non in omni caſu indiſcriminatim conceſſum eſt Regularibus appellare ab immediato ſuo Prælato ad Prælatum ſuperiorem.

Hinc certum eſt, non poſſe Religioſum ſine mortali culpa appellare a ſuo immediato Superiore, quando certus eſt pœnam ſibi impoſitam iuſtam eſſe, quia graviter lædit Superiorem nota iniuſtitiæ, & illius iuriſdictionem impedire conatur, ut ex D. Bernardo lib. 3. *de Conſider.* ad Eugen. Et D. Thomas 2. 2. q. 69. art. 3. ait, *quod appellans*

*lans ſine cauſſa*, *illicite & calumnioſe ſe defendit & gerit*, *& puniendus eſt*. Unde ſi iure communi, vel in Conſtitutionibus Ordinis ſtabilita fuit pro aliquo delicto pœna triremis, carceris perpetui, vel ad tempus &c. damnatus ad talem pœnam nequit nec licite nec valide appellare, quia Prælatus in ea infligenda non exceſſit iuſtitiæ terminos, licet ad apicem rigoroſæ iuſtitiæ in iudicio ſuo ſe continuerit, quia ſuppoſito delicto, iure ſuo uſus eſt; unde reus conqueri nequit de iudicis ſententia, utpote ab illa non gravatus ſed a ſuo delicto. Item pro levibus non eſt conceſſum Regularibus ſubditis appellationis remedium, quia ſi ita late indultum eſſet hoc beneficium a lege ſtatutum ad reparandum gravamen, quod ſupponi nequit in levi pœnæ exceſſu, facile ac frequenter Religioſa pax perturbaretur in Monaſteriis. Quare in hoc ſenſu intelligendæ ſunt prohibitiones factæ Regularibus per ſummos Pontifices appellandi a ſuo immediato Superiore, & præcipue in cauſſa correctionis, ut Alexand. III. in cap. *Ad noſtram de appellationib.* & in cap. *Reprehenſibilis*. Et rationem reddit cit. Papa Alexand. III. quare, niſi Superior modum excedat, & graviter, non liceat Religioſo a correctione ſuorum Superiorum appellare, ſcilicet, ne remedium appellationis alicui a Religionis & Ordinis obſervantia exorbitanti debeat in ſua nequitia patrocinium exhibere.

Ex oppoſito vero Religioſus valide ac licite recurrere poteſt ad remedium appellationis, etiam in caſu correctionis, non iniuſte ut inveniat patrocinium nequitiæ, ſed iuſte ut ſe tueatur ac defendat ab oppreſſione, ideſt a pœna, in qua Superior graviter excedit limites æquitatis, ſeu ut ſe ſubtrahat ab iniuſto & graviſſimo damno diffamante & denigrante ipſius honorem, vel a graviſſima pœna, quæ ſuo delicto valde eſt improportionata. Et in hoc caſu admittitur ab omnibus, & conſuetudine comprobatur uſus remedii appellationis in Regularibus, & teſtatur hic Rorharius, neminem inveniri ex Doctoribus, qui Religioſis in hiſce caſibus oſtium appellationibus claudat; immo tum iura communia, tum particularia hoc illis indulgent, ut habetur cap. *de Priore de Appellat.* & cap. *licet de offic. Ordin.* Roth. Sanch. Pellizz. Palaus & alii. Immo licet vetitum ſit Regularibus in cauſſa ſpirituali contra ſuos ſuperiores appellare ac recurrere ad Tribunal laicum etiam ſub pœna excommunicationis, præcipue a Bonifacio IX. a Leone X. a Iulio II. Sixto IV. Gregorio XIII. docent Portellus, Antonius a Spiritu ſancto cum aliis, eximi Religioſum a tali cenſura, utpote non incluſum in lege hoc vetante, ſi recurrat ad iudicem laicum in caſu quo notabiliter gravatur a ſuo Superiore, nec poteſt vitare vim illatam per viam ordinariam appellationis ad Superiores maiores intra Ordinem, vel quia Superior immediatus talem appellationem non recipit aut impedit, vel quia Superior ille maior, ad quem eſſet appellandum, longe diſtat, neque tempore opportuno accurrere poteſt malo imminenti, quo ſubditus ab immediato Superiore opprimitur. Dixi *recurrere*, quia cit. Auctores excludunt in Regularibus ad huiuſcemodi Tribunalia rigoroſam appellationem. Pœnæ vero in quibus Superior excedere poteſt limites iuſtitiæ, ſunt pœnæ graves, ex quibus oritur notabilis infamia, honoriſque denigratio, vel notabilis pœnalitas ac moleſta pœnitentia, ut ſunt longa ieiunia in pane & aqua, verberationes, carceres, privatio vocis activæ & paſſivæ, afflictiones, & alia eiuſdem generis, quæ in prudenti hominum æſtimatione pœnæ graves reputantur.

Tres autem conditiones aſſignantur a DD. quæ concurrere debent ut appellatio Religioſi ſit licita. Prima eſt ſi gravamen ſit iniuſtum manifeſte, & non tantum probabiliter & dubie: ſecunda, ſi gravamen ſit notabile, valde moleſtum, aut famam notabiliter lædens: tertia, ſi procedere per viam querelæ aut ſimplicis recurſus ad Superiores non æſtimetur remedium ſufficiens ad ſubveniendum Religioſo iniuſte & notabiliter aggravato & oppreſſo. Sic Fagnan. in cap. *de Priore* n. 14.

In caſibus vero, in quibus per iura conceditur Regularibus remedium appellationis, ſervandus eſt ordo Tribunalium iuxta Bullas Summ. Pontificum, & Decretum ſac. Congregationis de an. 1587. relatum a Fagnan. in cap. *de Priore de Appellat.* n. 38. Unde appellatio fieri debet a Superiore immediato ad Provincialem, & ita cum proportione a iudice inferiori ad illum qui eſt immediate Superior, & inde ad ſupremum, ita ut fieri nequeat appellatio ad ſupremum omiſſo intermedio, idest a Superiore immediato, ſeu locali ad Generalem, Nuncium, aut S. Sedem, abſque eo quod prius appelletur ad Provincialem, ut tenet Sanchez cum pluribus aliis ab ipſo citatis, qui omnes docent, non poſſe Religioſum relictis

Præ-

Digitized by Google

Prælatis domeſticis appellare immediate ad Tribunalia extranea; hoc enim repugnat decori Religionis: dum enim Religioſus oppreſſus remedium habet domi ſine detrimento boni nominis ſui Ordinis, iniuſte ſibi quærit providere recurrendo ad extraneos. Alii tamen non deſunt contrarium ſentientes, ut Lezzana, Portellus. Verum multo melior videtur eorum ſententia, qui volunt ſtandum eſſe laudato ſacræ Congregationis decreto, ut Pellizz. & alii.

## §. XI.

### *De Superioribus, quibus ex vi voti obedientiæ Religioſus parere debet.*

Hic non agitur de Superioribus principalioribus, quibus Religioſi in ſuo voto obedientiam promittunt, qui ſunt Deus & Papa, primo quorum vovent ſeu promittunt Religioſi in ſua profeſſione obedientiam, non tamen ipſi immediate, ſed mediate, Prælato ſcilicet qui vicem Dei gerit; alteri vero non ſolum prout eſt univerſale Eccleſiæ caput, ſed præcipue ex eorum exemptione ab Epiſcoporum iuriſdictione, prout eſt principalis Præfectus Religionum, dum ad ipſum ſpectat eas approbare vel reprobare, eorumque leges ac ſtatuta admittere ſeu confirmare ac reiicere, ut patet ex Innocenrio III. & Concilio Lugdunenſi in cap. *Religionum de Religioſis domibus*, ac proinde Papa eſt caput ſupremum Religionum; ſibi ſubordinans Prælatos Religionum tamquam ſibi ſubalternos in earumdem Religionum regimine, & ab eius auctoritate eorum auctoritas & iuriſdictio dependent, ac proinde qui iſtis Prælatis ſe donat ac ponit ſub eorum regimine, ex natura rei ponit ſub Papæ regimine, a quo Prælatorum regimen habet auctoritatem & valorem: unde fit, quod Papa in iis etiam quæ reſpiciunt illorum modum vivendi, præcipere poteſt in virtute ſanctæ obedientiæ, & Religioſi ex vi proprii voti obedientiæ tenentur illi obedire. De his tamen ſpecialiter hic non agitur, ſed de iis Prælatis Religionis, qui ſunt ex eius gremio, qui plures ſunt.

Superiores intranei ſeu de gremio, ideſt Clauſtrales, hi plures ſunt, & ſub diverſo gradu, alii nempe maiores, alii minores, reſpective ad ampliorem ac reſtrictiorem Religionis gubernationem ſuper domorum numerum ac Religioſorum; nempe alius eſt Generalis, qui auctoritatem habet in tota Religione, alii ſunt Provinciales, quorum auctoritas extenditur ad totam Provinciam, alii demum Clauſtrales ſeu locales, & horum aucturiras reſtringitur ad Religioſos particularium Monaſteriorum, ideſt ſunt ii, qui præſunt particularibus domibus ſeu Monaſteriis. Religioſum hiſce omnibus Superioribus morem gerere debere certiſſimum eſt apud omnes, quia iſti ex Regula auctoritatem habent ipſi præcipiendi, ac per votum obedientiæ Religioſus eorum regimini ſe tradidit. Servandus eſt tamen debitus ordo, ut Generalis præferatur omnibus, inde Provincialis Superiori locali; unde occurrentibus præceptis contrariis, ſemper Superiori maiori eſt obediendum, niſi tamen mutata ſit circumſtantia taliter, ut clarum ſit, Superiorem maiorem, qui in abſentia præcepit, aliter nunc debere præcipere. Cæterum Superiores inferiores ſe opponere nequeunt præceptis Superiorum maiorum quibus ipſi ſubordinantur. Et hoc ita patet, ut non indigeat probatione.

Superiores locales præcipere poſſunt in iis quæ ſpectant ad Regularem obſervantiam in virtute ſanctæ obedientiæ, & tenentur ſubditi ex vi voti eis obedire, & hanc poteſtatem, cum ſint Ordinarii locorum, delegare poſſunt. Eſt communis Doctorum, dummodo tamen ſint veri Superiores, ideſt non ſint membrum alterius Conventus, ut Superiores in Granciis, ſeu domibus a Conventu ſeparatis, quæ membra ſunt & pars Conventus, ac proinde Superiores horum locorum ſunt ſubſtituti, & vicegerentes Superioris localis. Verum circa auctoritatem Superioris localis attendendæ ſunt etiam Conſtitutiones Ordinum, per quas variari poteſt. Ex dictis ſequitur, alios Officiales Conventus, ut ſunt Vicarii, Præfecti chori, ſtudii &c. imponere non poſſe præceptum ſanctæ obedientiæ, ſed quidquid mandant ac dirigunt, totum ſit auctoritate deſumpta a Regula, quæ tales Miniſtros deſignat, eiſque obedientiam præſtari mandat.

Religioſus ſubditus, qui exiſtat in altera Provincia de licentia ſui Prælati, adhuc tenetur illi obedire, ſi per epiſtolam, aut tertiam perſonam aliquid ei præcipiat, quia votum obedientiæ ſequitur perſonam, ſicut aliqua infirmitas infirmum. Subditus enim ubicumque ſit minime eximitur a debito parendi præcepto, quando de tali præcepto facto ei conſtet. Obedientia enim debita eſt Prælato non ratione loci, ſed perſonæ ſibi ſubditæ. Sic Paſſerin. Pellizz.

Religioſus ab uno tranſiens ad alium Conventum cum obedientia, ut de familia in

hoc

hoc alio moretur, pro toto tempore tranſitus eſt Religioſus vagus nullum immediatum habens Superiorem, cum Religioſi ita itinerantes non ſubiaceant nec Prælato familiæ, a qua diſcedunt, quia per remotionem ceſſant eſſe membrum illius domus, nec Prælato domus ad quam accedunt, cum non ſint adhuc incorporati corpori illius familiæ. Sic Antonius a Spiritu ſancto, Rothar.

Verum non multum mihi arridet hæc ſententia: Nam mihi plane videtur, quod ſtatim ac recepit obedientiam a Superiore ſe transferendi ad aliud Monaſterium de familia, factus eſt formaliter ſubditus Superioris loci, ad quem mittitur de familia, ac eidem per talem deputationem eſt incorporatus, licet nondum materialiter per corporis præſentiam, ita ut ſi hoc innoteſcat novo Superiori, poſſit ei præcepta imponere, & vi voti obedientiæ tenetur ei obedire. Circa vero Religioſos hoſpites attendendæ ſunt Conſtitutiones aut conſuetudines cuiuſque Ordinis. Nam in Religionibus ubi tenetur Religioſus, dum iter agit, ire ad pernoctandum in Monaſterio Ordinis, ſi adſit in locis per quæ tranſit, & ingreſſus in ea Monaſteria, licet hoſpes, petere benedictionem a Superiore locali, profecto eidem ſubditur pro eo tempore quo ibi moratur, & eius mandatis obedire tenetur, & ſaltem in foro externo ſe conformare legibus & ſtatutis illius loci, non vero interiori, ſi abſit ſcandalum, ſecundum Rodriq. & Mirand. Et notat Suarez, hoc naturalem rationem dictare pro morum univerſitate, ne alias ex diſcrepantia morum oriatur recti ordinis domus perturbatio. Circa vero alias quæſtiones quæ hic fieri ſolent, videantur Rothar. tom. 2. lib. 2. cap. 3. punct. 4. Pellizz. & alii.

## §. XII.

### *De Voto Caſtitatis.*

Caſtitas Religioſa eſt illa virtus, qua Religioſi Deo per votum in ſua profeſſione promittunt ſeſe perpetuo cohibituros a quavis tam licita quam illicita venereorum delectatione. In nullis veterum Monachorum profeſſionis formulis, nequidem in Benedictina ulla occurrit profeſſio ſeu promiſſio expreſſa & ſpecialis caſtitatis ſeu continentiæ ſervandæ, immo nec in Benedictina hodierna profeſſionis formula ulla huiuſce voti fit mentio (& quod in Benedictina, idem contingit in formulis profeſſionis Carthuſianorum, Cluniacenſium, Ciſtercienſium, ac Canonicorum Regularium) quinimmo nec paupertatis, ut teſtatur Petrus Durlandus. Huiuſmodi tenoris deprehenditur etiam primæva Carmelitarum Ordinis Regula exarata a S. Alberto: dicitur enim in eiuſdem cap. 1. dumtaxat, quod *Priori obedientiam promittat quilibet aliorum, & promiſſam ſtudeat operis veritate ſervare.*

Prima regula profeſſionis, quæ prodiit cum explicita mentione caſtitatis & paupertatis eſt illa, quæ propoſita fuit ſuis aſſeclis a S. Franciſco: Nam cap. 1. illius Regulæ ita habetur: *Regula & vita Fratrum Minorum hæc eſt, ſcilicet I. N. I. C. ſanctum Evangelium obſervare vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate* Et formulam hanc ſequuntur ſinguli Ordines Minorum, qui militant ſub hoc S. Patriarcha.

Hanc Minorum formulam alii quoque Ordines ſecuti ſunt. Ita enim nunc vovent, ſcilicet expreſſam obedientiam, caſtitatem, & paupertatem, qui profitentur Regulam S. Auguſtini, licet in ipſa nulla expreſſa caſtitatis profeſſio præſcribatur, & hanc nec Ordo Prædicatorum, nec Canonicorum Regularium, tametſi Regulam profiteantur S. Auguſtini, in ſua profeſſionis formula expreſſe promittunt. Item profeſſioni Carmelitarum Innocentius IV. qui eorum Regulam Albertinam declaravit ac mitigavit, hæc addidit verba: *Cum caſtitate, & abdicatione proprietatis*. Quoad Monachos vero tum veteres tum modernos, licet in eorum profeſſionis formula mentio non fiat caſtitatis, huic tamen & olim & nunc ſemper obſtricti fuere: Nam qui Deo Monaſticam vitam ſuſcipiendo ſe dedicat, ac vovet, is profecto ſe ſe obſtringit vivere iuxta eam vivendi normam quam vovet, & huiuſmodi vitæ ratio eſſentialiter cælibatum includit, ſeu cuſtodiam continentiæ, ſive obligationem vivendi in caſtitate, ita ut, ait Van-Eſpen, ſi cælibatum deſtruas, ipſum Monachatum deſtruas.

Num vero profeſſio Monachalis ipſumque votum caſtitatis implicite emiſſum, utpote contentum in profeſſione Monaſtica, irritum redderet Matrimonium contractum, non æque expeditum eſt. Sed illud expeditum eſt, votum caſtitatis ſive explicite ſive implicite emiſſum in Religione approbata, hodie Matrimonium dirimere, ac tale votum ponere impedimentum dirimens, ut in cap. Unico *de Voto* in 6. In hoc Decreto declaratur quoque, votum illud dici ſo-

lemne

Digitized by Google

lemne & efficax ad Matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum fuit per ſuſceptionem ſacri Ordinis, aut profeſſionem expreſſam vel tacitam ſactam in aliqua Religione per Sedem Apoſtolicam approbata. Conſtat igitur, nunc hanc efficaciam votorum dirimendi Matrimonium contrahendum, eſſe ex mero iure poſitivo, dum talis efficacia hodie tribuitur aliis votis emiſſis in Religione per S. Sedem approbata. Van-Eſpen loc. cit.

Votum ſolemne quod in Eccleſia dicitur caſtitatis, ut conſtat ex iam dictis, duplex eſt; alterum quod in receptione ſacrorum Ordinum, alterum quod in profeſſione Religioſa emittitur, & utrumque in tribus effectibus convenit; 1. videlicet diſſolvit ſponſalia ante illud contracta & irrita reddit illud ſecuta, cum ſponſalia ſemper cenſeantur contracta ſub illa conditione, niſi ad meliora ſim vocatus; & poſt votum contracta, ſint promiſſio de re illicita, quæ parere nequit obligationem: 2. dirimit Matrimonium quodcumque poſt illud celebratum; immo in hoc etiam ſolemnitas voti conſiſtit: Tandem prohibet omnem actum venereum tum internum tum externum, ut communiter omnibus prohibentur; idcirco qui contra hanc prohibitionem delinquit, præter luxuriæ malitiam contra temperantiam, incurrit quoque malitiam ſacrilegii contra Religionem. Immo ſi Religioſus peccans ſit etiam ſacris initiatus, ſuam culpam notabiliter aggravat ob duplicem titulum caſtitatis ſervandæ, afferentem duplex motivum proximum continentiæ, ac proinde malitiam ſuam aggravat eo gradu, ut in confeſſione ſit aperienda, & eo magis ſi violator voti ſit Sacerdos, quia volunt aliqui hunc gradum notabiliter augere deformitatem impudicitiæ magis quam ſimplex Ordo ſacer, quia ea longe maiori quadam ratione repugnat quotidie Agnum immaculatum ſacrificanti & ſumenti, quam aliis ordinatis, ad eidem dumtaxat inſerviendum deſignatis. Item ſi Religioſus rem veneream haberet cum muliere ligata voto caſtitatis, hanc circumſtantiam explicare teneretur in confeſſione. Quamobrem inſinuationes, quæ omnibus Fidelibus ſunt ad cuſtodiam continentiæ proprii cuiuſque ſtatus, potiori titulo ordinantur ad Religioſos, utpote qui multo maiori obſtringuntur vinculo hanc virtutem colendi. Idcirco canones omnes plurimorum Conciliorum ad tuendam Clericorum continentiam conſtituti, a fortiori ordinantur ad tutelam continentiæ Religioſorum, hoſque premunt & urgent, ut eorum genium ſequentes, omni ſedulitate effugiant converſationes, colloquia, viſitationes, aſpectus, & ſi fieri poteſt, recordationem mulierum. Nam ſi hæc tam impenſe Clericis prohibentur, quanto urgentius interdicta cenſeri non debent Religioſis Clauſtralibus? quandoquidem auſteritates omnes, pœnalitates, pœnitentiæ, exercitia quæ ſacra Ordinum Inſtituta Religioſorum plus minuſve in ſuis Regulis ac Conſtitutionibus præſcribunt, in illud collimant, ut caſtitatem in ſuis alumnis protegant, tueantur & innoxiam ſervent. Et in hoc maxime cauti & attenti eſſe debent Religioſi eorum Ordinum, qui conſociant contemplativæ vitam activam, utpote qui ob hierarchica miniſteria, quæ vi ſui Inſtituti exercent, nempe occaſione Concionum, Sacramentalium confeſſionum, aliorumque miſericordiæ operum, iuxta cuiuſque horum Ordinum inſtituta, non raro neceſſitate inducuntur ad tractandum cum perſonis ſexus fœminei, & præcipue Confeſſariis opus eſt cautiori vigilantia, ne in eorum animis aut pœnitentium ignis impuri affectus accendatur, & quam maxime invigilare debent ſuper illas, quas filias vocant ſpirituales, cum faciliime ex frequenti collocutione, tametſi de rebus ad ſpiritum ſpectantibus, excitetur quædam partialis affectio, quæ prius ſpiritualis habetur, idcirco ut plurimum non curatur, ſenſim vero tranſit in ſenſibilem, & ſi verbis mollibus, munuſculis, ac benevolis alatur ſignificationibus, non neceſſariis viſitationibus foveatur, faciliime de ſenſibili convertitur in ſenſualem, ita ut quod initio credebatur ſpirituale charitatis vinculum, crudelis diaboli & peccati laqueus deprehendatur.

## §. XIII.

### *De voto Religioſæ Paupertatis.*

Paupertas eſt tertium onus quod ſuſcipiunt Religioſi, & ita Religioſo ſtatui obligatio ſervandi paupertatem eſt intrinſeca, ut ſit eidem ſtatui eſſentialis, ac proinde paupertatis votum, ſicuti alia duo, caſtitatis ſcilicet & obedientiæ, dicitur ſubſtantiale, cum ſubſtantia ſeu eſſentia Religionis in hiſce tribus votis præcipue, ne dicamus unice, conſiſtat; idcirco paupertas adeo annexa cenſetur (ait Van Eſpen) Regulæ Monachali, ut contra eam nec Pontifex licentiam concedere poſſit, ſicut reſpondit Innocentius III. in *cap. 6. de Statu Mo-*

*Monachali*. Hanc enim Lupus tom. 4. Schol. pag. 55. dicit *ſenſionem eſſentialem Evangelicæ perfectionis, ac Monaſticæ profeſſionis*. Quare, uti diximus de caſtitate, licet formula uſitata profeſſionis Religioſæ expreſſam mentionem non faciat paupertatis, nemo tamen dubitat, ipſius votum in profeſſione Religioſa non includi, cum nemo unquam ambigerit, quin Monachalis profeſſio includeret conſiliorum Evangelicorum obſervantiam, & illud prætertim, quod Chriſtus aſſequendæ Evangelicæ perfectioni opportuniſſimum hiſce verbis expreſſit: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Unde

Paupertas Religioſa eſt abdicatio cuiuſcumque dominii rerum terrenarum. Materia igitur remota paupertatis ſunt bona omnia externa, nempe omne pretio æſtimabile per pecuniam comparandum. Materia vero proxima eſt non ſolum dominium quodcumque rerum temporalium, quod eſt ius ſeu facultas diſponendi de re aliqua pro ſibitu ſuo, ſed etiam uſus fructus, ideſt ius utendi ac fruendi ſimul re alterius, ſalva ſubſtantia, puta fructibus agri, quibus veſci poteſt uſufructuarius, & quæ ſuperſunt vendere ac donare, ſalva agri ſeu arboris ſubſtantia; uſus, qui eſt ius utendi re aliena, non vero fruendi, ſalva itidem rei ſubſtantia, puta ius utendi fructibus vineæ ad proprium uſum, non tamen donandi, vendendi; poſſeſſio, quod eſt ius inſiſtendi rei non vetitæ poſſideri, videlicet rem externa actione iuſte acceptam detinendi. His omnibus iuribus expoliat Religioſa paupertas, unde ſolemne votum huiuſcemodi paupertatis emittens, cuiuſcumque horum iurium perpetuo incapax redditur, quia includunt aliquod dominium, & ſunt res pretio & pecunia æſtimabiles.

Itaque vi voti paupertatis Religioſus ſolemniter profeſſus incapax eſt in particulari omnis dominii proprietatis, ſimiliſve iuris bonorum temporalium, ſive mobilium, ſive immobilium, ita ut nihil ſibi proprii, etiam vel minimum, vindicare poteſt, nec rem quamcumque, tametſi victui ſuo ſubſervientem, ita habere, ut de illa independenter a voluntate Superioris diſponere prætendat, ut præſcribit S. Benedictus in cap. 33. ſuæ Regulæ, & Caſſianus in Regula cap. 72. & S. Iſidorus in ſua Regula cap. 5. ubi ſic: *Monachi in ſuis cellulis quidquam.... Sine Regulari diſpenſatione habere vel poſſidere non præſumant*. Non privat tamen Religioſa paupertas uſu facti conſiſtente in ea actione qua homo utilitatem percipit ex re aliqua, in quam cæteroquin ius nullum proprie tale, ſed ſolum improprie habet. Huiuſcemodi uſui facti correſpondet tum habitualis, tum actualis rei detentio, ut illa homo utatur quando ipſi opus ſit, quemadmodum Religioſus utitur veſtibus, libris &c. ſuo uſui conceſſis; quæ detentio vere non eſt poſſeſſio, ſed potius quidam moraliter continuatus uſus facti, qui proinde non includit poſſeſſionem, cum exerceatur non nomine proprio, ſed alterius, Superioris nempe vel Religionis, quæ talem uſum Religioſo concedit. Uſus facti in tali ſenſu plane non comprehenditur, nec comprehendi poteſt ſub voto paupertatis, non ſolum ſi talis uſus verſetur circa neceſſaria ad vitam, quia tunc iure naturali excluditur a voto paupertatis, ſive circa alia naturalia & convenientia, ut Religioſus aptus reddatur ad inſerviendum Religioni v. g. circa uſum librorum, quia Religio tenetur de his ſuis alumnis providere ad finem Inſtituti conſequendum.

## §. XIV.

### *De permiſſione voti Paupertatis poſſidendi bona immobilia in commune.*

Cœnobitæ, ſeu Monachi, qui prioribus Eccleſiæ ſæculis floruerunt olim in Ægypto, & vitam communem ducebant ſecundum eorum Inſtitutum, ut de his refert S. Auguſtinus lib. 1. cap. 13. nihil omnino proprium poſſidebant, nec cuiquam oneroſi erant in eleemoſynis pro eorum ſuſtentatione colligendis, ſed quidquid ad victum ac veſtitum ipſis opus erat, abſque divinarum laudum intermiſſione, operibus manuum ſuarum quærebant, immo & plurimum laborando, & parce vivendo ſubſidium egenis etiam ac peregrinis ſubminiſtrabant. Theodoretus quoque ita de iiſdem Monachis ſcribit: *In Ægypto ferunt quædam eſſe Monaſteria, quæ virorum habent quinque millia opus facientium, Deumque interea laudantium, qui opificio ſuo non ſolum victum parant neceſſarium, ſed peregrinis etiam egentibus ſubveniunt*. Socrates lib. 4. *Hiſtor.* cap. 23. habet, *quemdam Solitarium ita dixiſſe, Monachum qui opus non faceret, non ſecus ac alieni cupidum iudicatum iri*. Sane opus manuum univerſis Monachis, tam per Orientem, quam per Occidentem ſummopere commendatum fuiſſe, tum ex Scriptis, tum ex Hiſtoriis priſtinis, tum Monachorum Regulis notum eſt. Ita habetur in Regula S. Be-

Benedicti cap. 48. ubi ait: *Otioſitas inimica eſt animæ, & ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione divina*. Ita S. Iſidorus in ſua Regula cap. 6. Sic S. Albertus ſæculo XIII. præſcripſit Fratribus Montis Carmeli, & hoc idem S. Franciſcus inculcavit, ut infra dicetur. Et ſic loquuntur Regulæ Monachorum Orientalium, quas brevitatis gratia prætererire cenſeo.

Hinc ſequitur, quod Paupertas non impedir bona in communi poſſidere: quamvis enim, ut vidimus, apud antiquos Monachos mos eſſet & regula vivendi ex operibus eorum manuum, & minime ex poſſeſſionum redditibus, vel Fidelium eleemoſynis; nihilominus cum in Regula S. Benedicti non præcipiantur manualia opera, niſi quando neceſſitas occurrat; proinde ſupponit, quandoque neceſſitatem aut paupertatem opus hoc non exigere; unde ſimul ſupponit, ex aliquo alio bono quod habeat Monaſterium, poſſe Monachorum ſuſtentationi provideri; idcirco poſſeſſionem bonorum in communi ſuis Monachis S. Benedictus in ſua Regula non excludit; eo vel maxime quod cap. 58. præſcribit, ut Novitius ante profeſſionem bona ſua vel pauperibus diſtribuat, vel Monaſterio conferat, nihil ex illis ſibi reſervans. Sic S. Iſidorus cap. 4. & S. Auguſtinus epiſt. 109. cap. 4. Igitur non tantum ex opere manuum, ſed ex iis etiam quæ in Religionem ingredientes Monaſterio obtulerant, Monachi vivebant.

Immo non ſolum plura bona obtinuere Monaſteria ex oblatione Monachorum ingredientium, ſed etiam ex liberalitate fundatorum, & aliorum etiam Fidelium, quamplurima bona ſenſim ad Monaſteria devoluta ſunt, immo in tanta copia, ut cum hoc fieri cœpiſſet cum non levi Principum ac familiarum gravamine, Principes ſuis legibus modum poſuerunt, impediendo ſcilicet ne Fideles res immobiles in Monaſteria, Capitula, aliaque corpora eccleſiaſtica, quæ *manus mortua* dicuntur, quovis titulo transferrent. Ita enim factum fuit in Gallia ac Belgio per Philippum Pulchrum ann. 1451. & Carolum V. ann. 1514. & alibi ſimili modo proviſum fuit. Nec huiuſcemodi ſtatuta violant eccleſiaſticam immunitatem (ait hic Van-Eſpen,) cum Principes in hiſce legibus non diſponant de rebus eccleſiaſticis ſive ad Eccleſiam iam ſpectantibus, ſed de rebus ſuæ iuriſdictioni ſubiectis, & eatenus ſibi propriis; ac proinde interdicere poſſunt, ne ad eccleſiaſticos ſive manus mortuas bona illa transferantur, præſertim quia per illam translationem quodammodo eius iuriſdictioni ſubtrahuntur, nec iura Principum ſalva & integra eſſe poſſunt. Et equidem ſi licet privato etiam cuicumque præcavere ac vetare, ne ſua bona ad Eccleſiam transferantur, ut contingit præcipue in inſtituendis fidei commiſſis, dum per huiuſcemodi leges inſtitutioneſque ſtatuitur ne huiuſcemodi bona quovis modo ſeu contractu diſtrahantur, ideſt de his diſponatur, nequidem Eccleſiæ illa relinquendo, nec ex tali diſpoſitione violari cenſetur immunitas ſeu libertas eccleſiaſtica; non minori, immo potiori ratione licitum erit Principi hoc ſtatuere, quando ex tali translatione in Eccleſiam ſeu manum mortuam ſua iura inverti prævidet.

§. XV.

*De Paupertate Mendicantium.*

Poſt Monachorum Inſtituta ſæculo undecimo iam elapſo, poſt Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. prodiere Ordines Religioſorum, qui dicuntur Mendicantes, & Ordines illi Mendicantes nuncupantur ſecundum Gloſſographum ad cap. unic. *de exceſſib. Prælat.* in 6. in verb. *Mendicantes*, qui victum percipiunt ex publico quæſtu, ſeu ex incerta mendicitate, & qui ex Regula vel Conſtitutionibus, redditus, ſive poſſeſſiones habere non poſſunt. Hæc definitio ſumpta eſt ex cap. *unico* §. *confirmatos de Religioſis domibus* in 6. ubi dicitur: *Religioſis Mendicantibus, quibus ex Regula interdicitur immobilium poſſeſſio, per quæſtum publicum tribuere victum ſolet incerta mendicitas*. Inſpecto igitur iure communi Religioſi dicti Mendicantes nec in communi redditus ſeu poſſeſſiones habere poſſunt, ſed ſuam ſuſtentationem ex eleemoſynis, tum ultro oblatis, tum oſtiatim emendicatis, ut pauperes, accipere debent. Duæ autem, ex ante dictis, huiuſcemodi Mendicantium Ordinum ſunt claſſes: alii tales ſunt ex Regula, alii ex Conſtitutionibus, ipſi Regulæ quam profitentur, poſtea adiectis. Prioris generis ſunt ſoli Franciſcani, quorum Regula a S. Franciſco dictata, & ab Honorio III. approbata in Conſtitut. quæ incipit *Solet annuere* 5. in Bullario Romano cap. 6. hæc habet: *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, ſed tamquam peregrini & advenæ in hoc ſæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemoſyna confidenter*.

V 2 Hæc

Digitized by Google

Hæc ſunt verba Regulæ S. Franciſci expoſita in cit. Bulla. Intentio tamen S. Franciſci fuit, quod non primario & abſolute victum quærerent ſui Fratres ex eleemoſynis emendicatis a Fidelium pietate, ſed ex opere manuum ſuarum, ut conſtat ex ipſius Patriarchæ teſtamento, quod eidem Bullæ ſubiicitur in Bullario; ubi de profeſſione paupertatis iiſdem præſcriptæ ita loquitur: *Et ego manibus meis laborabam, & volo laborare, & omnes alii fratres mei firmiter volo quod laborent de laboritio, quod pertinet ad honeſtatem, & qui neſciunt, diſcant, non propter cupiditatem accipiendi pretium laboris, ſed propter exemplum, & ad repellendam otioſitatem. Et quando non daretur pretium laboris, recurramus ad menſam Domini petendo eleemoſynas oſtiatim.*

Cum enim aliæ Regulæ Monachorum, qui Ordinem S.Franciſci præceſſere, horum redditµum ac poſſeſſionum etiam in communi meminerint, merito S. Franciſcus dicitur primum huius Inſtituti fundamentum poſuiſſe, ac ideo iure merito dici poteſt primus Ordinum Mendicantium fundator. Nam & Dominicanos, qui Regulam S. Auguſtini a ſuo Fundatore acceperunt, cum hæc non loquatur de abdicatione in ſuis primordiis, redditus, fundos, quin decimas, & Eccleſias cum ſuis proventibus in communi poſſediſſe conſtat ex Bulla Honorii III. huius Ordinis confirmatoria, quæ incipit *Religioſam vitam*. Verum cum B. Dominicus ac eius Fratres optarent imitari, ut dicitur, exemplum S. Franciſci, quadriennio poſt Ordinis confirmationem, in generali Capitulo Bononiæ celebrato, facta bonorum omnium abdicatione, Conſtitutione in Capitulo edita ſanxerunt, ne in poſterum bona poſſidere liceret, ac exinde vivere cœperunt ex eleemoſynis etiam *ex mendicato* perceptis. Ita ex Regula dici nequeunt Mendicantes Eremitæ S. Auguſtini, utpote qui eamdem habeant Regulam ac Dominicani. Similiter nec Ordo Carmelitarum, cum Regula Albertina recepta ab Alberto Patriarcha Hieroſolymitano dum habitarent in Monte Carmeli, quam confirmavit Innocentius IV. & quam ipſi ſequuntur & profitentur, bonorum poſſeſſionem in communi redditu umque non interdicat. Circa tempus vero, quo hi Ordines cœperint annumerari Mendicantibus, ac ut tales recogniti, & probati ſint a Pontificibus, veriſimile cenſet Van-Eſpen hos Ordines ſenſim, & citra ullam ſpecialem expreſſamque Pontificum Conſtitutionem Ordinibus Mendicantibus fuiſſe annumeratos, cum de huiuſmodi Ordinum paupertate nullum habeatur documentum, niſi circa medietatem ſæculi XIII. Nam circa ea tempora Alexander IV. qui immediate ſucceſſit Innocentio IV. per ſuam Bullam, quæ incipit *Licet Eccleſia*, 6. in Bullario Rom. iuxta diſpoſitionem, quam ſtatuerat ſuus præceſſor Innocentius, ut ex S. Antonino refert Azor. *Inſtitut. Moral.* t. 1. lib. 12. cap 23. varias Eremitarum Congregationes, *S. Gulielmi*, ſcilicet, *S. Auguſtini*, *Ioannis Boni de Fabali de Brittinus* redegit in unum corpus ſub denominatione *Fratrum Eremitarum S. Auguſtini*, eiuſque Regula ac uniformi habitus delatione, eos, ut habetur in eadem Bulla §. 6. decrevit liberos fore in perpetuum ac exemptos a recipiendis poſſeſſionibus aliquibus vel habendis; ſed ut more *Prædicatorum & Minorum* cibo mendicato viverent, ad populum conciones haberent, pœnitentium confeſſiones exciperent, & cæteras functiones obirent. Tempore tandem Bonifacii VIII. ideſt ſub finem ſæculi XIII. aut initium XIV. Ordines Carmelitarum & Eremitarum S. Auguſtini Ordinibus Mendicantium ſtabiliter annumerati fuere, atque ut tales agniti ac recepti; ideoque ab eo tempore paſſim quatuor famoſi Ordines Mendicantium ſunt recenſiti, *Prædicatorum* ſcilicet, *Minorum*, *Eremitarum* S. Auguſtini, & *Carmelitarum*, de quibus ita habetur in Synodo Colonienſi ann. 1536. part. 4. cap. 7. *Aliquot retro ſæculis in Eccleſiam recepti ſunt Mendicantium Fratrum Ordines, qui Parochorum in verbi miniſterio cooperarii forent.* His quatuor Mendicantium Ordinibus plures alii acceſſerunt, ut *Minimi* S. Franciſci de Paula, *Clerici Regulares Societatis Ieſu* &c. Conſtat igitur ex dictis, Ordines Mendicantes partim ex Regula, alios ex conſuetudine, alios ex Conſtitutionibus jampridem poſſeſſioni bonorum etiam in communi renunciaſſe, ac vivere elegiſſe ex ſolis eleemoſynis etiam oſtiatim emendicatis. Van-Eſpen.

Verum tametſi hujuſmodi paupertas maxime conveniat Religioſis Ordinibus, qui non ſolum ad contemplandum, ſed etiam ad contemplata aliis tradenda, ſicuti docet S. Thomas, ſunt ordinati, dum ita magis expediti redduntur ab omni temporalium cura, ac ſolicitudine; quia tamen ex nimia multitudine Mendicantium Ordinum & Religioſorum perdifficile & moleſtum factum fuit tantum Religioſorum numerum Fidelium eleemoſynis ſuſtentari, ut de priori-

bus

Google

bus etiam temporibus Mendicantium ad an. 1258. refert Matthæus Pariſienſis in ſuo *Monaſtico, quod non amplius ſufficeret ad tot Religioſos plebeiis eleemoſynis ſuſtentandos, quas populus elargiri conſueverat*: Et cum in poſterum ſemper plus creverit Religioſorum numerus, & Religioſorum prior fervor decreſceret, & laicorum affectus in eos deferveſceret, ac proinde cum eleemoſynarum collectio difficilior facta fuerit ac non parum remiſſiot; inde incommoda ac moleſtiæ, quas ſecum affert altiſſima paupertas non admittens ullam bonorum ac reddituum poſſeſſionem, iubenſque ex fidelium liberalitate quaſi mendicato vitæ neceſſaria expectare, valde excreverunt: quibus ferendis (ait hic Van-Eſpen) cum pene non ſufficerent illi quoque, qui ad vitæ Monaſticæ perfectionem aliquatenus pervenerunt, idcirco multo minus qui ſummæ perfectionis non ſunt capaces; inde plurimæ inordinationes, & ipſa quoque Regularis diſciplinæ collapſio tandem in multis Monaſteriis ſecutæ ſunt. Hinc prudentiores in huiuſcemodi circumſtantiis propius expendentes, difficulter ſine magnis incommodis abſque communibus redditibus Ordinem eiuſque diſciplinam in ſua puritate conſiſtere poſſe, conſultius cenſuerunt ac crediderunt, ut illi ſaltem Ordines, quibus vetitum non eſt ex Regula, ſed tantum ex Conſtitutionibus bona poſſidere, ab his Conſtitutionibus nonnihil recederent, atque ad Regulam, quæ redditus & poſſeſſiones in communi habere permittebat, redirent. Ita viſum eſt expedire etiam D. Thomæ, ut in eius Opuſc. 17. cap. 16. propter eos qui non ſunt ſummæ perfectionis capaces. Et cum hoc pluribus in Religionibus vel per indultum Sedis Apoſtolicæ, vel per contrarias Ordinis Conſtitutiones inductum eſſet, Concilium Trid. ſeſſ. 25. *de Regularib.* cap. 3. id probavit, concedendo univerſim Monaſteriis omnibus utriuſque ſexus, exceptis Conventibus Fratrum *Capuccinorum & Minorum de Obſervantia*, quibus præcipue ex Regula bonorum & reddituum poſſeſſio prohibetur, ut deinceps bona immobilia poſſidere poſſent. Immo ut conſuleret in poſterum hiſce incommodis, quæ ex nimia Monaſteriorum egeſtate, & neceſſariorum ad vitæ ſuſtentationem carentia nata ſunt, ſtatuit, ut in prædictis Monaſteriis is tantum numerus conſtituatur, ac in poſterum conſervetur, *qui vel ex redditibus propriis Monaſterii, vel ex conſuetis eleemoſynis commode vivere poſſit*. Illi tamen Ordines Mendicantes, quibus facta eſt talis conceſſio, bona immobilia ac redditus poſſidendi in communi, adhuc relicta eſt facultas emendicandi, tamquam partiale medium, quo neceſſaria vitæ curare valeant, ac proinde adhuc inter Ordines Mendicantes comprehenduntur. Van-Eſpen. Non repugnat igitur Religioſæ paupertati, bona immobilia ac redditus in communi poſſidere, quæ bona diſtrahi nequeunt vel expendi, niſi de licentia Capituli, Superiorum, &c., prout unaquæque Religio in ſuis ſtatutis conſtituit. Hinc clare deducitur Religiones huiuſmodi capaces eſſe hæreditariæ ſucceſſionis ab inteſtato, vel ex teſtamento, ut habetur etiam in Clementina *Exivi de verbor. ſignificat.* Et in Tridentino ſeſſ. 25. cap. 3. *de Regularib.* Unde ex hoc fit primo, quod ſi eorum Religioſi non diſponant ante profeſſionem de ſuis bonis ac iuribus, iure hæreditario in his omnibus ſuccedit Religio ſeu Monaſterium; immo ſuccedit quoque in Maioratibus, quos Religioſi vel ante profeſſionem poſſidebant, vel qui ad illos poſt profeſſionem deveniunt: idcirco omnes redditus donec vivit Religioſus, ipſe poſſidet, niſi forſan in eorum fundatione tacite vel expreſſe Religioſi excludantur. Fit 2. ut hæreditas vel legatum relictum Religioſo poſt profeſſionem, cum ipſe incapax ſit dominii, pertineat non ad ipſum, ſed ad Monaſterium.

Circa vero Ordines S. Franciſci, ut ſunt Capuccini & Minores de Obſervantia, qui tenent Regulam Fundatoris quoad partem etiam bona immobilia & redditus non poſſidendi, & ſuſtentationem quærendi ex labore manuum & ex mendicitate, ſcilicet ex eleemoſynis oſtiatim emendicatis, ſed ex mendicitate in caſu tantummodo neceſſitatis, ſcilicet quando labores manuum ſatis non forent; quoad laborem manuum, quem vult omnino S. Fundator in ſuis Fratribus pro eorum ſuſtentatione, ne Fidelibus ſua mendicitate gravamen afferant, ut antea diximus ex cap. 5. ipſius Regulæ & ex ſuo Teſtamento, ubi apertius hoc indicat; explicans hoc punctum Nicolaus III. in cap. *Exiit, de verbor. ſignificat.* in 6. verba illa eſſe iuxta formam ſeu modum loquendi cenſuit, ac definivit Pontifex non fuiſſe intentionem inſtituentis, manuali labori ſeu operi eos ſubiicere, ſeu ad hoc illos arctare vacantes ſtudio vel divinis officiis & miniſteriis. Et ante Nicolaum III. docuit S. Thomas, Religioſos poſſe vivere ex eleemoſynis primo propter neceſſitatem, quæ provenit

venit vel ex corporis infirmitate, unde labore manuum victum ſibi curare non valeant, vel ſi illud quod ex labore manuum conquirunt, ad ſuſtentationem non ſufficiat. Secundo, ſi Prælatorum auctoritate prædicent, vel altari miniſtrent, & ſacramenta conferant, vel ſi etiam ſtudio ſacræ Scripturæ ad communem Eccleſiæ utilitatem inſiſtant. Et poſt hæc ſubiungit Angel. Doctor: *Si vero aliqui ſint Religioſi, qui abſque neceſſitate vel utilitate quam afferunt, velint otioſi de eleemoſynis quæ dantur pauperibus vivere, hoc eſt illis illicitum*. Et ſimilia habet S. Auguſt. lib. *de opere Monachorum*. Van-Eſpen. Igitur iuxta D. Thomam, cui variis in locis conſentit S Bonaventura, Religioſi ex eleemoſynis vivere poſſunt, tametſi manibus non laborent, ſi pro Eccleſia Dei ſpiritualiter & utiliter laborent, atque hoc fere unico titulo hodie Fratres Mendicantes ad colligendas eleemoſynas admittuntur, & mos paſſim obtinuit, ut Religioſi ad civitates cum facultate eleemoſynas oſtiatim petendi, ſive, ut aiunt, quæſtuandi admittantur, ut ſint Parochorum coadiutores, ſubſidiarii, & cum onere inſerviendi populo in ſpiritualibus, ubi id neceſſitas poſtularit. Van-Eſpen.

Porro quocumque titulo hæc Religioſa mendicitas, ſeu eleemoſynarum quæſtus inſtituatur, certum eſt hoc faciendum eſſe cum ea moderatione ac modeſtia, quam ipſi Ordinum Fundatores præſcripſerunt, & præcipue primus mendicitatis auctor S. Franciſcus, qui eo ipſo quod non intendat, niſi neceſſitate urgente hunc quæſtum debere exerceri, quando nempe ex manuum operibus ſufficientia ad ſuſtentationem percipi nequeant, ſignificare vult, ut cum frugali modeſtia ſeu diſcretione fiat, ita ut Religioſi viventes ex eleemoſynis attendere debeant, ſe tamquam pauperes & advenas vivere in hoc ſæculo, & hæc præ aliis Ordinibus eſt Mendicantium profeſſio, atque eo titulo paucis tam in victu quam in veſtitu debent eſſe contenti, ut non obſcure innuit D. Thomas 2. 2. q. 188. art. 7. in corpore, & præcipue ne multum Fideles ex tali Religioſorum quæſtuatione graventur: unde ex defectu talis moderationis nunc temporis in victu ac veſtitu apud Ordines Mendicantes, ait Caietanus, fit, ut plus ſolicitudinis afferat, ipſa teſte experientia, vivere ex eleemoſynis, quam ex moderatis poſſeſſionibus: *Nam*, inquit, *quod triginta Religioſi hodie exigunt, ante centum forte ſufficiebat*. Van-Eſpen. His etiam addi poteſt nimia diſtractio, quam ſolicitudo copioſæ emendicationis pro commodiori ſuſtentatione affert ſaltem quæſtuantibus, qui frequentius coguntur exire e Monaſteriis, ac per loca, domoſque ſæcularium curſitare, non ſine magno periculo aliorum ſpiritualium incommodorum, & præcipue in caſtitatis nitore, ex frequentiori mulierum occurſu ac cum eiſdem confabulationibus occaſione eleemoſynas exquirendi.

Cæterum ne eleemoſynarum quæſtu, qui fit per Religioſos Mendicantes, nimis populi graventur, damnum propter obventiones ſuarum neceſſitatum pauperibus afferatur, ac ne relaxatio in Religioſis inducatur, & apud gentes locorum Religioſi inviſi ac contemptibiles fiant, Superiores Ordinum, præcipue eorum qui vivunt ex ſolo quæſtu, debent eſſe valde circumſpecti in augendo Religioſorum numero, ne ſimul augeantur eorum neceſſitates, quæ frequenter non exigua ſecum trahunt incommoda, ac moleſtias, quibus ferendis pœne non ſufficiunt etiam illi, (ait Van-Eſpen) qui ad vitæ Monaſticæ perfectionem iam aliquatenus pervenerunt. Hinc plurimæ deordinationes, & ipſa quoque Regularis diſciplinæ collapſio tandem in multis Monaſteriis ſecutæ ſunt. Et de hoc luculentiſſimum teſtimonium ſunt exempla aliorum temporum, quando multi, & principaliores minus perfecti, animo Chriſtiano ferre non valentes moleſtias, & incommoda ex nimia paupertate provenientia, ut ſe a moleſtiis, & indigentiis eximerent, recurrerunt ad media ab inſtituto ſuo, & mente Patrum aliena, ac ipſius Religionis diſciplinam enervantia, immo quæ ipſi populo, ac Clero hos Ordines odioſos reddiderunt, ſicuti contigit in ipſo Ordine Seraphico, eodem ipſo ſæculo, quo primum exorti fuere Mendicantes, de quo graviſſimo inconvenienti valde conqueſtus eſt Seraphicus Doctor S. Bonaventura tunc Ordinis Minorum Miniſter Generalis electus, in duobus ſuis epiſtolis ad Provinciales, & Cuſtodes ſui Ordinis, quarum prior eſt huius tenoris: *Perquirenti mihi cauſſas, cur ſplendor noſtri Ordinis quodammodo obſcuratur, Ordo exterius inficitur, & nitor conſcientiarum interius defœdatur, occurrit negotiorum multiplicitas, qua pecunia noſtri Ordinis paupertati ſuper omnia inimica avide petitur, incaute recipitur, & incautius contrectatur. Occurrit quorumdam Fratrum curioſitas, quæ ſentina eſt omnium vitiorum, qua plurimi ſopiti, monſtruoſum quemdam ſtatum inter contemplativam, & activam eligen-*

*eligentes, non tam carnaliter, quam crudeliter ſanguinem comedunt animarum. Occurrit evagatio plurimorum, qui propter ſolatium ſuorum corporum, gravando eos, per quos tranſeunt, non exempla poſt ſe relinquunt vitæ, ſed ſcandala potius animarum. Occurrit importuna petitio, qua omnes tranſeuntes per terras adeo abhorrent Fratrum occurſum, ut cis timeant quaſi prædonibus obviare. Occurrit ædificiorum conſtructio ſumptuoſa, & curioſa, quæ pacem Fratrum inquietat, amicos gravat, & hominum iudiciis multipliciter nos exponit. Occurrit multiplicatio familiaritatum, quam Regula noſtra prohibet, ex qua ſuſpiciones, infamationes & ſcandala plurima oriuntur. Occurrit improvida commiſſio officiorum, qua Fratribus nondum uſquequaque probatis, nec carne maceratis, nec ſpiritu roboratis imponuntur officia vix portanda. Occurrit etiam ſepulturarum, & teſtamentorum avida quædam invaſio non ſine magna turbatione Cleri, & maxime Sacerdotum.* Similia deploravit in alia epiſtola S. Doctor ad Provinciales, & Cuſtodes Ordinis ſui iterato dara, & in Ordinis annalibus, ac temporis illius Hiſtoriis latius relata. Van-Eſpen.

Ulterius, cum hodie pœne ſolo laboris ſpiritualis tirulo eleemoſynæ a populo petantur, & eo intuitu populus illas elargiatur; hinc Ordines iſti attendere debent, ne populus nimium gravetur ſuſtenratione eorum, qui ad ſpiritualem hunc laborem impendendum nullatenus conducunt; ac proinde, air Caietanus, non deberent omnes ad harum Religionum profeſſionem recipi, ſed ſoli idonei ad officia prædicandi, confeſſiones audiendi, &c. Van-Eſpen cit. Hac de cauſſa Civitatum Magiſtratus ſeu Conſilia, in admiſſione Ordinum Mendicantium, numerum pro eorumdem ordinaria Religioſorum familia ſolent limitare. Irem in Eleemoſynis colligendis ſolicite cavere debent, ut tollatur omnis ſuſpicio cupiditatis & avaritiæ, quod prædicatio, cæteraque ſpiritualia officia quæſtus gratia non inſtituantur. Van-Eſpen tit.

Hi autem Ordines, qui pro eorum ſuſtentatione bona reddituſve in communi poſſident, cavere debent, ne copioſior opum reddituumve affluentia occaſio ſit quod diſciplina Regularis relaxetur, ac ne fervor charitatis tepeſcat. Tanta enim rerum abundantia, cùm viam aperiat vitæ nimis pro Religioſo ſtatu commodiori, efficit ut ſenſim recordatio ac exercitium pereant mortificationis, humilitatis, frugalitatis, quæ graviter incumbunt Religioſis, & via ſunt ad perfectionem, per quam vi eorum profeſſionis incedere tenentur, ut de ſuo Ordine Ciſtercienſi ait D. Bernardus epiſt. 142. *Ordo noſter abiectio eſt, humilitas eſt, paupertas eſt*; Nam ſicut temporalium indigentia augere ſolet ſolicitudinem charitatis in proximo ſubveniendo, ſic opulentia ab huiuſmodi pietatis officiis divertere conſuevit ut docet his conſone D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 7. ubi ait, *quod habere ſuperabundantes divitias in communi ſive in rebus mobilibus, ſive immobilibus, eſt impedimentum perfectionis ... habere autem eorumdem quantum ſufficiat ad ſimplicem victum, perfectionem Religionis non impedit*. Et in hoc propoſito ſapienter ait Van-Eſpen, difficile eſſe in tanta divitiarum copia, quæ in pluribus Abbatiis habetur, paupertatem in omni vitæ genere ſervare, ac nihil in menſa, ſupellectili, domo aut comitatu habere, quod non paupertatem, & mundanæ gloriæ contemptum præſeferat, & teſtatur, quod in ipſam divitiarum copiam plures viri Religioſi, diſciplinæ Regularis & perfectionis collapſionem refuderint. *Poſtquam* ( ait Trithemius homil. 7. ) *cenſus Monachi habere cœperunt & redditus, priſtina mox humilitatis ſtudio defecerunt, crevit paulatim cum divitiis temporalium ſuperbia. Quamdiu fuere pauperes Monachi, Deum in veritate coluerunt; poſtea vero quando divitiis abundare cœperunt, ſimplicitatem fugavit duplicitas. Integritas namque obſervantiæ Regularis abundantiam peperit rerum temporalium, ſed paulatim divitiæ Monachorum puritatem Ordinis funditus extinxerunt*. Et revera tantam vim habet divitiarum abundantia, ita venefica ipſa eſt Religioſæ diſciplinæ ac ſanctitati, ut in Ciſtercienſibus nimis a Principum liberalitate in ipſis ſuis primordiis ditatis, ob earumdem divitiarum copiam tanta ſenſim inoleverit diſciplinæ Regularis corruptela, ut ſatis non fuerit S. Robertus eorum Fundator, ſuo exemplo & monitis ſuos Monachos ad priſtinam diſciplinam revocare, ſicut teſtatur Papebrochius in Commentario prævio ad vitam S. Roberti; & Summus Pontifex Alexander III. cap. 3. *de ſtatu Monachali*, huius Ordinis tam inſignis in ſuo ortu ob exactam Religioſæ perfectionis obſervantiam, tam celerem collapſionem altiſſime deploravit. Van-Eſpen.

Item cavere debent Religiones, ut bona, quæ eorum ſtatui ſuperflua ſunt, non retineant, & multo minus cumulent; quia ſi ipſis laicis omnino illicitum eſt ſuperflua

ſtatui & perſonæ avide retinere, utpote qui teneantur pauperum inopiam iiſdem ſublevare ex illo Chriſti præcepto: *quod ſupereſt da pauperibus*, multo magis hoc incumbit Religionibus opulentibus, quæ Deo vovent vivere in paupertate. Quocirca ſi non vacant a gravi culpa ſæculares ſi ſuperflua in Eleemoſynas pauperibus non erogent, ſed potius impendant in novas, eorumque ſtatui ſupervacaneas vanitates, voluptates, ac tripudia, falſo cenſentes, ſic ea expendendo eis non ſupereſſe, dum finem ullum non habent homines in vanitatibus excogitandis; multo magis gravabuntur conſcientiæ ſuperiorum Religioſorum Conventuum contra charitatis præceptum, ſi ſuperflua perſonis ſtatui pœnitentiæ & voto paupertatis obſtrictis expendent in novas commoditates curandas, in nova ſolatia, in nova mobilia etiam eccleſiaſtica, quando iam convenientiſſima ac ſatis decentia habeant, & non in ſublevanda inopia pauperum, quorum tanta eſt ubique cuiuſcumque ſtatus miſerabilium perſonarum copia; & eo magis quia bona quæ Religioſa loca poſſident, ſunt bona eccleſiaſtica ideſt piæ oblationes ac legata Fidelium relicta Eccleſiis, eccleſiaſticiſque locis, cuiuſmodi ſunt Monaſteria Religioſorum, ac proinde cum indiviſibili onere, quæ ſuperſunt Religioſorum ſuſtentationi ac decenti Eccleſiarum ornatui, in ſubſidium pauperum erogandi, ut ſæpe definitum fuit a ſacris Canonibus, qui ſemper appellarunt huiuſmodi bona *vota Fidelium*, *pretium peccatorum*, *patrimonium Chriſti & pauperum*, & ad hunc finem ea Fideles Monaſteriis obtulerunt ac legarunt, nempe ut in pios uſus iuxta intentionem ac morem Eccleſiæ impenderentur; idcirco quæ ſupereſſent moderatæ Religioſorum ſuſtentationi & ſatis decenti Eccleſiæ cultui, in pauperes erogarentur.

§. XVI.

*De variis modis quibus violari poteſt a Religioſo votum paupertatis, ac contra hoc votum delinqui.*

Poſito, ut conſtat ex antea dictis, quod votum paupertatis habeat de natura ſua omni prorſus dominio expoliare Religioſum hanc voventem, ſicut dominium ſuper rem aliquam tripliciter exerceri poteſt, eam ſcilicet recipiendo, poſſidendo ſeu retinendo, ac ipſa utendo; ita triplici modo contingere poteſt huiuſcemodi votum violari, ac ideo contra ipſum delinqui, nempe aut male acquirendo, ſeu recipiendo, aut male poſſidendo, aut denique male utendo. Quare Religioſus nullam rem temporalem pretio æſtimabilem ſine Superioris licentia poteſt accipere, retinere, conſummere, deſtruere, permutare, alienare, donare, ac ea uti. Non poteſt enim Religioſus habere, nec tractare aliquid, ideſt eo uti tamquam re ſua, voluntate propria ac auctoritate, ſeu proprio arbitratu ac nomine, ſecluſa Superioris dependentia & conſenſione; & paratus eſſe debet exui omni poſſeſſione & uſu quocumque momento, quo Superior iuſſerit, nec poteſt quidquam abſcondere, ut illud liberæ Superioris diſpoſitioni ſubtrahat; quia per votum ſolemne paupertatis expoliatur Religioſus omni prorſus dominio etiam radicali, proprietate, & ſimili iure rerum temporalium, ſicut clare conſtat ex communi Eccleſiæ ſenſu & uſu, & ex cap. *Non dicatis* 12. q. 1. ex D. Aug. epiſt. 109. ubi ſic habetur: *Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia .... Quod ſi aliqua* (*Monialis*) *rem ſibi collatam celaverit furti iudicio condemnetur*. Item ex Innocentio III. cap. 6. *de ſtatu Monachorum*, ex Concilio Trid. ſeſſ. 25. cap. 2. de Regular. Dixi *per votum ſolemne paupertatis*. Quia tametſi idem pariat etiam votum ſimplex quod emittitur in Societate Ieſu poſt biennium probationis, ut hoc quoque privet profeſſos poteſtate diſponendi, & utendi quavis re temporali pretio æſtimabili abſque Superioris licentia, ac uſu dominii libero & independenti; non impedit tamen quin poſt hanc dominium retineant, reſtrictum quidem & dependens a Superiore etiam quoad retentionem, & cum obligatione illud relinquendi ad nutum Superioris. Sicuti vero in iis quæ iure naturæ ſunt vetita, ut fornicatio, furtum, &c., non ſolum res ipſa vetita eſt, ſed etiam deſiderium, ac de re ipſa moroſa delectatio, ideſt non ſolum vetitum eſt fornicari, aut aliena ſurripere, ſed hæc quoque deſiderare, ac de quolibet actu fornicario delectari, ita non ſolum opponitur paupertatis voto rem aliquam pretio æſtimabilem tamquam ſibi propriam poſſidere, ſed etiam ipſius dominium, proprietatemque deſiderare; ita ut ſi deſiderium verſetur circa tantam rei quantitatem, quæ ſufficiat ad mortale, qui tale deſiderium ſeu voluntatem haberet, graviter contra ſuum votum delinqueret, dummodo tamen eam non deſideraret ut ſuam habere niſi in ſenſu diviſo a voto, ideſt ſi huiuſcemodi voto non eſſet obſtrictus, quia in tali caſu eius deſiderium

eſſet

eſſet de obiecto non de ſe & ab intrinſeco malo, ſed malo dumtaxat quia ſibi prohibito: in tali enim caſu delinqueret tantum venialiter. Navar. Suarez ex cap. *voventibus* 17. q. 1. ubi ſic: *Voventibus virginitatem, non ſolum nubere, ſed etiam velle, damnabile eſt*.

Unde iuxta communem Doctorum peccat graviter Religioſus contra votum paupertatis, quo eſt obſtrictus, ſive ſolemne ſit, ut communiter in Religionibus, ſive ſimplex, ut in Societate Ieſu, ſi quid in notabili quantitate ſufficienti ad mortale domi ſeu foris abſque licentia ſive expreſſa ſive implicita ſeu tacita ſui Superioris, aut in neceſſitate prudenter præſumpta accipiat, poſſideat, retineat, deſtruat, commodet, commutet, abſumat, donet, alienet, ſeu re aliqua utatur, ſive rem illam ſubtraxerit ex communi penu ſeu ex communibus bonis Monaſterii, ſive ex bonis ſibi ad uſum conceſſis, ſive a conſanguineis aut ab extraneo acceptis: Quia illa omnia cum fiant proprio arbitratu ſine Superioris conceſſione, ſunt actus proprietatis. Quicumque vero actus poſſeſſionis proprietariæ illicitus eſt Religioſo, qui per votum paupertatis ſe expoliat poteſtate ſeu iure aliquid ut proprium, ac ſine Superioris licentia poſſidendi. Culpæ huiuſcemodi ſunt ſacrilegia, quia contra votum, & ſecundum Suarezium etiam furta, quia contra iuſtitiam, utpote uſurpationes rei alienæ, ideſt Communitatis, vel eius uſus invito domino, ſeu miniſtratore ac poſſeſſore, qui ſtat loco domini, ideſt Religione, quæ habet dominium eorumdem bonorum, vel talem adminiſtrationem ac poſſeſſionem.

Quare, quidquid quomodocumque Religioſo obveniat, ſive ab ipſo acquiſitum, ſive a parentibus, aut ab aliquo alio quovis titulo donatum, ſtatim fit Monaſterii, ac inter ipſius bona ratione voti & traditionis ſuæ recenſetur, iuxta communiſſimum Canoniſtarum ac Theologorum effatum: *Quidquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterio;* ita ut hoc ipſo quod donatum aut quovis alio modo traditum Monacho ſeu Religioſo ab ipſo acceptetur, acquiritur Monaſterio ſeu Communitati, ut ex cap. *ſtatutum* 18. q. 1. Hinc & Concilium Trid. ſeſſ. 25. cap. 2. *de Regular.* iubet, quod *quæcumque bona a Religioſo quovis modo acquiſita, ſtatim Superiori tradantur, Conventuique incorporentur*. Et hoc intelligendum, tametſi Religioſus male acquireret; puta ſibi donatum contra Superioris prohibitionem: ſemel tamen acquiſitum, acquirit ipſe Monaſterio, quæ acquiſitio firma non eſt niſi a Superiore approbetur, qui ſecundum motiva quæ ſibi videbuntur, poterit illam reſcindere & donatori donum reſtituere. Quare omnis alienatio, donatio &c. quæ de bonis ſibi quomodocumque obvenientibus fiat a Religioſo, irrita eſt ac nulla, idcirco reſtitutioni obnoxia. Unde nec licet Religioſo rem acceptatam reddere donatori, quia id eſſet alienare quod acquiſitum eſt Religioni: Neque enim bona Religionis dicuntur communia in eo ſenſu, quod quiſque Religioſus poſſit pro libitu ea in ſuum uſum accipere, cum e contra ſic potius eſſent cuilibet furanti propria, ſed in hoc ſolo ſenſu dicuntur & ſunt communia, quod ſint Communitatis, cuius Superior ea ſingulis iuxta cuiuſque neceſſitatem ad uſum concedere valeat. Non peccabit vero Religioſus contra votum paupertatis ſi res ab alio oblatas nolit accipere, ſed donanti manifeſtet, ſe eius nomine aliis daturum; quia tunc non ipſe donat, vel utitur ipſis bonis, ſed alius, qui Religioſi miniſterio utitur; nec peccat contra votum ſi rem a ſæculari accipiat, ut eam ſuo Superiori tradat. Item non peccat ſi pecuniam a ſæculari exigat animo ea non utendi niſi obtenta a Superiore licentia; ſicuti non peccaret quoque contra votum paupertatis, ſi illam pecuniam ſive aliud celaret, non ut artificioſe occultaret Superiori, ſed privato timens ne eam furaretur. Circa vero Monaſterium cui acquirat Religioſus, attendendæ ſunt Ordinum Conſtitutiones: Nam in aliquibus acquirit Monaſterio ubi profeſſus eſt, in aliis ſemper acquirit domui illi in qua non ut hoſpes, ſed ut Conventualis habitat. Quod ſi Religioſus de uno in alium tranſeat Ordinem cum ſuis requiſitis, omnia quæ ante tranſitum acquiſierat, vel illi quocumque titulo obvenerant, pertinent ad priorem Religionem; ad poſteriorem vero quæ poſt tranſitum acquiſierit. Cui autem acquirat Religioſus apoſtata, eiectus, & Epiſcopus, dictum eſt ſuo loco.

Conſtat igitur ex dictis, Religioſum licite non poſſe ſine Superioris licentia tacita vel expreſſa aliquid accipere ſeu ſibi arrogare, ut proprio arbitratu eo utatur, quia huiuſcemodi receptio plane eſt contra votum paupertatis, etiamſi acceptum ſit uſu conſumptibile.

Verum quoad uſu conſumptibilia duo advertit notanda P. Cuniliatus. 1. Quædam eſſe quæ unico actu conſumuntur, ut eſculenta & poculenta; quædam vero, quamvis corruptibilia, habere tamen uſum permanentem, quamquam uſu conſumantur; Et hæc accipi poſſunt vel ad unum actum tran-

Digitized by Google

tranſeuntem, vel ut retineantur ad uſum durabilem. Notandum 2. hæc bona accipi poſſe per Religioſum ex bonis ipſius Monaſterii, vel ab extraneo, & ad merum uſum, & ut poſſideantur. Hiſcæ prænotatis, nemo non videt, quod accipere ex Monaſterii bonis & dictis modis ſine Superioris licentia, conſumptibilia quoque, etiamſi in eſculentis ac poculentis iſta conſiſtant, voto paupertatis adverſetur, cum hoc fiat independenter a Superioris voluntate, ac cum læſione iuſtitiæ & Religionis, & ſit contra votum, & alienum accipiatur. Verum quandonam talis acceptio pertingat ad mortale, non ita facile eſt hoc ſtatuere. Si enim ſermo ſit de eſculentis & poculentis, Suarez Theologus pietate ac doctrina nemini inferior tom. 3. *de Relig.* lib. 8. cap. 11. n. 40. poſtquam prudenter advertit cavenda eſſe duo extrema, videlicet ne nimis culpam alleviando via laxitati aperiatur, vel nimis aggravando fragilitas humana periculo exponatur, ſtatuit, conſultius eſſe ad lenitatis partes propendere, ac proinde ait ibi: *In bonis uſu conſumptibilibus pertinentibus ad cibum & potum, ſi tantum ad proprium uſum actualem, ut ita dicam, & tranſitorium aliquid ſumatur, regulariter non videtur peccatum mortale, niſi damnificatio Religionis eſſet nimia & in re extraordinaria ac pretioſiore; extra enim huiuſmodi caſum res reputantur levioris conditionis, & quamvis Prælatis hoc diſpliceat, non tamen ita ſunt involuntarii, ut illam reputent materiam gravem in ordine ad paupertatem, ſed ſolum in ordine ad decentiam, & perfectionem Religionis. Secus vero eſſet ſi huiuſmodi res in magna quantitate reciperentur, & occulte retentæ paulatim conſumerentur, nam illud eſſe poſſet grave peccatum. De aliis vero rebus, quæ uſu non conſumuntur ſtatim, ſi non accipiantur ut occulte & ut proprie poſſideantur, ſed ſolum ad uſum publicum & expoſitum arbitrio Superioris, ſicuti retinentur res aliæ, ordinarie exiſtimo eſſe ſolum materiam peccati venialis, niſi peculiares circumſtantiæ intercedant, quæ inducent deformitatem graviorem, ut ſi id fiat frequenter, & quaſi ex animo deliberato, applicando illo modo res Monaſterii ad ſuum uſum, vel ſi ob eam cauſſam privarentur alii uſu talis rei cum notabili incommodo illorum aut Monaſterii.* Hactenus Suarez.

Item opponitur voto paupertatis accipere ad proprium uſum res huiuſcemodi ab extraneo ſine Superioris licentia, cum uſus ille ſit pretio æſtimabilis, ſive res ſtatim abſumatur, ſive tractu temporis; unde ſi res per uſum conſumptibilis tota per uſum conſumetur, & eius valor ſit ſufficientis ſummæ, erit culpa mortalis, v. g. ſi Religioſus recipiat ab extraneo vas liquoris exquiſiti valoris, puta unius aurei, illudque totum ſine Superioris licentia abſumat. Et hæc eſt communis Doctorum. Quod ſi res ad uſum ab extraneo accepta non ſit uſu ipſo conſumptibilis, ſed diu duratura, puta liber magni valoris, ſive quid aliud huiuſmodi, tunc culpa menſuranda non eſt ex pretio rei conceſſæ ad uſum, ſed ex ipſo uſu, nempe quanti talis eius æſtimari queat, ita ut ſi uſus ſit brevis temporis, erit venialis; ſi vero taliter eſſet diuturnus, ut æſtimaretur multi pretii, eſſet culpa lethalis. Quoad uſum autem pecuniæ mutuo acceptæ, cum pecunia tranſeat in dominium accipientis, procul dubio ſi ſumma ſufficiens ſit, acceptio erit mortalis, tum quia ſibi vindicat dominium rei mutuo acceptæ, tum quia de ſuo (cum ſuum nihil habeat) reſtituere non valet, nec Religio, utpote quæ in talem contractum non conſenſerit, reſtituere tenetur. Ex quo fit ut peccet etiam contra iuſtitiam reſpectu mutuantis, qui plane non mutuaſſet, ſi hoc ei innotuiſſet. Excipitur tamen caſus neceſſitatis, ut notant omnes cum Turrecremata in cap. *Non dicatis* 509. ſi Religioſus ſit in itinere, tunc enim licite mutuam accipere poteſt ab aliquo pecuniam, dum ſufficientem non habet ſummam ſuis neceſſitatibus providendis; nam tunc iuſte præſumitur aſſenſus Religionis.

Colligitur ergo ex dictis, res quaſcumque, etiam uſu conſumptibiles, ipſaque eſculenta & poculenta, quocumque modo, ideſt ſive a parentibus ſive ab aliquo extraneo, Religioſo obvenientes, ſtatim tranſire in poteſtatem ac dominium Religionis ſeu Communitatis, ita ut Religioſus ſine Superioris licentia non ſolum quocumque modo illas diſtrahere nequeat, donando ſcilicet, alienando, permutando, &c. ſed ne quidem ad proprium uſum eas adhibere, ſed Superiori tradendas eſſe, ut diſtribuantur unicuique Congregationis, prout opus eſt, ſive in communem omnium uſum pro cuiuſcumque neceſſitate indifferenter diſpenſentur. Ita præſcribit etiam Regula, quæ dicitur S. Auguſtini, quamque plurimæ Religiones profitentur. Sic enim in eadem habetur cap. 8. *Etiam cum ſuis filiis, aut aliqua neceſſitudine ad ſe pertinentibus in Monaſterio conſtitutis aliquam contulerit veſtem,*

Digitized by Google

*ſtem, ſive quodlibet aliud inter neceſſaria deputandum, non occulte accipiatur, ſed ſit in poteſtate Præpoſiti, ut in rem communem redactum, cum neceſſe fuerit præbeatur*. Et hoc quoad diſtractionem ad alios ligat Religioſos quoque illorum Ordinum, ubi non ſervatur perfecta vita communis; ita ut ſi re quam receperunt a parentibus vel ab aliquo extraneo, pro ſe ipſis non uſuri ſint, vel in favorem alicuius aliquo modo bene meriti apud Religionem, nequeunt de illa pro libitu ſuo diſponere erga quemcumque indiſcriminatim; quia cum ſemper verum ſit rem illam eſſe Communitatis, in ipſius favorem ac utilitatem cedere debet; unde nec Superior ipſe poteſt concedere eidem Religioſo talis rei indifferentem diſpoſitionem: Superior enim cum ſit ſolummodo miniſter rerum quocumque modo ad Monaſterii Communitatem ſpectantium, nec per ſe, nec per alium diſtrahere poteſt bona Communitatis ſine iuſta cauſſa extra Monaſterium; alias non eſſet rectus diſpenſator, ut exigit eius miniſterium, ſed iniquus diſſipator.

Nota, quod tametſi Religioſus ſubditus vi voti paupertatis nihil ſibi vindicare aut accipere queat ſine expreſſa vel ſaltem tacita Superioris licentia, ne quidem ad proprium uſum, ſive ex bonis communibus Monaſterii, ſive ex datis a conſanguineis, aut ab extraneo ſine gravi culpa contra votum, ſi res recepta ſit in ſufficienti quantitate ad mortale: Si tamen Superior ei deneget neceſſaria ad victum, veſtitum, curationem, iter ſibi a Religione præceptum &c. ſecundum cuiuslibet Religioſi conditionem, vel conſuetudinem Religionis, poteſt ipſe ſubditus abſque peccato clam accipere vel ex datis a ſæcularibus, vel ex bonis communibus Conventus, ac ſine licentia uti, quantum ſufficit ut ſuæ neceſſitati ſubveniat, quæ tamen reſpicit tantummodo ſuſtentationem individui, ut declaratum fuit a ſacra Congregatione Concilii, teſte Lezzanalt. 1. cap. 6. n. 14. Ex quo ſequitur; graviter peccare Superiorem, qui renuat dare ſubdito, cum poſſit, ea quæ ſecundum ſtylum ſeu conſuetudinem Religionis ſuis Religioſis pro victu, veſtitu, curatione &c. dari ſolent, cum det occaſionem Religioſo ut hæc ſibi provideat tali modo, quod valde dedecet Religioſum, & aperiat viam periculoſæ relaxationi voti paupertatis. Salmant.

Accipere ab extraneo ſine Superioris licentia rem vel pecuniam cuſtodiendam, eidemque quando petierit reſtituendam, vel pecuniæ ſummam in eleemoſynas erogandam, neutrum videtur directe & per ſe adverſari voto paupertatis, ac proinde videtur, ex vi voti paupertatis licentiam non requiri, quia in neutro Religioſus aliquid ſibi applicat vel acquirit. Dixi *ex vi voti paupertatis*, quia aliunde peccare poteſt contra votum obedientiæ, ob prohibitionem forte a Regulis vel a Superiore factam, & præcipue quoad primum, in Monaſteriis ordinatæ diſciplinæ imponi ſolet Religioſis, ne huiuſcemodi cuſtodiam ſuſcipiant; idcirco valde indecens id eſſet Religioſo ſine expreſſa Superioris licentia. Cuniliat.

Ex delicto particularis Religioſi ac eius contractibus, dum per ſe ut particularis egit, nullam Religio vel Monaſterium contrahit obligationem ſatisfaciendi eius debitis; quia delictum particulare non nocet Communitati, iuxta Regulam 36. iuris in 6. *Delictum unius alteri obeſſe non poteſt*. Teneretur tamen, ſi Monaſterium ſeu Religio ex ſui particularis Religioſi delicto commodum ſive utilitatem reportaſſet, ut ſi ex ipſius particularis furto vel iniuſtitia ditior facta fuiſſet; Religioſus tamen damnificatum reſarcire teneretur vel ex eius peculio ſi habuerit, ut in Religionibus perfectam vitam communem non ſervantibus, in quibus admittitur ut hoc medio ſuppleatur, vel per opera ſupererogationis facta, labores, ac induſtrias. Circa contractus vero his ſtare debet Religio, quos ex licentia tacita vel expreſſa Communitatis Religioſus inierit, minime vero aliis, quos ſecus inierit. Sic Leſſius & alii, quos citant hic Salmanticenſes.

## §. XVII.

*De altero modo peccandi contra paupertatis votum per rerum detentionem.*

Quoad rerum detentionem iam patet, quod non rei cuiuſcumque detentio paupertatis voto adverſetur, cum neceſſarium ſit Religioſo retinere veſtes, lectum, libros &c. dummodo hæc ad merum uſum, nec proprio nomine, ſed de Superioris licentia retineat, alias eſſet contra votum paupertatis, cum repugnet voto paupertatis aliquid retinere nomine proprio, ſeu independenter a Superioris licentia. Varia ſunt ſigna quibus affectio proprietatis dignoſcitur, videlicet ſi aliquid ſine dicta Superioris licentia retineatur, vel ſi habita licentia ita ſecreto detineatur, ut non facile a Superiore inveniri queat, ex timore quod id inve-

veniendo auferat: ita docent Suarezius, Valentia, Sylveſter, ſive res accepta ſit in donum ab extraneo ſive a Religione etiam commodata, præcipue ad longum tempus, & culpa erit gravis vel levis pro ratione materiæ, vel actionis, quia plus requiritur in mero uſu occulto rei, quam in eius diſtractione, puta alteri eam donando: Licet enim acquiſita non proprio nomine retineantur, in modo tamen ſe gerendi res a poteſtate Superioris ſubtrahitur; vel ſi res etiam cum licentia Superioris acquiſita cuſtodiatur clauſa ſub clavi, niſi talis cuſtodia conceſſa ſit a Superiore, quod tamen ubi præcipue talis mos, ſeu potius abuſus non inolevit, nonniſi ex graviſſima cauſa permitti debet, & ubi etiam invaluit, requiritur ut Religioſus ſit animo diſpoſitus ad omnem Superioris nutum aperire.

Licentia conceſſa irrationabiliter, ideſt ſine iuſta cauſſa Religioſo aliquid retinendi, (tametſi huiuſcemodi retentio non eſſet proprietatis crimen, eo quod fieret non proprio nomine, ſed nomine Religionis, & Superioris iniuſte quidem hoc concedentis) cauſſat peccatum grave vel leve tam in retinente quam in concedente, quatenus materia gravis vel levis eſt in ſua quantitate contra votum paupertatis. Et hoc contingit circa bona quæ ſuperflua ſint perſonæ ac ſtatui Religioſo. Sic Navar. cum Card. Alexandrino, S. Antonin., Turrecremata in cap. *Non dicatis*, & alii. Invalida eſt enim licentia iniuſte conceſſa ab homine circa ea quæ ſunt Iuris altioris ordinis ab humano, ideſt naturalis aut divini, cuiuſmodi ſunt ea quæ ſpectant ad votum paupertatis, quod eſt iuris divini, ut eſt conceſſio retinendi ſuperflua. Nam ſi abundantia quæ nimia ſit repugnat paupertati, plane a fortiori id concludendum erit de ſuperfluitate, quam laicis ipſis prohibuit Chriſtus Dominus; cui abuſui conſuluere ſuo decreto etiam PP. Concilii Trid. ſeſſ. 25. *de Regularib.* cap. 2. ubi iubetur ſub pœna per biennium privationis vocis activæ & paſſivæ, & aliis iuxta Ordinum Conſtitutiones, ne Religioſus quid retineat ſuperfluum in ſupellectili ſtatui paupertatis non conveniens, nec ſuperiores quidquam ſuis ſubditis ultra talem convenientiam permittant. Idcirco peccant graviter iuxta rationem materiæ tam Superiores concedentes, quam Religioſi ſubditi retinentes utenſilia argentea, ſive ex alia materia pretioſa, tam pro tabacco, quam pro menſa, & pro aliis quibuſvis privatis & domeſticis uſibus, quando alia haberi poſſunt ſtatui pauperum convenientiora, nec minus utilia. Et cum inter mobilia pretioſa recenſenda ſint horologia parva, quæ ſecum in perula feruntur, nemo non videt, quod horum detentio & uſus reſpectu illorum qui his opus non habent ad temporis diſtributionem, ut ſunt Lectores, Studioſi, aliique Conventus Miniſtri, quibus maxime accommodat pro eorum officiis ſcire identidem quæ hora ſit, nemo non videt inquam alius eſſe mobile ſuperfluum, & multo magis pro ipſius pretioſitate repugnans voto paupertatis, ac proinde Religioſo inconveniens. Cæterum, mihi videtur parum referre ſive horologium ſit cum capſula argentea, ſive ex viliori metallo, tum quia argentum ex quo huiuſmodi capſulæ efformatur, eſt inferioris notæ, parvæ quantitatis, idcirco levioris valoris; ita ut vera ipſius pretioſitas proprie, ne dicam unice, computatur ex eius artificio, non ex materia, tum quia fere omnia quæ perfectioris ſunt artificii, incluſa ſunt in capſulis argenteis vel alterius pretioſæ materiæ, ac ideo valoris fere æquivalentis. Nihil autem iuſtificat excuſatio circa utenſilia pro tabacco vel menſa, argentea diutius duratura, quia ſtatus paupertatis hæc non reſpicit, ſed id quod confert ad decentiam vitæ pœnitentis, humilis, ac pauperis.

Graviter itidem delinquunt tam Superiores concedentes vel permittentes, quam ſubditi veſtes habentes ſæculares, ut larvati diſcurrere poſſint per Civitates ſeu loca, non ſine maxima indecentia ſtatus Religioſi, qui eſt ſtatus pœnitentiæ, non ſolatii, ac cum graviſſimo periculo puritatis mentis, & forſan non raro etiam corporis, cum huiuſcemodi habitus transfiguratio ponat Religioſum in libera facultate per loca omnia, etiam inconvenientia circumvagandi, ubi patent peccandi occaſiones, quas ſæculares ipſi, qui aliquo Dei timore ſunt perculſi, ſolicite effugiunt. Nihil profecto cenſeri poteſt magis ſuperfluum Religioſo ac paupertatis voto repugnans quam huiuſcemodi veſtium detentio.

## §. XVIII.

*De modo peccandi contra paupertatem per uſum.*

Uſus quicumque non ſolum iuris, ſed etiam facti, uti nempe rebus conceſſis, cum dominio & pro omni libitu ſuo, ut manifeſtiſſime patet, eſt uſus proprietarius, & prot-

ſus

ſus repugnans voto paupertatis; idcirco Religioſo omnino veritus eadem ratione qua ipſi dominium prohibetur. Quid referret Religioſum dominio rerum ſe expoliare, quando tamquam dominus, & ad eius placitum iiſdem uti poſſet? Ideo enim uſus independens ab alterius poteſtate, & proprio arbitrio exercitus dicitur uſus proprietarius, ut notat Suarezius, quia proprio nomine & auctoritate exercetur, quando nempe abſque eo quod interveniat auctoritas Superioris, qui facultatem ſeu licentiam præbeat, exerceatur. Unde Religioſo graviter vel leviter iuxta materiæ rationem illicitum eſt donare, commutare, deſtruere, commodare ſibi conceſſa, non ſolum extra, ſed intra Religionem quoque ſine Prælati licentia: nam quod conceſſum eſt ad unum determinatum uſum, adhiberi nequit in alio uſu etiam honeſto; puta commodare, commutare &c., quia diſponere de re præter uſum ſibi conceſſum eſt actus dominii, idcirco proprietatis, omnino repugnas voto paupertatis, quod omnem adimit facultatem habendi proprium, ac ideo actum talis facultatis: ablata enim facultate ad aliquid, nemo non videt, a fortiori tolli, ideſt impediri ipſius actus. Quare graviter delinqueret Religioſus, qui notabilem pecuniam ad unum talem uſum ſibi conceſſam; puta pro emendis libris, in alium uſum expenderet non obtenta Superioris facultate, ac proinde multo minus ſine licentia poterit eam alteri donare, commodare, & ſic dicito de aliis; cum Religioſus ius habeat (ſemper tamen dependens) utendi rebus ſibi conceſſis in ſuum tantummodo, & minime in alterius commodum. Uſuarius autem uſum rei ſibi conceſſum in alterum transferre nequit; hoc enim eſt proprium uſufructuarii ut ex *Inſtit. de uſu & habitu*. Unde iuxta Layman a fortiori illicitum eſt Religioſo ſecum auferre, ſeu alteri dare ſine generali licentia uſu ipſo expreſſa vel inducta in rebus huiuſmodi eſculenta aut poculenta, quæ ſingulis in menſa apponuntur, eo ferme pacto quo aliquos quis convivio excipiens, non eis facultatem ſeu arbitrium impartitur, ut aliquid ex dapibus appoſitis ad alios tranſmittant, aut ſecum ad ſuam domum deferant. Nec illum excuſare poſſet, quod aliis tribueret quæ ſua parſimonia reſervavit, quia res iſtiuſmodi eidem dantur ut ipſe eas ad ſuam ſuſtentationem abſumat, & quidquid ei ſuperſit, in Monaſterii bonis remaneat. Sentiunt enim communiter DD. teſte Suarezio, Religioſum licite non poſſe abſque ſui Prælati licentia donare ſive intra ſive extra Religionem quidquam ex iis quæ ſibi ad uſum ſunt conceſſa, ſeu aliquid de quantitate ſive cibi ſive pecuniæ pro ſui ipſius uſu ſibi conceſſorum ſubtrahere, ut alteri quoquo modo tribuat, licet ipſe poſſit eas res conſumere; quia ei conceditur dumtaxat talis uſus facti pro ſe, ac proinde præter illum nequit ullum alium uſum non ſibi conceſſum vindicare, alias ſe gerit ut dominus. Nec nullatenus ei ſuffragatur ſua parſimonia in aliqua portione ex ſibi conceſſis ſervando; quia eo ipſo quod parce utendo ſervat, ipſi Religioni ſervat, ex eo quod ſemper Monaſterio acquirat Monachus, quidquid quomodocumque acquirat; igitur æque dicendum ſi ſervet. In aliquibus tamen caſibus contrarium ſentit P. Henno, præcipue quando agitur de converſione uſus accepti in exercitium pietatis vel alterius virtutis; puta ſi Superior det pecuniam Religioſo ſtudioſo pro alimentis in Academia neceſſariis, iter agenti pro ſumptibus itineris, vel ob honeſtas recreationes, reſiduo ſcilicet poſſe uti inferiorem vel meritorie in eleemoſynam, vel religioſe ad pietatem, vel honeſte in gratitudinem; quia illa non datur ſub reſtrictione indiviſibili ad expenſas phyſicas. Excipe tamen, niſi exceſſus ſit gravis, vel niſi datum fuiſſet abundanter pro ſumptibus aut negotiis incertis, ſicuti fit reſpectu Procuratorum &c. Item, eum cui conceduntur eſcæ, potus, pharmaca, conſervæ &c., poſſe ſuis Fratribus illa communicare, immo & extraneis pauperibus, niſi obſtet obedientia; quia pluribus in locis ad vitandos abuſus non permittitur Religioſis particularibus diſtributio, etiam proprii Ferculi. Sic P. Henno.

Religioſus, qui ſæpe ſæpius aliquid leve recipit, inſumit, impendit, donat, ac deſtruit ex bonis ſive Communitatis ſive aliunde ipſi obvenientibus, licet hæc ſint eſculenta vel poculenta, & hoc ſemper facit animo perſeverandi, ac tali medio notabilem quantitatem ad quemvis uſum ſibi comparandi, non ſecus ac fit in furto, quando ſcienter pervenit ad quantitatem, quæ ſatis eſt ad furtum mortale, reatum lethalis peccati contrahit; cum currat ratio eadem ac in furtis minutis, & proinde ultima acceptione, ſeu abſumptione, vel donatione quantitatem complet notabilem furti ac proprietatis. Dixi *licet ſint eſculenta & poculenta*, cum hæc ſint pretio æſtimabilia, &

circa

circa earumdem acceptiones ac conſumptionem Superior debet eſſe graviter invitus, rum quoad modum, tum quoad ſubſtantiam, quia ex uno tollitur diſciplinæ Religioſæ dependentia, ex altero mortificatio, & fovetur ſenſualitas, quæ multum impedit perfectionem, quam impenſe colere tenentur Religioſi. Ut iu his tamen incurratur mortale, oportet ut quantitas eadem ſit, quæ in eſculentis & poculentis reſpectu famulorum requiritur ad mortale. Nec circa hoc dubium occurrere poteſt, quando ſaltem tales acceptiones eſculentorum & poculentorum ſine rationabili cauſſa a Religioſo perpetrentur. Quocirca peccat quoque contra paupertatis votum Religioſus, qui invitatus a ſæculari, apud ipſum abſque eo quod licentiam a quo Superiore obtinuerit, propria voluntate & auctoritate manducat ac bibit; quia, ut homines communiter ſentiunt, comeſtio & potatio eſt activus uſus facti rei temporalis pretio æſtimabilis in proprium commodum, qui uſus proinde independenter a Superiore, cum ſapiat dominium, ratione voti paupertatis illicitus eſt Religioſo, non ſecus ac cuicumque comeſtio & potatio ex alienis ſine conſenſu earumdem rerum domini. Ita inter alios Suarez, Sanchez.

Religioſus tenetur eam adhibere diligentiam, curam in conſervandis rebus ad ipſius uſum conceſſis, & moderationem in conſumptibilibus, quam obſervare ſolent viri prudentes ac ſoliciti in rebus ſuis, cum habeat obligationem uſuarii, cui precario uſus alicuius rei conceditur, ſalva rei ſubſtantia: negligere enim rei curam, aut pro libitu deteriorem reddere ſive conſumere, eſt actus independentis ſeu pleni dominii. Quoad res vero uſu ipſo conſumptibiles, ut veſtis, oleum &c., tribuuntur Religioſo ad conſumptionem neceſſariam ac utilem tantummodo, non vero ad immoderatam dilapidationem Conventui damnoſam, ſive ad deſtructionem ex negligentia acceleratam. Hinc graviter vel leviter pro ratione materiæ peccat Religioſus contra uſum rerum quæ ſibi ad uſum conceſſæ ſunt, ſi ex incuria illas perdat, ſi ſinat eas a tineis corrodi, deteri vel marceſcere, ſi tanta ſocordia illis utatur, ut ex indiſcreto modo eis utendi cauſſa ſit citius eas conſumi, aut in maiori copia; & eo facilius plane videtur graviter circa hoc delinqui in Religioſis domibus, ubi cum ſervetur vita communis, Religioſi ex communi ſuo Monaſterii penu quoad omnia providentur; quia præterquamquod qui nullatenus attendunt ne res ſibi ad uſum conceſſæ plus æquo āc celerius inſumantur, ingratos erga Religionem ſe exhibeant, & votum paupertatis violent, poſſunt etiam eſſe cauſſa, quod ob detrimentum quod ex tali modo agendi Religioſorum patitur Monaſterium, aliquando non ſatis ſit ad concedendum alicui Religioſo quantum opus eſſet ut neceſſitati ſuæ provideretur, & quandoque ipſi integræ Communitati, quod ſolet eſſe occaſio turbationis ac alicuius laxitatis in perfecta obſervantia voti paupertatis, ideſt vitæ vere communis, quia ex deficientia ſubventionis in ſuis neceſſitatibus in Communitate facillime contingere poteſt, ut Religioſi vel ipſis communibus bonis Monaſterii furtim quod ſibi opus eſt ſurripiant, vel aliunde ab extraneis illud exquirant; & ſic aperitur via laxitati, quæ paulatim invaleſcit, & periculo æternæ Religioſorum perditionis. Ex hoc enim ortum habuit deſertio vitæ communis in Ordinibus, ubi hæc non amplius perfecte ſervatur, non ſine gravi diſcrimine Regularis obſervantiæ ac perfectionis.

Itidem nequit Religioſus vi voti paupertatis valide aliquid impendere in uſus turpes, vanos, ſuperfluos ac profanos, & Religioſo ſtatui dedecentes, ut magis ſapiant ſæcularis divitum vanitatis, quam paupertatis, humilitatis ac moderationis, quæ ſunt character & profeſſio Religioſorum. Votum enim paupertatis, ut notat Lugo, non ſolum exigit, ne Religioſus utatur re aliqua pretio æſtimabili ſine Superioris diſpenſatione, ſed ut etiam ſtatum pauperis ſervet, ac ſe caveat a ſumptibus, quos pauperes non decent ſecundum Religionis inſtitutum. Nec excuſare poteſt ſuperfluitatem, quam in uſu exerceat Religioſus, licentia ita agendi a Superiore obtenta, cum Superior talem uſum nec licite nec valide concedere valeat, ſicuti docent cum aliis Navarrus, Sanchez, Lugo, Laymanus, & quia, ut ratiocinatur P. Antoine, repugnant huiuſcemodi uſus ſtatui pauperis, & quia a ſacris Canonibus interdicitur, & quia Superior non eſt dominus bonorum Communitatis, nec eorum quæ dari contingat Religioſo, ſed merus adminiſtrator ſecundum Canones, & Regulas Ordinis. Iura autem & Decreta quæ ediderunt ac confirmarunt Summi Pontifices, qui ſunt Religionum omnium ſupremi Prælati, concedunt Superioribus Religioſorum Ordinum adminiſtrationem dumtaxat ad uſus neceſſarios &

pios,

pios, ac ſtatum Religioſum decentes, vetantque quidquam in profanos uſus expendi; idcirco nullam Superior habet facultatem concedendi licentiam ad huiuſmodi uſus. P. Antoine.

Hinc Religioſus expendens quid notabile, etiam cum Superioris licentia, in uſus vanos, profanos ac ſuperfluos, puta in convivia, ludos, vanas picturas, res ſumptuoſas, pretioſas veſtes ſericas, vel ad larvam intervientes, aliaque ſtatui Religioſo indecentia, vel de bonis Monaſterii, vel de aliis in ſuum uſum conceſſis laute vivens, & epulans, peccat plane contra votum paupertatis, cum conceſſio ad tales uſus Religioſæ vitæ repugnantes prorſus nulla ſit. Ille vero qui ludendo aliquid notabile lucratus eſt a Religioſo, illud reſtituere tenetur Religioni, non ſecus ac ſi accepiſſet a fure. Igitur quidquid generatim Religioſo ad ipſius uſum Superior concedit, ſive pecunia ſit, ſive aliud, ſemper intelligi debet conceſſum ad uſus tantummodo honeſtos, neceſſarios, vel utiles, qui ſtatui Religioſo ſint decentes, nam aliter nec licite nec valide concedi poteſt licentia. Antoine.

Cum autem facta ſit mentio de ludo, cenſeo in tali propoſito non prætereundum hic aliquid dicere, & quid de tali occupatione ac uſu pecuniæ tradant Theologi, ut tam Religioſi, quam eorumdem conſcientiarum Moderatores ſciant quæ ſcopula in huiuſmodi occupatione incurrere poſſint Religioſi. Et circa ludos alearum, vulgo apud Italos *di fortuna*, & præcipue chartarum, quantum dedeceant ex ſacris Canonibus, Ordinumque Conſtitutionibus ac ſtatus Regularis ratione, manifeſtiſſime patet, ideſt quantum otioſa ac periculoſa ludendi occupatio decentiæ eccleſiaſticarum perſonarum, & multo magis Religioſorum repugnet, ac proinde, ut communiter ſentiunt DD. & inter recentiores Paſſerinus, Rotharius minime ſuſpecti de doctrinæ ſeveritate, Religioſi ludis aleæ ac chartarum maxime frequenter incumbentes culpam lethalem non effugiunt. Rotharius enim, qui etiam benigne agit, indulgendo ſcilicet aliquando Regularibus chartis ludere, tom. 2. lib 3. cap. 1. punct. 12. cap. 13. & 14. ſic ait: *Secus dicendum, ſi ſæpe vacarent dictis ludis; nam tunc difficile excuſarentur a mortali, etiamſi luderent* (nota) *ſine ſcandalo, ut ex communi Doctorum teſtatur Lezzana verb. ludus* n. 4 *Erit autem frequens ludus, & ludens dicitur conſuetudinarius, ſi ſemel in hebdomada hoc fiat*, reſolvit Bordonus reſolut. 33. n. 3. & Giribaldus gravibus verbis invehit in Religioſos *ludentes ludis vetitis alearum, taxillorum, cauſſa lucri. Sive hoc faciant* (ait Roſſignolus) *neſcientibus, ut communiter contingit, Superioribus, ſive etiam videntibus, & non contradicentibus, abominabile hoc vitium eſt, ut Religioſum ſtatum & perfectionem evertat, ſanctitatem comminuat, vota diſrumpat. Heu! Quam gravibus pœnis apud ſupremum Dei tribunal obnoxii erunt, nedum Religioſi ludentes, ſed Superiores etiam ſcientes, corruptelam hanc non reſecantes, quæ cedit nedum in animarum perniciem, ſed etiam in Religionis everſionem*. Unde evidentiſſime ex dictis ſequitur, quod præciſa etiam quavis lege hoc vetante, ſecluſo itidem ſcandali periculo, etiamſi ingens pecunia ludo non exponatur, tamen conſuetudo ludendi in Religioſo excuſari nequit a mortali, utpote nimis repugnans ſtatui Religioſo, qui eſt ſtatus non voluptatis ſed pœnitentiæ & mortificationis, unde ſacri Canones perſonas Religioſas *lugentes* appellant, flentes nempe ac dolentes de propriis aliorumque peccatis.

Quare ex his deducendum, ſicuti concludit cum communi Paſſerinus cit. hic a Rothario, quod ubi in aliqua Religioſa Communitate irrepſerit damnabilis abuſus ludendi, præſertim aleis, ſeu ludis, qui plus habent de caſu & fortuna quam de induſtria & ingenio, graviter incumbit vigilantiæ ac ſollicitudini Prælatorum, nedum in Religionibus obſervantioribus, ſed in quavis Religione, non permittere ut introducantur, & introductas huiuſmodi peſtes, ſcilicet ſupradictos ludos voluptuoſos, omni conatu extirpare, nulla conſuetudine obſtante, iuxta Concilium Trid. ſeſſ. 22 cap. 1. *de Regular.* ita ut graviter peccent ſi tam peſtifero malo providere negligant. Etenim manifeſtum eſt, quod per uſum horum ludorum ſub prætextu recreationis Fratrum ſternitur via ad diſſolutionem Religioſi ſtatus ac perfectionis, & præcipue everſione ſanctæ paupertatis. Et quod dicitur de ludis fortunæ, taxillis vel chartis, ſecundum communem Theologorum intelligendum eſt de quovis alio ludo chartarum, etiam dependente a magno ingenio & induſtria, cum ludi quicumque chartarum maxime cupiditati & avaritiæ deſerviant, & quia de uno ad alium facilis eſt tranſitus, & ludi huiuſmodi de facili in ſecreto haberi poſſunt, & valde diſtrahere animum Religioſorum a ſtudiis & exercitiis ſpiritualibus,

ac

Digitized by Google

ac proinde, concludit Rothatius, difficile eſt quod poſſit in Regularibus dari conſuetudo ludendi aliquo ludo chartarum, quæ non ſit abuſus; idcirco ſemper hujuſmodi ludos chartarum mortales ſapientiſſime cenſet cum communi P. Fulgentius, niſi forſitan parvitas materiæ, nempe breviſſimi temporis & magnæ raritatis excuſet, eo quia & jura eccleſiaſtica nimis contra eos urgeant, & hujuſmodi ludi nimis Regulari ſtatui adverſentur, & Regulares obligationes, præcipue ſtudium perfectionis exterminent. Nec DD. ita ſentientes inculpandi ſunt nimiæ ſeveritatis, cum non deſint, ut ipſi aiunt, alii ludi honeſti & non vetiti, cum poſſint ludere Religioſi teſſetibus, ſcacchis, pila honeſtæ recreationis gratia, pro eo tamen tempore tantummodo, quo reſpectu tum circumſtantiæ tum quantitatis ſine detrimento Regularis diſciplinæ Superiores exiſtiment expedire.

Quoad ſummam vero ſeu quantitatem pecuniæ quam exponere poſſit Religioſus ludo, licet conſultius eſſet ac ſecurius nihil pecuniæ ludo exponere, ob facile diſcrimen violandi paupertatis votum, etiam ſuppoſita Superioris licentia, & nullam omnino exponere queat, nequidem ex iis quæ de induſtria ſeu parſimonia ſibi reſervavit, in Ordinibus ubi prorſus vivitur expenſis Monaſterii, cum de re pretio æſtimabili ad arbitrium ut dominus nequeat diſponere, & ne quidem de illis eleemoſynas facere, quia omnis reſervatio ac parſimonia Monachi cedit in utilitatem Monaſterii; credunt tamen aliqui, quod in Ordinibus, ubi cum non ſervetur perfecta vita communis, permittitur uſus peculii ſeu ex livellis ſolutis a parentibus, ſive ex acquiſitis &c., aliquid ludo exponi poſſit. Verum non levis difficultas verſatur circa quantitatem quam Religioſus exponere poſſit, & communior eſt, quod niſi a Regulis vel a Superiore vetitum ſit, exponi poſſit ex tacita licentia quantum conceditur uti de peculio permiſſo ad moderatam ipſius Religioſi ſuſtentationem. De præciſa tamen quantitate ſuſtinent Donatus & Paſſerinus dari non poſſe certam regulam, ſed colligendam eſſe quantitatem moderatam, ſtatum paupertatis non excedentem, & præcipue attendendum, an in aliis honeſtis recreationibus cum licentia Superioris Religioſus de peculio ſibi ad uſum conceſſo, expenderit, cum non deceat, pauperem in diverſis recreationibus multiplicare eodem anno modicas expenſas, quæ ſimul ſumptæ patrimonium divitis æquatent. Quod tamen ut certiſſimum in re hac docent communiter DD. eſt, Superiorem tradere non poſſe ſubdito licentiam exponendi ludo immoderatam ſeu notabilem quantitatem. Ita Molina, Azor. Leſſ. Donat. Paſſerin. D. Antonin. Auſen. Petrus Navarrus aliique communiter.

Procuratores, œconomi ſeu Cellerarii, & alii qui ſimilia exercent miniſteria, nequeunt quidquam dare, alienare, expenſas facere pro libitu, ſed ſolum ſecundum Regulas Inſtituti, Superioris voluntatem, & prout ratione ſui officii eis commiſſum eſt. Quare inferunt DD. Procuratorem mortaliter delinquere contra votum, ſi quid notabile impendat in alios uſus præter deſtinatos a Superiore, tametſi licitos ac Communitati deſervientes, ſine expreſſa aut ſaltem præſumpta Superioris intentione, quia ſe gereret ut dominus. Similiter deſignatus rerum aliquarum diſpenſationi, non alio modo eas diſtribuere poteſt, niſi ſecundum Regulæ præſcripta & Superioris voluntatem, ita ut nec aliud, nec plus vel minus, meliora vel deteriora det, quam ſcit Superiorem velle, & ſi alias agat, ideſt arbitratu ſuo, non ſecundum Superioris placitum, in diſpenſatione vel expenſis, non ſecus ſe gerat ac ſi eſſet dominus, procul dubio in labem incidit proprietatis: Etenim juxta Suarezium aliosve, quidquid agitur ſine licentia ſibi conceſſa, ſed ex proprio arbitrio, eſt actus domini, ac ideo proprietarii, *Oportet*, (ait S. Thomas 2. 2. q. 32. art. 8.) *quod ea in quibus inferior Superiori ſubiicitur, diſpenſet non aliter quam ei ſit a Superiore commiſſum*.

Prælati pariter Religionum in proprietatis crimen incidunt, immo etiam injuſtitiæ, grave vel leve pro materiæ ratione, ſi ultra quod Conſtitutiones ſeu Regula ſui Ordinis, conſuetudo, Pontificum decreta, aut ſuperiores Prælati eis permittunt, de bonis Monaſterii expendant, vel donent. Et multo magis graviter peccant contra votum, ſi quid notabile donent ſeu impendant in uſus vanos ac ſuperfluos, & alienatio eſt irrita, idcirco obnoxia reſtitutioni. Et ratio eſt manifeſta; quia nempe Prælati non ſunt domini, ſed miniſtratores dumtaxat rerum Monaſterii, ut eas expendant in Religionis commodum & utilitatem, ac in pios uſus, ut conſtat ex cap. 2. *de donat.* & non ſecus ac alii Religioſi ſibi ſubditi, voto paupertatis obſtringuntur. Nec ullatenus poteſt eis ſuffragari, conſenſum recepiſſe a Conventu; quia tametſi Conventus iſtorum bonorum dominium habeat, per votum tamen

pau-

paupertatis, decreta Eccleſiæ, & donatorum ſeu benefactorum intentionem reſtrictum eſt ac limitatum ad pios & neceſſarios uſus, & præcipue ac principaliter ad honeſtam Communitatis ſuſtentationem cuiuſcumque Religioſi conditioni accommodatam, dando ſcilicet prout cuique opus eſt, ſicuti iuxta œconomiam edoctam in Actibus Apoſtolorum Regulæ omnium Ordinum præſcribunt.

Quænam vero quantitas cenſenda ſit ſufficiens ad violationem voti paupertatis, non eſt ita facile definire. Hinc variæ circa hoc exortæ ſunt inter DD. ſententiæ. Communior vult, eam quantitatem ſufficere ad mortale contra paupertatis votum, quæ ſatis eſt ut furtum ſit mortale: Quia hoc crimen proprietatis ſe habet ad inſtar furti, utpote quod eſt ſurreptio rei, vel uſus, ſive alienatio ac conſumptio rei ſine Superioris conſenſu, a quo res illa dependet, idcirco iniuſta ac ſufficiens ea ſaltem eſt, quæ ſpectata in ſe & abſolute notabilis cenſetur nullo habito reſpectu ad perſonas. Dico *ſaltem* cum non deſint qui credunt, quantitatem minorem ſufficere; falſum eſt enim, Religioſum in hoc æſtimandum eſſe ut filiumfamilias, cuius reſpectu maior quantitas requiritur in ipſius furto ex bonis paternis, quam in furto extranei, eo quod putetur plus exigi in furto filii ut pater ſit rationabiliter invitus. Hinc gravitas furti Religioſi ſecundum aliquos non menſuratur præciſe ex damno temporali, ſicuti furta filiorumfamilias, ideſt non ex quantitate rei in ſe, ſed multo magis ex damno ſpirituali Religioſæ diſciplinæ, nempe ex quantitate iſta comparata voto & diſciplinæ Regulari, quæ viget in Monaſterio: Comparata voto, cum violatio voti non attendatur relative ad omiſſionem quantitatis rei in voto promiſſæ, ſed relative ad omiſſionem promiſſi in ordine ad divinum cultum ſupremo Numini facti: Comparata diſciplinæ Monaſterii, quia ubi viget diſciplina & exacta vita communis, profecto minor quantitas ſufficit ad mortale, quam in Monaſteriis, ubi diſciplina non ſit in viridi obſervantia, & collapſa ſit perfecta vitæ Communitas; ex quo factum fuit, ut huius circumſtantiæ neceſſitate peculii uſus induceretur, ut Religioſi aliqua via haberent ea quæ ad honeſtam ſuſtentationem, iuxta præſcriptum Concilii Trid. integrè non providentur a Religione. Gravitas vero culpæ qua ſine licentia uſurpatur uſus rei, quæ eodem uſu non conſummitur, menſuranda eſt ex talis uſus æſtimabilitate ac temporis diuturnitate. Anton. Cunil.

Circa vero licentiam Superioris, de cuius neceſſitate, ut Religioſus licite re quacumque uti valeat, mentionem fecimus, hæc debet eſſe vel expreſſa, vel implicita, quæ ſcilicet virtualiter ac implicite continetur in alia expreſſa vel tacita, quæ rei cognitionem in Superiore ſupponit, & quæ ex circumſtantiis adeſſe indicatur, ut quando Prælatus, qui ſcit ſuos ſubditos aliquid recipere, retinere, donare &c. non prohibet cum facile poſſit; tunc enim tacite conſentire videtur. Secus vero ſi difficile eidem eſſet tales uſus impedire, quia, puta, timeret contumaces turbas excitare ſuis querelis, quæ Religioſam domus pacem turbarent. Nam tunc tolerat, minime concedit, ac proinde tranſgreſſores non excuſantur a culpa. Non ſatis eſt ut licentia ſit tantum debita, ſed talis requiritur, quæ probabiliter præſumatur non deneganda, vel quæ iniuſte & irrationabiliter denegetur; Quia tunc diſpoſitio & uſus vere & de facto eſſet ſine licentia Superioris, & fieret independenter ac proprio nomine. Nam voluntas debita nulla voluntas eſt, quando de facto contraria ineſt. Unde quamvis Prælatus denegans forte graviter peccaret contra iuſtitiam, charitatem, aut pietatem, Religioſus contra talem denegationem agere nequit; quandoquidem nihil eſſet pernicioſius diſciplinæ Regulari ac voto, quam ſibi perſuadere licentiam iniuſte ſibi denegari: quiſque enim ſibi facile perſuaderet licentiam ſibi irrationabiliter ac iniuſte denegari. Tunc quidem Religioſus non peccaret agendo contra iniuſtam denegationem licentiæ, quando denegaretur pro actione, cuius omiſſio efficiat Religioſum deficientem contra præceptum graviter obligans in materia iuſtitiæ vel charitatis; quia votum nequit eſſe ligamen iniquitatis. Cunil. hic. Hinc requiritur, ut licentia obtinenda a Superiore, voluntarie omnino ab ipſo concedatur, ideſt non ſit obtenta per vim, metum, fraudem, nec procedat ex errore; ita ut, ſicut cum Suarezio, Sanchez, Lugo aliiſve docet P Antoine, ſi importunis ac moleſtis ſolicitationibus, querelis, minis, vexationibus, metu, fraude, dolo, fictione cauſæ allegando falſum, vel reticendo verum aliquid a Superiore impetret Religioſus, idcirco ſolum permittente ut ab illius moleſta importunitate ſe liberet; vel quia timet maius malum, aut ne ſubditus querelas aut murmurationes in Communitate diſſeminet, talis Religioſus eſt

paupertatis violator, perinde ac ſi licentia non fuiſſet obtenta; quia hæc licentia cum non ſit voluntaria, non eſt licentia, ſed mera tolerantia extorta, ideſt violentia, vel ſi ſit licentia, ſed ex errore conceſſa, eſt ſubreptitia vel obreptitia, cum error & ignorantia faciat ut licentia non ſit voluntaria, ideoque ut ſit nulla. Idemque dicito ſi licentia abſquè rationabili cauſſa concedatur; quia tunc nec Superior nec inferior tutus eſt in conſcientia, cum tales conceſſiones corrumpant mores Religioſorum, ac nimis in dies relaxent Religiones; tum quia Superiores ſunt diſpenſatores, & non diſſipatores bonorum Communitatis ſeu Conventus.

Tametſi modus regulariter procedendi exigat, ut quando moraliter haberi poteſt licentia, ſit expreſſa; nihilominus generaliter loquendo non eſt neceſſe ut talis licentia ſemper ſit expreſſa, ſed ſufficit aliquando etiam tacita & rationabiliter præſumpta, & hæc reſpectu rerum levis momenti & crebro occurrentium currit etiam in Religionibus bene ordinatis. Taciti enim & expreſſi eadem eſt virtus & iudicium cap. *ex parte* 2. *de reſcript.* & alibi in iure. Unde in illis Religionibus & Monaſteriis, ubi viget legitima conſuetudo aliqua recipiendi, retinendi, expendendi, donandi, & huiuſmodi ſine expreſſa Superioris licentia, excuſantur Religioſi ac Religioſæ a crimine proprietatis ratione licentiæ tacitæ cap. *Cum olim* 6. cap. *cum dilectus* 8. & alibi. Non eſt neceſſe ut licentia detur toties quoties caſus occurrerit; ſed ſufficit abſoluta ſine limitatione conceſſa ſaltem pro tempore eiuſdem Superioris eam concedentis, niſi aliter conſtet de eius voluntate: Quia cum talis licentia ſit ſemper revocabilis, ſemper ſalvatur quod Religioſus diſponet de rebus ſibi conceſſis cum facultate & licentia Superioris. Immo licentia conceſſa ſub uno Superiore perſeverat etiam ſub alio, niſi ab ipſo ſucceſſore expreſſe vel tacite revocata fuerit; quia gratia non expirat mortuo vel amoto ab officio concedente cap. *Si ſuper gratia* 9. *de offic. deleg.* in 6. & alibi.

Licentia præſumpta ſeu interpretativa non ſufficit, niſi quando res & cauſſa urgent, & tunc Superior adiri nequeat; ita ut cenſeatur non velle ut eius licentia expreſſa requiratur, vel concedere licentiam quamvis non petatur. Sic *Leſſius* & P. Antoine cum aliis. Etenim ſatis non eſt quod licentia daretur ſi peteretur, quia cum conditio illa non ponatur in re, non ponitur id quod ex ea ſequeretur. Sic non ceſſat obligatio legis, quia Superior in ea diſpenſaret ſi rogaretur. Præterquamquod ſi facile locus daretur licentiæ præſumptivæ ſeu interpretativæ, ſemper, aut fere ſemper inferiores ſine actuali dependentia de rebus pro libitu ſuo diſponerent, & ſic everteretur ac diſſolveretur Regularis diſciplina cum gravi ſpirituali damno Religionis. Igitur ad mortale vitandum non ſufficit quod Superior concederet licentiam ſi peteretur; ſed requiritur expreſſa, ſi res differri, aut Superior adiri poteſt, ubi mos eſt, ut expreſſa petatur, vel tacita ſaltem ubi huiuſmodi conſuetudo eſt in uſu.

Porro qui rem ex præſumpto conſenſu accepit, tenetur poſtea ubi primum poteſt, petere licentiam, ut eam retinere queat, cum licentia requiratur non ſolum ad recipiendum, ſed etiam ad retinendum. Sic Rotar. cum de Lugo.

Circa Superiorem vero a quo petenda ſit licentia quoad Religioſos ſubditos in iis quæ non ſunt vetita a iure retineri, aut diſponi a Religioſo, certum eſt (ſic docent Theologi, inter quos Rotarius) in omni Conventu eſſe Superiorem localem, in tota Provincia Provincialem, & Generalem in tota Religione. Et hoc intelligendum de uſu & diſpoſitione, quæ ordinarie ad diem occurrunt; quia in re magni momenti, puta ſi agatur de diſpoſitione v. g. venditione rei pretioſæ, vel pecuniæ in multa quantitate, adeunda eſt ſacra Congregatio; quia cum tales diſpoſitiones a iure vetitæ ſint, non tenet in bis licentia Superioris ſive immediati ſeu localis, ſive mediati ideſt Provincialis vel Generalis. Melius fuſiuſque videri hæc poſſunt in Rotario, Paſſerino & aliis, qui ex profeſſo rem hanc pertractant.

Religioſus qui ſine Superioris conſultatione rem ſibi liberaliter oblatam recipere renuat, ſecundum Sanchez, alioſve non peccaret contra paupertatis votum, cum vi illius non ſit obnoxius ad acquirendum Religioni, ſed ad non recipiendum, alienandum, utendum ſine Prælati licentia. Poterit peccare quidem contra charitatem bonum Religionis ſine iuſta cauſſa impediendo, dum rem illam acceptando eam Religio adipiſcebatur. Verum nullam incurrit culpam, ſi donum illud non neceſſarium Religioni ex iuſta cauſſa recuſet, puta ut ſit magis liber ad miniſteria ſua obeunda ad maiorem proximi ædificationem.

Religioſus, qui ſive extraneis, ſive Religioni nocumentum attulerit, ipſius bona vel

ſibi

ſibi vindicando, vel deſtruendo, vel alio modo damnificando, quantum & quatenus poteſt, tenetur compenſare ex iis, de quibus in alios uſus ei diſponere conceditur, vel expenſas imminuendo, quas ex bonis Monaſterii licite facere poteſt, niſi dominus vel Prælatus debitum pro illatis damnis ei remittat. Omnis enim iniuſta damnificatio iure naturali reſarciri debet quantum fieri poteſt, niſi ab iis ad quos ſpectat condonetur. Sic P. Antoine cum de Lugo & aliis.

Cæterum, ad dignoſcendum quando reus fieri poſſit Religioſus contra paupertatis votum, monet de Lugo inſpiciendas eſſe leges ac regulas cuiuſque Inſtituti. Nam fieri poteſt ut quod forte non repugnat Religioſæ paupertati generatim inſpectæ, adverſetur paupertati ut eſt propria talis vel talis Inſtituti, cum in quibuſdam Ordinibus quædam permittantur, quæ non permittuntur in aliis, utpote eorum inſtitutis repugnantia.

Nota, quod cum Religioſus ob paupertatis votum omni facultate diſponendi de re aliqua pretio æſtimabili privetur, ſi ex proprio arbitratu & independenter a conceſſione Superioris aliquid donet, vel quovis alio modo alienet ſine Superioris licentia, qui rem accepit, illam reſtituere tenetur Religioni. Sic omnes communiter.

### §. XIX.

*De modo paupertatis a Religioſis ſervandæ.*

Gravis verſatur inter DD. controverſia circa peculium Religioſorum in particulari, nempe de particulari uſu Religioſi in iis, in quibus a Religione non providetur ad honeſtam ſuſtentationem, per ea quæ vel ex reſervatione facta per Religioſum ante profeſſionem in propriis bonis, vel ab illius parentum eiuſdem intuitu deſignatione obveniunt Religioni, quæ *livella* dicuntur, vel ex iis quæ per ipſum acquiruntur & identidem Religioni obveniunt. Ita nomen peculii hic intelligitur. Quidam enim, ut Van-Eſpen cum aliis, fortiter decertant contra hæc peculia ſeu livella, ſive contra peculiarem uſum, qui conceditur a Religionibus, quæ vitam perfecte communem tenere non valent, Religioſo, cuius intuitu Monaſterio illa obvenerunt, acriter improbantes huiuſcemodi peculiatum, utpote quod ita Religioſæ paupertatis voto & profeſſioni repugnans eam omnino deſtruat ac tollat; ac proinde dicunt, Non eximi a vitio proprietatis peculia habentes, licet hoc ſit cum totali dependentia a Superiore. Alii vero non infirmæ notæ Theologi & Canoniſtæ e contra gravibus innixi fundamentis in favorem dimicant talis uſus, reſtricti tamen talibus conditionibus, quibus rite ſervatis revera conſtituitur Religioſus in ſtatu vitæ communi æquivalenti; ſed pro faciliori intelligentia:

Nota 1. cum celebri Cabaſſutio, duplicem eſſe Regularium paupertatem, unam quidem generalem ac eſſentialem, aliam particularem & accidentariam. Generalis ea eſt, qua omnes & ſinguli Religioſi, nemine excepto, aſtringuntur in vi communis voti paupertatis, & dicitur quoque eſſentialis, quia totum quod habet ad eſſentiam pertinet paupertatis; & ſi quid inde minuas ac demas, hoc ipſo deperibit Religioſa paupertas. At vero particularis ſeu accidentaria paupertas adiungit rigorem & obſervantiam aliquam particularem pro Regularum & Conſtitutionum diverſitate ſupra id quod omni Religioſæ paupertati eſſentiale eſt. Et ita facile contingit, ut iiſdem in circumſtantiis aliquis Religioſus ſtrictioris Ordinis, puta Capuccinus aut diſcalceatus Carmelita peccet mortaliter contra profeſſam paupertatem, in quibus tamen Religioſus aliquis laxioris ac mitioris Inſtituti, v. g. Benedictinus proviſus de beneficio, vel de penſione Regulari nullatenus peccabit. Iſta diſtinctio plane eſt neceſſaria ad diſcernendum quid liceat vel non liceat huic vel illi Religioſo circa profeſſam a ſe paupertatem, & quodnam peculium vel iſte vel ille Religioſus licite aut illicite habere poſſit. Ita Cabaſſut. Iuris Can. Theor. & Pract. cap. 22.

Nota 2. peculium, de quo hic agitur, tripliciter accipi poſſe. 1. Ut ſit in dominio & poteſtate poſſeſſoris. 2. ut verſetur in pleno uſu, vel uſufructu, de quo poſſit quis ad libitum ſuum diſponere; atque independenter ab alio; denique 3. ut ſit in uſu & adminiſtratione, quæ ad alterius arbitrium poſſit revocari. Duæ illæ priores peculii ſpecies ſecum involvunt proprietatem, & independentiam, ideoque repugnant Regularium paupertati cap. *Non dicatis* 12. q. 1. & cap. *Monachi de ſtatu Monachor.* Quin etiam ita decernit caput *Cum ad Monaſterium* eod. tit. Hoc intelligendum eſt ſtante voto, nec ex rationabili ſimulque urgenti cauſſa per diſpenſationem relaxato. Tertium autem peculii genus Religioſæ paupertati eſſentiali non adverſatur, dum

X 2 con-

conceditur uſus, & adminiſtratio per Superioris ſive tacitum ſive expreſſum conſenſum, ſic tamen ut de eius voluntate revocari queat.

Nota 3. quæſtionem hic intelligi poſt Tridentinum; nam antea ſententia affirmativa erat communis. His notatis ſit prius cum P. Henno.

Religioſus tenetur ſervare paupertatem iuxta modos ſuæ Religionis. Quilibet enim tenetur ſervare paupertatem eo modo, quo illam Deo promiſit. Unde cum Religioſus eam ſervare voverit iuxta modos in ſua Regula expreſſos, & qui in ſua Religione ſervari conſueſcunt, ſecundum eoſdem modos paupertatem ſervare debet, nec plus nec minus. Frater igitur Minor tenetur ad uſus arctos & paupetes, qui in ſua Religione continentur, ut definitum fuit a Clemente V. Quoad alios ſibi non expreſſos ſervanda eſt Religioſa moderatio, prout exigunt circumſtantiæ perſonarum, temporum, locorum, officiorum &c. ita ut vitetur ſuperfluitas, immoderantia, cæteraque omnia quæ ſpirent opulentiam. Sic declarat Nicolaus III. in Extravag. *Exiit qui ſeminat*.

Circa alios Religioſos, iſti cavere debent, ne in rebus etiam ſibi ad uſum conceſſis ulla ſit curioſitas, ſuperfluitas, ac pretioſitas; ita ut ſi in illis graviter excedant, graviter quoque delinquant: Quia non ſolum tenentur ad præciſam paupertatis eſſentiam, quæ conſiſtit in abdicatione cuiuſvis dominii, proprietatis & iuris politici in re, ſed ad illius etiam acceſſoria veluti proprietates, ideſt ad *temperantiam*, quæ tollit nimiam abundantiam & ſuperfluitatem in victu ac potu, *ſufficientiam*, quæ damnat multitudinem & ſuperfluitatem in equis, rhedis, canibus, ædificiis hortis; *Modeſtiam*, quæ tollit faſtum, ſuperbiam, curioſitatem, &c. *fidelitatem* in adminiſtratione bonorum Monaſterii: illa enim Deo & Monaſteriis data ſunt in ſuſtentationem Religioſorum, conſervationem ædificiorum, cultum Dei, auxilium pauperum, & ideo quidquid contra hos fines Prælatus aut Religioſi audent, peccant, & dicendi ſunt non diſpenſatores, ſed diſſipatores. Verum quidem eſt, quod excedere in ſimplici uſu facti contra unam aut alteram ex quatuor aſſignatis virtutibus, non eſt grave peccatum contra quidditatem paupertatis; eſt tamen gravis culpa in re notabili contra proprietates iure divino & humano a Religioſa paupertate inſeparabiles. Debent denique ſervare *exempla vitæ* &c. quod non ſit ab illis, qui ſumptibus, profuſionibus, pompis, & quadam magnificentia magis ſordidant ſtatum Religioſum quam commendent. Sic P. Henno. Hiſce præmiſſis, ſit.

## §. XX.

### *De uſu peculii & de conditionibus ad ipſum requiſitis.*

Uſus peculii, dummodo concurrant conditiones infra recenſitæ, non eſt illicitus Religioſo in Monaſteriis, in quibus vel ob deficientiam redditnum, vel ob incuriam, & negligentiam Superiorum vita communis non ſervatur, nec poteſt introduci, præcipue quia Monaſterium indigentiis Religioſorum non ſupplet, nec ob eius tenues proventus ſupplere poteſt. Quod talis uſus non ſit illicitus, probatur tum ex iure antiquo, nempe antecedenter ad Concilium Trident. quando minime improbatur ut illicitus, tum ex praxi ac conſuetudine omnium fere Ordinum Religioſorum poſſidentium, & præſertim Monialium, tum etiam cum peculium ad nutum Superioris revocabile, ex natura ſua minime Religioſæ paupertati repugnet, quia cum huiuſmodi uſus pendeat a diſpoſitione Superioris, non ab arbitrio utentis, nulla in eo apparet, nec revera adeſt ratio dominii ac proprietatis; quod ſolum paupertatis voto repugnat. Confirmant ſententiam hanc ſacræ Congregationis decreta, quibus ſtatutum fuit, ut in Monaſteriis, ubi ob eorum inſufficientiam ad ſupplendum Religioſorum indigentiis non ſervatur, nec introduci poteſt vita communis, quæcumque pecuniæ particulari Religioſo quomodocumque obveniant, conferendæ ſint in capſam communem ſeu Depoſiti, & regiſtrandæ, ac nomine Monaſterii exigendæ de licentia Superioris, ut Religioſorum eorumdem neceſſitatibus provideatur. Ita decrevit ſacra Congregatio Epiſcopor. & Regular. 2. Octobr. 1591. in reſponſione data Epiſcopo Barenſi pro Monialibus, & iterum ſic fieri iuſſit 4. Febr. 1678. ut refert Criſp. *de Viſitat.* §. 42. n. 40. immo talis livelli conceſſio Regularibus, ubi ſervari nequit vita communis, ſupponitur in epiſt. Benedicti XIV. ad Archiepiſcopum Mediolanenſem an. 1742. 26. Ian. in qua præcipit Summus Pontifex, ut ſi quæ impenſæ faciendæ ſint a Monialibus Officialibus, dum hæ fieri non permittuntur ob tenuitatem redditunm a Monaſterio, prout iuſſum fuit a prædeceſſoribus Pontificibus, præci-

pue

pue Clemente XI. ann. 1708. 1709. 1716. fiant ex depoſito proveniente ex livellis ſeu vitalitiis, eiſdem Monialibus per conſanguineos deſignatis, demptis quæ ipſarum neceſſitatibus occurrere poſſint. Sic alias ſimiliter declaravit tum ſacra Congregatio Epiſcopor. & Regular. ut refert Urſaia cit. a Patre Ferraris verb. *Monial.* art. 2. n 82. tum ſacra Congregatio Concilii, ita ut nunquam ab ipſis denegatus ſit uſus livellorum intra terminos conditionum, quas ipſæ ſacræ Congregationes præſcripſerunt; & ſic reſolutum remanet quod obiici poteſt ex Concilio Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. *de Regularibus*, ubi inhibetur concedi Religioſo bona ſtabilia etiam ad uſumfructum vel ad uſum, quod eſt poſſidere, ſeu tenere extra manum & diſpoſitionem Superioris ac Monaſterii, ac proinde ſonans proprietatem, ut patet ex verbis Concilii immediate præcedentibus: *Nemini liceat* (ait Concilium) *bona tamquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere vel tenere.* Nam peculii uſus, uti ſtatuitur a ſacra Congregatione, non eſt quid tamquam proprium poſſidere, & tenere, ſed recipere neceſſaria a Monaſterio ex ipſius bonis, ex cuius cumulo fiunt livella per eorumdem diſpoſitionem in ipſius capſa, quod idem ſonat ac in illius dominio ſeu in manu Superioris, ſicuti clare explicat notatio facienda dictarum partitarum, iuxta præſcriptum a ſacra Congregat. Epiſcoporum & Regularium in Barenſi 2. Octob. 1595. quæ per computum ſeparatum ſic eaſdem partitas inſcribendas iuſſit: *Il Monaſtero deve aver da ſe per conto di Suor N. N. ſcudi....* Concilium in cit. cap., notat hic P. Henno, non imponit ius novum, ſed renovat, & magis explicat antiquum, quo peculium tamquam proprium cuilibet Regulari vetabatur, ut patet ex cap. *Cum ad Monaſterium de ſtatu Monach.* ubi ſic habetur: *Prohibetur diſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ ſub obteſtatione divini iudicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat.*

Nec officit quod cap. *Monachi 2. de ſtatu Monachor.* dicatur: *Monachi non permittantur peculium habere*; quia ſententia communis Doctorum ante Tridentinum ſic illud intellexit, ut non peculium ſimpliciter, ſed tanquam proprium prohiberetur; igitur a fortiori intelligi debet Tridentinum, cum paulo ante, ut notavimus, agat de bonis tamquam propriis. Et hoc confirmatur ex praxi Hiſpaniæ & Luſitaniæ, ubi viget Concilii Trid. obſervantia; uſu enim receptum eſt, ut ſcribit Beia, iam a centum circiter annis, ut parentes ultra dotem Monaſterio pro ſuſtentatione traditam conſignent filiæ ſuæ Moniali certos redditus annuos apud burſariam Conventus reponendos, & ipſius Monialis uſibus ad nutum Superioriſſæ applicandos. Immo in ipſa Italia ſub oculis Summorum Pontificum tale peculium habent ſine ulla contradictione quamplurimi Religioſi, ut iam a 100. annis refert eitat. Beia, qui eo tempore erat Profeſſor in Academia Bononienſi.

Et hanc Doctorum ſententiam quoad Monaſteria, in quibus ob carentiam ſufficientium redditum, vel eleemoſynarum vita communis ſervari nequit, aut ob incuriam, & negligentiam Superiorum non ſervatur, nec poteſt introduci, & Monaſterium indigentiis Religioſorum non ſupplet, nec ſuppiere poteſt, hanc inquam ſententiam, ſcilicet quod eorumdem indigentiis provideri queat per livella particularium Religioſorum, ſive virorum, ſive mulierum, quæ ipſorum conſanguinei eiſdem aſſignarunt, & annuatim correſpondent, aut per aliquod lucrum, quod ex aliquo officio ipſis obveniat, confirmant varia ſacræ Congregationis decreta, quibus, approbante SS. Domino, indultus fuit livellorum uſus cum conditionibus ſupra expoſitis, ut eo meliori modo, quo fieri poteſt, ſervetur paupertas, & occaſio paupertatis tollatur. Inter alios refert Donatus loco cit. Decretum ſacræ Congregationis Viſitationis Apoſtolicæ iuſſu Urbani VIII. die 13. Iulii 1627. pro Franciſcanis Conventualibus Monaſterii Apoſtolorum Romæ, in quo ſic habetur: *Pecuniæ vero, aliæque res quæcumque Fratrum intra viginti quatuor horas tradantur Superiori in commune Conventus ærarium reponendæ, triplicique clave cuſtodiendæ, quarum una penes Guardianum pro tempore exiſtentem, duæ vero aliæ penes duos alios Fratres ſingulo quoque anno per Conventum eligendos conſerventur, ex quibus ſubminiſtretur exhibitori quantum religioſæ eius neceſſitati (ſtatus valetudinis, laborumque habita ratione) expoſtulare videbitur proviſio.* Immo pro Monialibus Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium, ut ſupra diximus, reſcribens Archiepiſcopo Barenſi 2. Octobr. 1595. regulam præſcripſit, quomodo prædictæ capſæ communes, ideſt pecuniæ collatæ a particulari Religioſa in dictam capſam communem, per computum ſeparatum inſcribi, ſeu regiſtrari debeant, ut ſequitur: *Il Monaſtero deve*

*aver da ſe per conto di Suor N. N. ſcudi*; ac etiam, & iterum fieri ordinavit 4. Februar. 1678. ut refert Criſpinus *de viſitat.* §. 42. Et ita ordinavit pro Clariſſis Ceſenatibus 12. Martii 1693. ac pro vita perfecte communi nihil apud ipſas eſſe innovandum. Quare in Monaſteriis, ubi ob eorum inopiam fieri nequit vita communis perfecta, ac ideo indigentiis Religioſorum suppleri, vult ſacra Congregatio, quod pecuniæ omnes undequaque quæſitæ a Religioſis in capſa depoſiti conſerantur, & regiſtrentur, ac nomine Monaſterii exigantur: Et exinde, ut Religioſis exhibitoribus, de Superioris licentia, quatenus ei opus fuerit, neceſſaria provideantur, & per depoſitarium eiſdem tradi debeant.

Dices 1. Concilium vult, ut adminiſtratio bonorum Monaſterii fiat per ſolos Officiales; haberet autem Religioſus particularis adminiſtrationem alicuius boni Monaſterii, ſi ipſi liceret uſus peculii. Igitur illicitus eſt particulari Religioſo uſus peculii. Reſp. cum P. Henno negando min. Requiritur enim ad adminiſtrationem, quod quis debita iudicialiter exigere valeat, ſolutionem hoc vel illo modo regulare &c. quod non competit ſimplicem uſum facti in peculium habenti; licet aliquando, immo ut plurimum id fieri contingat, ſed ſemper irregulariter ex Superiorum incuria, non invigilando ſcilicet ad Regularem ſui Conventus obſervantiam, ideoque efficiendo, ut talis adminiſtratio illius peculii peragatur per Officialem Monaſterii, cui non ſecus ac adminiſtratio bonorum communium Monaſterii, etiam huiuſmodi peculii vere ac unice competit.

Dices 2. talis uſus peculii repugnat fini vitæ Monaſticæ, qui eſt ut communis vita communibus bonis, communi labore, communibus veluti ſtipendiis ſervetur. Reſp. hoc eſſe ubi communia bona pro communi non incommoda ſuſtentatione, ut vult Tridentinum, ſufficiunt, non tamen ubi non ſufficiunt.

Ad hoc vero ut Religioſi, ubi non ſervatur vita communis, licite poſſint exigere, habere, & expendere in particularem ſuum uſum livellum ſeu peculium, ſex conditiones ſeu circumſtantiæ concurrere debent. Prima ſcilicet quod habeant dependenter a voluntate Superioris; 2. ut ſint parati peculium conſignare ad nutum eiuſdem Superioris; 3. ut pecunias convertant in licitos & pios uſus & decentes eorum ſtatui, ſcilicet ut eiuſdem uſus ſit ob neceſſitates, quibus Religio nequit præſto eſſe, puta pro itineribus neceſſariis & decentibus, pro medicinalibus, pro libris comparandis &c. & minime expendantur in uſus ſuperfluos, indecentes & irreligioſos, cum ad hos non ſe extendat Superioris facultas; 4. Quod non ſit peculium ſuperfluum, ideſt ſit ſolum in ea quantitate & ſumma, quæ neceſſitatibus prudenter occurrendis ſufficere queat; 5. Quod ſit penes capſam depoſiti ſeu ærarium commune; 6. Ut illo utens ſincero animo promptus ſit ad acceptandam vitam communem, ſi offeratur occaſio, ideſt Monaſterium ſit in ea ſufficientia emolumentorum, ideſt tantum habeat, iuxta Concilium Trid. ut commodam ſuſtentationem Religioſis miniſtrare valeat. Iſtæ conditiones utpote a voto & ſtatu Regulari requiſitæ, paſſim indicantur a Doctoribus ad licitum peculii uſum. Donat. prax. rer. Regular. tom. 4. tract. 15. q. 11. & 19. Monacelli, Cuuil. Ferrar. P. Henno.

## §. XXI.

### *De livellis non cedendis ſine licentia conſanguineis, ac de munerum largitione.*

Livella ſeu vitalitia facta Monaſteriis, ubi non ſervatur vita communis, intuitu Religioſi vel Religioſæ a ſuis conſanguineis, vel ab iiſdem Religioſis in ſuo teſtamento ſeu renunciatione reſervata, ut ex his Religioſi vel Religioſæ neceſſitatibus provideatur, cedi nequeunt a Religioſis ſuis conſanguineis ſine licentia ſacræ Congregat. Rota deciſ. 610. n. 8. & 9. coram Cardin. Cerro & in Albanenſ. locorum Montium 26. Ianuar. 1725. coram D. Calcagnino Card. Petra, t. 5. comm. Ad Conſtit. Pauli II. ſec. 2. n. 7. ubi citat alias Rotæ deciſiones, & teſtatur, Regulares & Moniales paſſim recurrere ad ſacram Congregat. Epiſcopor. & Regular. pro huiuſmodi licentiis, quæ concedi ſolent accedente conſenſu Superiorum & Capituli Conventualis, iuxta deciſionem dictæ ſacræ Congregationis 16. Ianuar. 1739. ubi ſic habetur: *dummodo .... accederet conſenſus Capitularium Conventus .... & actus fieret nomine Conventus.* Ferr. v. *Monial.* art. 2. n. 72.

Poteſt tamen Religioſus cum ſola licentia Superioris etiam tacita, ubi hæc eſt in uſu, remittere ſuis conſanguineis fructus ſui livelli. Sic tenent Sanch. Card. de Luca, aliive, quorum plures cenſent, hoc poſſe etiam ſola generali licentia inſumendi tales fructus in ſuas indigentias ac religioſos uſus, ſi-

Digitized by Google

ſine ſpeciali. Quia, inquiunt ipſi, eo ipſo quod Religioſn certa quantitas conceditur, & præſcribitur, cenſetur dari quoque licentia tacita expendendi in honeſtos uſus id quod ſibi ſubtrahitur ex parſimonia: & quia per talem donationem ſeu remiſſionem nullum damnum patitur Monaſterium, & Bulla de largitione munerum vetat ſolummodo largitiones vergentes in detrimentum Monaſterii; & quia ex hoc datur occaſio Regularibus ut libentius abſtinentiæ, ſobrietati, frugalitati, modeſtiæ, moderato ſumptui aſſueſcant, dum vident ſe poſſe ex iis, quæ ſibi ſubtrahunt, donare parentibus, aliiſque de ſe benemeritis. Intellige tamen de ceſſione ſeu remiſſione ſive donatione fructuum livelli non aſcendentium ad magnam ſummam, quia tunc recurrendum eſt ad ſacram Congregationem Epiſcoporum & Regularium, cum circa talem ſummam & tale ius obſtent Conſtitutiones Clementia VIII. & Urbani VIII. *de largitione munerum*, ad quam ſolummodo formam poſſunt Regulares uti livellis, ſicut decrevit dicta ſacra Congregatio in Florent. 2. Iunii 1690. ad relationem Eminen. Card. Petrucci.

Circa munerum largitiones Clemens Papa VIII. in Bulla 28. quæ incipit *Religioſæ*, vetat Religioſis, ne quid elargiantur ſine conſenſu Capituli Generalis, exceptis tantummodo eſculentis & poculentis, & munuſculis ad devotionem pertinentibus, necnon pecuniis, quæ ad cultum aut in eleemoſynas magis neceſſarias impenduntur. Excipit tamen ab his prohibitionibus Religioſos militares, ut S. Ioannis Baptiſtæ & ſimiles. Iſta tamen Conſtitutio fere ubique per contrariam conſuetudinem abrogata eſt. Et Bonacina, qui talem Conſtitutionem ſuis commentariis illuſtravit, vult etiam, ubi hactenus vigeret, minime eamdem violare Regulares, qui de licentia ſuorum Superiorum ſummam etiam non levem in res divini cultus, aut in pauperes ſublevandos impenderent. Et Sanch. Paſſerin. Navar. docent, Religioſum ſive intra, ſive extra Clauſtra viventem, qui ex legitima ſeu rationabili cauſſa tacitam habet licentiam abſolute & ſine ulla reſtrictione expendendi aliquid in uſus honeſtus & pios, poſſe moderatas eleemoſynas facere, vel liberalem donationem concurrentibus titulis a iure novo requiſitis ad licite donandum, ſcilicet conſuetudine & rei quantitate. Conſuetudo tamen, quæ non adverſetur ſacris Canonibus, ideſt quæ fundetur in titulo honeſto, puta gratitudinis erga fundatores, benefactores, ſimileſve perſonas, quarum benevolentia & favor etiam verſetur erga particularem Religioſum, ut honeſta obtineat, utilis eſt Monaſterio, & urgente aliqua neceſſitate earum favor eſt valde deſiderabilis. Verum ſola conſuetudo, non interveniente rationabili cauſſa, licitum non reddit, ne Prælatis quidem Monaſteriorum, tempore eorumdem officii donationes facere amicis vel conſanguineis abſque titulo aliquo virtutis, pietatis nempe vel gratitudinis, quo titulo deficiente donatio nequit eſſe rationabilis, quia Prælatus Regularis, cum ſit pauper, ideſt non ſecus ac ſui ſubditi voto paupertatis obſtrictus, non eſt dominus, ac proinde ſine violatione voti paupertatis actum dominii exercere nequit. Ita Suarezius hic citatus a Rotario contra Panormitanum, qui in cap. *Cæterum* contrarium ſentit. Addit nihilominus idem Suarezius, quod ubi inducta ſit conſuetudo donandi aliquid in modica quantitate, puta aliquos primævos fructus viridarii aut vineæ, ut fieri ſolet ſine damno Monaſterii, & fit quandoque ab ipſis Capuccinis, qui tam ſtrictam paupertatem profitentur, non tam rigoroſe eſt ſentiendum, ut hæc conſuetudo improbetur tamquam irrationabilis & læſiva voti paupertatis: Videtur enim quod Religio ob gratitudinem hanc liberalem licentiam concedat Prælato tempore quo pro ea ſuſtinet onera & labores regiminis, eo vel maxime quod donat non ſuo, ſed Religionis nomine, ac pro eius utilitate. Circa vero quantitatem rei donandæ nihil revera in cap. prædicto præſcribitur: Habetur quidem a Doctoribus, rem non debere eſſe immobilem, & mobilem, non pretioſam, puta inſignem picturam, ſed ex ipſis mobilibus modicam. Quoad modicitatem quantitatis, omiſſis aliis opinionibus, docent Suarez, Sanchez, Molina, Paſſerinus, Lugo cum aliis, ad hanc ſtabiliendam tria inſpici debere, ideſt 1. qualitatem perſonæ donantis, 2. qualitatem perſonæ cui donatur, 3. qualitatem beneficii ſeu tituli propter quem fit donatio, deinde qualitatem rei donatæ, & maxime ſi ſit de rebus ad uſum communem deputatis vel aſſignatis particulari Religioſo; conſiderandam quoque eſſe opulentiam & ſtatum Monaſterii; item tempus abundantiæ vel penuriæ; item conſuetudinem & ſtatuta Religionis; quibus omnibus perpenſis prudentis arbitrio ſtatuenda eſt quantitas rei donandæ quæ ſit decens, nec ſapiat avaritiam, neque prodigalitatem. Rotar.

## §. XXII.

### *De quibus rebus Religioſi poſſint habere dominium.*

Cum voto paupertatis annexa ſit incapacitas dominii cujuſcumque rei temporalis in particulari; hinc particularis Religioſus nullius rei pretio æſtimabilis dominium habere poteſt. Retinent tamen Religioſi profeſſi dominium famæ & bonorum ſpiritualium. Hinc diebus quibus eximuntur ab onere celebrandi Sacrificium juxta intentionem Superioris, applicare poterunt Sacrificium pro amico vel parente, licet ſciant ipſum accepturum ſtipendium pro eodem Sacrificio; ipſi vero non poſſunt recipere ſtipendia pro Miſſis, nec ea abſque licentia amico tribuere ſeu donare; quia hoc ſtipendium eſt aliquod temporale ac pretio æſtimabile. Pariter dominium habet Religioſus omnium ſuarum actionum naturalium & ſupernaturalium, eaſque proinde ſine violatione voti paupertatis in alterius obſequium exercere poteſt, etiamſi ipſum non lateat, alterum eleemoſynas pro eis recipere. Occurrit hic difficultas, an artefacta, picturæ ſcilicet, ſculpturæ, aliudve opus eleganter elaboratum, vel ipſius manuſcripta ſint ſub dominio Religioſi artificis vel ſtudioſi, ut de ipſis pro libito diſponere queat. Verum circa artefacta, videndum, num Religioſus artifex elegantem picturam v. g. perficiat, ut pro ſuo uſu apud ſe retineat, & tunc extra omne dubium facta eſt Monaſterio, idcirco ſine legitima licentia illam donare erit contra votum paupertatis; quia quidquid Monachus acquirit, Monaſterio acquirit. Unde licet ſit in ejus poteſtate pingere vel non, non ſecus ac concionari vel non, ſicuti tamen concionator eleemoſynas perceptas Monaſterio acquiſivit, ſic picturam elegantem ad ſuum uſum Monaſterio acquiſivit. Quod ſi Monachus ſeu Religioſus artifex non elaboret ſibi artefactum, ſed aliis, videndum, num Religioſus ſolemniter profeſſus artem poſſidens, ac in ea pro altero elaborans, materiam recipiat ab amico, cui artefactum liberaliter elaborat: in tali enim caſu non agit contra votum paupertatis, quia Religioſus ſine læſione voti paupertatis poteſt inſervire amico, eique ſuam operam gratis exhibere, ſicuti ab eo recipere poteſt gratioſum obſequium: poteſt quidem peccare contra obedientiam, alteri elaborando in ſua arte, ſi invito & contradicente Superiore notabile tempus inſumat in amici utilitatem, quod Superior jubet impendi in profectum Religionis; immo poteſt etiam peccare contra juſtitiam, ſi ex hoc omittat ſervitutem, quam Religioni præſtare debet; & ſi exinde damnum ſequatur Monaſterio, illud reſarcire tenetur. Et hoc dictum intelligatur cum communiori, reſpectu cujuſque Religioſi profeſſi, ſive ſit Choriſta, ſive Converſus, dummodo hic non receptus fuiſſet, & profeſſionem emiſiſſet etiam in ordine ad exercitia extrinſeca ſuæ artis; quia in tali caſu omnia debita eſſent Religioni ſeu Monaſteria, his horis tamen, quibus tenetur pro Monaſterio elaborare; ita ut tali tempore ſine legitima Superioris licentia non poterit aliquid per extraneo exercere. Cæterum ſi debitis horis elaboraverit pro Monaſterii ſervitio, poterit per unam aut alteram horam pro amico aliquid efficere. Non deſunt tamen qui volunt, quod artefacta elaborata a Religioſo Choriſta pro amico, qui ſolverit omnes expenſas ad perficiendum artefactum, v. g. picturam, tranſcriptionem &c. non ſint Monaſterii, ideoque Religioſum non violaſſe votum paupertatis hæc artefacta in tali conditione elaborata donando amico: Quia Religioſus Choriſta non vovit vitam activam, & additus eſt Monaſterio qua Monachus, non quatenus artifex; tum etiam quia ſi ab amico obſequium recipere poteſt; ſic poteſt illi inſervire, ſuamque operam ei gratis exhibere. Sic Pelliz Bonac. & alii. Et hoc verum eſt, licet ei vetitum eſſet a Superiore hujuſcemodi opera pro extraneis exercere: tunc enim peccaret contra votum obedientiæ, non vero paupertatis, ſive pretioſiſſimam imaginem pingeret, ſive viliſſimum quid elaboraret. Idemque dicito de Converſo ſupradicto, ſi in die feſto opus ſuæ artis pro amico licite vel illicite perageret; quia ſicut Choriſta non vovit vitam activam, ſic nec ille ſe operaturum diebus feſtis.

Quoad ſcripta vero quæ in aliqua ſcientia vel arte compoſuit Religioſus, num iſta poſſit alteri, ſeu amico ſine legitima Superioris licentia donare, comburere &c. ſine læſione voti paupertatis, non conveniunt DD. Aliqui enim volunt, liberum eſſe Religioſo de illis diſponere donando, comburendo &c. ſine Superioris licentia; ſunt enim effectus ſcientiæ, quæ non eſt objectum paupertatis, igitur nec ipſa manuſcripta, dum acceſſorium ſequitur principale. Alii oppoſitum ſuſtinent, ut Donatus, Navarrus aliique, quia tranſeuntes de una

ad

ad aliam Religionem ea nequeunt ſecum ferre ſine licentia Capituli Monaſterii, a quo diſcedunt, quia non ſunt illorum domini, ſed Monaſterium. Et qui ita tenent, dicunt hanc eſſe veram ſententiam firmiter deciſam in cap. *Non dicatis* 11. q. 13. n. 1. & cap. *Statutum* 1. cauſ. 18. p. 1. Et ſic etiam decrevit Concilium Trid. ſeſſ. 25. *de Regularib.* cap. 2. & Clemens VIII. in ſuo Decreto pro reformat. Regular. quod incipit *Nullus omnino* § 3. Nam ſemper currit illa irretragabilis regula: *quidquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterio*, etiam ex propria induſtria & arte, ut ex cit. cap. *Statutum*. Ferrar.

Religioſi vero profeſſi beneficiarii, ut Abbates, Priores, & ſimiles, habentes Beneficia Regularia vel ſæcularia, ius habent adminiſtrandi, ac diſpenſandi fructus ſui Beneficii, tum ad congruam ſuſtentationem; tum ad cauſſas pias: quia id eis a iure & conſuetudine conceſſum eſt. Nihil tamen impendere poſſunt in uſus profanos, vel conſanguineis non indigentibus donare; alioquin peccarent contra iuſtitiam, & accipiens teneretur ad reſtitutionem. Etenim huiuſcemodi bonorum non ſunt domini, ſed ſolummodo adminiſtratores; ac habent ius impendendi illa bona ſecundum præſcriptum Canonum ac Religionis, ac intentionem eorum qui ea Religioni vel Eccleſiæ donarunt. Immo peccant etiam contra votum paupertatis diſponendo de re temporali ſine legitima licentia Superioris. Sic P. Antoine.

## § XXIII.

*De facultate Pontificis quoad diſpenſationem ex gravi cauſſa a votis ſolemnibus.*

Papam diſpenſare poſſe in votis ſolemnibus, interveniente gravi cauſſa, communiter ſentiunt Doctores; quia cum horum votorum ſolemnitas ſit de iure eccleſiaſtico, ut ex cap. *unico de voto* in 6. & ex Conſtit. Gregorii XIII. *Aſcendente Domino*, nemo non videt eadem auctoritate iuris Summi Pontificis, qua inſtituta eſt illa votorum ſolemnitas, tolli poſſe. Igitur non ſecus ac in ſimplicibus, Papa diſpenſare poteſt in ſolemnibus. Et revera ſæpe in his Pontifices diſpenſarunt: Ita factum fuit cum Ramiro rege Aragoniæ, Caſimiro I. rege Poloniæ, Religioſis profeſſis, & aliis, ut habetur in Caietano, Azorio, aliiſve. Nec officit quod opponi poteſt ex Innocentio III. qui in cap. 6. *de ſtatu Monachorum* ait: *Abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere:* Nam hic Pontifex intendit ſolum ſignificare, quod ſtatus Religioſus conſiſtere non valeat nequidem cum Papæ diſpenſatione ſine abdicatione & caſtitate. Idcirco Papa diſpenſare nequit cum Monacho manente in ſtatu Religioſi profeſſi. Poteſt tamen de plenitudine poteſtatis aliquem ex illo ſtatu extrahere ad contrahendum Matrimonium, ita gravi exigente cauſſa, puta, ut Religio & pax in Regno firmentur.

## § XXIV.

*De aliis Religioſorum Obligationibus, & primo de Clauſura.*

Nomen Clauſuræ a Clauſtro deſumptum eſt, ut vult Paſſerinus *de ſtatutis* q. 189. art. 8. n. 373. Clauſtrum vero apud Canoniſtas idem eſt ac Monaſterium. Cum enim clauſtrum a claudendo dicatur; hinc merito ambitum illum, quo Religioſi clauduntur ad Monaſticam vitam ducendam Canoniſtæ Clauſtrum appellarunt.

Quamobrem Clauſuræ nomen hic accipitur apud DD. non ſolum ad ſignificandam exceptionem quamdam ingrediendi Monaſteriorum loca reſpectu perſonarum diverſi ſexus, unde interdicitur viris ingredi mulierum Monaſteria, & mulieribus Religioſorum domos, ſed etiam obligationem quam habent Religioſi ſe continendi in ſolitudine cellæ ſeu Monaſterii, ita ut mulieres Sanctimoniales nunquam licite nunc egredi valeant ſine legitima diſpenſatione, vel graviſſima cauſſa, & viri licet non tam ſtricte ſicut mulieres in Monaſteriis claudantur, tamen nec ipſis, niſi rationabili cauſſa exigente, & impetrata Superioris licentia, licite exire convenit, ideſt licite diſcedere nequeunt e Monaſterio pro libito ſuo ad inutiles per loca divagationes, cum hoc perfectioni ac ſanctæ contemplationi, cui ex eorum Inſtituto incumbere tenentur Religioſi, maxime adverſetur.

De obligatione quam habent Religioſi colendi ſolitudinem in ſuis Monaſteriis, ideſt non facile extra diſcurrendi per Civitates & loca, clare patet præcipue ex cap. 66. Regulæ S. Benedicti, quam licet non omnes Ordines profiteantur, hæc tamen eſt omnibus certiſſima lex, ac non minus clarum quam tutum exemplar ad vitam Regularem recte ducendam: S. enim Benedictus, ut tolleret a ſuis alumnis Religioſis omnem

ecca-

Digitized by Google

occaſionem diſcurrendi extra Monaſterium, præſcripſit, ut inter clauſtra quantum fieri poſſet omnia providerentur quæ Monachorum ſervitium requirere poſſet. *Monaſterium*, ibi ait, *ita conſtruatur ( ſi fieri poteſt ) ut omnia neceſſaria, ideſt aqua, molendinum, hortus, piſtinum, vel artes diverſæ intra Monaſterium exerceantur, ut non ſit neceſſitas Monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum.* Nec ſolus S. Benedictus ſolicitus fuit cordi ſuorum Monachorum affectum ſolitudinis ingerere, ſed communiter hoc inſpirare curarunt in ſuis alumnis omnium Monachorum Patres; idcirco paſſim in Regulis omnibus ſolitudo inculcata reperitur, atque Eccleſiæ decretis præcepta tanquam primarium præcipuumque inſtrumentum Regularis perfectionis aſſequendæ ac ſervandæ, ſicut habetur in can. 4. Chalcedonenſis Concilii, & 46. Trullani. Hinc illud ſub nomine Eugenii Papæ apud Gratian. 16. q. 1. can. 8. *Monachus clauſtro ſit contentus; quia ſicut piſcis ſine aqua caret vita, ita ſine Monaſterio Monachus. Sedeat igitur ſolitarius & taceat, quia mundo mortuus eſt, Deo autem vivit.*

Ex hoc tamen concludi nequit, ex intentione S. Benedicti & Eccleſiæ Religioſos ita ſtabilitatis voto obſtrictos, ac vi illius perpetua clauſura in Monaſteriis incluſos eſſe, ſicuti nunc ſunt Religioſæ mulieres, ita ut nunquam ipſis egredi liceat; quia & S. Benedictus in ſua Regula non ſemel ſupponit, Monachos e Monaſterio neceſſitatis aut utilitatis cauſſa cum Superioris licentia egredi poſſe, cum præſcribat cap. 67. de Fratribus itinerantibus, quid in exitu, quid in reditu ipſis ſit agendum, quod & hodiernæ quoque Religioſorum etiam recentiorum diſciplinæ conſonat. Præſcribit enim S Benedictus in cap. 67. ut egredientes Fratrum & Abbatis orationi ſe commendent, ac ab Abbate benedictionem petant, ſicut etiam in reditu. Ita habet in cap. 8. ſuæ Regulæ S. Fructuoſus. Hoc item præcipit canon 64. Concilii Trullani.

Ab hac provida Patrum ac Conciliorum diſciplina nec recentiores Monachorum ac Religioſorum præcipue Mendicantium Regulæ, Conſtitutioneſque receſſerunt. In Conſtitutionibus enim Eremitarum S. Auguſtini ita habetur: *Statuimus, ut nullus Frater noſtri Ordinis, ſive Conventualis, ſive ſit hoſpes, cuiuſcumque dignitatis vel gradus, vadat ad Civitatem vel oppidum abſque ſocio Fratre Ordinis noſtri Clerico vel laico ſeu Converſo a Priore aſſignando, nec aliquem Prior mittat, niſi ob gravem urgentem neceſſitatem ... Sed nec ipſe Prior ſolus vadat, niſi pro inevitabili neceſſitate.* Similia in aliorum Ordinum Conſtitutionibus & ſtatutis paſſim occurrunt.

Inſuper in allata Regula S. Benedicti cap. 51. habetur, Religioſo diſcedenti a Monaſterio eodem die ad Monaſterium reverſuro non præſumendum foris manducare, tametſi enixe a quovis rogatus, niſi forte ipſius Abbas hoc ei præcipiat. *Hæc eſt* (ait Hugo Menardus ad cap. 58. §. 1. *Concord. Regul.*) *antiqua Monachorum diſciplina nobis ſane imitanda, ut menſas laicorum, præſertim Nobilium & divitum, quantum in nobis ſitum erit, declinemus.* Et hoc in pleriſque Mendicantium Conſtitutionibus, ut notat Van-Eſpen hic, ſæpe inculcatur, ut extra Monaſteria in Civitatibus *nec bibant, nec manducent.* Inter Eremitanos S Auguſtini noviſſimo decreto n. 14. anni 1678. edito per Cardinalem Protectorem, probante ſacra Cardinalium Congregatione ſtatutum fuit inſtante Chriſtiano Lupo tunc temporis Provinciali in Belgio: *Omnibus cuiuſcumque conditionis aut præeminentiæ Patribus ac Fratribus in ſalutaris obedientiæ merito præceptum ſit, ne quis extra Conventum in Civitate vel Oppido, aut Suburbiis intra eiuſdem Civitatis aut Oppidi muros comprehenſis audeat comedere vel bibere ſine expreſſa in ſcriptis habita licentia Patris Provincialis.*

Noviſſime decrevit Concilium Trid. ſeſſ. 25. cap. 4. *de Regular.* ne quis Regularis diſcedat a ſuo Conventu ſub quovis prætextu, nequidem adeundi Superiores ſuos, niſi obtenta licentia, ſeu mandato in ſcriptis, quod vulgo *obedientia* appellatur, ſub pœna etiam carceris, ut pro obſervantia huiuſce decreti Concilii in Ordinibus omnibus proviſum fuit, ſicut habetur in eorumdem Conſtitutionibus.

Facile ex his omnibus colligi poteſt, quod licet nec votum ſtabilitatis, nec profeſſio Religioſa profitentem adſtringat ad perpetuam clauſuram, nihilominus Patres Monachorum, aliorumque Religioſorum Ordinum iudicaverunt, evagationem Religioſorum, ac frequentem cum ſæcularibus converſationem Religioſæ profeſſioni adverſari, ac valde periculoſam eſſe Religioſæ profeſſioni conſervandæ: Quocirca nonniſi ex cauſſa, & multis adhibitis cautionibus egreſſum e Monaſterio concedendum eſſe præceperunt. *Evitentur quoad fieri poterit* ( inquiunt Conſtitutiones Eremitarum S. Auguſtini part. 2. cap. 17. ) *Fratrum diſcurſus per Civitates & oppi-*

Digitized by Google

*oppida: nec enim Religionis opinio ac devotio apud ſæculares ex eo augetur, immo in dies magis ac magis minuitur*. Et in Compendio *Conſtitut.* PP. Prædicatorum part. 2. cap. 71. refert Petrus Martyr: *Licentiæ autem huiuſmodi difficulter a Prælato concedi debent*. Van-Elpen.

Huiuſcemodi tamen clauſura reſpectu mulierum vere Religioſarum, ideſt Sanctimonialium, quæ Religionem per tria vota ſolemniter profitentur, ſecundum ius novum ſtrictior eſt quam virorum, dum illæ nunquam quovis titulo, aut prætextu egredi poſſunt ſine legitima Pontificis diſpenſatione, aut graviſſimo vitæ periculo, puta incendii, inundationis valde excreſcentis aquarum, proximæ aggreſſionis hoſtium copiarum, infirmitatis lepræ, epidemiæ contagioſæ &c., in quibus caſibus per Epiſcopum in alium ſolum transferri poſſent, & ſi periculum ita immineret, ut locum non concederet huiuſcemodi Superioris remedio, poſſent inde pro ſua ſalute fugam arripere. Dixi *ſecundum ius novum*, quia clauſura ante tempora Bonifacii VIII. erat ſolum conſilii. Quamvis enim multum fuerit commendata, & quaſi indicta in Concilio Carthaginienſi primo ſub ann. 330. & Carthagin. tertio can. 35. in Trullano can. 46. Cabilon. ſecundo can. 65. Lugdunenſi tertio can. 3., tamen, ut obſervant Suarezius, Pellizz. *de Monialibus* cap. 5. n. 23. & alii paſſim, ibi clauſura impoſita non fuit abſolute ſub præcepto, ſed dumtaxat ſub conſilio efficaciter commendata. Quare pro tunc paulo maior ac rigidior indicta fuit mulieribus quam viris; illis enim appoſita erat Clauſura fere dependenter a legitima facultate Abbatiſſæ. Ferr. v. *Clauſtr.* n. 1.

Primo enim clauſura Monialibus impoſita fuit ſub formali & abſoluto præcepto a Bonifacio VIII. in cap. *periculoſo* unic. *de ſtatu Religioſo* in 6. Deinde a Tridept. Synodo ſeſſ. 25. *de Regularib. & Monial.* cap. 5. S. Pio V. Conſtitut. quæ incipit *Circa Paſtoralis officii*, & Conſtitut. quæ incipit *Decori & Maieſtati*, & Gregorio XIII. Conſtir. *Deo ſacris*.

Hinc Moniales omnes profeſſæ[a], cuiuſcumque Ordinis ſeu Regulæ, & nominis, etiam Tertiariæ in Congregatione vitam degentes, & tria vota eſſentialia emittentes, nunc ad clauſuram tenentur, niſi ex fundatione aut contractu legitimo obligentur ad curam & obſequium infirmorum, & hoc patet tum ex cit. cap. *Periculoſo* Bonifacii VIII. tum ex Concilio Trid. tum ex Conſtit. S. Pii V. Gregorii XIII. cit. & ſæpe ſæpius ſacr. Congregat. Epiſcopor. & Regular. ſignanter in Virdunenſi 10. Ianuarii 1602. & ſæpius etiam ſacr. Congregat. Concilii idipſum declararunt. Et ſi renuant, prohibetur eis alias recipere ad habitum, ut conſtat ex ipſa ſacr. Congregat. Epiſcoporum &c. in Pampilon. 10. Febr. 1593. & ſæpe alibi, & expreſſe in Conſtit. cit. S. Pii V. quæ incipit *Circa Paſtoralis Officii*. Nec officit, quod in Regula cuiuſcumque Monialium Ordinis clauſura formaliter non contineatur, quia ſemper virtualiter ſub tribus votis, & ſignanter ſub obedientia continetur. Sic declaravit ſacra Congregatio Epiſcopor. in Zamoren. 7. Febr. 1592. & 16. April. 1619. Unde Moniales profitentes hac conditione, ut Clauſuræ non obligentur, non ſunt vere profeſſæ, cum S. Pius V. in ſua cit. Conſtit. dictas profeſſiones irritet.

Moniales, quæ temere egrediantur e clauſura ſui Monaſterii, ultra alias graviſſimas pœnas incurrunt ipſo facto excommunicationem maiorem reſervatam Papæ. Sic expreſſe S. Pius V., in ſua Conſtit, quæ incipit *Decori & honeſtati*. Et hanc eamdem pœnam incurrunt Epiſcopi, aliique Monialium Superiores licentiam eiſdem iniuſte concedentes, omneſque aliæ perſonæ Moniales iniuſte & illicite de Monaſterio egreſſas comitantes vel recipientes, & ſic talem illicitum iniuſtumque egreſſum, vel ipſius perſeverantiam foventes. Non incurrunt tamen huiuſcemodi pœnas qui poſt illicitum egreſſum Moniales comitantur, recipiunt, non ut cooperentur illicito egreſſui ſeu perſeverantiæ in ipſo, ſed ſolum ut earum honori ac honeſtati ſeu caſtitati conſulant, vel gratia urbanitatis, amicitiæ, aut honoris ſeu conſanguinitatis & affinitatis. Ita Sanchez, Graſſius, Bonac. Caiet. aliique paſſim.

Excommunicationem incurrit cum aliis pœnis Monialis, quæ quomodocumque exeat toto corpore extra terminos Clauſuræ, puta ſi utroque pede, uno vel altero palmo egreditur oſtium clauſuræ. Sanch. Caiet. Navar. Comitol. Donatus *Praxis rerum Regular.* Bonac. qui vult hoc contingere, etiamſi uno ſolo palmo extra Monaſterii ianuam ſe reciperet, & ſtatim redeat. Verum in hoc caſu ſuſtinent Graſſius, Pellizz. Peyr. ob parvitatem materiæ excuſari a pœna & a culpa.

Monialis aſcendens ſupra tectum Monaſte-

ſterii in quacumque eius parte, violat clauſuram, licet tectum ſit pars Monaſterii, ut declaravit ſacra Congregatio Epiſcopor. in Licien. 16. Septembr. 1609. & in Comen. 18. Septemb. eiuſdem anni in caſu eiuſmodi, mandavitque, Moniales abſolvendas cum pœnitentiis ſalutaribus ad arbitrium, licet tectum ob honeſtum finem conſcendiſſent ad exſiccandum frumentum & paſtas ab ipſis elaboratas. Sic violaret clauſuram, ſi aſcenſo arbore ſui viridarii recreationis gratia procedat ad ramum omnino prominentem extra murum, unde corpus pendeat perpendiculariter extra locum clauſuræ, quia perfecte accedit ad locum, ad quem ſæculares poſſunt accedere, quod prohibetur a Gregorio XIII. in Conſtit. *Deo ſacris*. Donat. Pellizz. & alii.

Monialis, quæ ſe faciat demitti e feneſtra correſpondente viæ publicæ patenti ſæcularibus, licet non totaliter deſcendat, ſed maneat ſuſpenſa in medio, ſive pendens ex aliqua fune, clauſuram violat & pœnas incurrit, quia ſic ſe ponit in loco ad quem patet aditus ſæcularibus media aliqua ſcala parieti appoſita, contra Gregorii XIII. prohibitionem. Pellizz. Donat. cum aliis.

Monialis, quæ pendula in fune ſe agitat alternatim intra & extra clauſuram, eam violat, quia cum pro illo tempore quo ſe agitat extra, ſit foris toto corpore, egreditur perfecte. Item quæ poſita in Rota ſe vertit ad partem oppoſitam, etiamſi non prætergrediatur feneſtram, quia licet non egrediatur præter ambitum exteriorem, cum tamen ibi non ſit oſtium prætergreditur ambitum interiorem. Donat. Pellizz. Lugo. Accedit enim hæc Monialis ad locum, ad quem ſæculares accedunt, quod a Gregorio XIII. in cit. Conſtit. vetitum eſt.

Itidem eadem violat clauſuram Monialis egrediens ad ſpatium quod eſt inter ianuam Monaſterii clauſam, & aliam ſæcularibus patentem, vel ſi accedat ad domos contiguas Monaſterio inhabitatas a fœminis famulabus Monaſterii, vel ad propriam exteriorem Eccleſiam; vel ſi urbanitatis aut curioſitatis gratia egrediatur e proprio Monaſterio, ac aliud immediate contiguum ingrediatur. Immo in tali caſu dupliciter clauſura violaretur, per egreſſum videlicet e proprio, & ingreſſum in aliud Monaſterium; idcirco duplicem contraheret violatrix culpam, duplicemque excommunicationem iuxta declarationem ſacræ Congregationis in Panormit. 21. Auguſt. 1699.

Ab excommunicatione violatæ clauſuræ ſive per illicitum egreſſum, ſive per illicitam licentiam, aut cooperationem egreſſui ſolus Pontifex abſolvit, ſive ab eo delegatus, ut expreſſe habetur in laudata Conſtit. S. Pii V. non ſolum ſi violatio ſit publica, ſed etiam ſi ſit occulta, quidquid in contrarium aliqui dicant, iuxta declarationem ſacræ Congregationis relatam a Fagnan. Mattheuccio, Sanctarello. Cenſuit enim Gregorius XIII. approbans Bullam S. Pii V. locum habere etiam in occultis. Res fuſius videri poteſt in Biblioth. Ferraris v. *Monial.* art. 3. n. 19. & ſeq. Excipiuntur tamen a lege Clauſuræ Religioſæ mulieres, quæ ex fundatione aut contractu ſunt obnoxiæ ad curam & obſequium infirmorum; quia cum clauſura ſit tantum iuris poſitivi humani, non poteſt derogare iuri naturali orto ex fundatione & contractu legitimo. Et ita declaravit ex Tertiariis S. Franciſci Leo X. cui declarationi non derogarunt Concilium Trid. Pius V. Gregorius XIII. cum nullibi reperiatur particula ſpecialis derogativa. Ubi tamen fundatio aut contractus non amplius ſubſiſtit, vel quia bona deperdita ſint, aut dilapſa, vel quia ſtipendium Sororibus ſervientibus denegatur, poſſunt & debent Superiores, ſi fieri poſſit, clauſuram introducere; immo etiam ſubſiſtente fundatione aut contractu, ſi duæ aut tres pro ſervitio infirmorum aut peregrinorum ſufficiant, illis enim permitti poterit egreſſus, quantum requirit neceſſitas, aliis interim clauſuram ſervantibus, ut fit in S. Thomæ Duaci Conventu, vel certe recipi poſſunt tres aut quatuor, quæ in domo Monaſterio contigua degentes illud munus obeant. Henno.

Hactenus egimus de Clauſura Religioſorum reſpectu ſui, ideſt de ſolitudine per ipſos obſervanda & colenda, evitando quantum fieri poſſit proprium egreſſum e Monaſterio, ac ſupervacaneas, inutileſque divagationes per civitates & oppida, ubi morantur, necnon de ſtrictiori, cui nunc ex formali præcepto Bonifacii VIII. Concilii Trid. & S. Pii V. obſtrictæ ſunt Moniales. Nunc reſtat ut materia Clauſuræ diſcutiatur reſpectu aliorum, quibus interdictus eſt ingreſſus in Monaſteria, ut ſunt mulieres reſpectu virorum, & viri reſpectu mulierum. Verum ut res melius elucidetur.

Videndum quid nomine Monaſterii ſeu Conventus, cuius Clauſura præcipitur ut ſubiectum prohibitionis, intelligatur. Nomen hoc clare explicat Nicolaus III. cap. *Exiit*

*Exiit* §. *de verbor. ſignificat.* in 6. §. *deni-*
*que*, ubi loquens de Monaſteriis Monialium
dicit : *Nomine Monaſterii volumus Clau-*
*ſtrum*, *domos*, & *officinas interiores intelli-*
*gi*. Ex hac doctrina communiter DD. inter-
pretantur , nomine Monaſterii etiam viro-
rum intelligi ac includi loca omnia , quæ
inter ſepta & ambitum Monaſterii conti-
nentur , quæ una clauſura clauduntur. Lezz.
Navar. Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc.* al-
legat. 102. n. 81. & alii communiter . De
tanto Clauſuræ rigore, qui nunc viget , ni-
hil habetur primævis temporibus , quando
florere cœpit Monaſteriorum diſciplina ,
cum ius commune antiquum, in cuius cor-
pore incluſa exhibentur graviora Religio-
num ſtatuta , nullam de clauſura mentio-
nem faciat , ſaltem circa Monaſteria viro-
rum. Mirum tamen hoc eſſe nequit ; quia
cum tunc temporis Monaſteria erecta eſſent
in locis a frequentia ſeu commercio homi-
num diſſitis, minime opus erat ea Clauſuræ
legibus tueri ; ſatis enim a propria ſolitudi-
ne muniebantur , & Superiorum ſolicitudo
ac vigilantia in circumſtantiis raro iam ob-
venientibus , in quibus Religioſorum inno-
centiæ potuiſſet periculum aliquod impen-
di , occurrere poterat . In poſteriori vero
ætate, quando per civitates & oppida ubi-
que extructa fuere Monaſteria, neceſſe fuit
legibus ſanctiſſimis eorum aditum munire,
ac viam occludere , ne per ipſius dæmonis
verſutiam ſanctæ puritatis pericula intrude-
rentur. Verum hoc onus non ſtatim ita ſtri-
cte impoſitum fuit , ſicut nunc obſervatur.
Quia licet lege Clauſuræ, ſaltem aliqualis,
in ſuis Clauſtris omnium Ordinum Religio-
ſi tenerentur , etiam multo ante recentio-
ra tempora, cum de hac habeatur in Cano-
ne cap. *Placuit* 8. cap. *Iuxta* 11. cap. *Mo-*
*nachi* 33. cap. 16. q. 1. & alibi , ubi pro-
hibetur introduci mulieres in Monaſteria
virorum , ut omnis radicitus tollatur occa-
ſio violandi votum caſtitatis ; ſpecialius ta-
men & cum rigore inviolabilis obſervantiæ
Regularis Clauſuræ in ſuis Monaſteriis ſeu
Conventibus recentioribus temporibus ob-
ſtricti fuere Religioſi omnes cuiuſcumque
Ordinis per duas Conſtitutiones S. Pii V.
quarum prima incipit *Regularium perſona-*
*rum*, & altera *Decet Romanum Pontificem*,
quæ edita fuit 16. Iulii 1570. Et hanc le-
gem confirmavit Gregorius XIII. in Bulla
incipiente *Dubiis emergunt* . Per huiuſce-
modi Summorum Pontificum S. Pii V. &
Gregorii XIII Conſtitutiones interdictus eſt
ſub gravibus pœnis ingreſſus & introductio
mulierum quarumcumque non exemptarum
ſub quocumque prætextu , etiam licentia-
rum, in Clauſuram Regularium , niſi quan-
do adſit iuſta neceſſitas vel Pontificis diſ-
penſatio . Nunc vero non amplius id per-
mittit pietatis ratio , vi Conſtitutionis Be-
nedicti XIV. quæ incipit *Regularis diſcipli-*
*na*, qua abſtulit mulieribus quibuſcumque
licentiam , indultum , privilegium ingre-
diendi Monaſteria , ideſt Clauſtra Religio-
ſorum quacumque de cauſſa , etiam devo-
tionis , v. g. aſſociandi proceſſiones , & SS.
Euchariſtiæ Sacramentum, vetando quibuſ-
cumque etiam Cardinalibus , ſive ſingulis ,
ſive eorum Congregationibus licentias hu-
iuſmodi , facultateſque indulgere , ac con-
ceſſas omnino invalidas declarando . Idcir-
co nunc Conſtitutio hæc eſt attendenda,
nec amplius illa S. Pii V. *Decet Romanum*
*Pontificem*, quæ expreſſe concedebat mulie-
ribus licite ingredi Religioſorum Monaſteria
ob determinatam pietatem , nempe occaſio-
ne quod in iis Miſſæ , & alia divina officia
celebrarentur , ac alia pia & devota ope-
ra , v. g. proceſſiones , delatio SS. Eucha-
riſtiæ ad infirmos Religioſos , ita tamen ut
nec poſſent ingreſſum prævenire , nec poſt
moram protrahere, nec ad quævis alia Mo-
naſterii loca , curioſitatis, alteriuſve præ-
textus gratia , declinare.

Dixi *ſub gravibus pœnis* prohibetur in-
greſſus & introductio mulierum in Clauſu-
ram Regularium ; quia mulieribus ingredien-
tibus imponitur pœna excommunicationis
Papæ reſervatæ , & Religioſis eas introdu-
centibus ſimul cum eadem pœna excommu-
nicationis pœna quoque privationis officio-
rum , & inhabilitatis ad illa , necnon ſuſ-
penſio a divinis ipſo facto incurrenda . Ex-
ceptis tamen cenſuris , excommunicatione
ſcilicet, & ſuſpenſione a divinis , alias pœ-
nas vult Henno non incurri ante iudicis
ſententiam, qua crimen declaretur , ut pa-
tet ex praxi . Ab huiuſmodi autem pœnia
ac cenſuris abſolvi nequeunt , præterquam
in articulo mortis, niſi a Summo Pontifice ,
præcipue vi citatæ Conſtitutionis Benedicti
XIV.

Religioſi cenſentur fœminas introducere
in Monaſteria , qui ad earumdem ingreſſum
active influunt , ſeu cooperantur immediate
vel mediate portam aperiendo , per fene-
ſtram intromittendo , clavem præbendo ,
&c. Immo ſi clauſuræ cuſtodiam habeant ,
ut Prælati aut Ianitor , tantum permitten-
do , ideſt ingreſſum mulieri non impedien-
do , quia ſunt de facto cauſſæ morales in-
greſſus , ac proinde eadem ratione tali in-
greſſui cooperantur. Item invitantes , con-
ſu-

ſolentes, hortantes, approbantes, iter monſtrantes, impedimenta auferentes, eas recipientes. Sic Mattheucci cum aliis; & clare deducitur ex verbis Conſtitutionis S. Pii V. ubi ſic: *introducere*, *admittere præſumant*, & Gregorii XIII. quæ incipit *Ubi gratia* §. *in fine*, ubi habetur *ingredi faciant vel permittant*.

Culpam itidem, & pœnas incurrit Religioſus ille, qui nullo quidem ex recenſitis modis, nec directe ſcilicet nec indirecte, nec active nec permiſſive cooperatus eſt mulieris ingreſſui in Monaſterium, ſed eam ingreſſam ex urbanitate ſalutavit, & ex decentia ſtatus illius per Conventum comitatus eſt; ita ut aliquo modo ſit cauſa cur diutius ibi le detineat; nullam tamen pœnam incurreret, ſi eam comitaretur ut citius e Conventu egrederetur, & per rectam ac breviorem viam ad egreſſum urgeret. Sic cit. Mattheuc. cum Ameno. Excuſantur nonnunquam ab his pœnis (rarius vero a peccato) mulieres ratione bonæ fidei aut ignorantiæ, etiam vincibilis, modo non ſit affectata; quia in præfatis Conſtitutionibus requiruntur audacia, præſumptio, ſcientia. Henno.

Sub nomine mulierum comprehenduntur etiam Duciſſæ, Marchioniſſæ, Comitiſſæ, aliæque quacumque nobilitate, conditione, gradu &c. fulgentes, ut habetur in Conſtitutione S. Pii V. quæ incipit *Regularium perſonarum*, & Gregorii XIII. quæ incipit *Ubi gratiæ*; & iuxta noviſſimam diſpoſitionem Benedicti XIV. etiam fundatrices Conventuum quantumvis Nobiles. Immo ex diſpoſitione Eugenii IV. in ſua Conſtit. edita pro Congregatione S. Iuſtinæ de Padua quæ incipit *Etſi quaslibet perſonas*, etiam puellæ parvulæ cuiuſcumque ſint ætatis, quas vetitum eſt introducere in Monaſteria. Sic enim ibi habetur: *Nulli hominum liceat quaſcumque mulieres laicas, ſeu Religioſas cuiuſcumque ætatis, ſtatus* &c. *quavis occaſione ducere, ſive ipſis mulieribus ingredi, commorari intra ſepta Monaſterii*. Et ſic ſtatuit Concilium Trid. pro Clauſura Monialium, & ſæpe declaratum fuit a ſacra Congreg. Epiſcopor. & Regularium, cenſuras violatæ clauſuræ incurrere introducentes infantes cuiuſvis ætatis, ut in Tudert. 7. April. 1579. Neapol. 22. Martii 1580. & alias. Unde ſi tolerari non debent etiam puellæ, licet parvulæ in Monaſteriis Monialium, a fortiori videtur non tolerandas in Monaſteriis virorum.

Verum praxis pluribus in locis videtur contraria, & poſſe puellas parvulas ingredi Monaſteria virorum, non obſtante dicta prohibitione, tenent Sanchez. Lezzana, & alii plures citati hic a P. Ferraris in ſua Biblioth. verb. *Convent.* n. 20. Quia, dicunt ipſi, finis prohibitionis eſt ne detur Religioſis occaſio impudicitiæ, quæ ceſſat in parvulis. Sic etiam praxis videtur contraria de Duciſſis ſuprema auctoritate, & iuriſdictione gaudentibus, & de Fundatricibus apud plures; quia tales Duciſſæ in ſuis ditionibus æquiparantur Reginis, utpote quæ in ipſis ſuprema gaudeant auctoritate, & iuriſdictione ac ipſæ Reginæ. Et Fundatrices ingredi tolerari videntur a quibuſdam ſummis Pontificibus, ut a Iulio II. Conſtitut. quæ incipit *Licet*, in qua prohibet ingreſſum Mulierum non fundatricium, nec de ſtirpe Regia in Conventus Minimorum S. Franciſci de Paula.

Imperatrices tamen, Reginæ, Regum filiæ & neptes, ob ſupremam earum dignitatem libere intrare poſſunt in Monaſteria Religioſorum, etiam cum decenti comitiva, quia cum Pontifices in laudatis Conſtitutionibus nullam de illis mentionem fecerint; credendum eſt noluiſſe eas comprehendere ſub prohibitione. Sic Sanchez, Lezzana, aliique paſſim cum praxi univerſali. Item illæ Nobiles fœminæ, quarum maiores ac pro tempore exiſtentes de familia fuerint, & habentur fundatores & inſignes benefactores illius Monaſterii, intra cuius Clauſtra vel ſepta fœminas etiam de familia ingredi conceſſum vel cautum eſſe ſibi voluerunt, & de huiuſmodi conceſſione confirmationem ab Apoſtolica Sede obtinuerunt, ſive fœminæ huiuſmodi ſint conſanguineæ, & affines eorum, qui ſunt domini in temporalibus locorum, in quibus Monaſteria conſtructa reperiuntur, & quamcumque legitima tituli vel conſuetudinis cauſa, & occaſione ingreſſu huiuſmodi de præſenti gaudent, dummodo conceſſiones huiuſmodi per Apoſtolicas literas in forma Brevis, vel ſub plumbo expeditas duntaxat, & non aliter omnino factas, & Impartitas fuiſſe, prius Ordinariis locorum Antiſtitibus vel Præſulibus per legitima & authentica documenta conſtare fecerint, & dummodo id non fiat cauſſa otiandi, vagandi, comedendi, cœnandi, aut per ambulacra, cubicula, aliaque loca & officinas diſcurrendi, & dummodo de earum adventu & ingreſſu opportune faciendo Superiores pro tempore exiſtentes prius certiores fiant, ut hoc ſine Religioſorum incommodo interveniat. Sic habetur in citata Con-

Conſtit. *Regularis diſciplinæ* Benedicti XIV. qui cavit, ne illa derogaret exemptis & privilegiatis.

Dixi, *niſi quando adſit iuſta neceſſitas*, quæ vix tamen fiet reperiri, & circa talem neceſſitatem aſſignant DD. Conventus incendium, pro quo extinguendo nulli adeſſent homines, in quo tamen caſu, notat P. Henno, magis forent obſuturæ quam profuturæ. Item peritia mulieris, quæ deficientibus Medicis Religioſo infirmo ſucurrere poſſet: & caſus huiuſmodi, præſertim tempore graſſantis peſtis, non videtur ita metaphyſicus. Item ſi mulier quæſita ad necem, aut a ſatellitibus, non aliter huiuſmodi incommoda effugere poſſet, quam Monaſterii clauſuram intrando. Ubi caſus huiuſmodi occurrant, ſatis ſunt ut licitum reddant ingreſſum clauſuræ, cum lex clauſuræ ſit de iure poſitivo eccleſiaſtico, quod non ligat in hiſce circumſtantiis, in quibus locum habet ius naturale, quod ſemper prævalet & prævalere debet poſitivo, dum agitur de ſucurrendo proximo in neceſſitate verſante.

Licet ſæcularibus viris vetitum non ſit ingredi Conventus ſeu Clauſtra Regularium, nec iiſdem in ipſis commoratio, vetitum tamen eſt aliquibus Regularibus eos recipere & admittere in certis temporibus & circumſtantiis, ut ſignanter pro Fratribus Minoribus de Obſervantia decretum fuit a ſacra Congregat. Epiſcopor. & Regularium 1. Decembr. 1679. cuius diſpoſitio confirmata invenitur a ſanctæ memor. Innocentio XI. 20. Septembr. 1685. Conſtit. 8. & ſub hac prohibitione includuntur etiam Clerici, niſi ſint vita exemplares, ut declaravit eadem ſacra Congregatio 10. Maii 1678. Excipiuntur tamen a dicta prohibitione Syndici Apoſtolici Conventuum præfatorum Fratrum, ut reſpondit dicta ſacra Congregatio 4. Decembr. 1699. ad dubium ortum in re hac ob citatum Decretum 1. Decembr. 1679.

## §. XXV.

*De eo qui deſignare poteſt, & variare Clauſuram, ac de duplici conditione Clauſuræ.*

Deſignare Clauſuram Monaſterii virorum, necnon variare, ſi caſus ac neceſſitas variandi occurrat, clauſuras indicere, terminos deſignare, & pariter novo extructo Conventu, aut veteri ampliato ſtatuere tempus, in quo Clauſuræ lex incipiat obligare, iuxta Suarezium, Donatum, Paſſerinum, Lezanam cum aliis, munus eſt ac officium Prælati Regularis, non vero localis, ſed ſaltem Provincialis quoad ea loca præcipue, quæ ex diſpoſitione iuris Clauſuræ legi ſunt obnoxia. Quocirca, ſicuti monent citati DD. Clauſuræ negotium non pendet omnino a Superioris arbitrio, ut ſtet in eius poteſtate ut quæ Monaſterii ſpatia ipſi libuerit, oneri Clauſuræ ſubſicere valeat, vel ab eadem Clauſuræ lege eximere. Stat quidem communiter in plena ac libera diſpoſitione Superioris muro breviori vel longiori Monaſterii ſpatium ſæpire. Sed pro clariori intelligentia.

Advertendum eſt, duplicem eſſe Conventuum ſeu Monaſteriorum clauſuram. Alia enim eſt neceſſaria, alia eſt arbitraria. Clauſura neceſſaria ea eſt quæ non eſt ab homine, ſed a iure, & eſt quaſi de iure communi omnium Religionum, & potius ſupponitur a Superioribus Regularibus, quam ab eis ponatur. Ad Clauſuram neceſſariam ſpectant ea loca omnia, quæ intra ſepta Monaſterii ſeu Conventus continentur, & præcipue invariabiliter, & ſine ulla controverſia ſunt Clauſtra, præſertim interna, ubi conſueta habetur Religioſorum habitatio, Cellæ interiores, officinæ, cœnaculum, ſeu Refectorium, Dormitorium, Infirmaria, Coquina, Bibliotheca, Capitulum, Horti pariter, & Viridaria, Sacriſtia, Chorus, Capella iuncta Eccleſiis, ſed de his tribus poſterioribus locis verſatur aliqua controverſia inter Theologos, ſaltem quibuſdam concurrentibus circumſtantiis, ut infra videbimus. Clauſuram neceſſariam ſicut non pertinet ad Prælatum Regularem indicere, ita nec eam variare poteſt; quia eſt de iure communi, quod ipſe infirmare nec ſolvere valet, tametſi ad eumdem pertineat determinare, a quo tempore talia loca legi Clauſuræ ſint obnoxia. Clauſura arbitraria illa eſt, quæ iuxta ſtylum diverſarum Religionum, & iuxta diverſas Monaſteriorum exigentias alicubi obſervatur, & alibi, in atriis videlicet, in quibuſdam inferioribus Clauſtris, &c., & hæc pendet a Superiorum arbitrio, qui iuxta Conſtitutiones ac laudabiles ſui Ordinis conſuetudines, & item attentis neceſſitatibus illius loci & ſitus qualitate, Clauſuræ terminos aſſignare debent: & hoc munus non eſt munus Superioris localis, ad quem ſpectat impoſitam Clauſuram cuſtodire, non vero imponere, ſed Prælati ſaltem Provincialis, ut Pellizz. cum aliis. Huiuſcemodi pariter Superioris eſt, in dubio, an aliquis locus ſubiaceat Clauſuræ, eam indicere, prout magis res conſuetudini aptatur, iuri communi,

muni, Conſtitutionibus Ordinis & Regularum.

Verum licet ad Regularem Prælatum ſpectet Clauſuram tum neceſſariam tum arbitrariam ſtatuere, quantum tamen ad neceſſariam, poſtquam eam poſuit ac deſignavit, ut ſunt Dormitoria, interiora Clauſtra, interiores officinæ, & ſimilia, iam patet non poſſe eam variare, quia cum totaliter pendeat a iure communi, non a Superioris arbitrio, invariabilis eſt. Circa vero Clauſuram arbitrariam; hæc eſt invariabilis quoad Prælatum inferiorem, ita ut hic variare nequeat fines Clauſuræ impoſitos a Prælaro ſibi ſuperiore, cuius leges cuſtodire tenetur, nec irritare valet, ac proinde Superior localis diſpenſare nequit in lege Clauſuræ, quam ipſe non impoſuit. Poteſt quidem hanc variare, qui eam impoſuit, novis cauſſis emergentibus quoad ſpatia, quæ de iure communi ſunt expreſſe comprehenſa ſub nomine Clauſuræ, cum res per quas cauſſas naſcitur per eas diſſolvatur. Pellizz. Salmant. Rotar. aliique, quos hic citant. Ex quo Nicolaus III vult, officinas omnes interiores comprehendi intra Clauſuræ terminos. Dubium autem eſt apud DD. an ſub nomine Clauſuræ includantur etiam Sacriſtia & Chorus. Et quidem certum eſt, quod ſi ad Sacriſtiam & Chorum non pateat ingreſſus niſi per Conventus ſeu Monaſterii Clauſtra, hæc loca computantur inter Monaſterii partes, quæ eiuſdem ambitu clauduntur, ac proinde iiſdem legibus ſunt ſubiecta; non vero ſi ingreſſum habeant a ſola Eccleſia, quia tunc cenſentur pars Eccleſiæ, & non Conventus; ſic Donatus, Bonacina, Mattheucci, aliique paſſim. Difficultas igitur ſolum verſatur circa talia loca, quando ad ea pateat aditus tam per Eccleſiam, quam per Clauſtrum, a quo interpoſito pariete dividuntur æqualiter. Quoad Chorum tamen in tali caſu, ideſt quod ad ipſum ingreſſus habeatur etiam per Eccleſiam, nemo dubitat eſſe partem Eccleſiæ, nec ſubiici legibus Clauſuræ. Igitur difficultas eſt quoad Sacriſtiam. Et circa hanc alii, ut Bordonus cum Antonio a Spiritu ſancto, Suarezio l. 4. *de Relig.* tract. 8. lib. 1. cap. 7. n. 2. & aliis, ſentit, tunc Sacriſtiam non comprehendi ſub lege Clauſuræ, cum tunc pertineat potius ad Eccleſiam ut eius partem, non vero ad Conventum, cum nomen Eccleſiæ, aſſerit Suarezius, exponendum ſit iuxta cap. *Si Civitas de ſentent. excommun.* in 6. ita ut comprehendat Sacriſtiam & Capellas contiguas, ac proinde ſicut Regularium Eccleſiæ non ſubiacent Clauſuræ, ita nec Sacriſtia. Et hanc opinionem multis rationibus probat Donatus. Verum quidem eſt, ut omnes notant DD., decens non eſſe ut paſſim mulieribus acceſſus in Sacriſtiam concedatur, cum hoc fieri nequeat ſine ſæcularium admiratione, & ſine Religioſorum perturbatione. Alii e contra, ut Bonacina, Sanchez, contendunt, Sacriſtiam, tametſi habentem duplicem ingreſſum, unum Conventui, alterum Eccleſiæ, in rigore dici non poſſe partem Eccleſiæ, ſicut dicuntur eius altaria & Sacella, & probabilius dicit Bonacina partem eſſe Monaſterii, ac eius interiorem officinam, in qua pretioſiora aſſervantur ornamenta; Et huiuſce mentis videtur fuiſſe ſacr. Congreg. Epiſcopor. & Regular. quæ, teſte Gavanto, declaravit Sacriſtiam Religioſorum comprehendi ſub Clauſura 18 April. 1605. & 10. Auguſt. 1615. in Sulmonenſi. Sed notat P. Ferraris in ſua Biblioth. v. *Conventus*, quod fere ubique videtur in contrarium, & proinde conſuetudo, quæ iam invaluit, & eſt altera lex, Sacriſtiam huiuſmodi liberavit a Clauſura. Immo cum negotium hoc compertum non ſit, & variis ſubiiciatur ſententiis, aſſerit Sanchez, licet ipſe ſit contrariæ ſententiæ, damnandum non eſſe Monaſterium, in quo eſt uſus admittendi fœminas in Sacriſtia. Et eadem ratione conſuetudinis, ubi iam inducta eſt, mulieres quæ ingrediuntur primum Clauſtrum ad hauriendam aquam, ac ad aliquid aliud, nullam incurrunt pœnam violatæ Clauſuræ, eo vel maxime, quod in Clauſtris, ubi hæc praxis inolevit, non adſunt cubicula, in quibus habitent Religioſi. Et ſic etiam declaravit ſacra Congregatio Epiſc. & Regul. in una Venetiarum 16. Maii 1582. & in una Aſſiſienſi 17. Sept. 1583. teſte Nicolao *in Floſcul.* v. *Clauſtr.* n. 3.

Difficultas verſatur pariter de Hortis, ad quos æqualiter patet aditus & per Clauſtrum, & per ianuam in aliqua publica via. Quoad hortos enim contiguos Monaſterio, eique incorporatos, tanquam locum pro honeſta Religioſorum recreatione, nullum adeſſe poteſt dubium non eſſe partem Monaſterii, ac legi Clauſuræ ſubiectos: neque reſpectu iſtorum facit quod habeant ianuam etiam ad publicam viam, quæ iam ut plurimum clauſa ſervatur, & ſolum pro commoditate vel Operariorum, vel aliquid per eam introducendi aperitur. Et difficultas huiuſmodi verſatur tantummodo circa hortos Religioſorum virorum, minime vero Mo-

Digitized by Google

Monialium, licet iamuam habeant pro dicto uſu etiam ad viam. Nihil cæteroquin officit quod horti Religioſorum quandoque ſepe tantum, non muro ſint circumvallati, ut contingit in pluribus hortis PP. Capuccinorum; quia, ut notat Paſſerinus, nullibi in iure cautum eſt, ut Clauſura ſit undequaque circumdata muro, tametſi hoc pro Religioſorum ſecuritate ſit convenientius. Ad hoc enim ut horti, quomodocumque clauſi ſint, ſive muro, ſive ſepe, ſive ligneo repagulo, dicantur ac extent intra Clauſuram, ſufficit quod Superior, ad quem ſpectat Clauſuræ deſignare fines, eorum ambitum intra clauſuram conſtituerit. Neque communiter admittitur opinio Rodriquez, qui in explicanda Bulla S. Pii V. n. 2. ait, quod ſtando in rigore terminorum eiuſdem Bullæ, horti non comprehenduntur ſub nomine Clauſuræ, eo quia horti non ſint nec Monaſterium nec interior illius officina; & cum ſimus in odioſis res non eſt amplianda. Verum cum nomine Monaſterii virorum communiter interpretentur DD. intelligi & comprehendi ea omnia, quæ contenta ſunt intra ſepta & ambitum Monaſterii, quæ una clauſura clauduntur, ac ſeparantur a reliquo ſitu laicis communi; hinc in rigore ſermonis hortorum ſitus dicendus eſt pars Monaſterii, non ſecus ac interiora cortilia & plateæ, quamvis hæc quoque rigoroſe loquendo dici nequeant neque Monaſterium, neque Monaſterii officina. Et ita de hortis Monaſterio incorporatis ſentiunt ac docent, nempe ſubiectos eſſe Clauſuræ, Bonacina, Lezzana, Sanchez, Palaus cum aliis. Et ita declaravit ſacra Congregat. Epiſcopor. & Regular. in una Dominican. 24. April. 1582. in Laudent. 13. Sept. 1583. & in Arben. 3. Iunii 1606. Secus vero ſi horti & viridaria vel prata ſeparata ſint a Clauſura clavi & muro convenienti. Ita ead. ſacra Congregat. Et hoc etiam dicendum, iuxta limitationem Paſſerini, de quibuſdam hortis Monaſterio coniunctis, qui cum multum extendantur, maior illorum pars locatur ſæcularibus, ut refert Rotarius de horto Conventus S. Sixti Romæ, ubi ad illam partem locatam ingrediuntur mulieres, famulæ, & uxores locantium. Igitur iſti horti non perfecte pertinent ad clauſuram quantum ad impediendas mulieres ne illos ingrediantur; ſed in quantum ad hoc, quod Religioſi ad illos exeuntes ſine Superioris licentia & benedictione, non dicuntur incurrere pœnas contra exeuntes extra Clauſuram ſine Superioris licentia &c., quia adhuc cenſentur ſub oculos Superioris. Horti vero, viridaria &c. ſeparata a ſeptis Monaſterii, ad quæ ſcilicet non patet aditus immediatus a Monaſterii clauſura, certum eſt non comprehendi ſub nomine Monaſterii, ſub quo ea ſolummodo ſpatia comprehenduntur tamquam illius pars, quæ eodem ambitu ſunt circumvallata, non autem ſpatia ſeparata, quæ ſunt de iure Monaſterii. Sic Donatus, Navarrus, Sanchez citati hic a Rotario. In hoc enim ſenſu intelliguntur, ac intelligenda ſunt nomina *Monaſteria*, *Domus* & *Loca* expreſſa in Bulla Gregorii XIII. quoad Clauſuram, nempe pro ſitu & ambitu poſito intra ſepta, in quibus Religioſi degunt; non ſecus aliæ domus & loca, quæ ſunt de iure Monaſterii.

Unde ſequitur, Grancias, neque domos rurales, ad quas quandoque accedunt Religioſi recreationis gratia, nec quaſdam domos, quas reſidentias vocant PP. Societatis Ieſu, contineri ſub legibus Clauſuræ; quia loca iſta, ut notat Donatus, ſunt mere ſæcularia, neque hic habetur cultus & diſciplina Regularis, neque pariter ibi ſemper habitant Religioſi familiam Regularem conſtituentes diverſam ab aliis domibus. Secus vero dicendum ſi hæc loca habeant Eccleſiam coniunctam, pulſent campanas, celebrent divina officia; nam tunc nominetenus, non re a parvis diſcrepant Conventibus, idcirco iiſdem ſubiiciuntur legibus, & exinde ſuſtinet Prioratus, eos, quos habent Monachi D. Benedicti & D. Bernardi, comprehendi ſub legibus clauſuræ, utpote quia ſunt parva Monaſteria, in quibus Monachi permanenter reſident, & Regularem diſciplinam compoſſibilem cum modico Monachorum numero obſervant. Sic Sanch. cum aliis citatis hic a Rotario.

Difficultas oriri poteſt, num diruto muro Clauſuræ licitus ſit ingreſſus & introductio mulieris in locum ex muri ruina cuique patentem, videlicet num amplius in illo loco vigeat lex clauſuræ. In tali caſu vult P. Henno ibi non amplius eſſe obſervandam clauſuram, ſive data opera paries deſtructus ſit, ſive per aliquod accidens factus dirutus. Contrarium tamen ſentit P. Ferraris, quando murus Clauſuræ materialis ex accidente dirutus ſit, cum ſemper remaneant fundamenta, quæ ſunt limites Clauſuræ iam poſitæ, quas non poteſt Superior localis variare, & loca Monaſterii, ut prius reputantur. Ameno, Mattheucci cum aliis. Et revera ſacra Congregatio in ſimilibus ca-

caſibus, notat cit P. Ferraris, conſuevit declarare, tranſgreſſores incurrere in pœnas taxatas. P. Ferrar. v. *Conventus*. Quod ſi muri data opera deſtructi ſint, vel cura tum non ſit ne pereant, tunc certe non eſſet obſervanda clauſura, cum ex modo agendi Superiorum Regularium indicaretur, in tali ſpatio loci aperto clauſuram ablatam eſſe, dummodo tamen talis aperitio loci proxime & immediate non ducat ad internam Religioſorum habitationem; quia cum talis Clauſura ſit de iure communi, nullo modo eam tollere poteſt Regularis Superior.

Circa Eccleſias Regularium, num ſubiectæ ſint Clauſuræ legibus, ideſt an ipſæ quoque veniant ſub nomine domus, Monaſterii, ſeu locorum Regularium, id certum eſt, quando aditus ad ipſas non pateat niſi tranſeundo per Clauſtrum, ut ſunt Eccleſiæ Carthuſianorum & Camaldulenſium, & nonnulla devota Sacella intra Clauſtra diverſorum Ordinum poſita, in quibus ſanctos viros deceſſiſſe dicitur, ut Bononiæ in Clauſtro PP. Prædicatorum, ubi S. Patriarcha Dominicus ab hac vita ad cœlum tranſiit. Quoad Eccleſias vero aliorum Ordinum Regularium, ſive Mendicantium, ſive Clericorum, Monachorumque, quæ ſunt extra Clauſtri ambitum, & patent Laicis, ut præcipue Mendicantes & Clerici Regulares poſſint iuxta eorum Inſtitutum ſaluti proximorum incumbere miniſtratione verbi Dei & Sacramentorum, plane ſubiectæ non ſunt clauſuræ. Unde bene diſtinguit Donatus, ac dicit, quod in favorabilibus nomine *Monaſterii*, *domus*, *loci Religioſi* venit etiam Regularium Eccleſia tamquam præcipua & nobilior illius pars, ut ex cap. *ſciant cuncti* 12. *de electiv. & elect. poteſt.* in 6. Non autem ſunt idem Monaſterium, & Eccleſia in odioſis, in quibus cum lex non ſit extendenda extra verborum proprietatem, neque debet appropriari Eccleſiæ quod prohibetur pro Monaſterio, cum hæc valde diverſa ſint, ut advertit Navar. *Conſil.* 9. *de Teſtament.* Nam Eccleſia deputatur ad orationem, & Monaſterium deputatum eſt ad quietem Religioſorum. Rotar.

Altera circa hoc remanet difficultas, num ſcilicet mulieres, dum ſciunt in Monaſterio virorum nullum eſſe Religioſum, ut contingit quando pergunt ad publicas proceſſiones, vel ſi recreationis gratia omnes exierint, in illud licite ingredi poſſint. Partem affirmativam ſuſtinet ut probabilem Pellizz. cum aliis; quia tunc (aiunt) ceſſat finis legis, qui eſt ne perturbetur Religioſorum quies, ac per ingreſſum mulierum eis obiicitur incontinentiæ periculum, & ceſſante fine legis, aliqui probabiliter tenent ipſam non obligare. Verum Salmanticenſes cum aliis contrarium ut probabilius tenent; & ſolum concedunt liberum mulieribus ingreſſum in virorum Monaſteria etiam Religioſis in ipſo manentibus, caſu quo Monaſteria tradantur in hoſpitia militibus, & milites proprias fœminas ſecum habeant, ut ſi pars aſſignetur, eam partem ingredi valeant; ſi vero promiſcue in Monaſterio Religioſi cum militibus habitent, per totum mulieres pergere poſſint. Cæterum, dicerem, ſicut P. Ferraris ait de Sacriſtia quæ habeat ingreſſum per Eccleſiam, & per Clauſtrum, quod ſicut uſus invaluit, quod ibi mulieres introducantur, ſic in caſu præſenti uſus iam obtinuit, ut dum in Monaſterio nullus extet Religioſus, mulieres ingrediantur; ac proinde ſi cæteroquin etiam quando nullus adeſſet Religioſus in Monaſterio vigeret lex Clauſuræ, per contrariam conſuetudinem, quæ eſt altera lex, eſſet ei derogatum.

## §. XXVI.

### *De Clauſura Monaſteriorum Monialium.*

Ingredi Monaſterium Monialium, ſive ad malum, ſive ad bonum finem, abſque iuſta cauſa, ac legitima facultate ſeu Superioris licentia, omnibus cuiuſcumque ætatis, ſexus, & conditionis non exemptæ, ſalva neceſſitate, abſolute vetitum fuit a Bonifacio VIII. cap. *periculoſ.* unic. *de ſtatu Regular.* in 6. ſed ſub nulla cenſura: A Concilio poſtea Trid. ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, ſed nemini reſervata; quod confirmavit S. Pius V. in ſua Conſtit. *Circa Paſtoral. officii*. Gregorius tandem XIII. Conſtit. quæ incipit *Ubi gratiæ* idem ſtatuit ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda Papæ reſervata præſumentibus ingredi Monialium Monaſteria ſive ſub prætextu facultatis a Pontifice obtentæ, vel a Legatis ſeu ab aliis conceſſæ, ſive ſine tali prætextu, revocando quaſcumque huiuſcemodi licentias; & hanc pœnam impoſuit etiam Abbatibus & Abbatiſſis, aliiſque Monaſteriorum utriuſque ſexus Superioribus, cum privatione quoque dignitatum, officiorum ac beneficiorum, & inhabilitatis in poſterum ad illa obtinenda, ſi audeant introducere mulieres cuiuſcumque

que

Digitized by Google

que conditionis, vel admiſſas retinere. Hoc innnvavit cum iiſdem pœnis & revocatione licentiarum huiuſmodi ab ipſo vel ab aliis conceſſarum, & de mandato Clementis VIII. ſacra Congregatio Epiſcopor. & Regular. 26. Novemb. 1602. ſub pœna excommunicationis maioris Papæ omnimode reſervatæ intra Italiam.

Dixi *cuiuſcumque ætatis*, ideſt etiam pueri ac puellæ, tametſi rationis uſu non polleant; & hoc dicitur reſpectu Monialium introducentium, cum introducti non ſint capaces culpæ, ac proinde nec pœnæ, ut ſi hoc audeant Moniales, incurrant cenſuras violatæ clauſuræ, ut ſæpius iuxta citat. Decretum Tridentini, in quo habetur *cuiuſcumque generis vel ætatis*, declaravit ſacra Congregat. Epiſcopor. & Regular. & ſignanter in Tudertina 7. April. 1579. in Neapolit. 22. Martii 1580. in Cremonenſ. 12. Febr. 1585. & in Piſtorien. 24. Februar. declaravit, tolerandum non eſſe puellas licet parvulas ingredi & egredi ad libitum: immo 8. Maii 1595. in S. Sever. ſtatuit, Abbatiſſam hoc permittentem ſimul privari officio, & voce paſſiva. Dixi *ſexus*, quia æque prohibetur fœminis ac viris. Dixi *conditionis non exemptæ*, quia Imperatores, Imperatrices, Reges & Reginæ, eorum filii & filiæ ſine incurſu excommunicationis, aliarumque pœnarum ingredi poſſunt cum ſua decenti comitiva in Monaſteria Monialium. Tales enim perſonæ ratione ſuæ excellentiæ & dignitatis non comprehenduntur in diſpoſitionibus odioſis, niſi exprimantur. Ita Suarez, Sanch. Ioan. Crucius, Gabalin, Donatus, Bordonus, & alii paſſim cum praxi univerſali. Circa vero Duces, Principes, & Duciſſas ac Principiſſas ſuprema iuriſdictione & auctoritate gaudentes, licet DD. oppoſitum de his ſentiant, praxis tamen videtur in contrarium, & Bulla Pauli V. interdicens talem ingreſſum Duciſſis, Marchioniſſis ac Comitiſſis intelligenda eſt de illis, quæ non gaudent ſuprema iuriſdictione. Etenim de Principibus ſuprema auctoritate & iuriſdictione gaudentibus nihil in dicta Bulla, nec in noviſſima diſpoſitione Benedicti XIV. per ſuam Conſtitutionem, quæ incipit *Salutare in Catholica Eccleſia Inſtitutum* habetur expreſſum. Et ſi aliquid etiam de ſupremis Principibus expreſſum eſſet, nihil niſi ſecundum eorum placitum eſſet innovatum; cum iuxta præſentem ſtylum Curiarum ſupremorum Principum, Diplomata Romanæ Curiæ ad Diſciplinam ſpectantia, non ſine eorum placito in reſpectivis eorum ditionibus executionem obtineant.

Fundatores vero & Fundatrices dictorum Monaſteriorum ſecundum communem Doctorum ex diſpoſitione tum cit. Decreti Concilii Trid. tum Conſtitutionum ſupra relatarum ſummorum Pontificum, eadem Monialium Monaſteria, niſi in Literis Apoſtolicis erectionis ſecus expreſſe caveatur, vel legitima obtenta facultate, ingredi nequeunt; & ita fuit deciſum a ſacra Congregat. Concilii teſte Aldan. in *Compendio Canonicar. reſol.* l. 1. tit. 8. n. 12. Barboſa, Donatus, Nicolaus in *Floſcul.* verb. *Fundat.* qui refert verba ipſa ſeu Decretum ſacræ Congregationis in una Regularium 17. Auguſ. 1639.

Dixi *ſine legitima Superioris licentia*, & hanc requirit Tridentinum in ſcriptis obtentam. Prælati vero, niſi cauſſa ſit magni momenti, graviter peccant (ait P. Henno) illam concedendo. Si autem ſine cauſſa talem ingreſſum iubeant aut conſulant, incurrunt crimen, non pœnas, quia hæ latæ ſunt contra ingredientes, non contra conſulentes aut iubentes, nec lex pœnalis eſt extendenda; dummodo tamen hoc non faciant ſub prætextu licentiæ Apoſtolicæ, quia tunc non ſolum ingrediens, ſed etiam ſub tali prætextu permittens aut ingredi faciens pœnas incurrit.

Mulieres, obtenta licentia Sedis Apoſtolicæ Monaſteria Monialium ingrediendi, ingredi nequeunt niſi prius capitulariter per ſuffragia ſecreta a maiori parte Monialium eis præſtitus ſit conſenſus, ut ſtatuit Urbanus VIII. Conſtit. quæ incipit *Sacroſanctum Apoſtolatus miniſterium* cap. 1. *de iis, quæ fiunt a maiori parte Capituli Monialium*. Ferrar. v. *Monial.* art. 3. n. 17.

Nomine Monialium introducentium vel admittentium in Clauſuram perſonas non habentes legitimam facultatem veniunt omnes active influentes in talem ingreſſum, ut antea diximus de Religioſis, ut ſunt invitantes, conſulentes, hortantes, approbantes, monſtrantes iter, auferentes impedimenta, ianuam aperientes, eas aperientes, concedentes ſine auctoritate ſui officii, permittentes.

Cardinales aut Epiſcopi, ſive alii Prælati ingredi non poſſunt Monaſteria Monialium, quæ eorum iuriſdictioni non ſubſunt, ut ex cap. *Periculoſo* unico *de ſtatu Regular.* ex Concilio Trid. loco cit. necnon ex allatis Conſtitutionibus S. Pii V. & Gregorii XIII. Donatus, Caier. de Alexand. alii-

que paſſim. Neque Cardinales Legati habent poteſtatem viſitandi Monaſteria Monialium, ac Clauſuram ingrediendi, iuxta declarationem ſacræ Congreg. Epiſcopor. & Regular. in una Bononienſi 30. Sept. 1650. approbante Innocentio X. ac proinde multo minus Vice-Legati ſine Epiſcopi licentia. Sic ſacra declaravit Congregatio 8. Martii 1604. Neque Inquiſitores niſi ex cauſſa S. Officii, ut declaravit Congregatio S. Officii 16. Februar. 1628. apud Caiet. de Alexand. Neque Magiſtratus & Deputati ad curam Monialium ingredi poſſunt cum Epiſcopo, niſi Epiſcopus eos elegerit. Sacra Congregatio Epiſcopor. & Regular. apud Gavantum in *Manuali Epiſcopor.* v. *Monial. Clauſ.* Neque permittere debet Epiſcopus deputari a Civitatibus aliquos, qui comitentur Viſitatores Monialium etiam Regularibus ſubiectarum, iuxta Decretum ſacræ Congregat. Epiſcop. &c., 22. Ianuar. 1616.

Prælati omnes ſæculares Epiſcopali & etiam Cardinalatus dignitate præditi, nequeunt ingredi Clauſuram Monialium etiam ſibi ſubiectarum, niſi in caſibus neceſſariis, cum parvo comitatu Religioſorum, ac ſeniorum perſonarum, & non pluſquam octo. Ita expreſſe ſtatuit Gregorius XIII. Conſtit. quæ incipit *Dubiis*. Et ſi contrafecerint, pro prima vice incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, pro ſecunda ſuſpenſionem a Pontificali munere & a divinis, pro tertia maiorem excommunicationem. Secum ducere nequeunt perſonas laicas tamquam comites, & ſocios, niſi propter neceſſitatem ad Monialium utilitatem; alias cenſuras incurrunt, quæ tamen non ſunt Papæ reſervatæ.

Prælati Regulares ingredientes extra neceſſitatem Monaſteria Monialium ſibi ſubiectarum ligantur dicta excommunicatione maiori, & privantur officiis omnibus, & dignitatibus ex cit. Conſtit. Gregorii XIII. Si Superior Regularis erit Generalis, poterit ſecum duos ſocios ſui Ordinis introducere. Si alius a Generali, ut Provincialis vel Viſitator, unum tantum ſui Ordinis ſocium, excluſis aliis omnibus ratione ſui officii, nec intra Clauſuram ullum ſumere poſſunt refectionem. Et ſi ob Clauſuram vel aliam neceſſitatis cauſſam contingat ut Superior Regularis ingredi debeat ſepta Monaſterii, tunc non aliter ingredi poteſt quam cum præſentia Epiſcopi Diœceſani, vel alterius perſonæ eccleſiaſticæ ſæcularis boni exempli & maturæ ætatis ab ipſo Epiſcopo ad hoc ſpecialiter deputatæ. Sic Alexander VII. in Conſtit. quæ incipit *Felici*. Si Superior Regularis contra fecerit, incurrit pœnam excommunicationis, & privationis omnium officiorum quæ obtinet, vel aliorum in poſterum obtinendorum, ac vocis activæ & paſſivæ; & non obſtante quovis privilegio & exemptione puniri poterit ab Epiſcopo loci tamquam Apoſtolicæ Sedis delegato, ut conſtat ex citatis Conſtitutionibus.

Dixi *ſalva neceſſitate*: Quare ingredi poſſunt qui opus ſint ſine ulla licentia ad extinguendum incendium, aut ad ſalvandum ſe ipſum vel Monaſterium ab incendio, vel ad ſuccurrendum in aliis caſibus repentinæ Monaſterii ruinæ. Ita ſacra Congregatio Epiſcopor. & Regularium in Interamnenſi 18. Decemb. 1601. & alibi. Ingredi poſſunt pariter pro Monialium neceſſitatibus, cum ſua tamen ſaltem tacita Superiorum licentia, opifices neceſſarii ad conſtruendum ædificium, ad fodiendam terram, ad aperiendum ſepulchrum. Item Viſitator ut munus ſuum obeat, Confeſſarius ut infirmis tum in Sacramentorum adminiſtratione, tum in morte aſſiſtat; immo id toties poterit quoties id requirit animæ devotio, aut eius indiſpoſitio. Similiter Medici, Chirurgi, & generaliter illi omnes, qui requiruntur ad debitam Monaſterii conſervationem & gubernationem tum ſpiritualem tum temporalem: at hoc intellige pro caſibus ordinariis, nam pro extraordinariis requiritur ſpecialis expreſſa legitima Superioris licentia.

Quæri hic ſolet, an Monialis legitime egreſſa e ſuo Monaſterio, ut eat, puta ad Balnea, ſi in via accedat ad locum ubi ſit Monaſterium Monialium, poſſit ibi hoſpitio recipi ſine Superioris licentia. Diſcrepant in reſponſione DD. diſtinguendo inter Monaſterium proprii Ordinis & habitus, & Monaſterium diverſi Ordinis & habitus, ita ut dicant aliqui, in Monaſterio eiuſdem Ordinis & habitus recipi poſſe hanc Monialem, ſecus vero in Monaſteriis diverſi Ordinis &c. ſine licentia Superioris. Alii vero ex oppoſito negative reſpondent, ut Caietan. de Alexand. & hi iuxta mentem ſacræ Congregationis, quæ ſuper huiuſcemodi caſum quæſita negative reſpondit in Piſtorien. 16. Iunii 1585. ut habetur in Biblioth. Ferraris v. *Monial.* art. 3. n. 41.

§. XXVII.

Digitized by Google

## §. XXVII.

*De Superiore, ad quem ſpectat concedere licentiam ingrediendi Monaſteria Monialium.*

Superior ad quem ſpectat relaxare licentiam pro ingreſſu in Monaſteria Monialium, eſt Epiſcopus auctoritate quidem propria pro Monaſteriis ſibi ſubjectis, & auctoritate delegata pro Monaſteriis ſubjectis Sedi Apoſtolicæ. Sic deciſum fuiſſe refert Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop.* p. 3. allegat. 32. n. 38. cum aliis. Item pro dictis Monaſteriis licentiam concedere poteſt Vicarius Generalis ſi habeat ſpeciale mandatum, ut declaravit ſacra Congregatio Concilii apud Suarez, Pellizz. & Mattheuc. Vicarius pariter Capitularis ſede vacante, quia cum ſuccedat Epiſcopo etiam in iuriſdictione delegata, quæ Epiſcopo perpetuo commiſſa ſit, concedere poteſt talem licentiam etiam pro Monaſteriis S. Sedi ſubjectis, ut docent Molina, Barboſa, Donatus & alii.

## §. XXVIII.

*De culpa accedentium ad Monaſteria Monialium eas viſitandi gratia, & alloquendi ſine iuſta cauſa, & ſine Superioris licentia.*

Accedere ad Monaſteria Monialium eas viſitandi & alloquendi gratia ſine rationabili cauſſa & Superioris licentia, omnibus tum Clericis ſub pœna ſuſpenſionis, tum laicis ſub pœna excommunicationis interdictum eſt cap. *Monaſter. de vita & honeſt. Cleric.* & cap. *Periculoſo* unic. *de ſtatu Regular.* in 6. per Bonifacium VIII. Et talis prohibitio innovata fuit a Concilio Trid. cit. cap. 5. ſeſſ. 25. & a S. Pio V. in ſua ſupra allata Conſtit. Omnes igitur cuiuſcumque ſtatus accedentes ad Moniales ſine dictis conditionibus ordinarie letbaliter peccant, cum lex hoc prohibens ſit ex genere ſuo de re gravi. Sic Pellizz. Suarez iuxta declarationem ſacræ Congregationis Epiſcopor. & Regular. in Bononienſi 26. Octob. 1604. Immo interdici id poteſt ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut ſacra Congregatio Concilii declaravit in Viterbienſ. 26. Iunii 1627. & alias. Dicitur notanter *ordinarie*; quia ordinarie accedentes ad Moniales ſine rationabili cauſſa & legitima facultate, accedere ſolent cum ſcandalo, turpi fine, aut Superiorum contemptu. Si autem accedant tantum ſemel, aut iterum, ſecluſis dictis circumſtantiis, peccant ſolum venialiter ſecundum Sanchez, Lezzana, Navar. alioſve.

Patres ac Matres, Fratres ac Sorores, & filii ſæculares Monialium ad eas accedere poſſunt, eaſque alloqui ſine licentia, diebus tamen non prohibitis, ut ſacra Congregatio Epiſcop. & Regular. 15. Ianuar. 1616. apud Gavantum. Unde advertendum, quod prohibitio alloquendi Moniales non ſoleat comprehendere ſæculares coniunctos in primo & ſecundo gradu, ut decrevit ſacra Congregatio in Peruſina 18. Ianuar. 1658. & in Neapolitan. 6. Maii. Salvo tamen ſi ex ſpeciali Monaſterii Conſtitutione, vel ſpeciali Epiſcopi decreto prohiberetur etiam in hiſce gradibus.

Regulares vero nunquam alloqui poſſunt Moniales ſibi coniunctas, aut alias intra Clauſuram degentes ſine Ordinarii licentia. Sacra Congregatio Epiſcop. & Regular. 12. Kalend. Decemb. 1648. & 23. Iulii 1649. Immo Epiſcopus non poteſt concedere Regularibus licentiam alloquendi Moniales aut alias exiſtentes intra Clauſtra, niſi ſint eius coniunctæ in primo & ſecundo gradu, & quater tantum in anno, & extra tempora vetita, ut ſunt Adventus, Quadrageſimæ, feria ſexta & Sabathum, Vigiliæ dieſque feſti; quæ licentia ſubſcribi debet etiam a Superiore Regulari pro Monialibus regimini Regularium ſubjectis. Ita expreſſe ſacra Congregatio Epiſcop. iuſſu Urbani VIII. 12. Kal. Decemb. 1623. in decreto reformativo alterius decreti iuſſu Sixti V. editi, ubi prohibetur Regularibus Moniales alloqui ſine expreſſa licentia eiuſdem ſacræ Congregationis.

Regulares igitur ſine legitima licentia alloquentes Moniales, & alias intra Clauſuram degentes mortaliter peccant, etiamſi alloquantur ob bonum finem, ut expreſſe declaravit ſacra Congreg. Concilii die 21. Maii 1678. & Clemens XII. in ſua Conſtit. quæ incipit *Romanus Pontifex* innovavit ac confirmavit prohibitionem Regularibus alloquendi Moniales, aliaſque in Monaſterio degentes ſine debita licentia, ac addidit contra tranſgreſſores pœnam excommunicationis Papæ reſervatæ, etiamſi non alloquantur niſi ad bonum finem, & pro brevi intervallo, ut declaravit ſacra Congregatio Concilii die 12. Maii 1669. in Spoletana. Regulares, ſi inveniantur loquentes cum Moniali ſine licentia, poſſunt ab Epiſcopo pœna carceris puniri ex decreto ſacræ Con-



Digitized by Google

gregationis 7. Martii 1617. & denuo anno 1624. ſub Urbano VIII. ad dubium 14. Colloqui cum Moniali per nutus & alia ſigna per feneſtras alicuius Monaſterii, aut palatii, vel domus alienus, non eximit ab incurrendis pœnis latis contra accedentes ad alloquendas Moniales, ut probabilius docent Donatus ac Laynenſis cum pluribus, quos hic citant; cum ſigna, nutus &c. ſint locutiones quædam factis peractæ & ſufficienter ſignificantes. Et huiuſmodi pœnæ incurruntur quomodocumque loquendo cum Moniali, licet ipſa nihil reſpondeat, ideſt taceat, non vero ſi loquens Monialis tantum audiatur, nihil ei reſpondendo, ut docet Graffius. Item pœnas incurreret ſcribens epiſtolas Moniali, ſi in Diœceſi extet prohibitio ſub cenſuris. Cuniliat.

Habens licentiam loquendi cum una Moniali, alias alloqui non poteſt, ſicut Monialis loqui nequit niſi cum illa perſona, quæ in licentia nominatur. Ita ſacra Congregatio Epiſcop. & Regular. in Comenſi 16. Martii 1593. Hinc licentia conceſſa uni Regulari non extenditur ad ſocium, ut docent Cotenius, Mattheucci Officialis Curiæ cap. 3. n. 11. & alii contra alios, & concordant iura ac decreta, quæ prohibitionem alloquendi Moniales terminis univerſalibus negativis declarant: *Nulli Religioſo*, *Nulli Regulari* &c. *Nemo alloqui poſſit ſine licentia*. Unde verificaretur de ſocio quod alloqueretur ſine licentia. Ferrar. art. 4. v. *Monial.* n. 58.

Decreta quæ interdicunt alloqui Moniales, comprehendunt etiam Abbatiſſam, Prioriſſam ac Officiales Monaſterii, ut decrevit Alexander VIII. in ſua Conſtit. quæ incipit *Sacroſancti*, & etiam cenſuit ſacra Congreg. Concilii 1654. ut in Monacelli cit. hic a P. Ferrar. n. 31. Salvo tamen meliori iudicio, videtur tolerari a Præſulibus mos qui iam invaluit, ut Abbatiſſas ac Prioriſſas quis alloqui poſſit, iiſdem Ordinariis non contradicentibus, neque conquerentibus, & præcipue ſi locutio verſetur circa negotia Monaſterii, vel ſit alicuius conſultationis gratia.

Superiores Regulares, ut Confeſſarii Monialium, non egent licentia Ordinarii ad loquendum cum Monialibus eorum curæ commiſſis; quod intelligitur nedum de Provinciali, verum etiam de Superiore locali, cui cura Monaſterii Monialium incumbit. Iſti enim excipiuntur in Decretis Sixti V. & Urbani VIII. prout etiam declaravit ſacra Congregatio 23. Novemb. 1592. & 27. Septemb. 1641. Cætera quæ huc ſpectant circa alias præcipue Officiales Monialium, Peregrinas, Pauperes, &c. videri poſſunt in Auctoribus, qui materiam Regularium ex profeſſo pertractant, ut Pelliza. Lezz. Donat. Bordon. Rotar. & præcipue P. Ferraris in ſua Biblioth. Morali v. *Monial.*

## §. XXIX.

*De alia Regularium obligatione, nempe non alienandi bona Monaſterii.*

Quia ex pietate Fidelium non ſecus ac Eccleſiis, aliiſque omnibus piis locis, ad Dei cultum, Templorum ornatum, ſacrorum Miniſtrorum ſuſtentationem, pauperumque ſubſidium, ad eumdem finem Eccleſiis quoque ac Monaſteriis Regularium Ordinum, quibus ex eorum Inſtituto vetitum non eſt poſſidere in communi, temporalia bona, mobilia & immobilia, relicta fuere; hinc ne ex imprudenti pravaque adminiſtrantium diſtractione ſeu alienatione eiuſmodi bona cum ingenti detrimento Eccleſiarum, Collegiorum, aliorumque piorum locorum unquam deperderentur, & exinde mens, & voluntas Fidelium benefactorum defraudaretur; per plura iura tum canonica tum civilia cautum fuit, ne bona mobilia pretioſa, & immobilia, niſi ſub certis conditionibus, & quæſito ac obtento Summi Pontificis placito ullatenus alienari poſſent. Et pro clariori in huiuſcemodi negotio intelligentia.

Nota 1. nomine bonorum immobilium ea intelligi ac dici, quæ a loco ubi extant nullatenus, vel ſaltem ſine detrimento aut aliqua immutatione removeri, ac in aliud transferri nequeunt, nec occultari ac deſtrui; idcirco ſolent etiam appellari ſtabilia, cuiuſmodi ſunt arva, domus, ac arbores in eorumdem terra plantatæ & inſertæ. Bona mobilia ad differentiam immobilium ea ſunt & dicuntur, quæ ſine detrimento & mutatione ab uno in alium locum traduci poſſunt, celari ac deſtrui, ut veſtes, pecudes, gemmæ, picturæ, omniaque alia huiuſmodi, quæ fixam non habent radicem ſolo adhærentem & fundamentum, ſicut domus, arbores &c. Bona immobilia alia dicuntur corporalia, quatenus corpus viſibile & fixam radicem habent, ut ſunt prædia, vineæ, domus, molendina, arbores, greges, aliaque huiuſmodi; alia incorporalia, quæ fixam non habent radicem, ſed annuos redditus correſpondentes, cuiuſmodi ſunt Cenſus, quibus annui fru-

Digitized by Google

fructus correſpondent, ac inra ad certos redditus percipiendos, vel ad quaſdam ſervitutes habendas, ut Cathedra, Commenda, Beneficium, ius patronatus, uſufructus longi temporis, aliaque ſimilia. Mobilia pariter alia ſunt, quæ ſervando ſervari nequeunt, ut fructus rerum immobilium, vinum ſcilicet, ſegetes, &c. alia quæ ſervando ſervari poſſunt, ut vaſa metallica, pecunia, ſtatuæ, picturæ. Mobilia itidem alia ſunt pretioſa, ut gemmæ, aurum, argentum, veſtes auro contextæ, & ſimilia, & ſunt magni valoris, ac ſervando ſervari poſſunt.

Nota 2. Alienatio ſecundum iura tam civilia quam canonica ſumi poteſt, ut communiter DD. & late pro translatione cuiuſcumque iuris & dominii quocumque modo facta, ut ex cap. *Nulli de rebus Eccleſiæ non alienandis*, & ſtricte pro translatione dominii directi rei alienatæ. Ita in L. 1. cap. *de fundo dotali*, & ex L. 1. cap. *de iure emphiteutis*. Nulla quidem habetur certa regula unde dignoſci poſſit, quando alienatio ſtricte accipienda ſit, quando late. Fagnanus tamen docet in cap. *Nulli* n. 35. verbum alienationis in triplici caſu large ſumi; quando nempe lex, vel Teſtator, vel actus prohibet alienare; in aliis vero caſibus ſtricte ſumendum.

Nota 3. Ad alienationem bonorum Eccleſiæ ſeu Monaſterii mobilium ſive immobilium pretioſorum, vel quæ ſervando ſervari poſſunt, requiruntur primo iuſtæ cauſſæ, quæ quatuor ſunt ſecundum DD. primo nempe evidens Eccleſiæ neceſſitas, cui aliter ſubveniri non poteſt. Clement. 1. *de rebus Eccleſiæ non alien.* &. cap. 1. *de pignoribus*. Secundo manifeſta Eccleſiæ utilitas cap. *ſine except.* 12. q 2. Tertio Pietas, puta ſi alienatio fiat pro redimendis captivis cap. *Aurum* 12. q. 2. Quarto Incommoditas, ideſt ſi res alienanda plus incommodi quam commodi Eccleſiæ afferat cap. *Terrulas* 12. q. 2.

Requiruntur 2. ſtatutæ ſolemnitates, quarum 1. eſt quod præcedat tractatus Capitularis, ideſt Prælatus cum Capitulo vel Conventu conſultet num expediat cap. *ſine exception.* 2. Quod adſit conſenſus totius Capituli, vel ſaltem maioris aut ſanioris ipſius partis. 3 Quod fiat ſubſcriptio a Capitularibus cap. 1. *de iis quæ fiunt a Prælatis*. 4. Quod conſenſus ſeu placitum obtineatur a Summo Pontifice cap. 2. hoc tit. in 6. ex Extravagant. *Ambitioſ.*

Nota 4. Actiones ſeu tractatus prohibiti circa Eccleſiæ ſeu Monaſteriorum bona ſunt venditio, donatio, permutatio, ſeudum, emphiteuſis, locatio ad longum tempus, ſumere cenſus etiam redimibiles, cedere iuribus, accipere pecuniam ad cambium vel mutuum cum onere ſolvendi lucrum ceſſans, & damnum emergens, reddere pignora, dare in pignus & hypothecam: ita ex declaratione ſacræ Congregat. 2. Martii 1643. quam afferunt Lezzana, Peyrin. exceptis tamen caſibus neceſſitatis, & ſi periculum ſit in mora petendi Apoſtolicum indultum. Alienatio bonorum Eccleſiæ & Monaſteriorum tum immobilium tum mobilium pretioſorum, & eorum quæ ſervando ſervari poſſunt, non minus quam ſæcularibus Eccleſiis & piis locis, vetita eſt Ordinibus Religioſis, quibus conceſſum eſt bona in communi poſſidere, ut ex cap. *Nulli de rebus Eccleſiæ non alienand.* ubi ſic: *Nulli liceat alienare rem immobilem Eccleſiæ ſuæ, ſive agrum, ſive ruſticum mancipium, neque ſpecialis hypothecæ titulo obligare. Alienationis autem verbum continet conditionem, donationem, venditionem, permutationem, emphyteuſim, perpetuum contractum.* Et huiuſcemodi tenore loquitur etiam Paulus II. in Extravag. *Ambitioſa*, ubi annullantur quicumque actus alienationis, hypothecæ, conceſſionis, locationis, conductionis, irritas & nullius roboris declarando huiuſcemodi inſeudationes, quæ ſine iuſta cauſſa & requiſitis ſolemnitatibus inſtituantur. Et multo magis nunc ligantur Regulares ac interdicuntur a venditione dictorum bonorum mobilium & immobilium, ideſt poſt decretum ſacræ Congregat. 1624. die 7. Septemb. approbatum ab Urbano VIII. qui revocantur privilegia omnia nonnullis Religionibus antea conceſſa, & quo innovatur Extravagant Pauli II. quæ incipit *Ambitioſa* cum pœnis in ea poſitis aliiſque adiunctis ſine expreſſa eiuſdem ſacræ Congregat. licentia, in locis præſertim, ubi Decretum Urbani VIII. receptum eſt, ne fiat eorumdem bonorum alienatio; & quia in laudata Extravag. *Ambitioſ.* Superioribus, qui non ſint Epiſcopi vel Abbates gaudentes iuriſdictione quaſi Epiſcopali, infliguntur pœnæ excommunicationis, & privationis officii & Beneficii & adminiſtrationis bonorum, quæ alienare intendunt, ipſo facto incurrendæ; & Epiſcopis atque Abbatibus infligitur interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, in quo ſi per ſex menſes perſeveraverint, incurrunt ſuſpenſionem a præſidentia, quam habent in ſpiritualibus & temporalibus: idcirco alienantes hæc bona ſine iuſta cauſſa & ſolem-

nitatibus, has pœnas reſpectivas incurrunt, & reſtituenda ſunt dicta bona. Et ſi emptor mala fide egerit, in pœnam privatur iure repetendi pretium, quod cedere debet in utilitatem Eccleſiæ vel Monaſterii. Si vero egerit bona fide, & res non extet, nec Eccleſia aut Monaſterium ditius factum fuerit, ſimiliter pretium amittit. Si autem res extet, & ex pretio Monaſterium ditius evaſerit, tunc pretium reddere tenetur. Quando autem res non extet, nec Eccleſia ditior evaſerit, tunc onus reintegrandi emptorem bonæ fidei pro pretio erogato ſpectat ad illum, qui nomine Eccleſiæ contraxit. Suarez, Vaſq. Lezz. Bonac. *de contractu Feudi*, aliqui quorum addunt, poſſe emptorem bonæ fidei retinere res vel earum fructus titulo compenſationis pretii ſibi reſtituendi

Quare ſecundum can. *Nulli* & Extravagant. Pauli II. necnon Decretum ſacræ Congregat. ſub Urbano VIII. quoad bona immobilia, nequeunt Regulares ſine iuſta cauſſa, & requiſitis ſolemnitatibus alienare non ſolum prædia, domos, molendina, aliave huiuſce generis, ſed nec cenſus quidem annuos, ideſt quibus annui fructus correſpondent; item nec Commendam, Beneficium eccleſiaſticum, Iuſpatronatum, uſumfructum longi temporis, immo nec Cathedram, quia hæc, aliave huiuſce generis inter bona immobilia, utpote ipſius æquivalentia, recenſentur; fundantur enim in iure perpetuo, ac proinde actio illa immobilis dicenda eſt perpetua; eo vel maxime quod hæc quoque, non ſecus ac bona proprie, formaliter ſeu corporaliter immobilia ſeu ſtabilia, ſunt perpetuo frugifera, iura ſcilicet ad perpetuos fructus percipiendos, quod ex Barboſa allegar. 96. expreſſe deciſum fuit in Clement. *Exivi de Paradiſo* §. *Cumque annui redditus*, & ex cap. 2. *de rebus Eccleſiæ non alienan.* in 6. ut ſentit Gloſſa ibi verb. *Iuram.* Hinc ſine ſua cauſſa, & placito Apoſtolico ac aliis ſolemnitatibus non ſolum alienari nequeunt iura perpetua Monaſterii, ſed nec ſervitutes perpetuas, nec hæ imponi, ut Corradus, Paſſerinus, Monacelli, & ſic etiam decrevit ſacra Congregatio Concilii in Albanenſ. 21. Iunii 1698. in qua, ut refert Monacelli, agebatur de ſervitute appodiandi ſuper muros Patrum Conventualium. Item ſine dictis requiſitis fieri nequit ulla tranſactio, qua cedantur iura ſuper bonis prætenſis a Monaſterio, licet illa non poſſideat, ſed aliquid loco bonorum recipiat. Sic Rota coram Coriano Deciſ. 301. n. 1. & ſacra Congregatio Concilii in Auſculana Beneplaciti 14. Februar. 1690. Item ſine dictis requiſitis nequeunt Regulares Prælati, nec de conſenſu Capituli, transferre bona de uno Monaſterio divite in aliud quod ſit pauper, licet eiuſden. Religionis, & Provinciæ, cum talis tranſlatio ſit alienatio, per quam transfertur dominium directum ac utile, quod vetitum eſt in citata Extravagant. *Ambitioſa* & a decreto ſacræ Congregat. Concilii 7. Septemb. 1624. iuſſu Urbani VIII. edito; immo clarius eadem ſacra Congregatio in una Congregationis Montis Oliveti 27. Iulii 1647. tom. 18. *Decret.* pag. 376. ubi ſic. *Sacra Congregatio cenſuit, non eſſe concedendam facultatem convertendi ut inquit, gli avanzi di frutti de' Monaſterii ricchi e ben governati, in ſolutionem debitorum, quæ ab aliis Monaſteriis ſolvi debent*; ita refert & tenet Card. Petra tom. 4. comm. ad Conſtit. Benedicti XII. n. 38., & tenuit Rota recent. p. 5. deciſ. 571. n. 7. Et in tali ſenſu reſpondit 27. Febr. 1666. inſtantiæ P. Procuratoris Generalis Ordinis Prædicatorum, ideſt huiuſcemodi alienationes eſſe vetitas, atque ſine ſacræ Congregationis licentia perfici non poſſe, quam declarationem confirmavit Pontifex teſte cit. Card. Petra loco cit. Hic tamen advertit Rotarius, attendenda eſſe etiam particularium Ordinum ſtatuta, rationabileſque conſuetudines, quibus non derogavit Extravagans Paulina, ut vult Boſſius.

Item nec permutari poſſunt ab iiſdem Regularibus bona non ſolum mobilia, ſed etiam immobilia unius Conventus cum totidem bonis alterius Conventus; cum ita deciſum fuerit a Sacra Congreg. Concilii in una Neapolitana 34. Ianuarii 1632. ubi ſic: *Dubio propoſito mature diſcuſſo cenſuit, permutationem inter duas Eccleſias abſque ſolemnitatibus factam* ( *ideſt ſine licentia* &c. ) *minime ſuſtineri, & Rectores earumdem Eccleſiarum incidiſſe in pœnas cap.* 11. *Seſſ.* 22. *de Reform. & Extravagantis Ambitioſa* &c. Et adhuc facit etiam cap. *Sine exceptione* 12. cauſ. 12. q. 2. ubi generaliter prohibetur fieri donationes, venditiones, permutationes, aliaſque omnes alienationes rerum Eccleſiaſticarum ſine ſolemnitatibus requiſitis; ideoque ibi cenſentur vetitæ etiam mutuæ bonorum permutationes inter duas Eccleſias & Monaſteria, quia ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus L. *Non diſtinguemus de recept. arbitr. leg.* & ſic tenet etiam Rota part. 4. tom. 2. deciſ. 234, n. 12.

Alienari pariter nequeunt ſine beneplacito S. Sedis annui cenſus creati ad formam

Bul-

Bullæ S. Pii V. neque loca Montium; quia cum cenſus ſint conſtituti ſuper rebus immobilibus, qui ſingulis annis fructificant, immobilia bona computantur ex Clement. *Exivi §. cumque annui redditus de verbor. ſignificat.* Immo manente contractu in ſuo robore minui poſſunt ſeu reduci ad minorem fructum ſine ſolemnitatibus, cum diminutio redditus ſit ſpecies alienationis, ut patet ex Rota deciſ. cur. Archiepiſc. Neapolit. 134. p. 1. per tot. Donatus & alii paſſim. Poſſet quidem fructus minui, ſi reſtituto capitale cenſus non inveniatur pro nova inveſtitione fundus tot reddens redditus ſicuti prior L. *Pretia rerum ff. ad Legem Falcidiam*. Item valida eſt inveſtitio cum minori redditu in fundo ſecuro, relicta maiori in fundo periculoſo, quia tunc utilius res Monaſterii & Eccleſiæ geritur; quia multo plus valent quatuor certa, quam quinque periculoſa. Ferrar. art. 4. v. *alien.* Eidem conditioni ſubiacent etiam loca Montium, ſeu pecunia in Montibus collocata; quia pecunia ſic applicata eſt fructifera, dum parit ius annuos fructus percipiendi; idcirco non ſecus ac cenſus, inter bona immobilia talia loca recenſentur. Sic Alciatus, Donat. Bonac. & alii cum Rota Rom. p. 5. deciſ. 177. n. 38. & alibi.

Ex his & antea dictis non levis ſuboritur difficultas, num ſine ſolemnitatibus renunciare poſſint Prælati & Monaſteria hæreditatibus, legatis, donationibus, ideſt num tales renuntiationes ſpeciem habeant alienationis comprehenſæ in Extravaganti *Ambitioſa*. Circa hoc, quidquid aliqui in contrarium ſentiant, probabilius plane eſt, huiuſcemodi alienationes comprehendi inter alienationes a iure vetitas, & ſic ſentit Baldus cum Ancharan. Molin. Azor. Monacel. & multis aliis, iuxta Legem civilem L. *contra Iuris §. 1. de pactis*. Immo ſtando in puncto iuris Barboſa quoque 2. 2. alleg. 95. n. 53. & Rota Rom. coram Celſo deciſ. 85. n. 8. Repudiatio enim legati in iure expreſſe dicitur alienatio L. *Magis puto §. fundum de rebus eorum qui ſub tutela*; & ut defendit Barboſa l. 1. nedum interdicitur in iure alienatio rerum eccleſiaſticarum acquiſitarum, ſed etiam acquirendarum. Nam res huiuſmodi tranſeunt in Eccleſiam ipſo iure, & poſſeſſio abſque traditione in eam transfertur, ut in leg. *Qui actionem ff. de Regulis iuris*, ubi ſic: *Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere videtur*. Et quidem renuntiatio donationis, hæreditatis, aut legati ad favorem Eccleſiæ, non eſt libera & arbitraria Prælato, ut ſine iuſta cauſſa poſſit pro libitu repudiare quod pietas Fidelium Eccleſiæ ſeu Monaſterio concedit. Prælati enim non ſunt domini rerum eccleſiaſticarum, ſed adminiſtratores; idcirco tenentur procurare utilitatem Eccleſiæ vel Monaſterii ſibi commiſſi, quod onus non implerent repudiando ſine iuſta cauſſa hæreditatem, donationem, legatum; nam non acquirere eſt inſidiari L. 1. §. *Confertur ff. de collat. bonor.*

Dixi *ſine iuſta cauſſa*: Quia cum hæreditates, donationes, & legata ſint diſpoſitiones favorabiles, ac proinde cedentes in beneficium hæredis, donatarii, legatarii, quando huiuſcemodi non ſit hæreditas, donatio, legatum, non ſolum eſt iuſtiſſima cauſſa ut ſine ullo S. Sedis beneplacito Prælatus huiuſcemodi diſpoſitionibus renunciet, immo ut fidelis Eccleſiæ vel Monaſterii Miniſter renunciare debet, præcipue quoad legata cum huiuſcemodi diſpoſitionibus periculoſis ut cedant in damnum Eccleſiæ vel Monaſterii, ut ſæpe præcipue in legatis cum onere Miſſarum contingit, in quorum inſtitutione ita reſtrictam aſſignationem ſtatuunt proventus, ut videantur attendere ad propriam ſolum, minime ad legatariorum, quibus tale onus imponunt, utilitatem. Et utinam, præcipue Monaſteria non ita facile ad quamcumque reſtrictam aſſignationem talia legata reciperent, eo vel maxime quod hac ætate in pluribus Monaſteriis ad eleemoſynas Miſſarum reducitur emolumentum, ex quo ſuſtentationem Religioſi percipiunt. Et in hoc ſenſu locum habet contraria ſententia, videlicet legata, donationes, hæreditates non acceptatas poſſe a Prælatis Eccleſiæ vel Monaſterii repudiari ſine ſolemnitatibus, videlicet quando non appareat Eccleſiæ vel Monaſterio fore certo proficuas.

Item ſine ſolemnitatibus alienari nequeunt bona licet donata vel relicta in Teſtamento Eccleſiæ vel Monaſterio, ut poſſint pro libitu ſine ſolemnitatibus alienari; quia cum res legata Eccleſiæ ſtatim teſtatore defuncto, & donata poſt acceptationem ſtatim fiant Eccleſiaſtica miniſterio legis, diſpoſitio hominis nequit Conſtitutionem Canonum immutare. Gloſſ. in cap. *Tua nobis* verb. *interdici de Teſtam.* Barboſa, Paſſerinus; & Corradus expreſſe *in praxi diſpenſ.* l. 9. cap. 7. n. 15. refert, circa talem caſum ita reſolviſſe ac declaraſſe Urbanum VIII. cuius declarationis verba habet hic P. Ferrar. in ſua Biblioth. v. *alien.* art. 4. num. 26. Obſervandum hic tamen eſt, quod ſi bona aliqua.

qua Eccleſiæ vel Monaſterio relinquantur ſub conditione ut vendantur & ad aliquem dereminatum effectum, puta ut ex illo pretio emantur lampades vel candelabra argentea, calices &c., vel ut dotentur virgines & ſimilia, tunc talia bona ſine ſolemnitatibus vendi poſſunt, ut ſic adimpleatur mens Teſtatoris.

Pariter ſine ſolemnitatibus fieri poteſt alienatio rei eccleſiaſticæ etiam immobilis pro ſolvendis debitis illius qui bona Monaſterio reliquit, dum talia bona non adhuc facta ſunt Eccleſiæ, ideſt Eccleſiæ incorporata. Nequit tamen fieri talium bonorum nequidem ad hunc finem alienatio quando ſunt bonis Eccleſiæ plene incorporata, ideſt facta ſunt Eccleſiæ ſeu Monaſterii, ſine Apoſtolico beneplacito ex Decreto Congregationis Concilii una Salutiarum 20. Sept. 1624. lib. 17. *Decretorum*. Non requiritur in primo caſu, antequam bona Eccleſiæ incorporentur; eo quia per additionem hæreditatis non cenſentur acquiri hæredi niſi bona remanentia deducto ære alieno L. *ſubſignat* §. *bono* ff. *de verbor. ſignificat.* cum bona hæreditaria tranſeant in poteſtatem hæredis etiam eccleſiaſtici tamquam obligata alienationi, ac proinde poſtea non potius alienat quam obligationem exequitur ſuſceptam alienandi pro ſolvendis debitis. Pignatelli, Monicelli cit. hic a P. Ferrar. verb. *alien.* ar. 4. n. 1. 2. & alii paſſim cum Rota in Amerina Bonorum 2. Iunii 1645. Plura alia quæ huc ſpectant, puta circa hæreditatem, quæ ob omiſſam conditionem vel mentem teſtatoris ab hærede ad monaſterium erat devoluta, vel circa emphyteuſim, quæ ex culpa emphyteutæ deciderit, num Prælatus negligendo adire talem hæreditatem & emphyteuſim acquirere, egerit contra Paulinam, & pœnam eiuſdem incurrerit, videri poſſunt hæc omnia in Rotario, quorum diſcuſſionem brevitatis gratia hic prætermittere cenſui.

Sine ſolemnitatibus vendi poſſunt Terrulæ, aliique fundi ſteriles & exigui valoris, minuſque utiles Eccleſiæ cap. *Terrulas* 12. q. 2. Neque huic Canoni derogatum fuit a Paulo II. in Extravag. *Ambitioſa*, nec a Trid. Concilio ſeſſ. 25. cap. 11. prout declaravit ſacra Congregatio Concilii 11. Ianuar. 1596. Terrulæ autem exigui valoris ſunt quæ non æſtimantur ultra viginti ſolidos, ut cenſuit ſacra Congregatio Epiſcopor. & Regular. in una Faventina 22. Maii 1611. in qua viginti ſolidos ad ſcuta viginti quinque aurea aſcendere declaravit, & ſcutum aureum conſtituitur ex Paulis ſexdecim; unde vigintiquinque ſcuta conſtituunt ſcuta quadraginta monetæ Romanæ. Nec valet conſuetudo contra talem ſummam, ut conſtat ex ſacra Congregat. in Amalphicana 8. Auguſti 1665.

Item alienatio fieri poteſt immobilium etiam quæ relicta ſint Monaſterio incapaci ad bona huiuſmodi etiam in communi poſſidenda; cuiuſmodi ſunt Monaſteria Minorum de Obſervantia, Reformatorum, & Capuccinorum, Clericorum Regularium Societatis Ieſu ac Theatinorum, quia talia bona non ſunt Monaſterio incorporata ob eiuſdem incapacitatem ex Clement. *Exivi de verbor. ſignificat.* & alibi, necnon ex Decreto ſpeciali ſacræ Congregationis Concilii pro Minoribus & Theatinis teſte Donato tom. 1. p. 2. tract. 14. q. 67. Hi autem poſſunt vendere ſine ſolemnitate iuris, & pretium in venditione perceptum expendere in neceſſitatem & utilitatem Eccleſiæ vel Monaſterii, ut conceſſit Minoribus de Obſervantia Clemens VII. 23. Novembr. 1526. per ſuam Conſtitutionem incipientem *Nuper*.

Non poſſunt tamen Regulares, ſive viri, ſive fœminæ alienare bona immobilia Monaſterii, vel pecuniam redactam ſeu retractam ex redemptione cenſus ſine placito Apoſtolico. Sic ſacra Congregatio Concilii 19. Aprilis 1619. Nam licet iura concedant vendi poſſe bona Eccleſiæ ſeu Monaſterii interveniente neceſſitate, non concedunt tamen neque in tali caſu non ſervatis ſolemnitatibus, niſi ſalvo ſi neceſſitas ita urgeret, ut non patiatur tales ſolemnitates ſervari, ſicut notat inter alios Card. Petra in Clement. 1. n. 19. *de rebus Eccl. non alien.* & alii. Non eſt vero neceſſitas tam urgens extinguendi debita Monaſterii, ut non patiatur ſervari ſolemnitates, cum de facile creditores expectare poſſint, donec beneplacitum obtineatur. Currit eadem ratio pro pecunia retracta ex redemptione cenſus; cum talis pecunia ſucceſſerit loco rei. Sic ſtatuit Rota Rom. in Veneta Nullitatis contractus 13. Novemb. 1602. coram Pamphilio. Poſſet tamen pecunia cenſus, vel retracta ex venditione mobilium pretioſorum impendi ad extinguendum cenſum ſuper bonis Monaſterii ſine facultate ſacræ Congregationis, ut docet Donatus cum aliis ab ipſo allegatis; quia ſicut onerare fundum Monaſterii eſt alienatio; ita illud exonerare eſt acquiſitio, ad quam non requiritur beneplacitum. Nihilominus tamen conſultius eſſet impetrare facultatem, quia, ut teſtatur Donatus tom. 14. tract. 14. q.

74.

Digitized by Google

74. in fine, ex decreto ſacræ Congregationis hodie contrarium ſervatur.

Dotes Monialium Choriſtarum ſupranumerariarum nequeunt alienari ſine beneplacito ſacræ Congregationis. Sic decrevit ſacra Congregat. Epiſcopor. & Regular. in Aretina 14. Martii 1597. ſed inveſtiri debent in cenſibus ſecuris. Ead. ſacra Congreg. Epiſc. & Regul. in Mediolan. 12. Martii 1602. & in Ferrarien. 14. Novemb. 1601. Dos vero Converſæ, licet ſupranumerariæ, ſine tali facultate expendi poteſt in neceſſitatibus Monaſterii; quia præceptum de dotibus Monialium ſupranumerariarum intelligitur tantum de Choriſtis, prout declaravit ſacra Congreg. Epiſcop. & Regular. in Caſtellana 13. Maii, & in Parmenſi 17. Septemb. 1603. Dotes tamen Monialium intra numerum expendi poſſunt in utilitatem Monaſterii cum ſola facultate ſui Superioris. Ita declaravit ſacra Congreg. Epiſcop. & Regul. in Ferrar. 23. Martii, & Arimin. 22. Maii 1601.

Regulares, ideſt etiam Moniales, alienare nequeunt ſine beneplacito Apoſtolico pecuniam relictam Monaſterio, vel deputatam ad emendum bonum immobile, vel mobile pretioſum; quia licet pecunia nec ſit bonum immobile, nec mobile pretioſum, cum deputata ſit ad horum alterutrum emendum, debet haberi pro alterutro, ad quod fuit deputata, ac proinde non ſecus ac bonum immobile vel mobile pretioſum, alienari & diſtrahi nequit in alium uſum ſine ſolemnitatibus ex cit. cap. *Nulli liceat 5. de bonis Eccleſiæ non alien.* & ex cit. Extravag. *Ambitioſa* & decreto ſacræ Congreg. 7. Sept. 1624. antea allat. Sic Card. Petra tom. 5. comment. ad Conſtitutionem Pauli II. & alii paſſim. Poſſunt quidem convertere in uſum Conventus ſpolia ſuorum Religioſorum vel Religioſarum defunctarum; quia vere non ſunt pecunia deſtinata ad emptionem. Ita reſolvit ſacra Congreg. Concilii 28. Febr. 1654. tom. 19. Decretor. pag. 319.

Regulares ſine ſolemnitatibus facere poſſunt locationes ſeu conductiones domorum ac fundorum frugiferum, ſed ad triennium tantummodo, ut ex cit. Extravag. *Ambitioſa*, ubi interdicitur ſolum ſine ſolemnitate fieri *locationem & conductionem* ultra triennium. Quod ſi triennium intelligi debeat de tribus annis fructiferis, tunc ſi prædia locata non fructificent niſi ſingulo biennio, locari poſſunt ad ſex annos, ut ſic conductores tres poſſint percipere fructus, cum Conſtitutio *Ambitioſa* reſpiciat tres fructus triennales, qui in tali caſu haberi nequeunt niſi per tria biennia, cum quodlibet biennium uno anno æquivaleat, ut decidit Rota Romana 19. Iunii 1748. in una Tiburtina allictus p. 10. decif. 219. n. 7. Donatus aliive paſſim. Et circa hoc notandum, quod ſi locatio rei fructiferæ ſingulis annis fiat ad novennium ſimpliciter & indiviſibiliter, nulla eſt & invalida etiam pro primo triennio. Sic decidit Rota Rom. 1. Iunii 1661. in Aretina bonorum p. 3. deciſ. 435. n. 3. Si autem locatio fiat ad novennium diviſibiliter, ad primum, ſecundum, & tertium triennium, cum in ſingulis elapſis trienniis liberi maneant contrahentes, tunc valet, & tenet pro primo triennio, quo elapſo ſi non reſcindatur contractus, valet pro ſecundo, & ſic de tertio, quia talis locatio non eſt in fraudem legis facta, ſed ſolummodo ad evitanda incommoda, & expenſas in iteratis contractibus & ſcripturis. Sic Barboſa, Engel, aliive paſſim.

Bona immobilia eccleſiaſtica, ac ideo etiam Monaſteriorum, dari poſſunt ſine ſolemnitate in feudum & emphyteuſim, quæ ab antiquo dari conſueverunt. Ita expreſſe habetur in cit. Extravag. *Ambitioſa*, in qua a generali prohibitione alienandi res eccleſiaſticas excipiuntur res immobiles dari ſolitæ in emphyteuſim; & ſic tenent communiter DD. cum Barboſa & Rota Romana. Ad hoc vero ut res eccleſiaſticæ dicantur ſolitæ alienari, requiritur quod præcedat una locatio ſolemnis, vel duæ ſine ſolemnitatibus, cum ſpatio 40. annorum. Sic pluries decidit Rota. Non requiruntur tamen neceſſario uniformes, & ſufficit quod una ſit valida. Sic pluries Rota allata hic a P. Ferrar. in ſua Biblioth. v. *alien.* art 3.

Pariter dari nequeunt bona Monaſteriorum ſine Apoſtolico beneplacito *Precario* nec *Precarie*, qui ſunt contractus, primo quorum transfertur dominium utile in alium ad preces alicuius, & altero quo res tantum de quinquennio in quinquennium conceduntur, quod eſt quædam ſpecies locationis ad longum tempus, uterque quorum comprehenditur in antedicta Extravag. *Ambitioſa*, ſicut etiam *conceſſio ad beneplacitum*; quia per hanc, non ſecus ac per ſupradictas conceſſiones, datur dominium utile vel rei contra præſcriptum Extravagantis Paulinæ, ac proinde fieri nequeunt niſi obtenta licentia Papæ.

Gra-

Gravis difficultas circa huiuſcemodi contractus eſt de hypotheca & pignore bonorum Eccleſiæ, & Monaſterii in particulari tam immobilium quam mobilium pretioſorum. Hypotheca enim & pignoratio ſunt quidem ſpecies contractus, quo nihil traditur, nec dominium admittitur, ſed ſolum res hypothecata aut oppignorata fiat pro ſecuritate illius, a quo ſupra res illas credita eſt pecunia, qui ad illas habet recurſum in caſu, quo quis ſuæ iuſtæ obligationi contractæ non ſatisfaciat. Sed huiuſce difficultatis nodus ſatis clare ſolvitur ex cit. Extravag. *Ambitioſa*, & præcipue, ex decreto ſacræ Congregationis iuſſu Urbani VIII. pro Regularibus edito, in quo expreſſe inhibentur Regularibus hypotheca, & tradere in pignus. Et equidem cum in lege hac utpote facta in favorem Eccleſiæ, ut eius bona conſerventur, alienationis nomen latiſſime hic ſumatur, ideſt non ſolum quatenus dicit abdicationem rerum, ſed etiam iurium; hinc cum in pignore & hypotheca Eccleſia vel Monaſterium abdicet ſuum ius, & illud transferat in creditorem, cui res oppignorata fuit vel hypothecata, ita ut non habeat de ea uſum liberum ſicut antea, dum per oppignorationem & hypothecam inducta fuit quædam ſervitus, & ideo res facta eſt deterioris conditionis, hoc proinde ſufficit ad contrahendas pœnas, ſi huiuſcemodi contractus ſine S. Sedis placito ineantur. Sic Barboſa lib. 3. *de iure Eccleſ.* cap. 30. n. 19. Lezz. Donat. Paſſerin. Bonac. Unde Regulares nequeunt nedum nomine cenſuario, ſed neque ad cambium, vel mutuo accipere pecuniam cum ſolutione lucri ceſſantis & damni emergentis, nec pro tali mutuo obligare ſeu in pignore dare res ſacras ſeu mobilia, ut decrevit ſacra Congregatio Concilii in Romſi 1. Sept. 1689 & 1. Octob. 1672. Ferrar. art. 4. n. 35.

Dixi *in particulari*, quia ſine tali beneplacito facere poſſunt Regulares hypothecam, obligationemque generalem omnium bonorum Monaſterii; alias Regulares nullum omnino contractum facere poſſent, dum in omni contractu apponitur clauſula obligatoria omnium bonorum; & ſine hac clauſula nullos invenirent creditores, qui eis in ſuis neceſſitatibus ſuccurrere vellent, quod pro eis nimis durum eſſet; idcirco ſacra Congregatio Concilii decrevit, teſte Fagnano lib. Decret. in cap. *Nulli liceat 9. de rebus Eccleſ. non alien.* generalem hypothecam non eſſe eis vetitam, immo in eodem ſenſu reſpondit eadem ſacra Congregatio in Romana Beneplac. 13. Ianuar. 1691. Quod ſi vi generalis hypothecæ deveniendum eſſet ad bonorum ſubhaſtationem, tunc requireretur beneplacitum apoſtolicum, ut declaravit ſacra Congregatio Epiſcop. & Regular. 28. April. 1648. Sine Apoſtolico beneplacito facere poſſent Regulares hypothecam ac pignus etiam particulare in caſu imminentis urgentiſve neceſſitatis, cui aliter occurri nequit, cum ad impoſſibile nemo teneatur, & neceſſitas, ut dicitur communiter, non habeat legem. Advertendum tamen in tali caſu, vaſa ſacra pignori ſubdi non poſſe, ut ex cap. *Clerici*, & ex Clement. *Si beneficium de Decimis*, niſi forte neceſſitas ſumma eſſet, & urgentiſſima, neque aliter ſuccurri poſſet. Sic Peyrin. Donat. Paſſerin. & alii.

Alia graviſſima occurrit difficultas circa tradentes ſeu concedentes Laicis Capellas aut ſepulturas, ſive fundum pro earum ædificatione, num tales conceſſiones ſubdantur legibus de non alienandis bonis Eccleſiæ, remiſſo examine quoad ſimoniam ad locum ubi de tali negotio agendum occurrit. Et ne res nimis in longum protrahatur, breviter me expediam cum doctrina Rotarii hic; nempe, ſi concedatur laicis Capella, aut ſepultura, vel fundus pro Capella vel ſepultura conſtruenda, ut transferatur in Lsicos dominium ædificii ſeu fundi, vel eiuſdem ædificii, aut etiam Capellæ, ſeu ſepulturæ aut fundi pro his ædificandis ſolus fructus, aut ius utendi, retento a Monaſterio apud ſe dominio, uterque modus conceſſionis ſane importat propriam alienationem, unus rei, alter iuris, quod vetitum eſt a lege, ac proinde ſine Apoſtolico beneplacito tales conceſſiones fieri nequeunt. Si vero concedatur merus & nudus uſus facti Capellæ, ſepulturæ, vel fundi pro his conſtruendis, hic modus concedendi non indiget ſolemnitatibus a iure requiſitis pro legitima alienatione fundi immobilis, cum fieri poſſit, & de facto, ut notat hic Rotarius, ubique fit nullo impetrato ſacræ Congregationis aſſenſu. In tali enim modo, ut ait Bonacina, conceduntur Laicis Capellæ ſeu ſepulturæ, aut fundus pro ipſis ædificandis ad eum uſum, ad quem fuerunt ædificatæ vel ſunt ædificandæ.

Quoad bona vero mobilia, quæ ſine Papæ licentia alienari nequeunt, ſunt bona pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, ita ut hæc alienare nequeunt nequidem cum conſenſu Definitorii & approbatione Capituli Ge-

Generalis, ut declaravit ſacra Congregatio Concilii in Segnien. *Si Alienationis mobilium pretioſorum* die 15. Martii 1692. Mobilia pretioſa ſunt vaſa omnia & inſtrumenta Eccleſiaſtica aurea vel argentea, & ex lapide pretioſo, quæ non de facili conſummuntur, ſed durant, & quorum valor decem aureos excedit. Item omnes res illæ, quæ fructificant, & ſaltem per triennium durant, ſunt inalienabiles, quocumque fine, etiam pro conſtruenda Eccleſia vel Dormitorio, ſine Apoſtolico beneplacito. Quæ vero talem valorem non attingunt, vel quæ triennio non durant, ſed uſu conſummuntur, ſine licentia alienari poſſunt. Barboſa 3. p. *de poteſt. Epiſc.* Alleg. 93. n. 38. 39. & alii, qui aſſerunt, ſacram Congregationem declaraſſe, rem mobilem excedentem valorem vigintiquinque ducatorum eſſe inalienabilem. Idemque dicito de oblationibus ac votis aureis & argenteis, quæ appenduntur alicui Altari in proteſtationem & ſignum gratiæ receptæ, ut Donatus, Paſſerin. Panormit. Bonac. Lezz. aliive citati hic a Rotario. Donatus cenſet, oppoſitam opinionem eſſe probabilem, eo quia tales oblationes non ſint ad ullum Eccleſiæ uſum; ſed advertit, tutius eſſe licentiam impetrare, ſi velint alienari. Verum Paſſerinus validis rationibus contrarium ſuſtinet. Neque bona pretioſa mobilia ſive etiam immobilia dividi poſſunt in plura corpora, ut imminuatur eorum valor, & ſic legi non ſubiaceant. Hoc enim eſſet aperte agere in fraudem legis, & ſine ſolemnitatibus alienare quæ ex eiitatis legibus ſunt inalienabilia, ac proinde invalida prorſus talis eſſet alienatio & illicita.

Libri quoque computantur inter mobilia pretioſa quando accedunt ad ſupradictum valorem ad conſtituendam rem pretioſam, ſive ſinguli conſiderentur, ſive ſimul coniuncti, cum in multis materiis ex pluribus habentibus habitudinem inter ſe in ordine ad eumdem finem & uſum fiat unum morale. Sic ex pluribus libris fit Bibliotheca, quæ valde Religionibus pro earum ſtudiis neceſſaria & pretioſa ab omnibus iudicatur. Sic Donatus, Paſſerinus & alii.

Inter res inalienabiles iuxta probabiliorem recenſentur etiam Reliquiæ inſignes, eo quia licet non ſint pretio æſtimabiles, idcirco pretioſiores quibuſcumque mobilibus cenſendæ ſunt.

Res vetuſtæ, puta crux vetus in calicem, ſylva inutilis in olivetum; vinea deſerta in pratum, & alia huiuſmodi converti poſſunt; quia iſta non eſt proprie alienatio & diſtractio, ſed in rem maxime neceſſariam converſio, ut docet Antonius a Spiritu ſancto cum aliis paſſim. Sic poteſt Prælatus mobilia inutilia ſeu res vetuſtas ac ſuperfluas unius Monaſterii permutare cum aliquibus utilibus alterius Monaſterii, ut ſic per viciſſim ſuperflua commutata in viciſſim neceſſaria vel utilia, commodo & utilitati utriuſque Monaſterii conſulatur.

Cum inter præcipua Eccleſiæ bona arbores pariter ac ſylvæ recenſeantur, ac proinde earum inciſio quoque & venditio dependeat a citata Paulina Extravaganti *Ambitioſa*, ac Decreto ſacræ Congregationis ſub Urbano VIII. & cum varia ſint arborum & ſylvarum genera, ad clariorem rei elucidationem advertendum, ſylvas alias dici cæduas, alias non cæduas, ut ex L. *Sylva* 30. *de verbor. ſignificat.* Sylva cædua eſt, ac definitur illa, quæ ad hoc habetur ut cædatur, & exciſa rurſus ex ſtipitibus, aut radicibus renaſcitur: ex quo colligit Paſſerinus, ad hoc ut ſylva dicatur cædua, duo requiri, ideſt ut ſylva ad hunc finem a domino plantata ſit & poſſideatur, ut ſtatutis temporibus cædatur, & de facto cædi conſueverit, & hic ſit fructus præcipuus huiuſcemodi ſylvæ, ideſt arborum inciſio, ita ut licet alium fructum hæc ſylva producat, ut contingit in Caſtaneis & Quercu, hic tamen non attenditur niſi ut adventitius. Altera conditio ſylvæ cæduæ eſt, ut arbores exciſæ renaſcantur vel ex ſtipitibus vel ex radice; cum in aliis incidantur tantum rami uſque ad truncum, ex quibus fiunt pali pro vitibus vel ligna pro igne, in aliis inciſio fiat etiam trunci uſque ad radices, a quibus denuo pullulant & renaſcuntur. Sylva autem non cædua illa eſt, cuius arbores non renaſcuntur ex radicibus aut trunco, neque a domino plantatur & habetur ut incidatur, ſed aliud emolumentum ſeu fructum ex ipſa percipere intendit. Et huiuſmodi ſylvæ & arbores ſunt quæ etiam frugiferæ dicuntur, ut vites, olivæ, nuces, caſtaneæ, pyra, poma & ſimilia, quæ fructum, afferunt ad uſum hominum, vel animalium; & arbores ac ſylvæ huiuſce generis, licet forte ex radicibus renaſcantur, nequeunt dici cæduæ, quia illarum fructus non attenditur ex earum inciſione, ſed ex earumdem conſervatione. Ita Barboſa. Neque ſylvæ cæduæ ſunt licet infrugiferæ, quæ armentorum paſtui ſunt deſtinatæ, ut ex cit. L. *Sylva* ff. *de verbor. ſignificat.* vel ad amœnitatem loci, ſive ad reddendas vias opa-

opacas, aut ad venationem, ſeu ad alium finem, qui haberi nequit niſi ex arboribus non inciſis, ut ex L. *æquiſſimum* §. *Fructuarius* ff. *de Uſuſructu*. Et multo minus dici poteſt ſylva cædua quæ conſtat ex pinis ſeu cypreſſibus, aliiſve huiuſce generis arboribus, quæ inciſæ areſcunt & non renaſcuntur. Sic Barboſa citatus hic a Rotario. Inter arbores non frugiferas numerantur Salix, Populus, Platanus, Cupreſſus, Ulmus, Opulus, & hiſce ſimiles, quorum emolumentum conſiſtit in ligno. Quercus cum aliis arboribus glandiferis ſunt mediæ inter frugiferas, & non frugiferas, cum earum fructibus animalia nutriantur. His præmiſſis ſit.

Prælatus Regularis aut Beneficiatus, aliuſve bonorum Eccleſiæ Uſuſructuarius ſine placito S. Sedis nequit facere inciſionem & venditionem arborum ſeu ſylvarum frugiferarum vel alia ratione non cæduarum, in magna quantitate cum notabili deterioratione fundi: Harum enim alienatio cadit ſub prohibitione, cum defectu ipſarum fundus notabiliter deterioretur. Sic tenet Rota p. 2. deciſ. 553 n. 1. & DD. paſſim. Fieri tamen poteſt ſine beneplacito inciſio & venditio arborum, quando ſunt vetuſtæ ac inutiles, & indigent renovari, ut ſunt vites vetuſtæ, malus arancia vetus, & alia huiuſmodi, vel quando arbores ſunt nimis denſæ & opacæ, cum denſitas & opacitas ſeu umbra impediat, & noceat fructibus, & ex tali inciſione fundus evadat fructuoſior; vel quando arbores ſunt primario deſtinatæ ad cæſionem, ut fructificent in ratione ligni, ut ſunt arbores ſylvæ cæduæ, nemoris & huiuſmodi, quæ renaſcuntur, & per inciſionem ſunt in fructu, nec per earum inciſionem fundus deterioratur, ſed melioratur, adeoque earum inciſio & venditio non eſt prohibita, cum fructus non prohibeantur alienari ex cit. Extravag. *Ambitioſa*, ipſoa expreſſe excipiente his verbis *Præterquam de fructibus*. Sic Rota ut ſupra cum Doctoribus paſſim; Card. Petra tom. 5. Comment. ad Conſtit. Pauli II. ſcol. 2. a n. 22. ad 25.

Reſtat nunc videndum, quomodo res ſe habeat relative ad antea citatam Extravagantem *Ambitioſa* & Decretum Urbani VIII. circa pecuniam quoad eius alienationem, num fieri poſſit ſine Apoſtolico indulto. Nomine pecuniæ veniunt nummi aurei & argentei aut ex ære, qui uſualiter rerum emptioni deſerviunt. Unde nummiſmata aurea & argentea, ænea, aut ex alia materia, quæ potius inventa ſunt ad referendam hiſtoriam vel factum aliquod inſigne, quam ad uſum emptionum, non veniunt nomine pecuniæ; quinimmo reputantur inter mobilia, & pretioſiora, quo ſunt antiqua & rara. Pecunia accepta in ſuo vero ſenſu, ſeu prout ſervit emptioni non venit ſub nomine bonorum immobilium, neque bonorum mobilium, quæ ſervando ſervari poſſunt. Verum ex hoc non ſequitur, nec deduci poteſt, omnem Eccleſiæ pecuniam quomodocumque ad eam pervenientem eſſe alienabilem ſine ſolemnitatibus; ſed aliquando eſt libere alienabilis, aliquando non, prout exigit conditio radicis unde provenit.

Vidimus iam, pecuniam retractam ex redemptione cenſus, vel fundi venditione, vel ex extinctione locorum Montium, vel relictam pro fundo aliquo frugifero emendo, vel pro perpetua celebratione Miſſarum, ſine Apoſtolico indulto non poſſe alienari ſeu diſtrahi ad alium uſum, ſalva graviſſima urgenti neceſſitate, ut periculum eſſet in mora. Unde ſola difficultas occurrere poteſt circa pecuniam collectam ex fructibus Monaſterii, qui ex ordinariis expenſis Monaſterii ſuperfuerunt, ac circa eam, quæ relicta habetur in capſa a Prælato præceſſore, vel ad finem aliquem deſtinata, puta ut Monaſterium in aliquo contingenti peculium habeat quo ſibi providere poſſit. Et in primo caſu facile ſolvitur difficultas ex natura ipſa talis pecuniæ, cum ſit conſtituta ex fructibus Monaſterii, de quibus ſi ſupereſſent, poſſet Prælatus diſponere nulla requiſita licentia a S. Sede. Prælati enim Monaſteriorum ſunt ſimplices adminiſtratores bonorum Monaſterii, non domini; unde mutato Prælato nec per hoc mutatur dominium, quod ſemper fuit & perſeverat apud Monaſterium. Quare ſicuti durante officio Prælati, qui accumulavit, poterat pecuniam ex fructibus collectam ſine ſolemnitatibus alienare; ita etiam eo completo, cum mutatio Prælati adminiſtratoris non muret naturam aut dominium. Sic Riccius, Bonac. Sylveſt. Paſſerin. citati hic a Rotario. Ex his reſolvitur etiam difficultas in ſecundo caſu, videlicet quod cum pecunia collecta ex fructibus Monaſterii, & per Monaſterium ad aliquem finem deſtinata, non minus ac ante deſtinationem ſit ſub dominio Monaſterii, & conflata ex fructibus, de quibus ſine ſolemnitate diſponere poterat, & cum dominus circa res ſuas mutare poſſit intentionem, ideſt quæ nunc ad unum finem determinatæ ſunt, ad alium finem po-

poſtea deſtinare; tunc ſine ſolemnitatibus poteſt Monaſterium variare ſuper illa pecunia determinationem, & ad alium uſum ſine Apoſtolico indulto eam diſtrahere. Rotarius hic cum aliis. Hoc idem dicito de pecunia relicta Eccleſiæ a Fidelium pietate ſine ullo onere; cum pecunia ita relicta ſit ſpontanea eleemoſyna & oblatio facta Monaſterio, quæ naturam induit fructus Monaſterii, cuius fundus eſt pietas Fidelium, unde ſequitur naturam fructus, qui ſunt alienabiles.

Nota, pecuniam retractam ex alienatione alicuius fundi conceſſi pro certa cauſſa & effectu, pura pro ædificanda Eccleſia, pro extinguendo cenſu valde oneroſo, non eſſe licitum applicare in alia re, tametſi magis utili, ſine novis ſolemnitatibus & novo aſſenſu Apoſtolico; quia maior utilitas non ſufficit ad alienandum ex una parte: Spectat enim ad ſacram Congregationem diiudicare quid ſit magis utile & expediens; & ex alia parte licentia obtenta eſt ſub conditione applicandi pretium pro uno effectu, non pro alio; ſic ex can. *Sine except.* 12. q. 2. Præterquam quod ſecuta alienatione in favorem Eccleſiæ, pretium retractum ſtat loco fundi ut ex can. 1. 12. q. 3. argum. l. *ita conſtare*. Unde ſicut fundus alienari nequit, ita neque pretium fundo ſuccedens poteſt in aliam cauſſam converti, ſed ſolum in eam, pro qua licentia fuit obtenta, ut ex l. *ſi pupillor.* §. *Si Prætor* ff. *de rebus eorum*. Quod ſi obtento effectu, ideſt completa Eccleſia vel Monaſterio aliquid notabile reſiduum in capſa remaneret, ſine alia ſolemnitate (ut cenſet hic Rotar.) poſſet applicari in fundo immobili fructifero; quia cum illud reſiduum non ſit amplius neceſſarium pro effectu, debet inveſtiri in aliquo immobili, ſicut erat ante obtentam licentiam, cum retineat illius naturam, & loco illius ſtet.

## CAPUT IV.

### *De Prælaturis Regularium.*

### §. I.

### *Initium & nomina Prælaturarum Regularium.*

SI in omni bene ordinata Familia & Communitate neceſſe eſt aliquem dari, qui eiuſdem regimini præſit, ut eius cura omnia quæ opus ſint ad ſuſtentationem provideantur, & omnia eius prudentia pro tranquillitate, quæ eſt familiarum, Communitatumque felicitas, ordinentur; non minus profecto, immo multo magis talem exigunt inſpectorem, patrem ac proviſorem Religioſorum Familiæ ſeu Communitates, quanto ſunt maiora & numero & gravitate ea, quæ conſilio indigent ac directione in huiuſcemodi familiis ſeu ſocietatibus, quæ cum ſint veluti ſacræ domus ac ſcholæ, ubi fugientes a fraudibus & illecebris ſæculi ſe recipiunt ferventiores Fideles ad addiſcendam pro maiori eorum ſecuritate æternæ ſalutis viam, & exercitium Evangelicæ perfectionis & ſanctitatis, ad inſtar boni Patrisfamilias, filiis ſuis omnia temporalia miniſtrare debet, immo ſpiritualia quoque, eos regendo ac inſtruendo in ratione ſanctitatis morum & vitæ: Hinc cum ipſis Monachorum ſeu Religioſorum Inſtitutis, ſive Congregationibus initium habuere eorum quoque Præfecti, Superioreſve, quos veteres Monachi *Abbates* vocabant, & ſic Sanctus etiam Benedictus eos nominavit. Primo nomen Abbatis ſuo Præfecto tributum legimus ab ipſis Canonicis, dum in communi vitam agebant, ac aliquo modo Inſtitutum Monaſticum ſequebantur, ut habetur in Can. 24. Concilii Turronenſis II. & in can. 37. Pariſienſis VII.

Porro Præfectus ſeu Superior Congregationis Monaſticæ ſive Monaſterii dictus fuit Abbas ab officio, quod ſingulari ratione inter Monachos debet eſſe *paternum*. Nam Abbas lingua Hebraica ac Syriaca idem ſonat quod latine Pater, ut eruitur ex D. Hieronymo in epiſt. 2. ad Galatas: *Nomen Abbatis ſeu Patris plane eſt nomen officii*. Etenim, ſicut notat Tertullianus lib. *de Orat.* cap. 2. *appellatio iſta & pietatis eſt, & poteſtatis: pietatis, quia Superiores inſtar parentum, debent ſubditos, tamquam filios diligere: poteſtatis, quia eoſdem peccantes corrigere & caſtigare debent.*

Præter Abbates, qui ſuprema auctoritate Monaſteria regebant, habebantur olim alii in iiſdem Monaſteriis ſubalterni Superiores, ideſt ſubordinati Abbatibus, qui ſecundum iuſſa quæ præſcribunt Abbates, Monaſteria regebant, & dicebantur *Præpoſiti*, ut habetur in Regula S. Benedicti, in qua cap. 65. ſic præcipitur: *Ut Præpoſitus illa agat cum reverentia, quæ ab Abbate ſuo ei iniuncta fuerant, nihil contra Abbatis voluntatem aut ordinationem faciens*. Præpoſiti poſteriori ætate dicti fuere *Priores*, ut in ſtatutis Lanfranchi cap. 3. *Prior, qui Præpoſi-*

*poſitus in Regula nominatur, honorabilior eſt reliquis in domo Dei.*

Penes Abbatem, alioſve Monaſteriorum primarios Præfectos eſt præcipua rerum temporalium inſpectio, & hi ſunt præcipui rerum illarum diſpenſatores, ut conſtat tam ex ſacris Canonibus, quam ex Regulis Monaſticis. Et huiuſcemodi eſt etiam Inſtitutum aliorum Ordinum Religioſorum, qui poſt Monachiſmum exorti ſunt, ſcilicet Canonici & Mendicantes, cum huiuſmodi regendi norma non obſcure exprimatur in Regula S. Auguſtini, ubi ait: *Ne dicatis vos aliquid habere proprium, ſed ſint vobis omnia communia, & diſtribuatur unicuique veſtrum a Præpoſito veſtro.* Superiores autem in rebus communibus diſpenſandis tenere debent normam ſibi in Actibus Apoſtolorum propoſitam: *Dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat*: ſed de hoc clarius ſuo loco dicemus.

Monachi priorum temporum non habebant niſi unum Abbatem rectorem unius Monaſterii, cum tunc nulla daretur communicatio unius Monaſterii cum aliis, ſicuti nunc fit in Congregatione PP. Oratorii Neriani. Immo Cluniacenſis Ordo, qui florere cœpit ſæculo decimo ineunte, ex inſtauratione facta a S. Abbate Odone in Domo Cluniacenſi, quam fundaverat initio eiuſdem ſæculi, ideſt anno 910. idipſum ſervavit. Abbas Berno, ſervandæ unitatis cauſſa, unum tantum Abbatem habere voluit, cæteris Monaſteriis, quæ erant filiæ principalioris Monaſterii, quia ab ipſo fundata, licet ampliſſimis, Priori commendatis. Ciſtercienſes vero tribuentes laxitatem diſciplinæ, in quam incurrerant Cluniacenſes, abſolutæ auctoritati eorum Abbatis, ſingulis Monaſteriis ſuum particularem Abbatem præfici voluere, qui quolibet anno ſimul convenirent, ut palam fieret, num uniformitatem diſciplinæ tuerentur, Regulamque fideliter obſervarent. Hanc regiminis œconomiam ſecuti ſunt ſubſequentes noviter exorti Religionum Ordines, Monachorum, Canonicorum Regularium, & maxime Mendicantium. Immo cum inter Mendicantes præcipue Monaſteriorum numerus valde excreviſſet, ut ſatis non eſſet pro bono Religionis regimine ſuperintendentia ſolius Patris Generalis, diviſa fuere Monaſteria in plures Provincias, ſingulis quarum præeſſet alter Prælatus, inferior tamen Generali, qui dicitur Provincialis, ut iam melius ſuo loco res explicabitur.

## §. II.

### *De poteſtate Superiorum Regularium in genere.*

Poteſtas in Superioribus Regularibus alia eſt Monaſtica ſeu politica, alia œconomica. Poteſtas Monaſtica ſive politica ea eſt, qua ſubditos regunt ratione morum & vitæ interioris. Poteſtas œconomica eſt ea, qua ſuperior ut providus & zelator Paterfamilias adminiſtrat temporalia bona Monaſterii, eaque prudenter, quatenus opus eſt, filiis ſuis, ideſt Religioſis ſubditis diſpenſat. Poteſtas Monaſtica pariter duplex eſt, alia dominativa, alia præceptiva ſeu coercitiva cum poteſtate iuriſdictionis in foro etiam interno conſcientiæ. Poteſtas dominativa ea eſt, qua non ſecus ac paterfamilias filios ac inferiores ſuæ domus in vita civili ac morali regit ac dirigit. Præceptiva vero ſeu coercitiva illa eſt, qua cum poteſtate iuriſdictionis & ſuprema auctoritate ſicut ſuam Diœceſim Epiſcopus, ſic Prælatus Religioſos ſubditos regit, ut non ſolum facere poſſit eis mandata in foro conſcientiæ obligantia, ſed etiam eos, ſi contumaces ſint, pœnis temporalibus ac ſpiritualibus coercere.

Donec Regulares ſubiecti fuerunt Epiſcopis, ſatis erat eorum Superioribus pro ſubditorum, familiarumque regimine poteſtas tantummodo dominativa, & œconomica; quia per haſce patres filios, viri uxores, domini ſervos, totamque familiam ſine alia auctoritate, ſcilicet iuriſdictionis, regunt ac gubernant. Et revera cum ſola poteſtate dominativa & œconomica regitur in Eccleſia Dei Sanctimonialium Communitas, & perſona quæ illis præeſt, ſive Abbatiſſa ſit, ſive Prioriſſa, gubernat abſque poteſtate coercitiva & iuriſdictionis, ut docet D. Thom. in 4. cap 19. Suarez, & communiter Canoniſtæ, ut docet Abbas in cap. *de iis quæ fiunt a Præl.* Et ſic (ut initio hic notavi) primis temporibus advertit cum D. Hieronymo epiſt. 1. contra Vigilant. Dionyſius cap. 6. *de Eccleſ. Hierarch.* apud antiquos Monachos erat perfectum regimen Monaſticum, etiam quando Rectores Monachorum non erant Clerici, ideoque ſpirituali iuriſdictione carebant, inter quos recenſetur S. Benedictus, qui licet Pater ſeu Abbas Monachorum, non erat Sacerdos, ſicut ſecundum plurimos, nec SS. PP. Pacomius, Hilarion, & Antonius. Nam quamvis dicantur uſi fuiſſe contra contumaces fulmine excommu-

municationis: hic tamen excommunicationis nomen eſt æquivocum, latiſſime ſumptum, nempe pro ſeparatione a communione Fratrum in Choro, in Capitulo & Refectorio, quæ ſeparatio erat ſolum per ordinem obedientiæ, minime vero per ligamen cenſuræ; & habet rationem prohibitionis colloquendi cum Fratre, quem Superior ſequeſtravit in cella; ac proinde ex hoc non infertur poteſtas iuriſdictionis, ſed pura poteſtas dominativa & œconomica. Ex hoc tamen non ſequitur, ad bonum regimen Religioſæ Communitatis non eſſe ſimpliciter neceſſariam poteſtatem iuriſdictionis, quia tunc temporis Monachi ſubiiciebantur Epiſcopis, ſicut nunc Sanctimoniales, quæ ab illis vel a Prælatis Religionum dependent; a quibus armis ſpiritualis iuriſdictionis tunc ſuccurrebatur Monachis, ſicut nunc ſuccurritur Sanctimonialibus poteſtate dominativa, armis ſpiritualibus contumaces coercendo.

Quare ſuppoſita exemptione Religionum ab Epiſcoporum iuriſdictione neceſſaria facta eſt Prælatis Ordinum Regularium ad perfectam gubernationem etiam poteſtas ſpiritualis iuriſdictionis. Sic expreſſe Suarezius, Sylveſter, Angelus, & communiter alii cum Canoniſtis. Suppoſita enim tali exemptione, cum Religio per ſeipſam ſe regere debeat, neceſſe fuit ut vires haberet, quæ neceſſario requiruntur ad Religioſam rempublicam recte regendam, quod plane fieri non poterat, niſi eiuſdem Prælatis iuriſdictio ſpiritualis quaſi Epiſcopalis concederetur, qua ſpirituali gladio cenſurarum contumaces coercere poſſent. Hinc infert Donatus, Prælatum Regularem trium perſonarum vices gerere, ac ſuſtinere, nimirum Fratris, Patris, ac Iudicis; & exinde agnoſcunt Canoniſtæ tres differentes Prælaturas in Religionibus, videlicet Generalem, Provincialem, & Localem, quia in illis conveniens fuit transferre poteſtatem iuriſdictionis ſpiritualis, ex quo Religioſorum Ordines ab Epiſcoporum iuriſdictione fuerunt exempti. Sic. Gloſſ. in Clement. c. *de elect.* verbo *Prælatus*. Card. & Panormitanus in cap. *Cum ab Eccleſiar. de offic. Ordinar.* Ex ipſa igitur exemptione Religionum ab Epiſcoporum iuriſdictione cœpit in Religionibus vera & rigoroſa Prælatura, ideſt ſtricte & proprie ſumpta, prout nempe importat non tantum quoquo modo præeſſe, in quo ſenſu Parochi quoque dici poſſunt in eorum Eccleſiis Prælati, ſed quatenus nomen Prælati connotat in Prælato utramque poteſtatem dominii & iuriſdictionis.

Quoad numerum Prælatorum, ſi convertamur ad priora tempora, quando in Monachis cœpit Regulare inſtitutum, non alius erat Prælatus quam Abbas in quolibet Monaſterio, in quo tota reſidebat poteſtas iuriſdictionis ſicut antea notavimus, quando Monaſteria ad invicem non communicabant ut ex Regula S. Benedicti cap. 2. ita ut aliis domibus, quæ vel erant novæ fundationes factæ a tali Monaſterio, quæ filiæ vocabantur, & erant aliquando ampla Monaſteria vel loca, ubi mittebantur aliqui Monachi pro cura rei agrariæ, quæ *cellulæ* & *obedientiæ* dicebantur, non alius præficiebatur Superior, niſi ſubordinatus Abbati Monaſterii maioris, & dicebantur *Priores*. Hanc diſciplinam, ut ſupra vidimus, immutarunt Ciſtercienſes.

Hanc normam regiminis cum amplexi ac ſecuti ſint, ut vidimus, omnes novi Ordines, tum Canonicorum & Clericorum Regularium, tum Mendicantium, qui poſt Monachiſmum exorti ſunt, ita ut omnia Monaſteria cuiuſque Ordinis ſimul communicent, & Religio per totum mundum diſperſa unum corpus ſub uno capite generali conſtituat, hinc pro huius corporis regimine, plures Prælatorum differentias conſtituere neceſſe fuit. Et ſecundum Suarezium cap. 2. n. 1. cum communi tres admitti debent differentes Prælati, nimirum Prælatus ſupremus, qui Generalis dicitur, & immediate a Papa dependet; Prælatus medius, qui a Generali dependet, dictus Provincialis, quia uni tantum Provinciæ præeſt, & a quo dependent plures inferiores Prælati, qui eamdem Provinciam cointegrant; & Prælatus infimus, qui eſt Prælatus localis, qui immediate præeſt locis particularibus. Et in ſingulis hiſce tribus dignitatibus ſeu Prælaturis adeſt utraque poteſtas dominii & iuriſdictionis, ut ſentiunt Innocentius & Panormitanus in cap. 1. 2. & 3. *de offic. Ordinarii*. Quocirca dicti Præſules in hoc conveniunt, quod ſinguli habent iuriſdictionem immediatam in ſubditos: Quia tam Generalis in toto Ordine, quam Provincialis in ſua Provincia, quam Localis in ſuo Monaſterio poſſunt cuilibet ſubdito præcipere immediate, ipſum compellere ad obediendum, cognoſcere eius crimen, punire tamquam iudices, & corrigere tamquam patres; ita ut non comparentur ad invicem (notat hic Rotarius) tamquam Epiſcopus, Archiepiſcopus & Patriarcha, quorum ſolus Epiſcopus habet immediatam iuriſdictionem in ſuos ſubditos, & Archiepiſcopus & Patriar-



Digitized by Google

triarcha ſolum in caſu *appellationis*, & *viſitationis*; cum Generalibus & Provincialibus Religionum poteſtas immediata in ſubditos ſemper eis competat, nec alias in actu ſolummodo viſitationis; & hoc patet, ait Suarezius n. 18. cap. 2. ex communi uſu & conſuetudine omnium Religionum, ita ut ſi in aliqua Religione res aliter ſe haberet, hoc dicendum eſſet aberrare a iure communi, & eſſe exceptionem. Neque ex tali immediata iuriſdictione, quam ſemper habet quilibet horum trium Prælatorum in ſubditos, paritur confuſio aut iuriſdictionis perturbatio, quia totum hoc tollit ordo dominii & poteſtatis qui eſt in iſtis Prælatis ratione dependentiæ, quam unus habet ab alio, quocirca alterius præceptis opponi nequit. Nam tam ſubduntur Provinciales Generali, & Superiores locales Provinciali, ſicuti quilibet minimus Religioſus: Prælatura enim inferior non eximit a debito obediendi Prælaturæ ſuperiori, & hæc ſubordinatio ſatis eſt ad tollendam perplexitatem in ſubdito, & confuſionem in regimine: etenim hæ ſubordinatæ Prælaturæ in regendo ſe invicem adiuvant, non vero impediunt. Rotar.

Hinc Prælatus ſupremus limitare ſeu coarctare poteſt poteſtatem, iuriſdictionemque Prælati medii, & medius infimi. Ubi enim eſt ſubiectio & debitum obediendi, poſſibilis eſt etiam, & datur ſine iniuria limitatio ac coarctatio iuriſdictionis. Verum in hoc attendendum eſt ius commune, & ſtatuta ac leges cuiuſcumque Religionis; ita ut reſtrictio ſeu limitatio fieri nequit iuriſdictionis a ſuperiori Prælato in Prælato inferiori, niſi in caſibus, in quibus vel ius commune, vel particulare Religionis ſtatutum non vetet, ſed permittat. Et in hiſce caſibus etiam fieri nequit talis coarctatio ſine iuſta cauſſa: Quia cum quilibet Prælatus habeat ſuam ordinariam iuriſdictionem ex lege, quæ tali officio ſuam convenientem iuriſdictionem adaptat, quoad ſuam iuriſdictionem ius habet in re; igitur in nulla parte licite ſine iuſta cauſſa, eo privari poteſt. Et eo vel maxime, quod in tali iuriſdictionis limitatione oritur multa perverſio, & immutatio in regimine, & hinc ſequuntur ſcandala, (notat hic Rotarios) querelæ & diminutio reverentiæ erga inferiorem Prælatum, quæ omnia illicitam reddunt reſtrictionem.

## §. III.

### *De poteſtate directiva & præceptiva Prælatorum.*

Circa hoc iam plura dicta ſunt, ubi actum fuit de obedientia, idcirco ſatis erit quod in genere & breviter aliqua quæ huc pertinent, exponantur. Et in primis certum eſt apud omnes, quod ex vi voti quod habent Religioſi obediendi ſuis Superioribus, & auctoritatis qua pollent Superiores Ordinum erga Religioſos ſubditos, poſſe Prælatum ſuo præcepto obligare in conſcientia, cum præcipiat perſonæ ſubditæ quæ votum habet obediendi Prælatorum mandatis. Verum præter poteſtatem quam habet Prælatus obligandi ſuo præcepto Religioſum ſibi ſubditum in conſcientia ob ius quod acquiſivit vi voti, quo ſubditus ſe obligavit ad obediendum, quando a Superiore aliquid ei præcipiatur, habet alium titulum ſuperadditum ex gratia Apoſtolicæ Sedis, quæ eximendo Religiones ab Epiſcoporum iuriſdictione, poteſtatem quaſi Epiſcopalem Prælatis Religionum conceſſit: Ex quo fit, poſſe hoſce Prælatos, non ſecus ac Epiſcopos, condere leges & ſtatuta obligantia in conſcientia, cum tota auctoritas quam Epiſcopi habebant ſuper Religioſos, translata ſit in Superiores Regulares. Unde non ſecus ac Epiſcopis erat ſufficiens facultas ad obligandam conſcientiam ſubditorum in iis quæ ſpectant ad communem legem Dei & Eccleſiæ, quam Fideles omnes obſervare tenentur; ſic Prælatus Regularis obligare poteſt in conſcientia ad omnia, ad quæ ſe extendit lex propria Religionum, & ſunt intra latitudinem materiæ obedientiæ. Circa ea quæ præcipere poteſt Superior, certum eſt, poſſe ipſum præcipere ea omnia quæ ſunt in Regula, & ea quæ ſtatuta ſunt a Capitulorum Definitoriis; immo ubi regimen eſt Monarchicum, ut inter Benedictinos, alia etiam quæ neceſſaria aut valde expedientia viderit ad Regularem obſervantiam, etiam non quæſito Seniorum conſilio, quando Regula ab hac conditione præſcindat.

Plures vero requiruntur conditiones ad hoc ut præceptum Superioris, qui legitimam habet poteſtatem præcipiendi, obliget in conſcientia, nempe quod materia præcepti ſit honeſta, a nullo iure divino vel humano prohibita, ut ex cap. *Super his de Maiorib.* In dubio autem num iuſta ſit & honeſta, poſſeſſio ſtat pro Superiore; ut ſit etiam conveniens ſtatui talis Religionis, nec ſit contra

vel

vel ſupra Regulam ſuæ Religionis: ut præceptum ſit ſufficienter promulgatum, ideſt ſolemniter ſecundum ſtylum reſpectivæ Religionis: ut præceptum feratur a Superiore in ſuum ſubditum, quia ad alios non ſe extendit eius auctoritas. Qui melius rem declaratam optet, adeat Rotarium hic, alioſve; cum enim de hoc alias egerim, breviter me expedire cenſui.

Verum cum per ſua præcepta non ſemper intelligant velle obligare ſub mortali, ſed cum intentione tantum charitative & paterne dirigendi ſubditos; hinc ſigna unde dignoſcitur velle obligare ſub mortali, ſunt communiter quando præcipiat *in virtute ſanctæ obedientiæ*, vel ſub pœna excommunicationis non ſolum latæ ſententiæ, ſed ſecundum D. Antoninum, Angelum, Navarrum, alioſve, etiam ferendæ; dummodo tamen in hac ſecunda, ideſt ferendæ, ſufficienter conſtet, illam non eſſe meram externam comminationem.

## §. IV.

*De poteſtate Superiorum Regularium coercitiva per pœnas ſpirituales & temporales.*

Certum eſt ex vi ſtatus Religioſi convenire Prælatis Ordinum Regularium poteſtatem aliquam coercitivam, cum intelligi nequeat, ac concipi poteſtas gubernativa multitudinis cum dominio ſi hæc non ſe extendat ad puniendos perduelles, ſaltem illo punitionum ſeu pœnarum genere, quod competit Patrifamilias in ſua domo erga uxorem, filios, alioſque, qui ſibi ſubſunt in familia, quod publicam poteſtatem non requirit, ſicut pœna mortis, formalis carceris &c. Unde infligi poſſunt a Superiore vi ſuæ poteſtatis gubernativæ ſeu dominativæ, etiam ſecluſa poteſtate iuriſdictionis ſpiritualis, qua nunc Superiores ex privilegio apoſtolico pollent, mulctandi contumaces ſubditos pœna ieiunii, moderatæ flagellationis, recluſionis in propria cella, ſeparationis ad tempus a fratrum conſortio, ſeſſionis in ultimo loco, dormitionis ſuper terram, & ſimilibus, ut contingebant olim ante exemptionem ab Epiſcopi iuriſdictione, & nunc fit inter Moniales, quarum Superiorißa caret poteſtate ſpiritualis iuriſdictionis. Sit Suarezius tom. 4. *de Relig.* lib. 2. cap. 9. n. 2. Nunc vero, quando ob exemptionem Religionum ab Epiſcoporum poteſtate adaucta eſt a S. Sede Prælatis Religionum poteſtas ſpiritualis iuriſdictionis, unde habent intra clauſtra proprium tribunal ad cognoſcendas reorum cauſas, & terminandas per ſententiam iure, hinc Religiones maiora habent arma tam ſpiritualia quam corporalia ad contumaces coercendos.

Duplex autem eſt pœna poteſtatis iuriſdictionis Regularibus conceſſæ ad contumaces coercendos, videlicet una quæ utitur armis ſpiritualibus, nempe cenſuris, inhabilitatibus, & ſuſpenſionibus a ſpiritualibus miniſteriis; alia quæ utitur armis temporalibus, & ad hanc reducuntur pœnæ omnes corporis afflictivæ, ut ſunt carceres, deputationes ad vilia & abiecta miniſteria, privationes, inhabilitates ad officia & dignitates graduum Magiſterii, Bachalaureatus, vocis activæ & paſſivæ, [illegible] &c.

Verum poteſtas iuriſdictionis coercendi rebelles per cenſuras, ut notat Suarezius, poteſt quoad modum utendi limitari ab aliquo Superiore ad Prælatum, puta per ſummum Pontificem, vel a Capitulo Generali, vel a Regula; & ubi nulla eſt reſtrictio, ſtandum eſt iuri communi; ac ideo Prælatus Regularis non habet poteſtatem ferendi cenſuras cum maiori extenſione quam habent Epiſcopi, quorum auctoritas in ipſo actu exemptionis translata eſt in Superiores Regulares. Unde in hiſce caſibus in quibus poteſt Epiſcopus iuſte ferre cenſuras, cum proportione poſſunt & Prælati Regulares, ſalvo tamen interdicto locali, quod docet Suarezius ex communi ferre non poſſe, quia hoc redundaret in perſonas non ſubditas. Poſſunt quidem interdicere Religioſam Communitatem ſibi ſubiectam, ac ſuſpendere ſi neceſſe ſit, in illis nempe criminibus, in quibus iuſte ac convenienter a iure communi haſce pœnas infligere permittitur; cum Generalis in toto Ordine, Provincialis in tota Provincia ſint Prælati & iudices cum plena iuriſdictione, a qua dimanat facultas ferendi cenſuras tam ſupra ſingulos, quam ſupra totam Communitatem; dummodo in aliqua parte talis poteſtas non ſit eis limitata a Regula particulari propriæ Religionis.

Inquiri hic ſolet, an poteſtas ferendi cenſuras ſe extendat etiam ad Prælatum infimum, ideſt localem, erga ſuos ſubditos; & dubitant alii, conſiderantes Superiores locales cum relatione ad Parochos, non ad Epiſcopos. Verum notat Suarezius in cit. lib. cap. 2. n. 9. ut communiter intelligunt DD. Clemenr. I. *de rebus Eccl. non alien.* verbo *Proprii*, quod licet Priores locales propter dependentiam, quam habent a Generali & Provinciali compareutur potius Parochis & Archidiaconis Cleri ſæcularis, tamen reipſa ſtan-

ſtando iuri communi, & quantum ad iuriſdictionem, poteſtatemque ſpiritualem quam habent in utroque foro, conferendi ſunt cum Epiſcopis; quod deducitur ex cap. *Abbates de Privileg.* in 6. ubi ſic: *In quo Eccleſiaſticam & quaſi Epiſcopalem dignitatem obtinent*; quia licet Superiores locales dependeant a Generali & Provinciali quoad poteſtatem ſpiritualem iuriſdictionis, in iure nulla ſit diſtinctio, nempe quod in exemptione Religionum ab Epiſcoporum iuriſdictione poteſtas aliqua quaſi Epiſcopalis detur Superioribus infimis ſeu localibus, aliqua reſervetur Provincialibus & Generalibus; ſed poſita dicta exemptione, iura quaſi Epiſcopalia translata ſint in Religiones pro bono ipſarum regimine, & ſuperaddita dominativæ poteſtati tanquam eius complementum. Hinc ubi reperitur poteſtas dominativa, ſicuti in Superiore etiam locali, reperitur eius complementum, ideſt poteſtas iuriſdictionis; ac proinde niſi a particulari lege proprii Inſtituti hæc prohibeatur, Superior localis poteſt ferre cenſuras, &c., quando gravitas tranſgreſſionis ita exigat. Quoad irregularitatem tamen proprie dictam, cum hæc ſit impedimentum canonicum, nequeunt Prælati Regulares eam imponere, cum nec Epiſcopi ipſi hoc poſſint, incurritur enim tantummodo propter caſus in iure expreſſos, ut in cap. *Is qui de ſentent. excommun.*

Quantum ad alias inhabilitates ad dignitates & officia, dubitat Navarrus an Prælatus imponere has poſſit ſubditis, cum hæc pœna videatur dependere a poteſtate ſuprema habente merum & mixtum imperium, quæ ſola poteſt inhabilitare ad actum, ad quem quis ex natura ſua attento iure divino eſt habilis. Hinc advertit Suarezius loco cit. non debere Religiones ad haſce inhabilitates deſcendere, niſi iſtæ fuerint expreſſæ in iure communi vel propriæ Religionis. Prælati particulares Religionum nequeunt excogitare novos modo puniendi delinquentes, ſed conformare ſe debent iuri canonico, & eius praxim ſequi, quæ ubi non eſt expreſſa pro Clero Regulari, ſumenda eſt per imitationem ad ea, quæ expreſſa ſunt pro Clero ſæculari.

Circa pœnas corporales certum eſt, mortis pœna Regularem Superiorem ſubditum ſuum condemnare non poſſe, cum Eccleſia abhorreat a ſanguine, nec ſi ſubditus ſit profeſſus, ſive Clericus, ſive non, tradere poſſe brachio ſæculari, licet poſſit propter contumaciam in gravibus criminibus eum eiicere; quidquid ſit ſi eiectus incurrat poſtea in gravia crimina, ob quæ extremo ſupplicio damnetur, eum per ſolam eiectionem proprie tali morti Superior cooperatus non ſit. De aliis duabus pœnis, fuſtigationis & triremium, dicendum quantum ad primam, certe non poſſe Prælatum imponere Religioſo contumaci pœnam fuſtigationis publicæ per vicos & plateas, quæ ſit per publicum lictorem, licet moderatam & ſine ſanguinis effuſione, cum hæc non ſit in Eccleſia, nec per ſacros Canones impoſita contra Clericales perſonas, ob decentiam ſtatus Clericalis. Prælatus igitur Eccleſiaſticus, cuius poteſtas ab Eccleſia in eum derivat, iſta pœna pro ſuo arbitrio uti nequit. Poteſt quidem imponere pœnam flagellationis ſolitam fieri in Clauſtro (& *diſciplina* dicitur) cum hæc non afferat infamiam, nec ſcandalum pariat: & hanc flagellationem imponere nequit niſi exequendam per ſeipſum a reo, vel ſuſtinendam ab ipſo Superiore, tamquam filius a patre, aut ab aliquo fratre, minime vero per laicum, ideſt per ſervum ſæcularem, cum hoc non ſolum ſit indecens, verum etiam ſecundum Fagnanum ex cap. *Univerſit. de excommunicat.* n. 3. Superior qui hoc mandaret, incurreret in pœnam excommunicationis. Quantum ad pœnam triremium, ad hanc extenditur poteſtas Prælati Regularis, & hoc tum ex privilegio, tum quia illa pœna ſecundum ſe non importat ſanguinis effuſionem, neque aliquo iure eſt vetita; tum quia eſt conſuetudo apud Regulares utendi hoc genere pœnæ, & iuriſdictio poteſt conſuetudine acquiri ut ex cap. *Cum contingant de foro competenti*.

Quoad pœnam exilii, certum eſt poſſe Prælatum Regularem hac punire ſuum ſubditum, cum hæc non excedat limites moderationis iudicis eccleſiaſtici, utpote quæ expreſſa ſit in iure, ſcilicet in canon. *cum Beatus* 45. diſtinct. & cap. 1. *de calumniatoribus*; neque in iure ulla habetur exceptio pro Regularibus. Et ad hanc pœnam reducit Suarezius privationem affiliationis in Religionibus, ubi eſt uſus, & maxime ſi expellatur a Monaſterio ſine ſpe redeundi, donec reſipuerit, & talis pœna remiſſa fuerit Generali, & multo magis ſi expellatur a loco ſuæ originis & a tota Provincia, ac relegetur in Inſulis diſtantibus aeris inclementis, Monaſteriis pauperibus, in quibus victus & habitatio ſunt incommoda. Ad pœnam exilii reducitur eiectio ab Ordine, quam tamen imponere nequeunt Generales, niſi ſervatis conditionibus impoſitis ab Urbano VIII.

Tan-

Tandem Prælatus Regularis damnare poteſt ſubditum ad pœnitentias aſperas, delicto tamen proportionatas, ad ieiunia ſcilicet, ad opera manualia laborioſa, vilia vel infima Monaſterii, ut communiter docent DD. Sed de hoc iam dictum fuit ubi de obedientia.

§. V.

*De poteſtate diſpenſativa Prælatorum Regularium.*

Poſita exemptione Regularium ab Epiſcoporum iuriſdictione, ne ſubditi Religioſi nimis ſine neceſſitate ſibi indulgeant, aut nimis ſe onerent legem ſervando, dum habent iuſtam cauſſam pro diſpenſatione, neceſſario requiritur ut in Religionibus extet facultas diſpenſativa. Verum quidem eſt, generatim & abſolute loquendo iuriſdictionem Superiorum Regularium diſpenſationis non tantum ſe extendere quantum Epiſcopalis. Nam iuxta Canoniſtas & Theologos Epiſcopus diſpenſare poteſt in iis omnibus, quæ a iure vel conſuetudine ſibi non ſunt prohibita, ſeu quæ non ſint ſpecialiter Papæ reſervata, quam amplitudinem ſuſtinuit Innocentius non eſſe in Prælatis Regularibus ex cap. *de illo qui furtive Ordines ſuſcepit*, & vult Prælatos Religionum poſſe dumtaxat diſpenſare in iis, quæ ſibi a iure privilegiorum conceſſa ſunt. Quocirca in multis caſibus diſpenſant Epiſcopi, ut in ſuſpenſionibus & irregularitatibus occultis iuxta Trid. Concilium ſeſſ. 24. c. *6. de reformat.* in quibus Prælati Regulares diſpenſare nequeunt.

Cæterum quoad materiam, quædam cadunt ſub poteſtate diſpenſativa Prælatorum Regularium, quæ Epiſcopis non conveniunt, ut diſpenſare a lege ſilentii, a Matutinis, aliarumque rerum Regularis obſervantiæ, quæ ſic afficiunt ſubditos Religionis, ut ſubditis Epiſcoporum non conveniant. Et e contra ratione materiæ plura reſpiciunt facultatem diſpenſativam Epiſcoporum, quæ Religioſis Prælatis non congruunt, v. g. diſpenſare a publicationibus pro Matrimonio, & aliis eiuſmodi. Et quamvis hæc diverſitas materialis ſit, reſpicit tamen idem principium formale unde procedit, ſcilicet poteſtatem diſpenſandi cum propriis ſubditis in iis quæ ordinarie poſſunt eſſe neceſſaria & accommodata ſtatui, & in hoc utraque poteſtas concordat, ac eſt æqualis.

Facultas porro Prælati Regularis, licet ſuffulti poteſtate tamquam Epiſcopali, non ſe extendit ad ea quæ competunt Epiſcopis tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, cum hæc iuriſdictio, quam hoc titulo habent Epiſcopi, dici nequeat Epiſcopalis, ſed Apoſtolica, unde non convenit participantibus ſolam iuriſdictionem Epiſcopalem, ut notat hic Suarezius n. 4. Idcirco Regulares Prælati eam participant tantummodo poteſtatem in ſua amplitudine, quæ eſt in Epiſcopis tamquam ordinariis animarum Paſtoribus; alias Religioſis in iuriſdictione Epiſcoporum exemptis minus proviſum fuiſſet quam Laicis. Quocirca Prælati Regulares reſpectu ſuorum ſubditorum habent poteſtatem diſpenſativam ad omnem materiam eccleſiaſticarum diſpenſationum, quæ in perſonis Religioſis locum habere poſſunt, ſalvis tamen caſibus in iure exceptis, qui ſunt graviores, pro quibus recurrendum eſt ad Papam. Materia vero diſpenſationis poteſtatis Regularis reducitur ad quatuor capita, videlicet votum, irregularitates, præcepta eccleſiaſtica, & obſervantias Regulares.

Quoad facultatem vero diſpenſandi in votis cum ſuis ſubditis, proculdubio duplici titulo hæc facultas competit Superioribus Regularibus, nempe titulo dominii quod tenent ſuper ſubditos, actus quorum irritare poſſunt Superiores, ac invalidos reddere; quia ratione voti obedientiæ ſubditi non amplius de ſua voluntate diſponere poſſunt; & ratione eccleſiaſticæ iuriſdictionis, quam Prælatus Regularis tamquam Paſtor exercet in ſuos ſubditos, utpote exemptos ab Epiſcoporum iuriſdictione, & huiuſcemodi iuriſdictio eadem eſt ſeu eiuſdem virtutis ac ea quæ reſidet in Epiſcopis ſecundum Suarezium, ac proinde diſpenſare poſſunt in omnibus votis quæ non ſunt Papæ reſervata, cuiuſmodi ſunt Religionis ſimpliciter, ideſt quoad ſubſtantiam; nam quoad modum, ideſt ſi eſſet Religionis arctioris, quoad hunc gradum ſicuti Epiſcopus, ita Prælatus Regularis diſpenſare poteſt vota ſolemnia. Sed de his iam ſatis in Tractatu de voto.

Circa irregularitatem vero poſſunt diſpenſare Prælati Regulares vi ſuorum privilegiorum in irregularitatibus ſolum occultis ad remedium animæ in foro interno, etiam ortis ex delicto, dummodo ſint occultæ, & non excedant forum internum. In Regularium privilegiis circa talem diſpenſationem, tametſi generaliter loquantur, conveniunt tamen Canoniſtæ quod non comprehendantur irregularitates ortæ ex bigamia, homi-

micidio voluntario, membrotum mutilatione; quia in generali conceſſione non intelliguntur concedi quæ ſunt difficilis conceſſionis, niſi in generali conceſſione graviora & difficiliora ſpecifice exprimantur.

Materia pariter poteſtatis diſpenſativæ Prælatorum Regularium, & quæ frequenter occurrit, ſunt præcepta Eccleſiæ. Nam poſita exemptione ab Epiſcoporum iuriſdictione, tota cura animarum Religioſarum translata eſt ab Epiſcopis in Prælatos Regulares. Unde cum ad animarum ſalutem requiratur mandatorum etiam eccleſiaſticorum obſervantia; hinc poteſtas diſpenſandi in mandatis & præceptis reducitur ad curam animarum, ac proinde ſine conceſſione talis facultatis Ordinum Prælatis, non æque ac ſæcularibus ptoviſum fuiſſet in hiſce moralibus neceſſitatibus cœtibus Religioſorum, & exinde ſpirituali eorum ſaluti.

Reducitur tandem poteſtas diſpenſativa Prælatorum Regularium ad leges & Regulas ſtatus Regularis, tum communes inſtituto Regularis tum proprias cuiuſcumque particularis Religioſi Ordinis. Verum in hoc notandum, immo ſupponendum, dari aliqua neceſſario obſervanda a Regularibus, ad quæ poteſtas diſpenſativa Prælatorum Regularium non ſe extendit, ut ex cap. *cum ad Monaſter. de ſtatu Monachor.* ubi admonentur Abbates, non habere facultatem diſpenſandi in proprietate & caſtitate, cum ad hæc non ſe extendat poteſtas ipſa ſuprema Pontificis. Unde colligitur manifeſtiſſime, aliqua eſſe in Religioſo ſtatu, ideſt in Regulis Religioſis diſpenſabilia a Prælatis, alia indiſpenſabilia, ut communiter ſupponunt tum Theologi, tum Canoniſtæ, & ita tenent Gloſſa in cap. *Carnem de conſecrat.* diſt. 5. Suarezius n. 25. Sylv. Angel. & alii communiter. Regulam autem, qua dignoſci queat quid Prælatus diſpenſare poſſit, quid non, deſumunt DD. a Concilio Trid. ſeſſ. 25. *de Regularib.* ubi ſic: *Cum compertum ſit, ab eis* (ideſt a Prælatis) *non poſſe ea quæ ad ſubſtantiam Regularis vitæ pertinent, relaxari.* Unde patet poſſe Regulares Prælatos diſpenſare in iis quæ non pertinent ad Regularem ſubſtantialem obſervantiam. Et præter ius commune quod ita iiſdem Prælatis conceditur, ut ſatis proviſum ſit neceſſitatibus Religioſorum, quæ vel in uno vel in alio frequentes ſunt, obviæ, & fere quotidianæ, nec ſemper poſſibilis eſt ob urgentiam recurrere ad ſupremam Pontificis auctoritatem; immo pro explicatione iuris communis potius quam pro formali conceſſione, pro Religioſorum quiete, & ad tollendos ſcrupulos, qui oriri poſſent in diſpenſante vel in diſpenſato circa legitimam diſpenſationem, & ut facilius Prælati diſpenſent, acceſſere fere in omnibus Religionibus Privilegia Pontificis diſpenſandi in obſervantiis Regularibus cum debilibus, impotentibus, infirmis, impeditis, ac ſimilibus.

Et quia notatum fuit, Prælatum non poſſe diſpenſare circa ſubſtantialia, quod intelligendum eſt non ſolum de ſubſtantialibus communibus Religioſo ſtatui, ſed etiam patticularibus alicuius Inſtituti, ad tollendam omnem difficultatem, & diſcriminanda ſubſtantialia ab iis quæ ſunt accidentalia Religioſo ſtatui: Advertendum eſt, alia eſſe ſubſtantialia Religioſo ſtatui ut ſic, & ſine quibus ſubſtantia Religionis non ſalvatur; alia ſubſtantialia tali particulari Inſtituto, ut, licet ſine ipſis ſalvetur ſubſtantia Religionis ut ſic, non ſalvatur tamen ſubſtantia talis Religionis, & ideo vel voto tribus ſubſtantialibus ſuperaddito, aſſumuntur obſervanda, vel ſaltem præceptn Regulæ obligante ſub mottali; alia demum accidentalia, & ad hæc reducuntur omnia quæ continentur in Regula ſub nulla alia obligatione particulari, ſed ſub illa tantum generali, qua Religioſus, qui ad perfectionem tendere debet, nedum media neceſſaria quæ ad vitam Religioſam omnino requiruntur, ſed alia etiam quæcumque præſcripta a Regula ad augmentum virtutis, & perfectionis, obſervare tenetur. Et ſuper his Prælatus diſpenſare poteſt, ex iuſta tamen cauſſa exigente, cum ſuis ſubditis, minime vero iuxta citatum Tridentinum ſuper his, quæ ſunt de ſubſtantia Regularis vitæ; item quæ ſunt baſis & fundamentum Regularis diſciplinæ. Et cum Tridentinum ibi loquatur de Religioſo ſtatu ut ſic, nec diſtinguat ea, quæ pertinent ad hunc vel illum Ordinem in particulari; hinc circa ea quæ pertinent ad aliquem Ordinem in patticulati, obligantia ſub mortali, cuiuſmodi eſt abſtinentia a carnibus apud Carthuſianos, ob aliquam rationabilem cauſſam, graviſſimamque neceſſitatem poteſt Prælatus diſpenſare ſuper huiuſmodi obſervantias, dummodo vel ex Regula vel ex conſuetudine in aliquo Ordine hæc quoque ſint diſpenſabilia. Quia plura ſuper his deſiderat, adeat Suarezium, Rotarium, alloſve, qui hæc pertractant; & præcipue quomodo Prælatus diſpenſans, indigens diſpenſa-

ſatione, ſibi providere queat, de quo præcipue Rotarius hic agit n. 15. pag. 313.

## §. VI.

*De auctoritate Prælatorum Regularium regendi ac corrigendi ſubditos.*

Curam animarum incumbere Abbatibus Regularibus, Prioribuſque Conventualibus, utpote qui in reſpectu ſuorum Religioſorum, quibus præſunt, vices gerunt non ſolum Patris, ſed quaſi etiam Paſtoris, non ſolum modernæ, ſed veteri quoque diſciplinæ conſonat. Idcirco Abbatias & Prioratus Conventuales inter Beneficia & dignitates curam animarum annexam habentes Canoniſtæ recenſent in cap. *Cum in cunctis* §. *de electione*. Dixi *Prioratus Conventuales*, ad differentiam Priorum Clauſtralium, qui regebant Monaſteria, & nunc etiam ubi ſunt in uſu, regunt Monaſteria tamquam Miniſtri ſubordinati Abbati, a quo omnino dependent, ſicuti nunc ſunt Vicarii in Ordinibus, ubi ex Inſtituto Ordinis Superiori locali impoſitum fuit nomen *Prioris*, ut apud Carthuſianos, Cœleſtinos, aliolve, & præcipue apud Mendicantes: Quia cum iſti Ordines amarent in ſuo Superiore nomen, quod humilitatem ſpiraret, abſtinere a titulo Abbatis, & Priorem vocari voluerunt. Hi porro Priores dicuntur Conventuales, quia ſunt capita, ideſt principales Monaſterii Superiores, non ſecus ac Abbates apud Monachos & Canonicos Regulares. Van-Eſpen, Fleury.

De onere, quod habent Abbates ſeu Superiores Monaſteriorum, ſic ipſos alloquitur S. Benedictus in ſua Regula cap. 2. *Semper cogitet* ( Abbas ) *quia animas ſuſcepit regendas, de quibus & rationem redditurus eſt ... & quantum ſub cura ſua Fratrum ſe habere ſciterit numerum, agnoſcat pro certo quia in die iudicii ipſarum omnium animarum eſt redditurus Domino rationem*. Quare cum Paſtoris ſit ac Directoris animarum dirigere ac enutrire gregem ſibi creditum ſpirituali pabulo æternæ ſalutis, non ſolum doctrina, ſed prius & efficacius exemplo propriæ virtutis, ut ait S. Benedictus in eodem cap. 2. ſuæ Regulæ: *Omnia bona & ſancta factis amplius quam verbis oſtendat, ideſt factis ſuis divina præcepta demonſtret ... ne aliis prædicans ipſe reprobus inveniatur*: hinc Superiores Monaſteriorum præter obligationem quam habent regiminis, nempe in ordine ad inferiores, aliam habent quoque obligationem in ordine ad ſeipſos, ideſt relative ad vitam quam gerere debent, utpote quæ non parum conferat ad rectum ſubditorum regimen, ita ut ex munere quod gerunt graviter incumbat Monaſteriorum Superioribus, ut vitam puram, communem ſeu Regularem, ac exemplarem agant.

Hic autem nomine puritatis non intelligitur tantum immunitas civilis ab infamia, a defectu natalium, ab Eccleſiaſticis cenſuris, ſed præcipue moralis, a fœditate ſcilicet gravium vitiorum & criminum, cuiuſmodi eſſent rixæ, contentiones, gula, ebrietas, carnales impudicitiæ, quæ graviter dedecent inferiores, multo magis profecto Superiores, & in his gravius mulctantur a ſuprema vindice Iuſtitia iuxta illud Sapient. 6. *Non enim ſubtrahet perſonam cuiuſquam Deus: fortioribus autem fortior inſtat cruciatio*. Igitur non tantum mundi eſſe debent Superiores ab irregularitate & cenſuris, ſed ab omni, quantum fieri poteſt, vitiorum culparumque macula, ac morum ſanctitate perfectioneque fulgentes.

Vitam ducere debent Superiores Regularem ſeu communem in omnibus, quæ communitas, prout unanimes ſentiunt Magiſtri vitæ ſpiritualis; ad quam multiplici ratione tenentur Superiores. Nam regularitas exigit, vitam communem ſervari in omnibus, in victu, veſtitu, inceſſu, in frequentia chori, meditationis, Capituli, Refectorii, aliorumve, quæ a cæteris ſecundum leges proprii Inſtituti obſervantur, quatenus ipſis inter ſuas occupationes licuerit. Unde ſi e contra curet Superior cibum potumque exquiſitiores, fugiat chorum, meditationem, adeſſe cum aliis in Refectorio, frequentet egreſſus e Monaſterio, inutiles curſitationes, ſuperfluas viſitationes, quæ utinam non reddantur etiam ſuſpectæ; talis plane Superior, ſi daretur, eſſet irregularis inter Regulares, & qui conſtitutus eſt magiſter & ductor, ut alios edoceat vitæ ſanctitatem, ac in viam perfectionis dirigat ac perducat, ac validiori conatu corruptelis ac laxitatibus obſiſtat, eſſet petra ſcandali ac lapis offenſionis, laxitatum auctor, lupus rapax, non Paſtor, quærens hoc pravo ſuo modo agendi electiorem Chriſti gregem diſſipare ac perdere, ac proinde de eorum eſſet numero Paſtorum, contra quos terribiliora minatur Spiritus ſanctus in ſacris Scripturis, Ieremiæ 23. *Væ Paſtoribus qui diſperdunt, & dilacerant gregem paſcuæ meæ*.

Requiritur tandem ut vita Superioris Regularis ſit exemplaris, nempe ut Religioſos ſibi ſubditos prius factis doceat quam verbis.

bis. Longius enim iter per verba, breve per exempla. *Vivum & efficax exemplum eſt operis, facile faciens ſuadibile quod dicitur, dum monſtrat factibile quod ſuadetur* ait D. Bernardus epiſt. 102. ad Balduinum. Etenim quilibet Superior debet eſſe forma gregis ex animo, ovesque ſibi creditas parturire, donec formetur in eis Chriſtus, quod certe nec brevius, nec efficacius impetrari poteſt, quam ſi factis & exemplo præluceat. Hinc S. Iſidorus cap. 2. Regulæ S. Benedicti de Abbate ſic loquitur: *Iſte ſe imitandum in cunctis operum exemplis exhibebit*. Et Concilium Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. *de Reformat* ſupponit & declarat *præcepto divino mandatum eſſe omnibus curam animarum gerentibus, oves ſuas agnoſcere, verbi divini prædicatione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere*. Et equidem tametſi Superior, ut ſubditos viam perfectionis edoceat, *linguis hominum loquatur, & angelorum, vix quidquam proficiet*, niſi Chriſti exemplo prius facere incipiat quam docere. Nam ſemper ille adeſt, qui ſibi male conſulens vulgatum iſtud obtrudat *medice cura te ipſum*, vel auribus obſtrepet illud Pauli ad Roman. 2 *Qui ergo alium doces, te ipſum non doces*. Attendant igitur ſerio ad ſeipſos, ideſt ut bene compoſiti ſint eorum mores, ſibi perſuadentes, tales fore ſubditos, qualis Prælatus, ut de iis qui præſident, generatim proteſtatur Spiritus ſanctus Eccleſiaſ. 10. *Qualis rector eſt civitatis, tales & habitantes in ea*; ac proinde niſi factis & opere præluceat Superior, indubie, ut ſequitur idem caput Eccleſiaſt. *perdet populum ſuum*. Quare ita Superiores omnes alloquitur S. Gregorius part. 2. *Paſtor.* cap. 3. *Sit Rector operatione præcipuus, & vitæ viam ſubditis vivendo denunciet, ut grex qui Paſtoris vocem moreſque ſequitur, per exempla melius quam per verba gradiatur*. Talis ſplendeſcere debet Superiorum vita, ut cum magna profectus ſpe erga Religioſos ſibi ſubditos ſuum regimen, de quo nunc agendum, perficere valeant.

Superiores, ut finem ſuum, qui eſt ſpiritualis ſubditorum profectus in via perfectionis, conſequantur, in quam eos ducere & in progreſſu opitulari vi ſui muneris, ut Magiſtro & Patri eis incumbit, neceſſe eſt ut ſint omnium virtutum inſtructi, & præcipue ſcientia, prudentia & charitate. Scientificum, ſeu ſcientia virtutum omnium ſuffultum eſſe debet Superiorum regimen, cum nulla ſit virtus, de qua pro loco & tempore ſubditos non teneatur Prælatus inſtituere; immo in illis decurſu diuturni ſui miniſterii ſe exercere non debeat. Cum enim Prælatus neceſſatio ſalutem animarum, quarum ei cura demandata eſt, procurare teneatur; hinc ei neceſſaria eſt ſcientia virtutum omnium tam theologalium, quam moralium, ut poſſit ſubditos edocere ſaltem neceſſaria ad ſalutem, nempe quæ ad Chriſtianam fidem ſeu Religionem ſpectant, quæ eorum ſtatum eiuſdemque electionem reſpiciunt. Debet enim Superior de Deo digne & laudabiliter loqui; inſtruere Religioſos Fidei & legis Chriſtianæ mandata, votorum eſſentialium, ac præceptorum Regulæ notitiam eis tradere; item ea quæ tangunt uniuſcuiuſque Religioſi gradum, & vocationem, unumquemque pro conditione ſui gradus ad perfectionem promovere, ſcrupulos, quibus quandoque etiam eruditi vexantur, non contemnendo ſolum, ſed & ſolide erudiendo placare, ſolvere caſus conſcientiæ ab ipſis Confeſſariis propoſitos, qui nativo quodam iure ad Superiorem recurrunt, vixque ſæpius ad alium recurrere poſſunt, ac denique ſubditas ſibi oves ab hæreſum veneno illæſas ſervare. Quis ergo non videt, quod ſi turpe eſt in unoquoque propriam artem ignorare quam profitetur; probroſum valde erit neſcire Superiorem, quæ ſunt eius muneris; idcirco cap. *Si in laicis* diſt. 38. dicitur, ignorantiam intolerabilem eſſe in iis, qui præſunt. Nec ſatis eſt, advertunt hic Pellizzarius & Henno, Superiorem habere apud ſe viros ſapientes, quibus in omni caſu uti poteſt: Quia præterquam quod multa Superiori aperiuntur, quæ inferioribus vix detegi poſſunt, verecundum eſt eum ab aliis exquirere quæ apud ſe repoſita eſſe debent, ut docet Innocentius in cap. *Cum in cunctis de elect.* n. 1.

Hinc graviter peccant, & cauſſa ſunt omnium peccatorum quæ ex ignorantia Superioris ſequuntur, qui ſub prætextu alicuius pietatis & dexteritatis ignaros indignoſque ad Prælaturas eligunt. Item rei ſunt Superiores, qui vel ex incuria vel ex ignorantia raro aut nunquam verbum Dei habent apud ſuos ſubditos, unde inſtruantur in obligationibus ſui ſtatus, & præcipue inceſſantis progreſſus in perfectione, accuratæ trium votorum obſervantiæ, & exercitii virtutum, quæ ad Religioſam perfectionem perducunt, eos paterno zelo exhortando, monendo, ac exſtimulando, ut hæc ſolicite impleant; qui nec per ſe nec per alios fidei rudimenta & Regulæ præcepta Laicis & Clericis nondum ſatis inſtructis expla-

planant. Culpabiles fiunt pariter ſi non invigilent, ut qui ad huiuſmodi ſcientiarum inſtructiones ſunt deſignati, cuiuſmodi præcipue ſunt Lectores, munus ſuum impleant. Non enim ſufficit inſtructores deſignaſſe, ſed ſolicite curandum eſt, ut plene muneri ſuo illi ſatisfaciant, non ſolum in ſcientiis edocendis, ſed iis etiam quæ reſpiciunt inſtitutionem Religioſi ſtudentis, ſeu diſcipuli, ut addiſcant quæ ſint hominis Chriſtiani & Religioſi, quod graviter Lectoribus incumbit. Et quia hoc ut plurimum negligitur, hinc fit quod ignorantes & ſubditi & Superiores quomodo ſe gerere & quod exequi teneantur in reſpectiva eorum conditione, in tot incidant inordinationes contra Religioſum ſtatum, ut collabatur ſimul cum Monaſtica etiam Chriſtiana diſciplina. Et hanc ærumnam, quæ iam invaluit in Ordinibus laxis, deflent cum multis lachrymis zelantiores.

Verum ſi ſcientia, æque, niſi plus dicam, requiritur in Superiore pro recto regimine, ut ei comes ſit & dux prudentia, quæ eſt virtus hominem in quovis rerum genere recta via deducens, ut neque deficiat, neque excedat: Idcirco Superior ut tamquam verus Paſtor partes ſuas rite expleat, ſui gregis ſigillatim vultum agnoſcere debet, ſeu neceſſe eſt ut ſubditorum ſuorum exactam notitiam habere ſatagat. Non enim oves recte paſcere poterit Paſtor, niſi exactam earumdem cognitionem percipiat; alia enim & alia paſcua & ſpiritualia alimenta conveniunt aliter diſpoſitis. *Non una eademque cunctis exhortatio congruit* (ait S. Gregorius in Prolo. 3. part. *de cura Paſtor.*) *quia non cunctos per morum æqualitatem aſtringit, ſæpe namque aliis officiunt quæ aliis proſunt; quia plerumque herbæ, quæ alia animalia nutriunt, alia occidunt &c. Pro qualitate igitur audientium formari debet ſermo Doctorum, ut ſua ſingulis congruant, & tamen a communi ædificatione nunquam recedat*. Hoc idem quod S. Gregorius generaliter dixit Paſtoribus, dixerat multo ante S. Bernardus ad Abbates in cap. 2. ſuæ Regulæ: *Sciat Abbas quam difficilem rem & arduam ſuſcepit regere animas, & multorum ſervire moribus... & altum quidem blandimentis, alium vero increpationibus, alium ſuaſionibus, & ſecundum uniuſcuiuſque qualitatem vel intelligentiam ita ſe conformet, & aptet, ut non ſolum detrimentum gregis ſibi commiſſi non patiatur, verum in augmentatione gregis gaudeat*.

Hæc omnia præſtare minime poterit Superior, niſi aſſidue tamquam vigilans Paſtor omnibus ſuis attendat, ut per continuam vigilantiam non exteriora tantum, ſed vel præcipue interiora, ideſt affectus ac animi motus ovium ſuarum exquirat; ſicque oves ſuas agnoſcat, ſicuti ex Concilii Trid. omnibus præcepit Dominus, quibus animarum cura commiſſa eſt. Quare explorare debet Superior externum & internum ſuorum ſubditorum, ut cognoſcat eorumdem qualitates, genia, diſpoſitiones, inclinationes, & in ſuis reprehenſionibus, diſſimulationibus, correctionibus &c. circumſtantias perſonæ, loci, temporis, actionum conſiderare, ut ſic nec rigor nimius, nec nimia indulgentia adhibeatur; ſed quadam paterna dulcedine moderata ſeveritas; quia ut rigor nimius, ſic & indulgentia nimia Religioſos, Religionemque in apertum diſcrimen adducit.

Quare delinquunt Prælati, qui ſub titulo fervoris obſtinato quodam ſenſu ſemper & ubique obſervantias etiam minimas indiſcrete zelant, nullo habito reſpectu ad perſonas, loca, tempora, occaſiones. Item qui ſub prætextu pacis omnia permittunt, omnia diſſimulant. Prudentia igitur opus eſt, ut nec Religioſi in ſumma periclitentur pericula per nimium rigorem, nec Religio detrimentum patiatur ob nimiam libertatem. Ad hanc Superioris prudentiam ſpectat, ut opportune, non importune, ovibus ſuis invigilet, ut non ſit exactor, aut ſatelles, ſed verus Paſtor, qui de ſuorum neceſſitatibus corporalibus & ſpiritualibus inquirat, externam converſationem tam in Conventu quam extra, immo & interioris diſpoſitionem perſcrutando. Caveat ne temere ſuſpicetur, præſertim in materia gravi. Caveat ne delatores, adulatores, exitialem cuiuſcumque Communitatis peſtem foveat, gratoſque habere demonſtret. Henno.

Charitativum tandem eſſe debet Superioris regimen. Nam regimen Superioris intendere debet tamquam in ſingularem ſuum finem, ad promovendum ac fovendum amorem Dei & proximi Charitatem. Idcirco Superior, ſicuti Paſtor & Paterfamilias, tenetur in conſcientia orare pro ſuis ſubditis Religioſis, iiſdemque alia ſpiritualia ſimulque corporalia, prout ipſis opus ſit, miniſtrare. Dixi *corporalia prout ipſis opus ſit*, ut ſic (advertit hic P. Henno) viam obtrudat proprietatibus, divagationibus, diſcurſibus, pernicioſis familiaritatibus, quæ aliquando pallianter titulo ſeu potius mentito

tito prætextu neceſſitatis. Spiritualia vero exhortando, monendo, conſolando, afflictis compatiendo, infirmos viſitando, & omnibus de idoneis Confeſſariis providendo; & in divinis experti præponantur, ſolicite ſatagendo ut Novitii habeant Magiſtros maxime aptos, ideſt in exercitio virtutum & perfectionis valde expertos; ſtudentibus ſeu ſcholaribus idonei Lectores ſeu profeſſores aſſignentur; quæ omnia ſane, notat Tournely, ſine ardenti, ſolicita & iugi charitate præſtare nequit. Hinc, iuxta P. Henno, ſecundum materiæ gravitatem peccant Superiores, qui ex quadam tenacitate, & ut ſe valde peritos demonſtrent, ſtudioſe ſubtrahunt Religioſis de ipſa ordinaria adminiſtratione, ut vel parcius tribuant quam res & conſueta pragmatica Monaſterii exigat, vel inferiora, vilioraque quærunt, ut minori pretio ea provideant; & ex hac tenacitate ſi non crudeliter prorſus denegant infirmis opportuna medicamenta, lenibus & debilibus inſtaurmenta, ſaltem parcius quo poſſunt ac difficillime hæc illis concedunt, & ſæpe ſæpius non ſine levi iſtorum detrimento. Et hoc ut plurimum contingit in illis Superioribus, qui nimis etiam ſeipſos amantes, vel parum ſubditos filios, ſibi ipſis etiam ſuperflua & delicatiora indulgent, dum neceſſaria aliis denegant, quaſi non eſſent bonorum Monaſterii meri adminiſtratores, ſed domini, & Religioſi, qui prout Communitatem ſimul conſtituunt, illarum rerum ſunt domini, eſſent ſervi ſeu famuli.

Graviter peccant, & gravi damnationis periculo ſe, ſuoſque exponunt, Superiores illi, qui nihil commiſerantes afflictos, non ſolum non curant paterna charitate eos conſolari, immo in omnibus cum eis dure ac rigide agunt, eos contemnunt, abiiciunt & negligunt, & quandoque in baratrum deſperationis præcipitant. Expers tandem omni prorſus charitatis affectu eſt illorum Superiorum regimen, qui tamquam dominantes munus ſuum exequi neſciunt, niſi quodam modo agendi imperioſo, nimis abſoluto, vultu ſevero, ſermone elato, verbis aſperis, & utinam quandoque non etiam contumelioſis, clamoroſitate, immemores moniti Spiritus ſancti Eccleſiaſt. 32. *Rectorem te poſuerunt? Noli extolli, eſto in illis quaſi unus ex ipſis: curam illorum habe.... ut læteris propter illos*. Hinc ita S. Bernardus Serm. 27. ſuper Cantica: *Audiant Prælati, qui ſibi commiſſis ſemper volunt eſſe formidini, utilitatis raro: Erudimini qui iudicatis terram; diſcite ſubditorum matres vos eſſe debere, non dominos: ſtudete magis amari, quam metui: & ſi interdum ſeveritate opus eſt, paterna, non tyrannica: matres, fovendo, patres vos, corripiendo, exhibeatis: Manſueſcite, ponite feritatem, ſuſpendite verba, producite ubera*.

Verum ſi valde conveniens eſt, immo & neceſſarium, ut regimen Prælatorum Regularium temperatum ſit dulcedine ac ſuavitate paternæ charitatis; neceſſarium quoque eſt, ne nimia manſuetudine ac lenitate ita componatur, ut nulla ſolicitudo Regularis obſervantiæ eos movens ſinat quod graves irrepant corruptelæ cum magno Regularis diſciplinæ detrimento, & propriæ ipſorum conſcientiæ gravamine. Nam graviter ſit culpabilis Superior, ſi per eius diſſimulationem negligatur obſervantia alicuius Regulæ; quia obſervantia talis Regulæ multum confert ad decorem, ædificationem & utilitatem talis Communitatis, quæ ſæpe præcavet gravia mala in ſubditis. Igitur ſi Superior negligat, infideliter fungitur munere ſuo, nocetque graviter Communitati, ac gravius peccat, quam ſi in temporalibus adminiſtrandis gravem negligentiam committeret. Ita La Croix, qui non eſt ex rigidioribus. Immo ante ipſum talem doctrinam tradidit Card. de Lugo tom. 1. *de iuſt. & iur.* diſp. 9. ſect. 2. ubi ſic habet: *Prælatus Regularis poteſt graviter peccare negligendo culpas veniales in ſubditis; immo & obſervantiam circa regulas, quæ tamen ex ſe non obligant ſubditos ad peccatum etiam veniale: Quia in hac ipſa negligentia Prælatus deſuit graviter obligationi, qua ex munere ſuo tenetur conſulere potiſſimum bono & profectui ſubditorum & obſervantiæ Regulari, quæ per huiuſmodi defectus maxime labefactatur. Hinc*, (paulo poſt ſubiungit) *poterit contingere, quod ſubditi tantum venialiter peccent, & Prælatus peccet graviter in his defectibus permittendis*. Conſone citatis Theologis ſentit etiam Paulus de Lugduno, qui tom. 3. pag. 540. ita ſcribit: *Superiores ita ſartam tectam conſervare tenentur Regularem obſervantiam, ut ſi una etiam leviſſima eorum culpa ac negligentia deſueſcat, aut pereat, ſecundum omnes DD. gravis peccati rei efficiuntur; quia licet hæc de ſe levis ſit obſervantia, eius tamen continuitas acervatim & in effectibus ſuis ſpectata gravis eſt utique, & permagna*. Hanc ſententiam ſequitur P. Antoine, ubi *de obligationibus quorumdam ſtatuum*. Sed de his iam diximus ubi de obligationibus quorumdam

dam

dam ſtatuum, quo Lectorem, ut melius de obligationibus Superiorum Regularium inſtituatur, remittimus. Unde ſatis nunc erit afferre pro epilogo hic uſque dictorum, quæ circa Superiores Regularium traduntur cap. 6. *de ſtatu Monachali* ex Innocentio III. cuius hæc ſunt verba: *Præ cæteris potens ſit in opere & ſermone, ut exemplo vitæ, verboque doctrinæ fratres & inſtruere poſſit in bono, & a malo revocare: zelum Religionis habens ſecundum conſcientiam, ut delinquentes corripiat, & caſtiget, obedientes foveat, & confortet.... vigilem curam, & diligentem ſolicitudinem gerens de omnibus, ut de officio ſibi commiſſo dignam Deo poſſit reddere rationem. Quod ſi prævaricator Ordinis fuerit, aut contemptor ſeu negligens, aut remiſſus, pro certo ſe noverit non ſolum ab officio deponendum, ſed & alio modo ſecundum Regulam caſtigandum, cum offenſa non ſolum propria, verum etiam aliena de ſuis manibus requiratur.*

## § VII.

### *De Auctoritate Superiorum corrigendi ſubditorum exceſſus.*

Alterum officium, quod competit muneri Superioris Monaſterii, ideſt Abbatis, ſeu Prioris Conventualis, eſt correctio; & apud ipſos ſolummodo, ut capita & Paſtores Monaſteriorum reſidet auctoritas, immo & incumbit onus corrigendi & puniendi exceſſus tranſgreſſioneſve ſubditorum; cum huiuſcemodi facultatem omnes Regulæ Monaſticæ Abbatibus ſeu Superioribus, quibus domorum Regularium tamquam capitibus, Patribus atque Paſtoribus regimen commiſſum eſt, attribuerint atque attribuant. Prælatus, cui innoteſcit ſubditum ſuum in crimen incidiſſe, procul dubio tenetur ad eum corrigendum, ſive notitia ad eum perveniat ex publica fama, ſive a privato denuntiatore, ſive a propria ſcientia fuerit collecta: Et contra Prælatos deſides delicta ſubditorum ex tepiditate non corrigentes conclamant omnia iura, & præcipue cap. *Licet Heli de ſimon.* ubi Innocentius III. exemplum Heli proponit Prælatis, qui non obſtante quod bonus eſſet, ex neglecta correctione filiorum morte punitus fuit. Olim, quia Monachi Epiſcopis erant ſubiecti, eorum Superiores non habebant poteſtatem coactivam ſive iuridicam, ideſt ſpiritualis iuriſdictionis cum impoſitione pœnæ ad publicum bonum, ut alii timentes removeantur a peccato, ſicut nunc habent poſt exemptionem a foro Epiſcopali, ſed ſolum dominativam ſeu domeſticam, quam habent patresfamilias in propria domo, ac proinde non aliam correctionem adhibebant niſi paternam, quam alii vocant oſtenſivam ſeu charitativam vel fraternam, qua nunc etiam utuntur contra ſubditorum crimina ſeu tranſgreſſiones, non ex gravioribus, quæ exigunt correctionem coactivam ſeu iuridicam; & de ſecundo genere correctionis, paternæ nempe ſeu charitativæ hic agemus.

Non plane levis eſt momenti officii Abbatis ſeu cuiuſvis alterius Superioris auctoritate rite defungi. Nam ut correptio ſubditorum cum fructu peragatur, magna requiritur prudentia & dexteritas, immo & diſcretio ac charitas erga ſubditos. Quia ſi hæc in Superiore deſint, fortitudo quæ exigitur in Superiore, degenerabit in aſperitatem, ſuavitas in remiſſionem, zelus in furorem, compaſſio vertetur in noxiam conniventiam, patientia ſine diſcretione fovebit audaciam, & conſuetudinem gignet peccandi. S. Benedictus monet Abbatem in ſua Regula cap. 64. *Oderit vitia, diligat fratres: in ipſa autem correptione prudenter agat.* Prudentia hæc requirit ut Superior in correctione hæc quatuor expendat, ac diligenter diſtinguat, primo perſonarum, quibus correctio impendenda eſt, qualitatem & conditionem conſideret iuxta Apoſtolicam illam ſententiam: *argue, obſecra, increpa.* Hoc monitum vult S. Benedictus in cap. 2. ſuæ Regulæ applicari ab Abbate tribus hominum generibus: *Indiſciplinatos & inquietos*, ait, *debet Abbas durius arguere. Indiſciplinati* proprie dicuntur, qui diſciplinam recipere nolunt, ſive qui nullatenus corripi volunt. *Inquieti* vero dici poſſunt qui nullo loco quodammodo conſiſtentes, continuo per Monaſterium vagantur, & curſitant de uno loco ad alium. Iſti, quia ſuo exemplo provocant alios ad relaxationem, & ordinem perturbant, durius arguendi ſunt. *Obedientes* vero, *mites & patientes*, qui ſunt alter genus Religioſorum, ut in melius perficiant, ait S. Pater, obſecrare debet Abbas. Hi ſunt, qui cum deliquerint, mox aut intus moti a Spiritu ſancto, aut correpti ab homine, ad pœnitentiæ remedium confugiunt. *Negligentes & contemnentes*, qui ſunt tertium genus, ait S. Benedictus, *ut increpet & corripiat.*

Cum vero vitioſorum correptio fieri poſſit verbis, & verberibus, quibus hæc, illave impendenda ſit, ſubiicit: *Honeſtiores* qui-

quidem atque intelligibiles animos prima & ſecunda admonitione verbis corripiat, improbos autem, & duros ac ſuperbos, vel inobedientes *verberum & corporis caſtigatione ipſo initio peccati coerceat*.

Secundo Superioris prudentia attendere debet ad cauſſam ſeu gravitatem culpæ. Nam, ut ait S. Benedictus cap. 23. *ſecundum modum culpæ, excommunicationis vel diſciplinæ debet extendi menſura*. Spectandum igitur quale peccatum ſit quod reprehenditur, an Communitati valde noxium, an relaxationi viam aperiat, an malo exemplo & contagio alios inficiat, an ex conſuetudine ſæpius perpetratum, an vero rarius ex infirmitate. Culparum diſtinctio in leviores & graviores in Regulis Monaſticis notiſſima eſt, ubi quæ leviores, & quæ graviores reputandæ ſint, paſſim indicatur.

Tertio conſideret prudens Superior quando corripiendum. Hoc intendit S. Benedictus, cum Abbatem monuit miſcere *temporibus tempora*: Quod explicans S. Bernardus ſerm. 2. *de Reſurrect.* ait: *Habeat mens noſtra ſpiritum diſcretionis, ut miſcens apte temporibus tempora, opportune æmulari, & nihilominus ignoſcere ſciat: Samaritanus ſit cuſtodiens, & obſervans quando oleum miſericordiæ, quando vinum fervoris exhibeat*. Denique prudens in corripiendo & puniendo modum ſervare debet iuxta illud S. Benedicti cap. 64. *In ipſa correptione prudenter agat*, Abbas, *& ne quid nimis, ne dum cupit eradere æruginem, infringat vas, ſuamque fragilitatem ſemper ſuſcipiat, memineritque calamum quaſſatum non conterendum. In quibus non dicimus ut permittat nutriri vitia, ſed prudenter & cum charitate ea amputet, ut viderit cuique expedire, & ſtudeat plus amari quam timeri. Non ſit turbolentus & anxius, non ſit nimius & obſtinatus, non ſit zelotypus, & nimis ſuſpicioſus, quia numquam requieſcet*.

Sed dum timet Superior in correctione excedere, cavendum ne in alterum extremum labatur, nimiaque remiſſione ſeu indulgentia delinquat. Quare monet ſuos Abbates cap. 2. *Neque diſſimulet peccata delinquentium, ſed mox ut cæperint oriri, radicitus ea ut prævalet, amputet, memor periculi Heli Sacerdotis de Silo*. Hæc omnia evincunt, quam bene dixerit Benedictus Abbas, *quam difficilis & ardua res ſit regere animas, & multorum ſervire moribus*.

Quemadmodum in Regulis Monaſticis defectuum leviorum & graviorum varia diſtinctio occurrit, ita quoque magna pœnarum varietas paſſim legitur. Et equidem præter pœnas leviores, quæ ad humiliationem ſive confuſionem Monachorum potiſſimum ſpectabant, vel ad aliquam mortificationem & pœnitentiam pertinebant, ut dierum aliquot ieiunium, aut abſtinentia a certo potu vel cibo, etiam corporales pœnæ uſitatæ erant. Nihil enim uſitatius in Regulis Monaſticis, quam virgarum inflictio. Sic in Regula S. Pacomii, & in Regula S. Iſidori cap. 17. ubi ſic: *Gravior pœna diuturna excommunicatione purgatur, & flagellis etiam emendatur*, & ſic in aliis. Carcere etiam includebantur, vinculis nonnunquam conſtricti, ut legitur in Regula S. Fructuoſi.

## §. VIII.

### *De Reſidentia Superiorum Regularium.*

Iam dictum fuit cum communi tum Theologorum tum Canoniſtarum agendo de Beneficiis, quæ ab iiſdem Doctoribus iuxta doctrinam Canonum dividuntur in ſæcularia, quæ Clericis ſæcularibus a iure ſunt deſignata ac ſtatuta, & Regularia, quæ Regularibus ſecundum idem ius conveniunt, Unde illud effatum *ſæcularia ſæcularibus; Regularia Regularibus*: Iam dictum fuit, inquam, Superioratus Regularium Monaſteriorum, ideſt Abbatias, Prioratus Conventuales, ſive alio titulo nuncupentur, vera eſſe Beneficia Regularia curam animarum habentia. Unde ſi Clerici ſæculares, qui habent Beneficium, cui animarum cura annexa eſt, ſeu Eccleſiam Parochialem, tenentur in ea permanenter reſidere, ut loco cit. iam vidimus ob multas rationes ibi allatas, quæ hoc inviolabiliter exigunt, nempe ut oves ſibi creditas ſpiritualibus alimoniis paſcant ac nutriant, ac a luporum rapacitate eas tueantur; cum eædem militent rationes etiam pro Superioribus Monaſteriorum, eo quod ipſi quoque ſint animarum Paſtores, continuo in ſuo Monaſterio reſidere tenentur, ut ſpiritualia alimenta ſuis ſubditis filiis præbeant, ac in Domino enutriant; ita ut ad ipſos quoque dirigatur & monitum ex 1. Petri 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes ſpontanee ſecundum Deum*, & præceptum quod relative ad præceptum divinum impoſuit Concilium Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. Beneficiatis, & præcipue curam animarum habentibus, ut in ſuis Eccleſiis continuo reſideant. Et equidem quomodo Superiores Monaſteriorum im-

impleре poſſent ſui officii onera, quæ ſupra notavimus ipſis incumbere erga ſuos ſubditos? quomodo ſedulo eos promovere ac extimulare verbo & exemplo ad perfectionem? quomodo invigilare ne collabatur Regularis obſervantia? quomodo corrigere devios? & ſic de aliis dicito Superiorum obligationibus antea expoſitis, ſine inceſtanti eorum permanentia in Monaſterio ſibi ad regendum credito? Hinc ſolicite cautum fuit in Regularium Ordinibus, & præcipue Canonicorum Præmonſtratenſium, ne Superiores huiuſmodi ſuæ graviſſimæ obligationi deficerent, enixe hoc eis in reſpectivis ſtatutis inculcando, ut factum fuit a citatis Præmonſtratenſibus ſæculo elapſo. Ita enim habetur in hoc recenti eorum ſtatuto a Van-Eſpen hic relato: „ Omnes Prælati, „ prout omni iure obligantur ſtricte, reſi„ deant, ut ſuo gregi, cuius ſanguis a ſu„ premo Paſtore de ipſorum manibus ali„ quando requiretur, vigilanter intendere „ queant. Rariſſime autem abſint, niſi „ aliud officii eorum ratio poſtulet, quo in „ caſu domui ſuæ bene proſpiciant, ac aſſi„ due curent, ne ſubditi per eorum abſen„ tiam aliquod detrimentum patiantur, „ ſcientes quod non ſit admittenda Paſtoris „ excuſatio, ſi oves lupus comedit, & ipſe „ earum minime incumbens neſcit. Ha„ beant cum ſuo Priore Abbas (& in aliis „ Ordinibus cum ſuo Vicario Prior) „ aliiſque Superioribus de ſuorum moribus, „ profectu, atque defectu frequentes inqui„ ſitiones & collationes. Sæpe filios ſuos „ viſitent, vel ad ſe advocent, eoſque „ tamquam veri Patres in ſpiritu lenitatis „ inſtruat, moneant, conſolentur, ac dum „ opus eſt corripiant, obiurgent, atque ca„ ſtigent. Vultum pecudis ſui agnoſcere „ ſtudeant, & omnia interiora penetrare „ nitantur, quo facilius & interiorum vi„ tia extirpare, & virtutes inſerere queant. „ Pro ſua ac ſubditorum ſalute, neceſſita„ tibus, atque profectu (prout ſunt obli„ gati) ardentes, ac nunquam intermiſſas „ fundant preces. " Ita habetur in Conſtitutionibus recentioribus Canonicorum Præmonſtratenſium.

## §. IX.

### *De poteſtate œconomica Superiorum, ſeu de eorumdem adminiſtratione bonorum temporalium.*

Religioſæ Communitates a ſuis ipſis primordiis inſtitutæ fuere ad imitationem Apoſtolici Collegii a Chriſto Domino conſtituti, ut omnia ſcilicet inter eos eſſent communia. Quia vero in omni bene ordinata domo neceſſe eſt ut per eum, qui eſt paterfamilias, princeps ſeu caput domus, non ſolum dirigantur ea quæ ſpectant ad civile ſeu politicum regimen, ſed illa quoque, quæ attinent ad œconomicum rei familiaris, ut cuique quæ ei opus ſint ſecundum propriam conditionem adminiſtrentur: hinc ſicut in Collegio Apoſtolico, quod fuit prima communitas, apud Chriſtum Dominum eorum caput & Magiſtrum erat bonorum omnium ſeu eleemoſynarum adminiſtratio; ſic ex quo inſtitui cœperunt inter Monachos ad exemplum Apoſtolici Collegii Religioſæ Communitates, ſuperintendentia ac adminiſtratio earumdem bonorum fuit ſemper penes Prælatum ſeu Abbatem, alioſque Monaſteriorum primarios præfectos, & hi ſemper fuerunt & ſunt præcipui rerum illarum diſpenſatores, ut conſtat tum ex ſacris Canonibus, tum ex Regulis Monaſticis. *Univerſa* (ait Gelaſius in can. *Nullam* cauſ. 18. q. 2.) *quæ vel ad divini cultus reverentiam vel ad utilitatem Monaſterii pertinent, Abbatis ſolicitudo, ad quem poteſtas tota pertinere convenit, debet adimplere.* Conſone Regulæ S. Benedicti in variis capitibus circa auctoritatem in diſpenſandis rebus temporalibus, Regula quoque S. Auguſtini, illam eſſe apud Superiorem non obſcure exprimit. Ibi enim ait: *Non dicatis vos aliquid habere proprium, ſed ſint vobis omnia communia, & diſtribuatur unicuique veſtrum a Præpoſito veſtro.*

Poteſtas igitur œconomica regendi bona Monaſteriorum ſe tenet apud Abbates alioſve Monaſteriorum Præſules. Hæc tamen poteſtas bona illa regendi nullum eis confert in iiſdem bonis ius proprietatis, ſeu dominii, ſed ius tantummodo ea regendi, &, prout opus ſit, miniſtrandi ſeu diſpenſandi Communitati, iuxta ſtylum Collegii Apoſtolici, in quo Chriſtus Dominus diſtribuebat ex obvenientibus eleemoſynis Apoſtolis, & pauperibus neceſſariam ſuſtentationem; ita ut Præſules nequaquam ſint domini bonorum Monaſterii, ſed ſimplices ſolum miniſtri & œconomi, ut curare debeant eadem bona aliis, non ſibi, niſi prout coniunctim cum aliis, & eadem menſura, ac cum æquali charitativa diſtributione ac aliis. Quare in re hac plura ſunt obſervanda; 1. nempe Prælatis Monaſteriorum ex poteſtate a iure, quod eis competit regendi bona Monaſterii, non conferri in iiſdem bo-

nis

nis ius ullum dominii. 2. Quod talis poteſtas, cum ſit mere diſtributiva, eos conſtituit in iure & onere diſtribuendi ad normam primævæ Communitatis a Chriſto Domino inſtitutæ in Apoſtolis, & ab his in primis Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Fidelibus, Communitati ſibi ſubditæ. 3. Modus, quo bona Monaſterii ſunt diſpenſanda.

Et quoad primum, res ita patet, ut ſupervacaneum ſit longe progredi in hoc demonſtrando. Quia ſi proprietas ac Dominium bonorum temporalium competere nequit niſi Communitati, & minime alicui Religioſo in particulari ob votum paupertatis, quod voventem omni & quovis prorſus dominio expoliat, cum Superiores Monaſteriorum utpote profeſſi tria vota, proinde non minus ac Religioſi ſubditi voto paupertatis ſint obſtricti, & ideo omnis omnino dominii incapaces, ex poteſtate quæ in eis reſidet adminiſtrativa bonorum Monaſterii, nulla eis obvenit eorumdem bonorum proprietas, nullum dominium, ſed ſolum facultas ea iuſte, paterne ſcilicet & indifferenter ſine ulla perſonarum acceptione diſtribuendi, prout ratio bonorum eccleſiaſticorum fert ac exigit. Si ſola igitur diſpenſatio bonorum Monaſterii cuiuſcumque generis, ſive fundorum, ſive fructuum, ſive oblationum, aliorumque quocumque modo, ſive immobilium, ſive mobilium Monaſterio obvenientium, aut pertinentium, Abbatibus, aliiſque Superioribus Conventuum, concredita eſt; non autem eorum ipſis data proprietas, tenentur ipſi Superiores ſe tanquam fideles adminiſtratores, diſpenſatoreſve, nequaquam vero ut proprietarios aut rerum dominos exhibere, ac per conſequens in rebus illis diſpenſandis ſemper præfixum habere finem, quem ipſi fundatores, qui hanc eis diſpenſationem crediderunt, intenderunt, ideſt ea quæ ſuperſunt uſibus neceſſariis propriæ Eccleſiæ, & Familiæ commodæ (iuxta monitum Trid. Concilii) ſuſtentationi, in pios uſus; nempe in indigentium ſubſidium, Templorum ædificationem, devotumque ornatum erogare. De hoc ſerio monuere Abbates & Abbatiſſas, & ſub hoc nomine Superiores, Synodi Cameracenſis can. 16. & Diœceſana Audomarenſis an. 1585 *Id quod neceſſariis uſibus ſuperfuit debetur Paſtoribus, quibus tenuius quam oportet, proviſum eſt: debetur alendis pauperibus, ædificandis Dei templis; augendæ, ornandæque Chriſtianæ reipublicæ, & ſimilibus finibus*. Deinde monet Prælatos, ut meminerint *nec ſe a voto paupertatis abſolutos, ſed bonorum communium duntaxat eſſe diſpenſatores*. Et revera ſi Prælati bona Monaſterii fideliter non diſpenſent, ſed tanquam propriis ad quoslibet uſus pro arbitrio ſuo utantur, & de his diſponant, non tantum iuſtitiæ, quemadmodum alii rerum temporalium diſpenſatores, ſed proprietatis, & voti infractionis rei reputabuntur coram Deo, ut apposite notavit Petrus a S. Audomano lib. 2. *Inſtit Monaſt*. cap. 9. *Quoad diſpenſationem rerum temporalium ipſis* (Prælatis) *commiſſam*, inquit, *in iis caſibus in quibus contingit diſpenſatores bonorum temporalium furtum in ſua diſpenſatione committere opere vel voluntate, peccatum proprietatis incurrunt*. Proprietarii igitur ſunt, immo fures, & ſacrilegi, non minus quam Iudas loculos Chriſti expilans, quoties facultatibus Chriſti & Eccleſiæ utuntur, vel poſſident tanquam proprias; quod valde cavebat S. Auguſtinus. Maxime vero proprietarii ſunt, quando iis abutuntur in ſtatuendis ſibi magnificis monumentis... in magnis Eccleſiæ ſumptibus, in erigendis ſuperbis ædificiis, eiſque decorandis tapetibus, variiſque picturis, in luxu, in equitibus, cibis, in vaſis argenteis, in alenda multitudine famulorum, canum, equorum. Non immerito igitur notavit Ioannes Heſſelius in Decalogum cap. 147. *Præfectis Monaſteriorum ſpeciale periculum imminere peccandi vitio proprietatis propter temporalium diſpenſationem eis creditam*.

Si igitur Superiores Conventuum ſunt ſimplices bonorum Monaſterii adminiſtratores ac diſpenſatores, eis incumbit & ex proprio munere & ex eorumdem bonorum conditione (quæ ſicuti alia bona Eccleſiaſtica ſunt vota, oblationeſve Fidelium, pretium peccatorum, patrimonium Chriſti & pauperum) necnon ex intentione fundatorum & benefactorum, a quorum pietate proveniunt, ac iuxta ſanctorum Canonum ſtatuta, ut fideliter ſeu iuſte ac ſancte in pios uſus ab iiſdem Superioribus diſtribuantur; primo nempe in Religioſorum ſuſtentatione, & quod ſupereſt in pauperum ſubſidio, in decenti ac devoto, non ſecus ſumptuoſo Eccleſiarum ornatu, ita ut conſonus ſit paupertati Religioſorum, qui earumdem curam gerunt. Et quia primario bonorum Monaſterii diſtributio a Superioribus facienda verſari debet in Religioſorum ſuſtentatione, ne deficiant in modo qui neceſſario ſervandus eſt, huius facilis regula habetur in Actibus Apoſtolorum cap. 4. circa modum qui tenebatur in diſpenſan-

dis,

dis bonis Communitatis inter primos Eccleſiæ Ieroſolymitanæ Fideles, qui normam vivendi Cœnobitarum ſive Religioſorum in commoni viventium adumbrarunt. Dicitur enim ibi v. 35. cit. cap. quod in ea Communitate dabatur ſingulis quatenus cuique opus erat: *Dividebatur ſingulis* ( ait ſacer textus ) *prout cuique opus erat*, hoc eſt ſecundum uniuſcuiuſque indigentiam. Nihil tantopere in Patrum atque Conciliorum regolis commendatum eſt Superioribus, quam ut cuique prout opus eſt ex communi Monaſterii penu placide ac benigne ſuppeditent: *Eſt eius* ( ait S. Baſilius ) *penes quem diſpenſandi munus eſt, illud exequi diligenter: dividebatur ſingulis prout cuique opus erat*, in Regulis breviorib. Reg. 131. *Victus & tegumentum* ( ait S. Auguſtinus in Regula cap. 8. ) *non æqualiter omnibus diſtribuatur, quia æqualiter non valetis, ſed potius unicuique prout cuique opus fuerit*. Hoc ſolicite inculcat S. Pater Prælatis omnibus, immo tota eius Regula clamat, ut pro cuiuſque neceſſitate ab ipſis cuique ex communi Monaſterii penu placide ſuppeditetur; ſic enim legitur in Actibus Apoſtolorum: *Quia erant omnia communia, & dividebatur unicuique prout cuique opus erat*. Conſonat S. Auguſtino illud S. Benedicti in Regula cap. 34. *Sicut ſcriptum eſt, dividebatur ſingulis prout cuique opus erat. Ubi non dicimus ut perſonarum, quod abſit, acceptio ſit, ſed infirmitatis conſideratio. Ubi qui minus indiget, Deo gratias agat, & non contriſtetur; qui vero plus indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro miſericordia, & ita omnia erunt in pace*.

Hoc tam ſerio commendant, enixeque inculcant Concilia & Patres, tamquam efficaciſſimum vitio proprietatis arcendo ac extirpando remedium. Experientia enim ſemper compertum fuit, ex nullo alio capite proprietatis vitium tantum in Monaſteriis incrementum ſumere, quam ex negligentia & duritia Superiorum ſubditis vitæ neceſſaria ex communi Monaſterii ſubſtantia placide ac benigne non ſubminiſtrantium. Hinc ut hoc vitium *peculiare* ſeu *proprietatis* radicitus evellatur, ( ait S. Benedictus in Regula cap. 55. ) *dentur ab Abbate omnia quæ ſunt neceſſaria, ut omnis auferatur neceſſitatis excuſatio*. Patres Concilii Trid. poſtquam vitium proprietatis e Monaſteriis eradicandum eſſe monuerunt, mox neceſſarium remedium addiderunt, graviter præcipiendo Superioribus, *ut nihil ſubditis, quod neceſſarium ſit, denegetur*.

Verum licet ita graviter negotium hoc urgeant & inculcent Concilia & Patres, proh dolor! non deſunt Prælati qui nihil recogitantes animarum curam quæ ipſis incumbit, *parum curant quid ſubditi faciant* ( dicebat quidam Canonicus Regularis in ſua oratione habita in Conventu Canonicorum Regularium Windeſemenſi ) *aut unde quid ſibi opus ſit vel deſiderent, acquirant*. Verum ſi ut luem adeo animabus Religioſorum mortiferam proprietatis omnino ab ipſis eliminarent, tam ſolicite caverunt & curarunt ne quidquam quod eis opus eſſet, deficeret, ſed omnia prout cuique opus eſt a Superioribus placide ac prompte miniſtrarentur; nemo non videt quam graviter rei fiant in conſcientia Superiores illi, qui captioſe in vanis ac ſupervacaneis expenſis tamquam domini, non adminiſtratores, res Monaſterii prodigunt, ut excuſari nequeant a proprietatis labe, licet id faciant cum Capituli conſenſu, quia expreſſo a reverentiali timore, non a libera electione præbito, & ſæpe ſæpius decepto; & cum multo plus ultra quæſitum expendant; unde poſtea contingit, Monaſteria ad talem inopiam reduci, ut nedum non ſufficiant ad diſpenſandum ſingulis prout cuique opus ſit, ſed vix ad neceſſariora ſufficiant, quæ male ſaltem & valde parce miniſtrantur. Hinc cogunt eos ſibi curare aliunde ſubſidia ſuis indigentiis non ſine gravi voti paupertatis detrimento, & periculo vitii proprietatis, cum ex his Monaſterii anguſtiis foveatur in Religioſis ſolicitudo pecuniæ, ac eiuſdem occulta apud ſe retentio, uſus liber & independens, & pernicioſiſſima mei & tui opinio, atque teterrimum proprietatis vitium. Væ huiuſcemodi Superioribus, quia participes plane fiunt omnium proprietatis prævaricationum, quæ ex pravo eorum regimine, ſeu bonorum Monaſterii diſſipatione conſequuntur!

Superior igitur, ut munus ſuum adminiſtratoris adimpleat, ac iuſtam, fidelem, prudentemque normam diſpenſandi teneat, ideſt non ſolum, non diſponendo pro libitu & importune res Communitatis, & diſpenſando ſuis ſubditis neceſſaria, ſed etiam iuxta laudatam Apoſtolicam regulam cuique prout eis opus eſt, iuxta ſingulorum conditiones & infirmitates diſpenſando ſine perſonarum acceptione ex communibus Monaſterii proventibus, ad quos nullus plus iuris habet quam ipſe, *Non ab eo* ( ait S. Benedictus de Abbate cap. 2. ) *perſona in Monaſterio diſcernatur, nec unus plus ametur, niſi quem in bonis actibus & obedientia invenerit meliorem*;

*æqua-*

*æqualis ſit ab eo omnibus charitas, una præbeatur omnibus ſecundum merita diſciplina.*

Illud vero ſolicite in hac temporalium diſpenſatione attendere debent Superiores præcipue, ut ægrotorum & infirmorum curam habeant, providentes, ut nihil neceſſarii iplis deſit: *Infirmorum* ( ait S. Benedictus cap. 36. ) *cura ante omnia & ſuper, omnia adhibenda eſt, ut ſicut revera Chriſto, ita eis ſerviatur, quia ipſe dicturus eſt: infirmus fui & viſitaſtis me* &c. *quod feciſtis uni de his minimis, mihi feciſtis. Igitur cura maxima ſit Abbati, ne aliquid ob negligentiam patiantur: quibus fratribus infirmis ſit cella ſuper ſe deputata, & ſervitor timens Deum, & diligens ac ſolicitus.* Curam autem maximam habeat Abbas, ne a Cellerario aut a ſervitoribus negligantur infirmi, quia ipſum reſpicit quidquid a diſcipulis delinquitur. D. Hieronymus ſcribens de Monachis viventibus ſub Regula S. Pacomii in præfatione ejuſdem Regulæ ait: *Ægrotantes miniſtrorum ſuſtentantur obſequiis, & ad omnem copiam præparatis cibis: ægrotantium cura ſive poſt ægritudinem, ſive aliqua imbecillitate etiam ſine febribus laborantium, uni alicui debet injungi.* S. Auguſtinus in Regula ait: *ut ipſe de cellerario petat quod cuique opus eſſe perſpexerit.* Similia etiam habet S. Fructuoſus in ſua Regula cap. 7. Et quid mirum, in omnium Ordinum Regulis & Conſtitutionibus adeo enixe commendari curam infirmorum! Experientia enim manifeſtum eſt, nullam eſſe Religioſis maiorem tentationem privata peculia ſibi coacervandi & conſervandi, quam ſi videant ex communi Monaſterii penu infirmis neceſſaria non ſubminiſtrari, quod facillime eos in proprietatis ſcopulum ac ruinam inducit. Et cauſſam horum abuſuum, periculorum, malorumque in ipſos Prælatos refundi locus non eſt dubitandi, ut ſentit etiam Directorium Colonienſe: *Quorum* ( ait ) *immiſericordia huic irreligioſæ ſolicitudini, & nefariis auſibus occaſionem dedit, & ianuam aperuit, ut qui famulos Dei, qui omnia propter Chriſtum dereliquerunt, dum ægrotabant ita dereliquiſſe viſi ſunt, ac ſi eorum cura tam ad eos non pertineret.* Merito proinde PP. Eremitæ S. Auguſtini in ſuis Conſtitutionibus part. 2. cap. 14. volunt, ut ſolicite intendat Prior, ne aliquid deſit infirmario, quod neceſſitati expediat infirmorum, etiamſi opus eſſet ob eorum remedium apud creditores magna debita contrahere, vel etiam bona Monaſterii diſtrahere & vendere, quando aliter mendicare non poſſent.

Serio tamen Abbatibus, aliiſque Monaſteriorum Superioribus cavendum eſt, ne ita verſentur & occupent ſeipſos in rerum temporalium adminiſtratione & cura, ut ſpiritualia negligant, ita ut dum ſoliciti ſunt & ſatagunt ut res temporales Conventus cum utilitate & Religioſorum temporali commodo regantur, vinea Domini Sabaoth inculta ac ſterilis fiat, ut fructus Domino ſuis temporibus non reddat, ideſt ne deficiat in ſuis Religioſis ſubditis Regularis obſervantia, tepeſcat eorum fervor pro Religioſæ perfectionis proventu, & corruptelæ ac vitia in Monaſterio ſerpeant, quæ ſunt tribuli & ſpinæ ſuffocantes bonum ſemen, ( quod per ſacras doctrinas in tot Religioſis quotidianis exercitationibus ſeminatur in corde Religioſorum ) cum gravi eorumdem animarum detrimento, & earum ſalutis periculo; memores ſemper, quod de ipſis Deo rationem reddituri ſint. Frequenter expendant monitum illud S. Benedicti cap. 2. Regulæ: *Ante omnia ne diſſimulans aut parvipendens ſalutem animarum ſibi commiſſarum, non plus gerat ſolicitudinem de rebus tranſitoriis, terrenis atque caducis: ſed ſemper cogitet quia animas ſuſcepit regendas, de quibus rationem redditurus eſt. Et ne cauſſetur de minori ſua ſubſtantia, meminerit ſcriptum: Primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis; & iterum: Nihil deeſt timentibus eum. Sciatque, quia qui ſuſcepit animas regendas, præparat ſe ad rationem reddendam.*

Sicuti vero Superiores Monaſteriorum ſunt miniſtri rerum Monaſterii, non domini, utpote qui non rem propriam, ſed Communitatis cui præſunt, curant atque adminiſtrant; hinc uti adminiſtratores & curatores rerum alienarum, ſuæ adminiſtrationis & curatelæ rationem ſive computum reddere tenentur. Et ita mos eſt, & Regula ac Conſtitutiones in omnibus fere Ordinibus præſcribunt, ut annuatim talis ratio coram Conventu reddatur.

## §. X.

*De duratione Prælaturæ Regularium.*

Olim ab initio ſtatus Regularis inter Monachos, Superiores erant perpetui, ut non eligeretur alter, niſi per mortem, depoſitionem, vel reſignationem voluntariam actualis Abbatis, qui ad hoc munus electus fuerat a ſuo Monaſterio, & ab Epiſcopo bene-

benedictus; quod tamen non erat de iure divino, ſed mere humano, ſcilicet quod deberent eſſe perpetui Monaſteriorum Prælati primitus, ex Regulis ipſis Monachorum, ut colligitur ex Regulis SS. Baſilii, Auguſtini & Benedicti, ut notat Suarez ex antiquis Monachorum hiſtoriis, ac eorumdem Chronacarum documentis: poſtea vero ex iure communi eccleſiaſtico, ut conſtat ex Concilio Moguntino can. 11. & Triburicenſi ſub Adriano III. ubi Abbatis perpetuitas ſtatuitur. Electo enim a Monaſteriis ſuo Prælule, ut probat Navar. ex can. *Nullum* 18. q. 17., nulla poteſtas relinquitur Monachis illum proprio arbitrio expellendi, aliumque ſibi eligendi, etiamſi non eſſet perpetuus, ſed temporalis, niſi completo tempore ſui regiminis per Conſtitutiones Ordinis ſtatuto. Perpetuitatem Prælaturæ, præcipue quoad Superiores locales, putat idem Navar. magis convenire ac opportunam eſſe ad ſervandam & promovendam Regularem diſciplinam; quia ex temporali duratione, ait cit. Navarrus, valde imminuitur auctoritas Superioris localis, ac debilitatur in dignitate, ita ut enervetur illius robur pro Regulari diſciplina in ſuo vigore ſervanda, quia tunc quodammodo a ſuis ſubditis dependet, ac ſequitur illos, non eo vigore regit, qui neceſſarius eſt ad diſciplinæ manutentionem. Quomodo enim reget eos & refrenabit, quos paucos poſt annos ſibi præeſſe metuet? Unde eſt, quod in cit. can. *Nullum* habetur: *Nulla auctoritas remanebit apud Abbatem, ſi Monachorum poteſtati cœperit ſubiacere*; & in can. *Viſis* 16. q. 16. ſic legitur: *Ita nunc moris eſt illum vereri, cuius iudicio & voluntate nunc erigitur, nunc deprimitur*. Superiores igitur, concludit hic Rotarius, temporales non dominantur ſubditis, ſed eos verentur, cum ſucceſſu modici temporis vertendus eſt in ſubditum Superior, & in Superiorem ſubditus. Porro ex hac continua viciſſitudine oritur peſtis adeo virtuti Religioſæ nociva, ambitio, ſequitur idem Rotarius, ſcilicet dominandi, quia cum frequentes ſint occaſiones electionum, ambitioſi in continuo negotio ſunt ut promoveantur & eligantur, & qui ſemel ſunt electi, ut confirmentur, plura diſſimulant, magiſque curant cum fama viri prudentis ſine ſtrepitu regimen perficere, quam Religioſi Rectoris partes agere. Hinc ad vitanda talia incommoda, quæ proveniunt ex frequenti Superiorum mutatione, & ob utilitatem ſpiritualis regiminis inolevit antiquitus apud Monachos conſuetudo, ut Superiores perpetuitatem haberent. Et huic conſuetudini favet univerſalis Eccleſiæ uſus, quæ animarum Paſtores velut Eccleſiæ ſuæ ſponſos ſemper voluit in ſuo munere perſeverare. Præterquam quod cum ars regendi regendo addiſcatur, Rector temporaneus tunc regere deſinit, quando regimini eſt aptior.

Nihilominus tamen ex oppoſito variæ ſunt etiam rationes, quas hic adducit Rotarius, contra antea allatas ex Navarro, quas recentiores Monachorum, & Canonicorum Regularium Ordines, ſed præcipue Mendicantium, recedentes a veteri Inſtituto, cum approbatione Sanctæ Sedis amplexi ſunt; ita ut nunc apud ipſos Prælaturæ omnes ſint temporaneæ ad triennium, excepta Prælatura Generali in aliquo Ordine, ut apud Domenicanos & Clericos Regulares Societatis Ieſus, in quibus eſt perpetua, quam probat Suarezius relatus hic a Rotario pluribus rationibus non convenire eſſe temporaneam; cum iam cautum ac proviſum ſit variis remediis, ne ex perpetuitate fiat tyrannica.

Cæterum tametſi mihi videatur multum aptum ac conveniens Regulari regimini, Prælaturam præcipue localem eſſe temporaneam; hinc ad evitanda incommoda quæ ex ipſa oriri poſſunt, ac ut decus ſemper in tali ſuperioritate reluceret, ad audaciores frenandos, omnemque timorem tollendum in Superiore, ex quo eius vigor in regimine enervari poſſit, optimum eſſet quod (præter electionem viri aliquantulum provecti, probati in Regulari obſervantia, ſufficienti ſcientia, præcipue morali, inſtructi, & multa prudentia præditi) non ita cito omitteretur eos regimini præponere, ab una ſcilicet in aliam familiam, & nonniſi identidem novi aſſumerentur, ut eorum defectu darentur qui apte ſuppleri poſſent; novique Superiores probandi eſſent in aliquo Monaſterio, ubi adſit aliquis ſenior non ſolum ob ætatem venerabilis, ſed quia laudabiliter inſervierit Religioni in munere Lectoris, Magiſtri Novitiorum, Provincialis, necnon in pluribus familiarum regiminibus, ut eius auctoritate, ſapientibus prudentibuſque conſiliis & monitis huic Superiori piam, ſapientem ac paternam regendi normam inſpiraret, necnon certiores faceret Superiores maiores, Generalem ſcilicet & Provincialem de ſuo modo agendi, ut eum ſi aliquo modo vel a Religioſa diſciplina, vel a paterna charitate, vel a limitibus œconomicæ ſuæ adminiſtrationis de-

clinaret, corrigere poſſent & cogere ad munus rite & recte adimplendum.

## §. XI.

### *De Prælatis in particulari, ac primo de Prælato Generali.*

Ciſtercienſes, ut antea iam notavimus, qui in ſuo novo Inſtituto recedere cenſuerunt ab Inſtituto Cluniacenſium ſeu Benedictinorum, ut ſcilicet in omni Monaſterio eſſet ſuus principalis Superior, & Monaſteria ad invicem communicarent & in Congregationem reducerentur, excogitarunt quoque inſtituere ſupremum Abbatem, qui ſuper omnia Monaſteria principaliorem ſuperintendentiam haberet, qui idcirco appellabatur Abbas Generalis Ordinis. Ita ſalutaris viſum eſt, & placuit poſterioribus Ordinibus poſt Ciſtercienſem exortis talis ordo regiminis, ut commendatus fuerit in Concilio magno Lateranenſi ab Innocentio III. qui eidem Concilio interfuit: Unde duces novorum Ordinum Generales vocati ſunt. Immo quia alii Ordines valde excreverunt in Monaſteriorum numero, Monaſteria partita fuere in Provincias, ac novus Superior inſtitutus eſt nomine Provincialis, a quo dependent Superiores locales, & ipſe dependet a Generali, cui eſt inferior. Quare fere in omnibus Religioſis Ordinibus tres ſunt Prælatorum gradus, Generalis nempe, Provincialis, & localis.

Generalis nomine hic intelligitur ſupremus Religionum Prælatus electus a Capitulo Generali ut toti Religioni præſit, ſicuti utplurimum evenire ſolet. Sic diſponunt ſingulorum Ordinum Regulæ a ſummis Pontificibus confirmatæ, quæ modum etiam in Generalis electione præſcribunt. Generalis nullum alium Superiorem agnoſcit in Religione, niſi Capitulum Generale, ac proinde dici poteſt Princeps in ſua Religione, ac in ea habet merum & mixtum imperium, utpote qui facta ſubditorum cognoſcat tam civiliter quam criminaliter, in qua poteſtate conſiſtit mixtum imperium ut ex L. *Imperium* ff. *de iuriſdict. omnin. Iudic.* Generales habent ius præcedentiæ & loci dignioris in Conciliis Generalibus poſt Epiſcopos, non tamen ſuper Abbates, cum in Concilio Trid. ſederint poſt Abbates, ut Tambur. Fagnan. In Capella tamen Papali aliter res ſe habent, dum ibi habent præcedentiam ſuper Abbates, ut Lezzan. in *Cæremoniali Pontificio*.

Circa ætatem requiſitam ad Generalatum nihil habetur ſtatutum in iure, notat hic Rotarius: tamen ratione eminentiæ dignitatis Generalitiæ, quæ Epiſcopali comparatur, Mirand. & alii pauci putant, de iure communi, ſed potius titulo honeſtatis quam neceſſitatis, monet Lovorius, quod requiratur ætas triginta annorum, ſicut in Epiſcopis; ius enim commune nihil de tali caſu diſponit.

Prohibetur in iure ex cap. *Cum ad noſtram de elect.* & cap. *Cum cauſſ.* eligere in Prælatum, ſæcularem, ideſt non profeſſum, & præcipitur ut irritetur, ſi fiat, talis electio; non tamen dicitur ipſo iure nulla electio in Prælatum non Religioſum profeſſum: ideo Panormit. in cap. *Cum cauſſam* in 6. dicit: *Nota, quod electio facta in Eccleſia Regulari de non profeſſo venit irritanda, conſuetudine non obſtante.* Unde patet, antiquitus conſuetudinem fuiſſe eligendi ad Prælaturam Regularem etiam non profeſſum. Ex iure tamen novo ſtatuitur, quod ſi eligatur non expreſſe profeſſus Ordinem Regularem ad Prælaturam regiminis Regularis, electio ipſo facto ſit irrita, ut ex cap. *Nullus de elect.* in 6. & ex Clement. 1. *de electione*, quod confirmavit Concilium Trid. ſeſſ. 25. cap. 21. *de Regular.* a quo additur, non poſſe eligi ad regimen unius Ordinis, nequidem expreſſe profeſſum alterius Ordinis.

Præter expreſſam profeſſionem Ordinis, & ætatem, requiritur etiam quædam antiquitas Ordinis, ut quis in Prælaturam eiuſdem Ordinis eligatur. Et hæc antiquitas Profeſſionis ad Generalatum, ſi conſulatur ius commune, debet eſſe per octo vel ſaltem per quinque annos, ut probant aliqui ex Trident. ſeſſ. 25. cap. 7. *de Regularib.* ubi ita ſtatuitur pro electione in Abbatiſſam inter Moniales. Verum quoad ætatem, antiquitatem profeſſionis, aliaque requiſita vel conditiones pro electione ad Prælaturam Generalatus, attendenda ac ſervanda ſunt iura ſeu ſtatuta particularia cuiuſque Ordinis. Ex natura vero rei videtur non parum conferre ad bonum regimen ſcientiarum ſubſidium; unde monet Pſalmiſta: *Erudimini qui iudicatis terram.* Licet tamen legitime quis ſit electus ad dignitates eccleſiaſticas, ad hoc ut exerceat officium ſuum confirmatione Superioris indiget ex cap. *Avaritia de elect.* in 6. Vi tamen ſuorum privilegiorum Generales Ordinum eo ipſo quod ſunt electi, ſunt etiam a S. Sede confirmati; unde ulterius non indigent confirmatione.

Quid-

Quidquid tamen ſit, quod Generalis electus, utpote totius Ordinis Pater, ac inferiorum Prælatorum Prælatus, non comprehendatur ſub legibus & ſtatutis Ordinis contra Religionis Prælatos non expreſſe latis ſub proprio nomine Generalatus; quia ratione eminentiæ dignitatis in Ordine eſt perſona ſpeciali nota digna, ut advertit Bordonus citatus hic a Rotario; Generalatus tamen non eximit Generalem a iugo Monaſticæ diſciplinæ: quinimmo verbo & exemplo Regulares obſervantias promovere debet; unde parum refert, ait cit. Rotarius, quod leges particulares latæ contra inferiores Prælatos, ne occaſione dignitatis laxent habenas, ac nimis ſibi ipſis indulgeant, non arctent Generalem, cum iam ex natura rei fieri debeat forma gregis ex animo. Verum in aliquibus Ordinibus etiam contra Generalis licentiam proviſum fuit.

Tametſi ex iure communi ampliſſima ſit Generalis auctoritas in ſuo Ordine, nihilominus non ſolum limitatur a iure Pontificio & Canonico, verum etiam reſtringitur a iure proprio & particulari ſingularum Religionum, quibus ſubditur Generalis, qui eſt quidem cuſtos Regulæ, non autem ſupra Regulam, cum teneatur voto obedientiæ ſecundum Regulam, quod emiſit; ita plura quæ a iure communi non limitantur Generali ipſi, a iure particulari reſpectivorum Ordinum limitantur, cum unaquæque conſuluerit quod ſibi magis utile & conveniens cenſuit.

Generalis in gravi caſu occurrente, circa quem nihil diſponunt iura particularia Religionis; ſive periculum ſit in mora, ſive non, non tenetur illum remittere ad Generale Capitulum, ſed poteſt uti iure ſuo, ac pro ſua prudentia providere cum conſilio & conſenſu ſuorum aſſiſtentium, ubi ei dari ſolent, prout ſtatuta ſuæ Religionis diſponunt: Quia cum leges & ſtatuta non potuerint omnes caſus prævidere; hinc adveniente ac urgente caſu non præviſo, poteſt habens ſupremam auctoritatem in Ordine, conformiter ad caſus conſimiles in tua lege comprehenſos ius dicere *L. non poſſunt* 11. ff. *de Legibus*. In caſu enim omiſſo recurrendum eſſe ſtatuitur in l. *ſi vero* §. *de iure ſoluto* ff. *ſoluto Matrim.* Cum igitur de antiquo iure Generalis poſſit in ſua Religione ius dicere ſuper iis, quæ ei neque a iure communi, neque a ſtatutis particularibus ſuæ Religionis ſunt prohibita, cum non ſit ei ligata poteſtas, poterit in illo caſu conſulere bono Religionis, nec habet neceſſitatem expectandi oraculum Capituli Generalis.

Generalis poteſt quidem condere leges obligantes etiam in conſcientia totam Religionem pro toto ſuo regimine, dummodo non adverſentur iuri communi & Regulis propriæ Religionis, non vero perpetuas, cum ad hoc requiratur conſenſus totius Ordinis congregati in Capitulo Generali. Immo in aliqua Religione ad illarum valorem requiritur trium Capitulorum Generalium confirmatio. Circa vero alias difficultates ac quæſita quæ occurrere poſſunt circa Generalis poteſtatem, cum non ſit mea intentio rem hanc funditus, univerſim, & ex profeſſo pertractare, ſed ea tantummodo quæ magis obvia ſunt, & occurrere poſſint, hinc remitto Lectorem ad alia perſcrutanda in Bordono, Donato, Paſſerino, Lezzana, Rotario & aliis, qui ſuſe negotium hoc exponunt.

§. XII.

*De Prælato Provinciali.*

Prælatura Provincialatus ſecunda dignitas eſt poſt Generalem in Regularium Ordinibus, ac ideo in eius perſona & officio ſubditur Generali, a cuius obedientia per electionem ſeu aſſumptionem ad Provincialatum non eximitur, nec quantum ad perſonam nec quantum ad officium, ſicuti Generalis ſubditur Capitulo Generali, a quo eius auctoritas limitari poteſt & reſtringi, ac cauſſa cognoſci, ita ut illo audito, non ſolum paterne eum, ſed etiam iudicialiter cogere poteſt, punire, ſuſpendere, ac deponere, cum Capitulum Generale in Generalem Prælatum poteſtatem habeat, ideſt ius tum directivum tum coactivum. Ita quoque Generalis ſuper Provincialem eodem potitur iure ſeu auctoritate in omni iuſta cauſſa & gravi iudice probata, ut ſapienter probat Donatus t. 3. tract. 12. q. 52. & 53. quia cum Provincialis quoad ſuum gradum ius habeat in re, nonniſi iure, & minime ex arbitrio, ſpoliari poteſt, nempe eo citato & audito per legitimam ſententiam, iuxta Regulas ac ſtatuta ſui Ordinis, a cuius Generali Capitulo, ut vidimus, auctoritas Generalis limitari poteſt, quæ cæteroquin iure communi ipſi conveniret ſupra Provincialem.

Provinciales in aliquibus Religionibus diſponunt de Lectoribus, Magiſtros Scholis præficiunt, eligunt cum ſuo Definitorio Su-

Aa 2 pe-

periores locales, Vicarios, Procuratores. In aliis vero præſunt tantummodo Regulari diſciplinæ, ad eam tuendam, conſervandam, promovendam invigilant, non vero in dignitatibus Provinciæ providendis ſe immiſcent. Cæterum in omnibus Religionibus ſtandum eſt propriis Regulis & ſtatutis, eaque ſunt attendenda.

Ordo hierarchicus in Religionibus conſtitutus eſt cum triplici Prælatura, ſuprema, media, & infima in ædificationem & bonum Religionis, ut mutuo ſe adiuvent, non vero ut ſe impediant, ac deſtruant; quod revera contingeret, ſi Generalis præcipere non poſſet Provinciali, eius auctoritatem limitando cum opus eſt; nam illico ceſſaret immediata ſubiectio ſingulorum Religioſorum ad Generalem: Singuli enim haberent ſuum Provincialem cum illimitabili auctoritate a Generali: nihil igitur ſingulis præcipere poſſet, ſed omnia præcepta a Provinciali dimanarent; & ſic fieret ut auctoritas Generalis a Provinciali limitaretur uſque ad deſtructionem quoad poteſtatem ordinariam, & ſola ei remaneret in cauſſa appellationis, ſicut in Archiepiſcopis, cum hac differentia, quod Archiepiſcopi ſunt in propria Diœceſi Paſtores ordinarii, & Generales nullum haberent territorium ſuæ iuriſdictionis. Quidquid ſit de rationibus & convenientiis, quare Generalis poſſit auctoritatem Provincialium limitare, hoc certum eſt & indubitatum, dignitatem Provincialium ſubdi dignitati Generalitiæ, & in eorum officio non poſſe Provinciales excedere facultatem quam habent a propriis Regulis; & quidquid non eſt a iure communi vel proprio illis vetitum, neque a Generali reſervatum, videtur illis conceſſum; & hæc eſt regula, cui innituntur Suarezius, Bordonus, aliique citati hic a Rotario.

Stando iuri communi non maior ætas requiritur ad Provincialatum, quam 25. annorum, ut antea notatum fuit ex Tridentino de Generali. Sed in unaquaque Religione ſtandum eſt particularibus ſuis ſtatutis, quibus pariter ſtandum eſt quoad eius electionem, ideſt num facienda ſit a Capitulo Provinciali, vel Generali, vel aliter, quia unaquæque ſuam potuit particularem formam ſibi conſtituere. Quomodocumque tamen eligatur, eius poteſtas eſt ordinaria, & Provinciali pariter competit poteſtas ordinaria iuriſdictionis in utroque foro quoad vim dominativam, directivam, ac coactivam in tota ſua Provincia, quæ eſt ſuæ iuriſdictionis territorium.

Provincialis ex iure communi reſidere poteſt in quacumque domo ſuæ Provinciæ, ſicut Prior in quacumque cella ſui Monaſterii, non ſecus ac Parochus in quacumque domo ſuæ Parochiæ; nam ſufficit ut Paſtor domicilium habeat in ſuo ovili, ut eum paſcere poſſit. Provincialis certe præeſſe poteſt in Capitulo cuiuſcumque Monaſterii ſuæ Provinciæ, tum electionis, tum in aliis etiam cuiuſcumque generis ac naturæ ſint, vel pro admiſſione Novitii ad habitum, ad profeſſionem, ad Ordines, vel pro negotiis emptionum, venditionum, & ſimilibus ad conſulendum publico bono, & ad videndum utrum omnia debito modo, ordine, conſultatione neceſſaria, & item libertate convenienti peragantur, & multo magis expedit ut præſit, ſi prævideat diſſenſiones, & accurat ad impedienda ſcandala; hoc enim ſpectat ad eius officium, non vero ſupra poteſtatem eſt eius iuriſdictionis. Verum quoad ius ſuffragii in Capitulo aliorum Monaſteriorum, ubi non eſt de familia, eo quia uti caput totius Provinciæ, videtur eſſe membrum quoque cuiuſcumque domus, ac proinde in Capitulo cuiuſcumque Conventus ferre poſſe ſuum ſuffragium; quia tamen ſuper hoc particulare nihil ſtatuit ius commune, ſtandum eſt legibus particularibus cuiuſcumque Ordinis.

Licet Provincialis ampliſſimam teneat iuriſdictionem ordinariam in tota Provincia quoad vim dominativam, directivam, & coactivam, dari tamen poteſt caſus, in quo iuſte etiam eius iudicium a ſubdito recuſetur cauſſa ſuſpicionis, quæ ſuſpicio tamen probanda eſt coram arbitris eligendis de conſenſu ambarum partium, ut ex cap. *Cum ſpecial.* tit. *de appell.* & docet Donatus t. 3. tract. 12. q. 64. nec alias ex arbitrio iudicis ordinarii recuſati, quidquid dicat in contrarium Panormitanus. Nam ſi recuſatus committere poteſt cauſſam cuicumque alio, committere poterit etiam amiciſſimo, ideoque ſuſpicionis vitio laboranti, vel inimico recuſantis, ac proinde ſuſtinet Bortol. in l. 1. ff. *apud eum a quo appellatur*, non eſſe remedium ſufficiens ad tollendas querelas, ac proinde in praxi ſemper conſulendam eſſe opinionem Gloſſæ in dict. cap. *Cum ſpeciale de appellat.* quæ dicit: *Iudex recuſatus negotium committat perſonæ idoneæ de aſſenſu recuſatoris, ne illam valeat poſtea recuſare*; vel ſi magis expedire

Digitized by Google

re iudicaverit, ad Superiorem negotium remittat, ideſt ad Generalem, ut advertit Donatus.

Provincialis advertere debet præcipue, ne munera recipiat maxime in viſitationibus, alias incurrit pœna privationis officii & Beneficii, niſi intra menſem reſtituat duplum quam recepit, ut ex cap. *exigit de cenſibus* in 6. Hæc pœna comprehendit Viſitatores ordinarios, ideſt eos, qui iure ordinario viſitant, non delegatos, ut ex Pellizz. Nec hanc pœnam incurrunt ipſi ordinarii Viſitatores, recipiendo in viſitatione quæ ex laudabili conſuetudine dari ſolent. Nam hæc ſunt taxata pro expenſis itinerum &c., & cum ſint debita, non habent rationem muneris, ut in cap. *Romana*, nec eſt periculum abuſus, aut timenda ſubornatio, ubi nihil ultra conſuetum recipitur. Cætera quæ ad hanc Prælaturam pertinent, reſpiciunt viſitationem, aut iudicia huius Prælati; & de illis ſuis reſpectivis locis dicetur.

## §. XIII.

### *De Prælato ſeu Superiore locali.*

Superioritas localis eſt vera dignitas & Prælatura requiſita, cui, ut iam antea diximus, competit ratio utriuſque poteſtatis, dominativæ, & iuriſdictionis ſpiritualis cum dominio & præeminentiis, quæ ſunt conditiones requiſitæ ad conſtituendam Prælaturam, ut notavit Archidiaconus cap. 1. *de conſuetud.* in 6. Unde inferunt DD. non poſſe nequidem Generalem diſponere, ut Superior localis pluribus præſit Monaſteriis, tum quia hoc vetitum eſt in iure, tum quia alias confunderetur dignitas infima cum media, quæ eſt Provincialatus, & quia cum Superior localis teneatur reſidere in proprio Monaſterio, in duplici Monaſterio reſidere nequit.

Ætas Superioris localis eſſe debet, ſicut de aliis Prælaturis diximus, ex Trident. vigintiquinque annorum ratione curæ animarum, quæ huic Prælaturæ annexa eſt. Præterea in hoc quoque obſervanda ſunt ſtatuta propriæ Religionis, ſi maiorem ætatem requirant. Non eſt neceſſe, communiter loquendo, ut Superior localis iuxta Portellum hodie ex conſuetudine, antequam capiat poſſeſſionem, profeſſionem Fidei emittat iuxta Trident. quod hoc præcipit omnibus qui curam animarum ſuſcipiunt. Eligendus in Superiorem localem debet eſſe profeſſus profeſſione explicita, ut Suarezius tom. 4. *de Relig.* tract. 8. lib. 2. c. 3. n. 24. & ſeq. Debet etiam eſſe ſufficientis literaturæ pro qualitate ſui officii, ut ex cap. *Cum in cunctis de elect.* & ex Trident. ſeſſ. 22. cap. 2. Immo hoc ex natura rei requiritur, cum illiterati ſint incapaces ad exercendam curam animarum. Inſuper debet eſſe vir bonæ famæ; unde incapaces ſunt huius dignitatis excommunicati excommunicatione maiori, infames, illegitimi, ſuſpenſi, interdicti, aut irregulares, notat Lezzan. cum Peyr. & Leſſ., & prædicti eſſe debent qualitate corporis neceſſaria ad ſuum munus bene exercendum. Unde omnino incapaces ſunt ſurdi, pthyſi laborantes, aut continua podagra, aut morbo gallico, paralytici, leproſi, furioſi, lunatici & valetudinarii, qui ſemper aliquo morbo laborant, nec tantis pollent viribus ut communibus obſervantiis præſentes, & bono exemplo Regularem diſciplinam promoveant. Quod ſi aliquod ex ſupradictis impedimentis alicui ſuperveniat in ſuo officio exiſtenti, non eſt ſua dignitate privandus, ſed ei dandus coadiutor, ut ex cap. penult. & ult. *de Clerico ægrotante*, & alibi.

Habet Superior localis iuriſdictionem ordinariam in ſuos ſubditos, immo & in advenas ſeu hoſpites Religioſos pro tempore quo manent in ſuo Monaſterio, cum illi præſideat nomine Religionis curam habens omnium quæ ad Religionem ſpectant: Quare omnes Religioſi ſubditi ibi reperti, tamquam iudici ordinario reſpectu illius territorii ſubiiciuntur. Poteſtas huius Superioris incipit a die, quo poſſeſſionem capit, & expirat ad poſſeſſionem Succeſſoris. Si contingat caſus, quo Superior localis fiat excommunicatus, ceſſat eius iuriſdictio, non officium, niſi excommunicationi annexa ſit pœna privationis dignitatis & officii ipſo facto. Ita Peyrin. & alii: Non tamen privatur ante iudicis declarationem.

Superior localis ex iure communi ſic iuſta cauſſa exigente præcipere poteſt aliquid ſub mortali, ſi res gravis ſit; immo etiam imponendo cenſuras contra tranſgreſſores. Advertunt tamen DD. quod in hoc procedere debet cum omni cautela; qui etiam volunt, ipſum peccare mortaliter, ſi hoc faciat ſine iuſta cauſſa, quia abuteretur propria auctoritate.

Poteſt Superior localis ex poteſtate quam habet adminiſtrativa ex iuſta cauſſa remittere ſummam debitam Monaſterio, quia ad hoc non limitatur per Bullam Pauli II. & decreta

ta ſacræ Congregationis alienationem prohibentia, quæ procedunt de iis, circa quæ Monaſterium non habet ius quæſitum, ſeu quæ iam poſſidet, non circa acquirenda, & quæ forſan ſine litibus & expenſis acquiri non poterunt. Requiritur tamen communiter conſenſus Capituli. Sic Lugo, Pellizz. & alii. Non poteſt tamen cedere iuri privilegii exemptionis a decimis etiam cum Capitulo. Poteſt eum conſenſu Capituli remittere iniurias particulares, etiam invito Religioſo læſo: quinimmo is remittere nequit, utpote qui non ſit amplius ſui iuris. Ita Suar. Sanch. ex L. 1. §. *iniuria*, & alibi in iure. Hic addendum ac advertendum, regulam generalem eſſe, Superiorem localem in rebus gravibus, quæ ſunt de iure Monaſterii, non poſſe nec valide nec licite abſque conſenſu Capituli aliquid facere, ut eruitur ex pluribus iuribus, maxime ex cap. *Ea noſcitur de iis quæ fiunt a Prælatis*, & ſic etiam ſentiunt DD. Poſſunt tamen Superiores abſque conſenſu Capituli facere moderatas eleemoſynas; immo ut legitimi adminiſtratores bonorum Eccleſiæ tenentur ea quæ ſuperſunt ſuſtentationi Monaſterii & Eccleſiæ, in pauperes erogare. Sic communiter DD. iuxta Eccleſiæ ſenſum & praxim, ac Fidelium fundatorum ſeu benefactorum intentionem.

Superior localis ſine rationabili cauſſa revocare nequit licentiam ſeu diſpenſationem, quam prudenter ſubdito conceſſit, quia talis revocatio ſine cauſſa eſſet abuſus poteſtatis. Verbum enim Principis firmum eſſe debet, & quod ſemel placuit, non amplius diſplicere poteſt. Multo minus poterit hic Superior revocare licentias conceſſas Superiore maiori, idest Generali, Provinciali, quando res non ſit immutata, vel nova non emerſerint, vel licentia ſit ſubreptitia vel obreptitia, cum inferior poteſtatem non habeat revocandi gratias a Superiore iuſte conceſſas & impetratas, niſi ſtatus ita ſe immutaverit, ut amplius eadem gratia rei immutatæ applicari nequeat. Item hic Superior impedire non valet executionem ſeu uſum licentiæ, quam a S. Sede ſubditus impetravit inſcio Superiore; & ſi impediat, notat Antonius a Spiritu S. incurrit excommunicationem latam in Bulla Cœnæ contra impedientem executionem litterarum Apoſtolicarum, quam revera talis Superior auctoritative in huiuſcemodi caſu impediret.

Prælatus localis non ſemper tenetur concedere pœnitenti aut Confeſſario licentiam abſolvendi a caſibus reſervatis, aut a cenſuris, ſed aliquando cogere poteſt pœnitentem, ut ad ipſum perſonaliter accedat ad accipiendam eorumdem abſolutionem. In hac tamen materia advertendum, non tam reſpiciendum eſſe a Prælato quid ſibi de iure competat, quam quod utile ſpirituali futurum ſit ſubditi ſaluti: ait enim D. Thomas in 4. diſt. 17. q. 3. n. 4. q. ad 6. Superiorem, qui ſe difficilem præbet in danda facultate, peccare mortaliter, quia eius poteſtas eſt in ædificationem, non in deſtructionem. Idcirco nequit Superior talem licentiam ſine iuſta cauſſa denegare. Et ſi neget prudenti Confeſſario ſine iuſta cauſſa licentiam ſubditum abſolvendi a reſervatis, poteſt ille pro illa vice tantum pœnitentem abſolvere, eo quia hoc conceſſum fuit a Paulo V. & a Clemente VIII.

Circa vigilantiam quam debet habere Superior localis & cuſtodiam pro Regulari obſervantia, & præcipue paupertatis voto, prudenter ſe gerendo circa licentiam expendendorum, & ſe immiſcendi in negotiis ſæcularibus, iam alias vidimus. Poteſt tamen Superior tradere licentiam executionis Teſtamentorum, niſi ſpecialiter a Regula hoc prohibeatur, cum ex iure communi ad hoc non plus requiratur quam licentia Superioris localis ex cap. 2. *de teſtament.* in 6.

Superior, licet teneatur invigilare cum omni cautela ſupra vitam ſubditorum, tamen ſecundum Corduba, Sanchez, Lezzanam, alioſve, non poteſt ſedulo inquirere quod reprehendat. Hæc enim inquiſitio adeo exquiſita & diligens per exploratores & emiſſarios generat ſcandala, odia, & rixas, max me ſi exploratoribus permittatur ob ſtipendium notitiæ vita liberior & laxior. Idcirco D. Benedictus hoc habet in ſua Regula 164. de Abbate: *Non ſit turbolentus aut anxius, non ſit nimius aut zelotypus, & nimis ſuſpicioſus*. Debet igitur Superior invigilare & monere tamquam Pater, non vero ſe gerere tamquam Pædagogus, & plus proficit paterna vigilantia, quam ſubtilis induſtria pædagogi. Advertunt hic Bannez, Torrez & alii, quod Superior habens ſuſpicionem prudentem de parum honeſta familiaritate ſui ſubditi extra Monaſterium, poſſit ei tradere fidelem ſocium, iniungendo illi, quod eius actiones diligenter obſervet, videat, & referat, ut poſſit illum paterne corrigere.

Ex privata propria notitia privare non poteſt ſubditum, notat Paſqualigus, officio quod habet, puta Sacriſtæ, Ianitoris, Procu-

curatoris, licet talia officia pendeant ab arbitrio Superioris; quia ablatio officiorum in ea circumſtantia eſſet quædam confirmatio delicti, de quo iuridice non conſtat, ac ideo non eſſet iuſta, quia nemo poteſt privari propria fama, ad quam quiſque habet ius, niſi iuridice conſtet de crimine. Hinc valde caute in hiſce amotionibus, advertunt Doctores, eſſe a Superiore procedendum. Poteſt tamen Superior ex ſcientia privata, non orta tamen ex confeſſione, pro directione regiminis admonere paterne ſubditum, adhibere remedia ad præcavenda delicta & reincidentiam; & ſi facta diligentia ſatis ſit pro emendatione quam ſperat, nequit delictum occultum revelare Provinciali, aut propriis Conſiliariis. Poteſt quidem, ſi agatur de re graviſſima ad publicum bonum, puta quia iſte promovendus ſit ad dignitates, Ordines, revelare electoribus crimen, quod ipſe novit, vel ei tanquam Patri revelatum fuit; quia tunc agitur de bono communi, quod prævalere debet privato. Leſſius, Lugo & alii.

Tenetur Superior proprios ſubditos debito honore honorare, ut ex can. *Eſto ſubiectus* diſt. 95. ſcilicet reſalutando ſalutantes, & iuxta circumſtantias conſueta officia benevolentiæ, & ſigna æſtimationis eiſdem exhibere. Poteſt tamen aliquando ab huiuſmodi ſignis abſtinere occaſione criminis a ſubdito patrati, neque ei interroganti reſpondere, ut ſe indignatum, non contra perſonam, ſed contra eius perditos mores demonſtret, eo modo quo pater per talia ſigna filium ad reſipiſcentiam vocat. Ita Peyr.

Circa rationem quam exigere poteſt Epiſcopus a Superiore de punitione ſubditi ob grave ſcandalum extra Monaſterium patratum, vide Rotar. in hoc Punct. 3. cap. 2. lib. 3.

## §. XIV.

### *De Aſſiſtentibus ſeu Sociis aut Conſultoribus Generalibus ſive Definitoribus.*

De Aſſiſtentibus ſeu Sociis &c. plura examinantur a Doctoribus, videlicet de eorum nomine, neceſſitate, officio ac dignitate, ac de aliis, quæ ad tale munus ſpectant, quæ hic cenſeo brevitatis gratia prætermittere, remittendo Lectorem ad Rotarium, Peyrin. Pellizz. Donatum, alioſve, qui de rebus Regularium fuſe ac ſigillatim pertractant.

## §. XV.

### *De Viſitatoribus Generalibus & eorum viſitatione.*

Inter alia, in quibus nova regiminis ratio a prioribus Monachis, præcipue a Benedictinis etiam Cluniacenſibus, diverſa, inſtituta eſt in eorum ortu a Monachis Ciſtercienſibus, quæ magis opportuna viſa fuit ad Monaſticam diſciplinam conſervandam, ſtatuta fuit annua Monaſteriorum viſitatio, ſcilicet quod Abbas unius Monaſterii aliud viſitaret Monaſterium ad explorandum quomodo Monaſtica diſciplina ſe haberet, ut in Congregationibus, quæ annuatim fiebant, Abbatum totius Ordinis, facta relatione de ſtatu diſciplinæ Monaſteriorum, quæ viſitaverant, applicari poſſet, ſi forte opus eſſet, ſuum remedium. Verum cum hoc quoque viſum ſit S. Sedi maxime conferre ut ſarta tecta ſervetur Regularis diſciplina, ſtatuit ipſa, ut hanc regulam alii quoque Ordines, qui ſucceſſere, inviolabiliter ſequerentur. Quod ut facilius ac ſecurius impleretur, Generalibus & Provincialibus hanc provinciam demandavit, ideſt his præcipiendo, ut per ſe ipſos, vel per alios Monaſteria omnia quotannis ſimul viſitarent. Generales igitur & Provinciales tenentur quolibet anno viſitare Monaſteria, dum ipſis hæc graviſſima cura commiſſa eſt, tum a iure Canonico ex cap. penult. *de ſtatu Monachorum*, & ex cap. *Romana*, & ex Concilio Trid. ſeſſ. 25. *de Regular.* tum etiam ex iure naturali, ut tenet Lezzana verb. *Viſitat.* n. 1. Hoc enim eſt medium adeo neceſſarium ad Regularis obſervantiæ conſervationem & reſtaurationem, ut ſequatur eius obligatio ex natura rei ad officium Generalis & Provincialis, quod impleri nullatenus poteſt niſi per diligentem inquiſitionem morum, virtutum, vitiorum, propenſionum, & conſuetudinum eorum quos dirigere debent in via ſalutis ad perfectionem acquirendam, & quos cum præſentes in eorum Monaſterio non habeant, neceſſe eſt ut viſitent, & ipſi videant, num vera ſint quæ ex relationibus de eorum vita, idoneitate, merito vel demerito delata ſunt; & ut Paſtor oves ſuas cognoſcat, & item ab ovibus cognoſcatur, ut maiori cum fiducia accedere poſſint pro remedio tempore neceſſitatis; & ipſi, ſi morbum aliquod ſeu corruptelam in eis deprehendant, poſſint & per ſe ipſos, & per Capitula Generalia & Provincialia, quæ cer-

certiora reddere debent de corruptelis ac abuſibus in eorum viſitationibus inventis, opportuna remedia, antequam malum peius fiat, applicare. Hinc Generalis vel Provincialis, ſi vel ambo vel alteruter viſitationem negligant, graviter peccant, ut ſuſtinent Lezzan. Peyrin. & alii, cum deficiant in re gravi, & graviter iniuncta a iure Canonico; eo vel maxime, quod nulla ipſis faveat excuſatio, dum, quocumque modo ſint impediti, per aliam idoneam perſonam, quæ tamen ſit ſui Ordinis, non extranea, ipſi hoc officium delegando, ſuo muneri ſatisfacere valeant; quod tamen non ita facile conceſſum cenſetur Provinciali, ſicuti Generali, ob varia onera & gravia, quæ ipſi ut capiti totius Ordinis incumbunt, ut advertunt Lezz. Pellizz. & alii. Dixi *non extranea*, cum hoc vetitum ſit ab Innocentio VIII. per ſuam Conſtitutionem, quæ hic affertur a Lezzana.

Viſitator generalis delegatus non poteſt alium delegare, niſi inſtituatur a Generali cum facultate ampliſſima viſitandi totam aliquam Provinciam, quia in tali caſu concedit facultatem ſubdelegandi, dummodo tamen talis ſit Ordinis conſuetudo; alias non eſt præſumendum Generalem velle recedere a conſuetudine, niſi de eius mente conſtet.

Viſitatoribus præcipientibus, ut mos eſt, in virtute ſanctæ obedientiæ iis qui ſunt de familia Monaſterii quod viſitant, revelare delicta Religioſorum quæ ſciunt, non tenentur revelare delicta minus certa, nec ea quæ noverint ex alterius revelatione, cuius fides eſt ſuſpecta, aut ſaltem non conſtat ipſum non eſſe deceptum, vel audita, ſed ſolum nota ex certa ſcientia, ad evitandum periculum gravandi innocentem, niſi forte agatur de re valde gravi cedente in publicum nocumentum. Peyrin. Diana. Et hæc denunciatio intelligi debet facienda Viſitatori ut Patri, non ut iudici; quia cum lex ſit odioſa, ita eſt interpretanda, ut ſit minus oneroſa, ut communiter DD., tum quia, ut docet Suarezius *de Relig.* poteſt interdum præcipere, ut ei iuridice denuncietur tamquam iudici. Quando igitur non præcipit ut illi denuncietur iudicialiter, ſufficienter ſatisfieret præcepto revelando ipſi tamquam patri; quod ſi hac denunciatione non ſit contentus, eſt in manu ſua præcipere denuncianti, ut in meliori & iuridica forma denunciet.

Viſitatores Regulares, ut notat Fagnanus tom. 1. in cap. *Dilectus* n. 191. ſe habent in hoc munere tamquam patres, non tamquam iudices; ita ut eorum officium ſit viſitare Monaſteria ſine ſtrepitu iudicii forenſis, utpote unice intendentes Regulari diſciplinæ & reformationi Ordinis: igitur in viſitatione agunt tantummodo ut patres, ideſt ſuaviter, placide, & charitative. Quare in cap. *Conquieſcente* n. 37. *de officio iudic. Ordinar.* aſſeritur, quod Viſitatores ſeculari non poſſunt, niſi iudicialiter procederent, vel modum excedant in corrigendo. Quare exercere nequeunt ea quæ ſpectant ad ſtrepitum iudicii, ideſt ea quæ iuridice aguntur: hinc in ſuis præceptis de revelatione delicti, ſemper intelligendi ſunt iuxta naturam eorumdem officii, de revelatione ipſis facienda, ut patribus, non ut iudicibus.

Plures ſecundum DD. ſunt cauſſæ, quæ excuſant a revelatione; nimirum non tenetur, immo non poteſt ſubditus revelare Superiori ea, quorum notitiam habet ex confeſſione ſacramentali, cuius ſigillum omni iure ſervandum eſt. Non poteſt revelare ſecretum habitum ſub ſigillo naturali in ordine ad petendum conſilium pro remedio, ne priventur delinquentes auxilio, quod etiam ad publicum bonum conducit, ne reincidant in peiora mala, aut ne deſperent, ſalvo tamen ſi delictum cedat in grave damnum tertii. Item non tenetur quando delicta fuerunt ab aliis denunciata, & credantur ſufficienter denunciata, vel morali certitudine conſtet, Viſitatorem nullum omnino remedium adhibiturum, iuxta Bonac. Avilam, Sylveſt. quia nemo tenetur ad actum inutilem. Item non tenetur, ſi putet reum eſſe emendatum, quia tunc totaliter ceſſat finis revelationis, dummodo non timeat reincidentiam. Item ſi delictum iam fuit Provinciali denunciatum, & putet Provincialem adhibuiſſe remedium ſufficiens; & in dubio præſupponendum eſt Provincialem partes ſuas feciſſe, cum nemo cenſendus ſit negligens in ſuo officio. Circa delicta a multo tempore, ideſt a tribus circiter annis commiſſa, ſi non ſint emendata, & noxia ſint Communitati, cum non tam ſint antiqua quam nova, cum conſervatio ſit antiqua productio, ſunt denuncianda. Verum ſi poſt delictum, mediavit alia viſitatio, præſumitur iam denunciatum fuiſſe paterne correctum, adeoque non eſt facienda alia denunciatio.

Qui ſine cauſſa & culpabiliter omiſit denunciare delictum Religioſi tempore viſitationis, quod denunciare ſine exceptione tenebatur, nunc hoc facere debet etiam tem-

pore

pore viſitationis elapſo, ut tenent Bonac. Suarez, Navarrus, & alii; quia tempus viſitationis aſſignat tempus pro inchoanda & ſollicitanda denunciatione, non pro ea finienda; dummodo tamen, dicerem ego, Viſitatores non ſint Generalis, aut Provincialis, quia tunc non expirat iuriſdictio Viſitatorum, ſicut quando ſunt delegati.

### §. XVI.

*De Officialibus.*

Officia Religioſorum alia ordinem habent ad internam Religionis directionem, alia ad externam, ideſt ſpiritualem proximorum curam. Ad primam claſſem ſpectat officium Vicarii, ad aliam Prædicatorum. Sit igitur primum de Vicariis.

Nomen Vicarii excogitatum fuit ad ſignificandum officium, quod quis vice alterius gerit, & communiter docent DD. in cap. *Eius qui vices alterius gerit*, non eſſe titulum dignitatis. Verum hoc intelligendum eſt de illis Vicariis qui eliguntur ab ipſis Prælatis, ut ipſorum ad modicum tempus vel abſentiæ vel impedimenti vices gerant, ne tunc Communitas remaneat ſine capite; vel deſignantur ſeu dantur a Capitulo Generali vel Provinciali, nempe ab eorumdem Definitorio, vel a Generali vel Provinciali, tamquam ſocii Prælato locali, ut cum eodem inſerviant bono regimini; & Vicariatus in hoc ſenſu acceptus non eſt proprie dignitas, cum careat iuriſdictione in utroque foro; & ſi Vicarii iſti aliquid præcipiant, non præcipiunt nomine proprio, ſed Superioris localis nomine. Dantur vero alii Vicarii, qui eliguntur ut præſideant tempore dignitatis vacantis, aut impeditæ aut ſuſpenſæ, donec provideatur Prælatura: & iſtis Vicariis pro eo tempore competit totalis auctoritas & iuriſdictio, quæ competeret Prælato ſi adeſſet. Huiuſcemodi ſunt Vicarii Generales, & Provinciales, aut locales, vel ſubſtituti ipſo facto poſt obitum Superioris a iure ipſo propriarum Regularum, vel electivi hoc titulo. Et hi poſtremi ſunt illi Prælati parvorum Monaſteriorum, quibus ob modicum numerum Religioſorum dari non ſolet Prælatus cum titulo Superioris, ſed cum nomine Vicarii. Sunt & iſti Prælati locales, cum alius in tali loco ubi ſunt Vicarii, immediate non præſit, neque locus dici poteſt relictus ſine immediato Superiore. Adde, quod huic competit cura animarum, vigilantia ſuper mores, & obſervantiam ſubditorum, circa quos exercet iuriſdictionem in utroque foro: Sic Donatus, Sylveſter, Sotus, aliique communiter.

Porro Vicarii hoc ſecundo modo accepti ſive Generales, ſive Provinciales, ſive locales, gaudent omni auctoritate, iuriſdictione, ac privilegio proprio illius dignitatis, cuius ſunt Vicarii, ut docent Suarezius, Lezzana hic cit. a Rotario; quia licet iſti Vicarii nomine non ſint Prælati, tales tamen ſunt in re, in cura & adminiſtratione. Quocumque enim nomine aliquis præficiatur ad regendam Religionem, Provinciam, vel Monaſterium ad modum capitis illius Communitatis, ei ſemper competit totum id quod Prælato de iure ſive rigoroſo, ſive favorabili competere poteſt. Hinc poteſt abſolvere & diſpenſare cum ſuis ſubditis in illis omnibus caſibus, in quibus abſolvere & diſpenſare poſſet Prælatus ſi adeſſet. Poſſunt iſti Vicarii ſibi eligere Confeſſarium, veſtes ſacras & corporalia benedicere, omniaque alia exercere quæ ſunt iuriſdictionis in utroque foro, cum ſint vere in ſe Superiores ſolo nomine diverſi; & cum auctoritas huiuſcemodi Vicariorum ſit ordinaria, poſſunt in illis caſibus eam delegare, in quibus Prælati delegare poſſunt, ſuamque auctoritatem aliis communicare.

Ex dictis facile innoteſcit differentia inter Vicarios & Commiſſarios, etiam electos, quorum officium perdurat uſque ad Capitulum, ut fit apud Minores S. Franciſci. Et primo, quia Commiſſarii ſemper habent ſocium principalem a Capitulo deputatum, cui tenentur obedire; non autem Vicarii, ſed hi habent independentiam, qua gaudent Prælati, cuius vices gerunt. Secundo, licet Commiſſarii habeant poteſtatem ordinariam, eam tamen recipiunt a Prælato; cuius ſunt Commiſſarii: Vicarii autem legitime electi auctoritatem ordinariam habent a iure. Quoad ius vero præeminentiæ, licet ea gaudeant Vicarii ex iure communi, attendendæ tamen ſunt reſpectivæ Ordinum leges & conſuetudines.

Vicarii electi ad regendum ob infirmitatem vel legitimum impedimentum Prælati, cuius eſt Vicarius, iuriſdictio non expirat morte principalis, quia eſt ordinaria, quæ non ceſſat morte concedentis ſicut delegata, ſed ſolum cum in locum mortui, cuius vices gerebat, eligitur Prælatus ordinarius; & quod dicitur de Vicariis huiuſcemodi electis a Definitorio, idem intelligendum eſt, ſi electio eorumdem facta ſit a S. Sede. Sic Lezzana, Portellus, Peyrinus *de privileg. in additam ad Conſtitut.* Clementis VIII. cap. 9. n.

9. n. 27. cum Pontifex non intendat conferre dignitatem niſi cum iiſdem honoribus, cum quibus a Religione collata fuiſſet, niſi tamen aliter in litteris conceſſionis exprimatur. Non obſtante tamen quod electio Vicarii ſit a Pontifice, ſi ille delinquat, puniri poteſt a Religione etiam per depoſitionem, cum per hanc electionem Papa eum non extrahat ab ordinaria ſubiectione ad Regulas.

Quoad Vicarios vero Monaſteriorum, qui ſimul cum Prælato actualiter exiſtente in loco, bono regimini inſerviunt, iſti habent ſolum poteſtatem delegatam, neque iuriſdictionem habent in utroque foro, ſed nudum miniſterium circa aliqua quæ ipſis demandantur vel a Regula vel a Prælato: de iſtis dicendum eſt ſecundum communiorem ac probabiliorem, non ſecus ac de Superioribus, nempe in brevi abſentia Prælati a Monaſterio, puta etiam trium dierum, non poſſe ſupplere iis quæ efficere poſſet Prælatus præſens, puta abſolvere a cenſuris, ſtatuere aliquid grave reſpiciens adminiſtrationem temporalem, niſi in caſu urgenti, in quo non datur locus moræ, ſed indigent repentina proviſione, ut malum vel incommodum aliquod non leve impediatur; alias egreſſus Prælati ad breve redituri facit illam abſentiam, ratione cuius docent DD. poteſtatem iuriſdictionis, ſive dominativam, translatam eſſe ad Vicarium. Ita Suarez, Rotarius hic. Immo permultum dubitat Suarezius, an Vicarius mortuo Prælato habeat poteſtatem irritandi, & commutandi vota: unde a fortiori putat Rotarius tutum non eſſe ampliare & extendere iuriſdictionem Prælati ad eius Vicarium ob brevem Prælati moram, puta duorum vel trium dierum extra Civitatem, niſi tamen, ut antea notavimus, tanta urgeat neceſſitas providendi de præſenti, ut dilatio futura ſit cauſſa maioris mali, quod aliter impediri nequeat.

De Prædicatoribus vero cum præcipue difficultates verſentur circa dependentiam in hoc munere ab Epiſcopis; idcirco operæ pretium eſt, antequam de hac re aliquid breviter dicatur, aperire quid proprie ſit prædicare, quod explicatur a S. Thoma 2. 2. q. 177. art. 2. non pro quocumque brevi, & familiari ſacro ſermone facto quandoque in privato ſacro loco, & alicui generi perſonarum, ut fieri ſolet per Abbatiſſas ac Prioriſſas per modum exhortationis ad ſuas Moniales in Choro vel Capitulo, ſed pro ſermone quo quis alloquitur publice totam Eccleſiam unius loci, oppidi ſcilicet vel urbis, ut eſt collectio omnium Fidelium ibi conſtanter inhabitantium ex Clero & populo, ut publicus Doctor totius Eccleſiæ, ut ait D. Paulus 1. Corinth. 12. *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, Doctores*: & Epheſ. 4. *Ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii in ædificationem corporis Chriſti*.

Prædicatoris munus ob eius excellentiam ex natura rei competit Epiſcopis præcipue & Parochis, aliiſque curam animarum habentibus, Religioſis autem ex privilegio. Cum igitur Epiſcopus per ſe ipſum prædicat, tunc ne oves divertantur a ſuſcipiendo verbo Dei per os ſui Paſtoris, alii Concionatores ſilere debent, & Epiſcopus poteſt eis interdicere ne eodem tempore prædicent, quod mandavit Urbanus VIII. in una Biruntina die 2. Maii 1629. teſte Paſſerino. Poſſunt vero Parochi eodem tempore ex altari in propria Eccleſia ſermonem habere ad populum, ut ait ſacra Congregatio in una Terulen. 11. Iunii 1631. cum hoc munus competat Parochis ex divino præcepto, ut conſtat ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 4. & 7. Parocho tamen impedito nequit alter Sacerdos eius loco tunc prædicare; hoc enim cedit in præiudicium venerationis debitæ Epiſcopo prædicanti.

Cum munus igitur Epiſcopi proprium ſit prædicare Evangelium, hinc nullus alius, niſi ab Epiſcopo miſſus, officium hoc exercere poteſt: quapropter deſignatio Prædicatorum tam in Cathedrali, quam in aliis Diœceſis Eccleſiis, ut docet Fagnan. t. 1. in cap. *Inter cætera de offic. Ordin.* ſpectat ad Epiſcopum. Ita ut licet invaluerit quoad electionem Prædicatorum contraria praxis, dum eliguntur pluribus in locis vel a Capitulis in Cathedrali, vel a populo in Parochialibus, remanet tamen Epiſcopis ſuum ius quod præſcribi nequit, ita ut ſi velit, ubique ipſe eligere poſſit prædicatores, cum hi non poſſint hoc munus exercere niſi vice Epiſcopi, cuius proprium officium eſt prædicatio. Hinc nemo exercere poteſt in quovis caſu prædicatoris officium, ſive ſæcularis Sacerdos ſit, ſive Regularis, & hic etiam in propria Ordinis Eccleſia, niſi petita licentia ac benedictione ab Ordinario toties quoties prædicare velit. Quod ſi iniuſte denegetur, dummodo eam petierit, prædicare poteſt, ut conſtat ex Brevi Urbani VIII. ad Epiſc. Genuen. in quo declaravit non requiri ut licentia ac benedictio petita obtineantur. Si vero præter denegationem benedictionis Epiſcopus contradixerit, tunc vi

Con-

Concilii Trident. ſeſſ. 24. cap. 4. *de Reformat.* neque in Eccleſia ſua poterit Regularis prædicare. Sic enim ibi habetur: *Nullus autem ſæcularis ſive Regularis , etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum , contradicente Epiſcopo , prædicare præſumat.*

Regulares præter licentiam Epiſcopi habere debent etiam licentiam ſuorum Superiorum, quæ indiſpenſabiliter requiritur ex Conciliis tum Lateranenſi tum Trid. ſeſſ 5. cap. 2. ubi præcipit, ut ad munus hoc exercendum ab eorum Superioribus *de vita, moribus*, & *ſcientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, ac cum illa ſe præſentent coram Epiſcopo, & ab eo benedictionem petant, antequam prædicent etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum.* Nam extra Eccleſias ſuorum Ordinum petere debent ab Epiſcopo præter benedictionem etiam licentiam, quam gratis Epiſcopi concedere debent.

Prædicatores, non ſecus ac alii ſacri Altaris miniſtri, alieni eſſe debent ab omni affectu ad temporalia lucra, ſed omne eorum ſtudium eſſe debet Deo inſerviendi & ſpirituali proximorum ſaluti, ac proinde ſe cavere debent ab omni eo quod ſapit avaritiam, & poteſt eos ſuſpectos reddere, quod ſolum inhient lucro, ac ideo quærant quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti; unde facillime incurri poteſt in ſimoniæ labem, ineundo pacta, conventiones, ac veluti contractus pro ſacro miniſterio exercendo. Poſſunt tamen licite Prædicatores excipere, immo & quærere ac exigere conſuetas eleemoſynas dari taxatas ab Ordinario pro concionibus, vel non taxatas, ut mos erit, moderate petere pro eorum ſuſtentatione.

Prædicatores, ut partes ſuas rite ac recte impleant, obſervare debent ea præcipue quæ ipſis præcipiuntur a Leone X. in Concilio Lateran. ſeſs. 11. nempe primo, ut prædicent Evangelicam veritatem, ſacramque Scripturam iuxta ſenſum SS. Patrum, Eccleſiæ, & Doctorum, quos Eccleſia, vel diuturnus uſus approbavit. Secundo, ne futurum Antichriſti adventum, diemque extremi Iudicii pro proximo ac determinato tempore aſſeveranter prædicent, nec alia futura ex ſacris Litteris aſſeveranter deducant, nec illa ex Spiritu ſancto vel divina revelatione habuiſſe affirment, neque alienas divinationes aſſeverando, vel alio quocumque modo prædicando, niſi prius iſtæ divinationes ſeu revelationes a S. Sede, vel ſaltem ab Ordinario loci fuerint examinatæ & approbatæ. Tertio, ut declarantes Evangelium curent inducere auditores ad deteſtationem vitiorum, ad ſequelam virtutum; quod redargutiones cadant ſuper univerſale, non ſuper particulares perſonas, & multo minus ſuper Prælatos & Superiores, & de ipſis nequidem ſub figura aut metaphora detrahant, ut in Clement. *Religioſi de privileg.* §. *quibus.*

Multipliciter peccare poteſt graviter Concionator in ſacro hoc miniſterio, videlicet ſi prædicet ſine licentia, ſi illicita vel falſas doctrinas contra Fidem vel mores, ſi ſcurrilia ad riſum excitandum cum ſacro eloquio immiſceat, ſi prædicet res inutiles & ſupra captum audientium.

## §. XVII.

### *De Parochis Regularium.*

Licet Regularibus, maxime Mendicantibus, & Clericis, qui vitam mixtam profitentur, unde ſunt ex proprio Inſtituto Epiſcoporum coadiutores, etiam ad publicam animarum utilitatem, Parochiam, quæ in ſua Regulari Eccleſia reperiatur, adminiſtrare. Hinc apud plures Religiones hoc in praxi videtur, nempe eos regere Parochias, quæ ſunt in ſuis Eccleſiis; & ad has adminiſtrandas poſſunt a ſuis Superioribus compelli, cum iam non exeant ab obedientia ſui Prælati, nec a vita Regulari. Sic Palaus, Suarezius. Non poſſet tamen compelli Religioſus ad miniſtrandam Eccleſiam ſæcularem extra Clauſtra. Parochus in Eccleſia Parochiali Monaſterii, ideſt ſub oculos Superioris, in iis quæ ſpectant ad vitam Regularem, tenetur obedire ſuo Prælato Regulari vi voti obedientiæ: In iis vero quæ reſpiciunt munus Parochi, non ſecus ac Clericus ſæcularis, tenetur obedire Epiſcopo, ut adeat proceſſiones totius Cleri, quibus alii Parochi interveniunt, ſub cruce quæ eſt Parochorum vexillum, ſub qua etiam alii Parochi incedunt, ut deciſum eſt a ſacra Congregatione die 5. Aprilis 1731. contra Parochum Comenſis Diœceſis. Item ad intereſſendum Congregationibus menſualibus caſuum conſcientiæ, cum hoc ſit onus annexum Parochiæ. Item ſi Parochus Regularis etiam exiſtens in Monaſterio delinquat in iis quæ reſpiciunt Parochiale munus, puta ſi negligens ſit in cura infirmorum, in exercitiis inſtruendi pueros & rudes in rebus Fidei & morum, docendi conſuetis diebus doctrinam Chriſtianam, ſi non ſervet ſtatutum ordinem quoad libros Parochiæ, ſi in aliquo deficiat quoad decentem

admi-

adminiſtrationem Sacramentorum, corrigi poteſt & puniri ab Epiſcopo, ut docent communiter DD. ex Trident. & Conſt. cit. Gregoriana *Inſcrutabili*; & hæc poteſtas convenit Epiſcopo, notat hic Paſſerinus, cumulative cum Superioribus Regularibus, ut iſti quoque cum Epiſcopo Parochum ſibi ſubditum ratione profeſſionis mulctare queant. Si vero Parochus adminiſtrans Eccleſiam Parochialem Monaſterii in quo exiſtit, delinquat in iis quæ non ſpectant ad regimen Parochiale, ſed in iis quæ reſpiciunt Regularem diſciplinam, corrigi nequit & puniri ab Epiſcopo, ſed hoc tunc ſpectat ad ipſius Superiores Regulares, quibus ut Regularis ſubditur, & ſub eorum obedientia vivit. Paſſerinus cum aliis. Ut plurimum Regulares, qui curam animarum exercent in Monaſterii Eccleſia, ſunt amovibiles ad nutum Prælati Religionis, non ſecus ac amoveri poſſunt ab aliis officiis ac muneribus Religionis. Secus vero dicendum ſi beneficium curatum non ſit pleno iure ſubiectum Religioni, ideſt Monachus proviſus de licentia Abbatis beneficio in titulum, nequit amoveri, cum Beneficium tunc ex natura ſit perpetuum, & Abbas liber fuit in danda licentia, ſed hac data nequit amplius eam revocare. Parochus ruralis, ſeu degens extra Monaſterium, habere debet apud ſe ſocium ſui Ordinis, cum quo vitam Regularem agat, ſi Parochialis Eccleſia pleno iure ſubiecta ſit Monaſterio, cap. *ex parte &c.* & cap. *Audientiam de Capellis monach.* ubi hoc præcipitur. De Parochialibus vero quæ non ſunt Regularibus ſubiectæ, in quibus proinde conſtitutus, eſt a Religione ſeparatus, ſicuti etiam quoad Canonicos Regulares utpote non intervenientes Regulæ ita rigide ſicuti Monachi, Palaus, Lucarini, Rotarius aliter ſentiunt, nempe non ſubiici tales Parochos Regulares legi ſocii ſecum habendi.

Parochus Regularis in neceſſitate abſcedendi a Parochia petere debet licentiam & ab Epiſcopo ut ex cap. *licet* canon. *de elect.* in 6. & a ſuo Superiore Regulari, quia vivit ſub eius obedientia.

Epiſcopus viſitare poteſt in Eccleſia Parochiali Regularium quæ ſpectant ad curam animarum, & ſi Regulares impedirent, infringere poſſet ianuas, & armis ſpiritualibus contra talem violentiam uti, ut ex Tambur. Genuen. Paſtar. Et in hac viſitare poteſt altare in quo ſervatur SS. Sacramentum, utpote ſpectans ad curam animarum, paramenta pro celebratione Miſſarum, & alia ornamenta pro Sacramentorum adminiſtratione; item Baptiſterium, vas pro aqua luſtrali ſervanda, cœmeterium Parochiæ, libros Parochi pro eius officio; ubi deſcribuntur Matrimonia, baptizati, & in cœmeterio ſepulti, cum tali tamen moderatione, ut ea non viſitet quæ pro uſu Monaſterii ſunt, non Parochiæ. Advertit hic Paſſerinus, quod cum provenientia Parocho ex titulo Parochiæ ad officium Parochi ſpectent; idcirco poteſt Epiſcopus Parochum Regularem cogere & frænare, ne in eiuſmodi emolumentis taxam excedat, ut declaratum fuit a ſacra Congregatione in una Limana 18. Septemb. 1625. Item poteſt Epiſcopus compellere Regulares, ut in Parochia tot Miniſtros deputent, quot erunt neceſſarii ad præſtanda iura, & onera Epiſcopalium, quacumque conſuetudine non obſtante, prout decernitur c. 1. *de præbend.* in 6. & Clement. 1. *de iure patronatus*.

Parochus Regularis quoad diſtributionem eleemoſynarum quæ ſolent ipſi tribui applicandæ pauperibus, vel eorum quæ ex fructibus ex Parochia perceptis a ſua ſuſtentatione ei ſuperſunt, non dependet a Superiore locali, & quantum ad detentionem peculii diſtribuendi ſe habet tamquam procurator & œconomus Monaſterii. Putat tamen Rotarius, & bene, quod ſi peculium ſit notabile, & diu detinendum pro expectanda opportunitate ac tempore ſtatuto ad illud diſtribuendum, poteſt, & forte debet certiorem facere Superiorem Monaſterii de tali detentione, vel notam facere de natura talis peculii, ne morte præventus non conſtet pertinere pauperibus, & ab Œconomo Monaſterii incorporetur, non ſine gravi pauperum diſpendio, idcirco & ipſius honoris, quia tamquam proprietarius haberetur.

Epiſcopus ſtando etiam iuri novo Concilii Trid. & Conſtitutionibus Summorum Pontificum, & præcipue conſt. S. Pii V. quæ incipit *Ad exequendum*, nequit in Beneficiis Curatis unitis Monaſterio deputare Vicarios perpetuos, quidquid in contrarium aliqui ex aliis documentis arguant ac ſentiant. Paſſerinus enim ex Bulla cit. S. Pii V. ſtatuit ac ſuſtinet, ita rem ſe habere reſpectu Rugularium, ſcilicet non poſſe Epiſcopos eos Vicarios perpetuos inſtituere in Beneficiis curatis Monaſterio unitis, ita ut ex ipſo Paſſerino Conſtitutio S. Pii non eſt nova lex, ſed declaratio mentis Concilii, quod nunquam intendit Vicarios

Re-

Regulares eſſe inamovibiles, cum non videatur veriſſimile, Concilium voluiſſe Curatos Regulares liberos eſſe a ſuorum Superiorum obedientia, ac non eſſe ad eorum nutum amovibiles. Adde, quod Concilium in permittendo Epiſcopis conſtituere Vicarios perpetuos, apponit hanc limitationem & exceptionem, *Niſi aliter expedire videbitur*. Nunquam plane expedit, Regularem voto obedientiæ obſtrictum, contra Superioris voluntatem eſſe inamovibilem. Inſuper ſive deputetur hic Vicarius perpetuus, ſive amovibilis, nominatio Vicarii pertinet ad Superiores, non ad Epiſcopum, ut tamquam deciſum a Congregatione ſuſtinent cit. DD. & conſentit Fagnan. in c. *Grave de offic. Ordinar.* n. 64.

Num vero Regulares aſſumi poſſint ad Beneficia ſæcularia curata controvertitur inter Doctores. Dixi *Curata*, quia de ſimplicibus nulla poteſt inſtitui quæſtio, cum iam conſtet ex iure, hæc Regularibus concedi non poſſe, collationemque eſſe nullam, ut ex cap. *Cum de Beneficio de præbend.* in 6. & clarius in cap. *Super eo de Regularib.* Verum etiam de Beneficiis curatis nunc ſupervacanea eſt omnis controverſia, etiam reſpectu Canonicorum Regularium, quibus non videbatur adverſari talis collatio, dum ex eorum Conſtitutionibus præcipue Lateranenſibus hoc permiſſum videatur. Verum ex iure novo clare conſtat hoc amplius non licere ſine indulto Apoſtolico, ut ex Decreto Gregorii XIII. Ita ſuſtinet Fagnanus in cap. *Quod Dei timorem de ſtatu Monachor.* n. 16. & 17. Nicolius in *Floſculis*, Palaus, Paſſerinus. Et multo magis hoc nunc eſt certum, dum ita declaravit ac vetuit ſua Conſtitutione Benedictus XIV.

## §. XVIII.

### *De Capitulo Generali & electione.*

Cum Capitulum Generale totam ſimul Congregationem ſeu Ordinem repræſentet, ampliſſima idcirco, ut omnes ultro concedunt, & ſuprema in eo reſidet facultas circa ea omnia quæ univerſim reſpiciunt Religionem, ac proinde quæ ab ipſo procedunt, ſtatuta ac firmata cenſentur communi totius Ordinis conſenſu. Quare cum Ordo Regularis Hierarchiæ ſit ad inſtar Hierarchiæ univerſalis Eccleſiæ, Capitulum Generale relative ad Regulares ſe habet non ſecus ac Generalia Comitia reſpectu totius Eccleſiæ. Iam vidimus, inſtitutum Capitula Generalis apud Regulares initium duxiſſe a novo regiminis methodo, quod inter ipſos excogitavit ac ſtatuit in ipſis ſuis primordiis Monachorum Ciſtercienſium Congregatio, ut hoc mediante Monaſtica diſciplina facilius integra & invariabilis in ipſis ſervaretur; quod adeo opportunum ad hunc finem viſum fuit Patribus magni Lateranenſis Concilii, ut non ſolum valde commendaverint, ſed & omnibus aliis Ordinibus imitandum propoſuerint. Immo quia in aliis Ordinibus norma etiam Superiorum immutata eſt, nempe ut non eſſent perpetui ſed temporales, & utplurimum triennales, ſtatutum fuit ut in Generali Conventu novi etiam Superiores eligerentur. Unde ad duo præcipue auctoritas Generalis Capituli refertur. Primum & præcipuum eſt Regularis diſciplinæ conſervatio, inſtauratio, ac reformatio, ſi ita opus ſit. Secundum & minus principale ſeu quaſi acceſſorium eſt electio Generalis, aliorumque Superiorum, qui eodem ardenti zelo accenſi, ac ſpiritu Generalis Capituli imbuti, ad normam prudentis illius dictaminis corrigant, reſtaurent, conſervent, quæ Generale Capitulum cenſuit corrigenda, inſtauranda, conſervanda.

## §. XIX.

### *De Capituli Generalis eſſentia ac poteſtate.*

Nomen Capituli iam vidimus deſumptum eſſe a Capitulo Regulæ, quod Monachis, qui quotidie poſt Primam in tali loco ad hoc deſignato conveniebant, legebatur, ut inceſſanter innovando eorum animis leges ſui Inſtituti, non obliviſcerentur earumdem obſervantiæ, & inviolabilis ſervaretur Monaſtica diſciplina: Unde locus, ubi talis lectio fiebat, & ipſa Monachorum congregatio, quæ ad talem lectionem conveniebat, nomen Capituli acceperunt. Quare cum Congregationes etiam Generales inſtitutæ ſint, ut pertractetur de Regulæ obſervantia, Superiores omnes domorum, qui ad intereſſendum huiuſmodi Congregationibus vocabantur, rationem reddebant quomodo in ſuis reſpectivis Monaſteriis res ſe haberet, ad hoc ut conſuleretur de remedio, ſi alicubi dignoſceretur defeciſſe, & tales Conventus *Capituli* nomine appellati ſunt. In his autem Capitulis ſeu Generali Conventu eligebantur novi Superiores, qui ſupra Regularis diſciplinæ obſervantia ſolicite invigilarent.

Finis igitur præcipuus Generalium Capitu-

tulorum eſt morum correctio, ideſt conſervatio, reſtitutio, reformatio Monaſticæ diſciplinæ; electio vero eſt medium ad intentum finem obtinendum; ſive, ut alii dicunt, finis primatius talium Congregationum eſt correctio, ſecundarium Prælatorum, aliorumve Miniſtrorum electio. Sic Lezzana cum aliis, qui deplorant præſentium temporum corruptelam, in quibus Capitulares totum ſtudium, attentionem, ſolicitudinemque electioni impendunt, correctioni vero valde parum, ne dicam nihil. Nam quæ colloquia, quæ conſilia, amabo, fieri videntur circa ſtatum Regularis diſciplinæ, quæ collatio morum cum Regula; quæ rationes aut inſtructiones exiguntur a Superioribus de Regulari obſervantia in reſpectivis ſuis domibus, a Viſitatoribus in toto Ordine, quæ conſultationes habentur, quæ ſtudia cum Patribus Capitularibus, ut corruptelis provideatur, ut diſciplina, ſive alicubi, ſive univerſim collapſa, in viridi ſuo vigore reſtituatur? Ex oppoſito vero quot ſolicitudines, quot contentiones, negotiationeſve non verſantur circa electionem ad dignitates regiminis, ac ad alia honoris vel utilitatis officia? non iam ut bono Religionis conſulatur, ut viri eligantur optime meriti, doctrina præditi, pietate, prudentia, zelo, ut ſanctum finem Regularis inſtituti, ideſt diſciplinæ obſervantiam, gloriam Dei, ſanctitatem animarum & ſalutem promoveant: ſed ut quiſque ſatisfaciat propriæ ambitioni & utilitati, ita ut quiſque quærat quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti. Hinc in pluribus Religioſis Ordinibus valde collapſa eſt Regularis diſciplina, tot ſerpunt corruptelæ contra mores, quæ pios ſæculares offendunt, & laxioribus etiam ſunt obiectum admirationis & ſcandali, ut Religioſi Ordines adeo venerabiles facti ſint hodie opprobrium hominum & abiectio plebis.

Ex dictis itaque patet, Capitula Generalia Regularium, eſſe Conventum ſeu Congregationem Religioſorum, & præcipue Superiorum ſaltem Provinciæ, aliorumve, quibus a propriis legibus ius factum eſt intereſſendi, indictum a Prælato Generali, vel aliis ſimul, ad quos ſecundum ſui Ordinis ſtatuta ius ſpectat Generale Capitulum convocandi. Dixi *vel aliis*, quia mortuo Generali, vel in aliquod grave crimen lapſo, convocatur Capitulum ab eo, qui a iure propriæ Religionis auctoritatem habet Capitulum Generale convocandi, cum ius commune in hoc particulari nihil adhuc diſpoſuerit, ut notant DD. Intereſſentes huic Capitulo debent habere ius ſuffragii, quia gaudent vel dignitate vel privilegio iuxta proprias Regulas iure intereſſendi, ut in aliquibus Ordinibus Ex-Generales, Ex-Provinciales, Lectores Iubilati, Socii electi a Provinciis vel Conventibus iuxta propriæ Religionis Inſtitutum. Docet Lezzana in univerſum, eos debere eſſe Clericos in Sacris conſtitutos, habiles ad definiendum & eligendum, immunes ab irregularitate & cenſuris, in ætate a propriis Regulis præſcripta, aliiſve habilitatibus munitos, quæ a propriis legibus requiruntur. In aliquibus Religioſis Ordinibus ſtatutum eſt, ut hoc Capitulum celebretur quolibet triennio, in aliquibus ſexennio.

Priuſquam Capitulum incipiatur, debet Præſes abſolvere vocales ab omnibus cenſuris, ſuſpenſionibus, inhabilitatibus, vel alio quovis impedimento, ut electio non reddatur nulla. Hæc abſolutio extraiudicialis iuxta Paſſerin. eſt cum reincidentia; datur enim pro determinato effectu & tempore, ideſt durante Capitulo, ut ea quæ in ipſo fiunt, firma ſint, quo completo iterum cenſurati in cenſuras incidunt, quibus antea erant irretiti, ita ut vi talis abſolutionis non poſſunt divinis intereſſe, nec facere ea, quæ excommunicatis ſunt vetita. Neque talis abſolutio valet, ut advertit Peyrinus, ſi de excommunicatione præceſſit rumor, aut inſtantia, aut iuridica oppoſitio, & multo magis ſi declarata ſit per judicem.

Cauſa efficiens principalis Capituli eſt Summus Pontifex, de cuius auctoritate & privilegio Electores ius habent eligendi. Sicut enim ad Papam ſpectat Religiones approbare, & confirmare, ita ab ipſo dependet ius eligendi ſibi Prælatos, qui ab ipſo Pontifice poſſunt immediate creari, vel modum electionis præſcribere; & de facto Religiones varietatem habent modi eligendi a Summorum Pontificum indultis approbatam. Inſuper Capitula Generalia a Summo Pontifice, apud quem ſuprema reſidet in Eccleſia poteſtas, habent ius condendi leges, a quo revocari poteſt, limitari & dirigi præſcribendo modum & formam ad valide & licite operandum in Capitulis, ut fuſe probat Paſſerin. tom *de elect.* Cauſa vero efficiens principalis ſunt Inſtitutores & Legiſlatores Religionum, qui utentes facultate habita a ſummo Pontifice præſcripſerunt modum, numerum, & qualitatem vocalium, qui Generale Capitulum, tamquam partes intrinſecæ componentes, conſtituunt, ex quibus

ex

ex fictione iuris una perſona reſultat, quæ eſt Capitulum Generale. De cauſſa vero finali iam diximus.

Capitulum Generale 1. nequit ſupplere voces abſentium alios ſubſtituendo, qui eorum loco dent ſuffragium, cum hoc vetitum fuerit a Concilio Trid. ſeſſ. 25. *de Regularib.* cap. 6. ita ut ſi ſecus fieret, electio eſſet nulla 2. Capitulum nequit admittere extraneum ad electionem ſeu ad ferendum ſuffragium, ſecus vero admitti poteſt extraneus, ſi opus ſit cum electoribus ut eos protegat vel dirigat, vel etiam ut ſit Notarius. Et nomine extranei intelliguntur ii omnes, qui non habent a iure requiſita ad intereſſendum, & ii nequidem a toto Capitulo diſpenſari valent ut interſint; quia Regulares diſpenſare nequeunt præſcripta a iure Canonico, cum inferior diſpenſare nequeat in lege Superioris. Advertit hic Paſſerinus, quod ſi admitteretur ad Capitulum inhabilis ex iure, non ideo ſtatim electio nulla cenſenda eſſet, niſi eius votum eſſet deciſivum, quia alias electio facta eſſet a ſufficienti numero legitimum ius ſuffragii habentium, idcirco ſuffragium inhabilis eſſet ſupervacaneum iuxta regulam iuris in 6.: *utile per inutile non vitiatur*. Adverte, quod ſi defectus qualitatis in vocali ſit dubius, poteſt, immo debet Capitulum illum admittere, quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis.

Quamvis non ſit de ſubſtantia Capituli, ut convocetur per ſonum campanulæ; tamen cum Capitulum ſit multitudo collegialiter congregata ad aliquid agendum, & intelligi nequeat legitime congregata niſi vocetur, & vocatio Religioſorum fieri ſoleat ſono campanulæ, iuxta morem cuiuſcumque Religionis, hinc convocatio per campanulam eſt omnino neceſſaria: & ſi Præſes ſine motivo iuſto, ſed ex contemptu vel pravo fine renuat tempore debito congregare, notat Peyrin poſſe maiorem partem Capituli ſine Præſidente procedere, & abſentes vocare legitimo ſigno dato. Sic etiam Rodrig. & Paſſerin. Si ex fortuito caſu, pluviæ puta, vel belli, vel peſtis vocati non conveniant in maiori parte, dummodo omnes advocandi ſint vocati ad Capitulum, iuxta Paſſerinum de iure canonico, certum eſt quod adveniente die inchoationis Capituli præſentes habent ius eligendi, quamvis ſint in minori parte ſeu numero: *Quicumque & quanticumque ſint*, ait Paſſerinus cap. 14. n. 11. & vocati non venientes cenſendi ſunt tamquam extranei & alieni; ita deciſum eſt ex cap. *Quod ſicut*, & ex cap. *Cum nobis* & cap. *Quapropter de Elect.* Et ſic tenet etiam Panormitanus cap. *Bonæ* 4. *de poſtul.* n. 9. & alibi; quia non ſunt onerandi innocentes, qui tempore debito comparuerunt, nec privandi iure quod habent die præfixa conſtituendi Capitulum legitimum, & decernendi ea quæ ipſis competunt, dummodo tamen aliter ſtatutum non ſit in reſpectivi Ordinis Conſtitutionibus.

Quoad tempus vero, ideſt num Capitulum fieri poſſit die feſto, licet aliqui dubitaverint, Paſſerinus cum aliis communiter concludit, etiam die feſto haberi poſſe, & electionem factam tali die eſſe validam, quia non eſt actus iudicialis cum ſtrepitu fori, & etiam quia actus electionis ſapit pietatem, dum agitur de providendo Paſtore Eccleſiæ viduatæ. Circa horam verò, cum nihil de hoc ſtatutum habeatur in iure, qui vetat quidem Capitula clandeſtina, non vero nocturna; hinc quacumque hora ſive diei ſive noctis valide Capitulum congregari poteſt, dummodo a propriis legibus Ordinis aliter non ſtatuatur.

Quoad locum vero, cum hoc non ſit de ſubſtantia, ſatis erit ut ſit aula ſufficiens, ubi adeſſe valeant omnes congregandi, & ſit decens ac honeſta, ut in cap. *Cum Terra* 14. *de elect.* Et in cap. *Quod ſicut* 8. *de elect.* in quo ſtatuitur, quod electio fiat in Eccleſia; & nomine Eccleſiæ, ut explicant DD., intelligitur ambitus illius, & totum Monaſterium eſt ambitus Eccleſiæ. Eſſet tamen reprehenſibile, ſi ex aliquo eventu celebraretur in palatio Nobilis viri, quia eſſet contra caput *Qua fronte* 25. *de appellat.* Nihilominus tamen electio non eſſet nulla, ſed eſſet caſſanda, quia facta contra legem. Valida pariter eſſet ſi facta ſit in loco interdicto, quia nullibi in iure hoc prohibetur. Hinc infert Paſſerin. n. 18. quod ſi locus conſuetus convocationis Capituli eſſet interdictus, & alibi electio commode haberi non poſſet, nullum eſſet peccatum ibi Capitulum celebrare.

Poteſtas Capituli reſidet in maiori parte Capituli, quæ nunc etiam, ideſt poſt Concilium Trident. ſeſſ. 25. *de Regularib.* cap. 6. eſt etiam ſanior, ſic vocata a ſacris Canonibus præcipue cap. *de iis quæ ſiunt*, quia cum Concilium præſcribat ut electio ſecreto fiat, impoſſibile eſt diſtinguere maiorem partem a ſaniore. Sic Suarez, Sylveſter, Tabien. & alii. Et idem dicendum etiam de legibus, quæ a Capitulo Generali ſtatuuntur, in quibus diſcuſſa materia & ſtabilita de-

Digitized by Google

ta decretó, exponitur deciſio ſuffragiis vocalium; & docet Suarez lib. 2. cap. 8. n. 8. quod ut talis lex valorem habeat, & dicatur a ſaniori parte firmata, non requiritur conſenſus Præſidentis Capitulo, quia poteſtas ferendi leges reſidet in toto Capitulo, & Prælatus non plus conſideratur quam unus ex ferentibus ſuffragium, & ad ſummum in aliqua Religione ei conceditur duplex ſuffragium, vel arbitrium ubi vota ſunt æqualia. Sic etiam Lezzana.

Capitulum Generale poteſt condere leges perpetuas obligantes totam Religionem, & hoc indubitatum eſt, cum hæc facultas conceſſa ſit Capitulo Generali a pluribus Summis Pontificibus, præcipue ab Innocentio VIII. a Martino V. a Leone X. quorum indulta referuntur a Rodriguez tom. 1. q. 4. art. 2. Donat. t. 2. tom. 12. q. 2. Immo talis facultas conceditur cuicumque Ordini in approbatione Religionis, & Regulæ confirmatione, ut facile colligitur ex Suarezio cit. lib. 2. cap. 4. ubi docet, in Religionibus eſſe poteſtatem ad ea omnia, quæ ad perfectam gubernationem inter homines neceſſaria eſſe poſſunt. Notat etiam Donatus, tales leges perpetuas debere eſſe conformes Regulæ a S. Sede approbatæ; alias ſi opponantur, nullæ ſunt. Addit Suarezius loco cit. quod leges iſtæ ſtatim ac promulgatæ ſunt, confirmatæ cenſentur a S. Sede, & hoc ex variis privilegiis, & præcipue Pauli III. qui tamen advertit, confirmationem hanc dare ſolum decretis vim legis firmiſſimæ quoad obligandum, non vero illa convenientia & opportuna declararo, cum in dictis privilegiis Pontifex uſus ſit non verbo *approbandi*, quod pertinet ad intellectum & claſſem ſcientiæ, ſed *confirmandi*, quod pertinet ad auctoritatem, & iuriſdictionem obligantem.

Capitulum Generale non poteſt ſe extendere ad aliquid præcipiendum contra ius canonicum, quod eſt ſuperius auctoritati Religionis, quæ illi obedire tenetur; nec illud corrigere poteſt, aut modificare aut limitare, ut ex can. *Inſtitutionis noſtræ* 24. q. 2. Cum hoc tamen ſtat, ut in rebus, in quibus DD. diſcrepant circa intelligentiam iuris communis, poſſit declarare & innovare, & ubi pœna non eſt impoſita a iure, illam ſuperaddere poteſt, vel pœnam a iure impoſitam, ſi extet gravis cauſſa, augere; quia hoc non eſt ius commune ſubvertere, ſed illud adiuvare, quod licitum eſſe probat Donat. ex ſacris Canonibus, & ita ſentit etiam Lezzana. Immo pro morum reformatione poteſt Generale Capitulum ſupplendo ius commune facere ſtatuta præceptiva, prohibitiva, & pœnalia, ut ex can. *Prodeſt* 23. q. 5. & hoc facere poteſt etiam ubi agitur de iure naturali & divino, ut probat Donatus ex cap. *a nobis* 1. *de ſentent. excommunic.* Tunc enim nulla fit iniuria, immo obſequium eſt ſuperaddere decreta & ſtatuta, ut promoveatur iuris divini, naturalis, aut canonici obſervantia. Circa privilegia conceſſa a S. Sede certæ qualitati perſonæ aut miniſterio, caute ſe gerere debet, ne excedat poteſtatem quam non habet, vel abutatur poteſtate quam habet ad conſulendum & providendum bono communi, faciendo ſtatuta quæ præiudicium afferant multitudini innocentium, qui moderate ſuis privilegiis utuntur, dum qui iiſdem abutuntur ſunt forſan tantæ audaciæ, ut freti Magnatum potentia, ea contemnant. Rotarius hic n. 11.

Hinc nequit Capitulum Generale obligare ſubditos ad manifeſtandum Prælato, & multo minus toti Capitulo propria crimina gravia occulta; eſt enim contra ius naturale famæ tuendæ, & aperiendi propriam turpitudinem, ut Sotus *de iuſt. & iur.* Idcirco eum obligare nequit ad ſe declarandum illegitimum, vilis proſapiæ, aut aliquid aliud famæ læſivum. Toletus. Neque poteſt obligare reum ad ſe prodendum, etiamſi ei impoſita fuiſſet cenſura ad ſe manifeſtandum, ait Suarez *de cenſur.* diſp. 4. ſect. 5. n. 4. Immo cum Suarezio ſentit etiam Donatus, quod ſi Religioſus voveret aut iuraret manifeſtare extra Confeſſionem Prælato ſuos defectus, nihilominus non teneretur ſe accuſare de delicto famæ denigrativo, ut habetur etiam ex D. Iſidoro in cap. *In malis promiſſis reſcinde fidem, & in turpi voto muta decretum*. S. Iſidoro conſonat D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 2. Nec officit obiicere hoc eſſe contra praxim Religionum, quæ ſolent in Capitulis domeſticis obligare ſuos Religioſos ad ſe accuſandum de delictis contra Regulam commiſſis, quia confeſſiones ſeu accuſationes iſtæ ſunt de levibus, quæ ex una parte famam non lædunt, & ex alia mortificationi & humilitati inſerviunt.

Capitulum Generale facere poteſt præceptum etiam de re minima obligans ſub mortali, ſi annexam habeat circumſtantiam gravem, non ſecus; ſicut etiam titulo neceſſitatis præcipere valet auſteritates duriores ſupra Regulam, ſi experientia conſtet ex temporum malignitate aliter obſervantiam

tiam non obtineri, niſi leges auſteriores addendo, non vero titulo præciſe maioris perfectionis & virtutis. Sed iam de hoc actum eſt ubi de reformatione.

## §. XX.

### *De electione canonica Superiorum, ac eius conditionibus.*

Quoad electionem ſacrorum Miniſtrorum ad officia eccleſiaſtica vacantia, plura ſtatuuntur a Iure canonico, quorum principalioribus ac eſſentialibus retentis in Regularium electionibus, in cæteris res geritur iuxta cuiuſque Ordinis Conſtitutiones, ut ab ipſis recedere non liceat, & receſſus invalidam reddat electionem, ſi modus electionis a Regula præſcriptus ſit tamqum de forma ſeu cum clauſula irritante, vel annullanda ad inſtantiam partis, ſi cum tali clauſula non fuerit præſcriptus. Unde ſemper recedere a modo electionis per propriam Regulam præſcripto eſt periculoſum.

Electio generatim ſumpta ſecundum Ariſtotil. 5. *Ethic.* & D. Thom. 1.2. q. 13. art. 3. in corpore ab Alberto Magno cap. 23. Sap. definitur dicendo, quod *eligere eſt duorum vel plurium quæ ſunt propoſita, alterum vel alterum præoptare*. Accepta vero electio proprie & ſtricte, prout in præſenti propoſito, de electione Prælatorum ad eccleſiaſticum regimen, eſt *perſonæ idoneæ ad Eccleſiam vacantem, vel Prælaturam per eos, quibus ius eligendi competit, canonica vocatio*. Sic communiter. Talis electio dicitur canonica, quatenus regulatur a ſacris Canonibus, qui normam conditioneſve pro tali electione præſcripſerunt, ut ex cap. *Quapropter* 41. *de elect.* & ex Concilio Trid. ſeſſ. 25. *de Regularib.* cap. 6. & ex aliis ſuo loco citandis.

Forma electionis eſt triplex, ſcilicet forma ſcrutinii, forma compromiſſi, & forma inſpirationis, ut in can. *Quapropter* 42. *de elect.* ita ut ex tali capite generaliter reprobantur omnes aliæ formæ electionis ab his tribus diverſæ, & ibi decernitur, quod electio aliter facta ſit nulla. Hinc electio per ſortes eſt nulla, utpote facta contra diſpoſitionem irritantem huius capitis *Quapropter*, & talis electio per ſortes reprobatur etiam in cap. *Eccleſia veſtra* 3. *de Sortilegiis*.

Electio per ſcrutinium eſt illa, quæ, præſentibus omnibus, qui debent, poſſunt & volunt intereſſe, fit per collectionem ſuffragiorum circa eum, in quem maior & ſanior pars Capituli conſentit. Sic communiter ex cit. cap. *Quapropter* 42. *de elect.* ex quo capite ſeu canone ſecundum communem Doctorum teſte Fagnano colliguntur octodecim ſubſtantialia formæ electionis per ſcrutinium; & primum eſt, ut fiat per congregatos in unum. 2. Ut ſcrutatores eligantur a Collegio. 3. Ut ſcrutatores ſint tres. 4 Ut ſcrutatores ſint de Collegio. 5. Ut vota ſingulorum exquirantur ſecrete. 6. Ut exquirantur ſingillatim. 7. Ut exquirantur vota cunctorum. 8. Ut vota in ſcriptis redigantur. 9. Ut vota in communi publicentur. 10. Ut publicentur mox. 11. Ut fiat collatio numeri ad numerum, meriti ad meritum, zeli ad zelum. 12. Ut collatio fiat incontinenti poſt publicationem. 13. Ut fiat communis electio. 14. Ut electio fiat ſtatim poſt collationem. 15. Ut electio fiat de illo, in quem maior pars & ſanior Capituli conſentit. 16. Ut electio fiat verbaliter. 17. Ut electio non ſit clandeſtina. 18. Ut prædictorum omnium ordo ſervetur. Hæc apud Fagnanum in dictum cap. *Quapropter*. Reinffenſtuel lib. 1. *Decretal.* tit. 6. n. 18. ubi docet, quod non valet electio celebrata a ſaniori parte Capituli, niſi etiam ſit maior cap. *Cumana* 30. *de elect.*

Electio per compromiſſum eſt ea quæ fit, quando capitulariter præſentes facultatem eligendi in unum vel plures idoneos viros conferunt, qui vice omnium eligunt. Ita communiter ex dicto cap. *Quapropter*, & concordat cum cap. *In cauſ.* 30. *de elect.* Ad faciendum compromiſſum pro electione requiritur conſenſus omnium vocalium, ita ut unius diſſenſus compromiſſum impediat, & electio aliter facta eſt nulla: cit. cap. *Quapropter* & DD. communiter teſte Abbate. Compromiſſum pro electione fieri poteſt etiam in unum ſolum, licet ipſe non ſit de Collegio cap. *Cum cauſſ.* 8. *de elect.* & alibi. Compromiſſum fieri non poteſt in Laicum cap. *Contingit* 8. *de Arbitris*. Unus compromiſſarius non poteſt eligere ſeipſum ex cap. *Cum ad noſtram* 7. *de Inſtit.* ubi ſtatuitur, quod nemo poteſt ſubſtituere ſemetipſum in beneficium, dando rationem, quod inter dantem & accipientem debet eſſe diſtinctio perſonalis cap. *Per noſtras* 26. *de Iure patronatus*, ubi ſtatuitur, neminem ſeipſum præſentare poſſe ad Eccleſiam, licet de iurepatronatus, & ſic alibi.

Si compromiſſarii ſint plures, poſſunt hi aliquem de ſe ipſis eligere, quamvis in compromiſſo id non ſit expreſſum, niſi fuerit

expreſſe prohibitum. Sic Abbas in cit. cap. *Cum in iure* n. 4. Innocent. Hoſtien. & hanc ſententiam nunc tenent ex recentioribus Reiffenſt. Engel. Paſſerin. *de elect.* Compromittentes tenentur excipere electum a compromiſſariis cap. *Cauſſ.* 8. *de elect.* & communis eſt Doctorum, dummodo tamen ſervata fuerit forma compromiſſi, quia ſi compromiſſarii terminos poteſtatis ſibi traditæ non ſervaverint, nulla eſt electio ſecuta cap. *Cum dilectus* & cap. *cum in veteri de elect.*

Electio per inſpirationem illa eſt, quæ fit per veram Dei revelationem, cuiuſmodi fuit inter alios SS. Nicolai, Ambroſii, Severi, de quibus fit mentio in cap. *Statuimus* 8. diſt. 61. Electio autem per quaſi inſpirationem ea eſt, quando electores omnes quaſi per inſpirationem Spiritus Sancti concorditer moti, nullo præcedente tractatu, communiter uno corde & ore in eumdem conſentiunt, & dicitur etiam per communem acclamationem. Sic communiter DD. & clare habetur in cit. cap. *Quapropter*, in quo notanter dicitur, *Abſque vitio celebrata*; quia requiritur ut talis electio contingat ſine ullo vitio ſimoniæ, requiſitionis, ſubornationis, & conſenſus extra Capitulum ante electionem dati, atque ab omnibus & ſingulis libere & concorditer uno corde & ore conſentientibus fiat, aliter non eſſet electio quaſi per inſpirationem celebrata ex cap. *Per inquiſitionem*, & alibi. Hinc electus ad clamorem populi non debet per Superiorem confirmari, ut ex cap. *Oſius* 2. *de elect.* quia talis populi acclamatio ſuſpecta eſt de fraude; & quando talis ſuſpicio rationabiliter recurrat, electio non eſt cenſenda facta quaſi per inſpirationem.

Electio fieri poteſt etiam per calculos ſeu fabas, ut uſus habetur in Congregatione Barnabitarum pro bona electione; & primo nominationem faciunt per ſchedulas, & qui tulit maiorem numerum ſchedularum, non ideo eſt electus, ſed primus ſubiicitur probandus & approbandus per vota ſecreta & calculos; unde nominatio ab electoribus per ſchedulas eſt ſolum initiativus, non perfectus conſenſus, ſeu eſt conſenſus, ut quis ſubdatur ſcrutinio faciendo per vota ſecreta. Unde acquirit ius non ad Prælaturam, ſed ad ſcrutinium; & ſi in ſcrutinio tulit duas ex tribus partibus ſuffragiorum, ille eſt electus, omiſſis cæteris qui fuerunt nominati; ſi non tulit, alii nominati ſucceſſive ſubduntur, donec aliquis ex nominatis duas ex tribus partibus ſuffragiorum tulerit; & revera aſſentior Rotario aſſerenti, hoc modo rem eſſe magis ſecretam, idcirco magis liberam; nam vocales melius liberiuſque ſatisfacere poſſunt propriæ conſcientiæ negando ſuffragium minus digno, reſervando digniori; & ſi forte male ſe geſſerint nominando per ſchedulas, datur locus pœnitentiæ; cum electio conſummata non ſit, ſed conſummanda ac perficienda per calculos ſecretos.

Conditiones electionis ad Regularium Prælaturas per ſacros Canones communiter requiſitæ, quorum intentionem iam ſequuntur omnes Religioſorum Ordinum Conſtitutiones, ſunt, quod electio ſit canonica, libera, & de digniori. Ad hoc ut electio ſit canonica, requiritur in primis ut vocentur omnes, qui aut de iure, aut de legitima conſuetudine ius habent ſuffragium in ea ferendi, & ſunt in pacifica poſſeſſione eligendi cap. *Cum inter univerſas* 18. cap. *Coram dilecto* 35. & docent DD. communiter. Unde etiam vota infirmorum qui decumbunt in Conventu electionis, & ob eorum infirmitatem nequeunt electioni interſſe, debent exquiri. Sic Innocent. in cap. *Quapropter* 42. *de elect.* n. 2. Sylveſt. Barboſ. & alii; quia vota omnium præſentium ſunt inquirenda. Infirmi vero qui decumbunt in eodem Conventu electionis cenſentur præſentes cap. *A fortiori* L. 1. ff. *de Procuratoribus*. Idcirco in tali caſu debent ſcrutatores eos adire, & ab illis ſchedulas in vas ad id præparatum accipere. Sic Donatus & alii. Ita ut ſi vel unus, qui commode citari ſeu vocari poterat, non fuerit vocatus, poſſit electionem irritare cap. *Quod ſicut de elect.* Quamvis enim non ſit de ſubſtantia electionis ut vocentur abſentes, ut defendunt Gloſſa in cap. *Nulli* 8. *de elect.* in 6. Tabiena, Donatus, Fagnanus; ideoque licet non ſit ipſo iure irrita, ad ipſius tamen neglecti ſeu non vocati inſtantiam ex cit. cap. *Quod ſicut*, erit irritanda; quia plùs obſiſtit electioni contemptus unius, quam contradictio multorum, ut ex cap. *Venerabilem* 24. & cap. *Bonæ memoriæ* 30. *de elect.* Licet autem ad inſtantiam non vocati irritandum ſit; ſi tamen vocalis neglectus ſeu non vocatus, pro bono pacis vel alio fine ratam habeat electionem & non contradicat, valida electio ſubſiſtit cap. *Quod ſicut* 28. *de elect.* §. 1. in fine. Valida pariter ſubſiſtit, ſi vocalis contemptus ſeu non vocatus, dum ſcit electionem factam, potens contradicere minime contradicit; quia in tali caſu cenſetur tacite ratam habere electionem, &

cede-

cedere iuri ſuo; ita ut amplius non ſit poſtea audiendus iuxta Sperell. deciſ. 181. n. 43. & Paſſerin. *de elect.* cap. 11. n. 119. alioſve paſſim.

Vocalibus vocatis ac in unum collegialiter congregatis, ante electionem præmittendi ſunt tractatus conſultorii, nempe dum omnes ſimul coniuncti ſunt iam in cameris privatis inter aliquos particulares ex principalioribus Ordinis, qui ambiunt & præſumunt haberi & eſſe ut capita & diſpoſitores, ne dicam domini totius Ordinis, ac pro libitu ſuo etiam de Prælatorum electione abſolute arbitrari & diſponere, ſine ulla diſcuſſione ſuper qualitatibus, habilitate, ac merito, ut a ſacris Canonibus in eligendis præſcribitur ac requiritur ex cap. *Cum terra de elect.* cap. *Inter canonic.* 21. cap. *In caſus* 30. & cap. *cum in veteri lege* 52. eod. tit. ideſt *de electione*, ubi irritatur electio ob defectum debiti tractatus, & Gloſſ. verb. in *tract.* ait: *Hinc patet, quod tractatus debet haberi ante electionem & collationem ad invicem: alias quomodo eligerent, niſi primo de aliquo eligendo tractarent?* Et ita habetur cap. *In Geneſi* 56. eod. tit. ibi enim electio declaratur irrita, ex quo debitus tractatus habitus non fuerit ibi *non tractatum, neque diſcuſſum*, ex quibus textibus, notat P. Ferraris, Donatus hic q. 11. n. 2. Mattheuccius hic cap. 18. n. 43. & alii inferunt, electionem nullam eſſe, vel ſaltem annullandam, ſi ante eam non habentur tractatus conſultorii, per quos poſſint vocales dignoſcere quinam ſit dignor, ad cuius electionem ſub mortali tenentur.

Verum licet in exigendo ac præcipiendo tractatu communi vocalium collegialiter congregatorum ſuper qualitatibus eligendorum, ſacri Canones eo ipſo interdicere videantur tractatus privatos, intelligenda tamen ſunt iura quæ hoc ſtatuunt, de tractatibus ſecretis factis in privatis cameris inter aliquos amicos ex potentioribus Ordinis convenientes ad tractandum de electione in tali data perſona inter alias facienda, qui tractatus vocantur a Doctoribus *ambitioſi*, *ſeditioſi*, *factionales*, *pactionales*, *conventicula ſatbanæ*, & aliis huiuſcemodi titulis; non de privatis tractatibus conſultoriis factis a maiori & ſaniori parte vocalium iuxta Donatum & Paſſerinum, in quibus examinantur eligendorum virtutes, & præſertim prudentia, habilitas, merita, necnon defectus, inclinationes, aliave, quæ ſub nomine peccati comprehenduntur in cap. *Cum terra*, ne errent præferendo indignum dignis, vel minus dignnm digniori. Huiuſcemodi enim tractatus ac diſcuſſiones, licet privatæ, dummodo tamen maior & ſanior pars vocalium ad haſce advocetur, nedum non prohibentur a ſacris Canonibus, immo præcipiuntur; quod idcirco fieri debet privatim, rem inter ſe conferendo, conſilia capiendo, ut innoteſcat quinam præ cæteris ſit præferendus; quæ diſcuſſio non ita facile fieri poteſt in Capitulo omnibus ſimul collegialiter acceptis. Actiones enim humanæ valde graves & difficiles recte non fiunt niſi diſcutiantur, & prævio ſapientum conſilio dirigantur; & D. Thomas p. 2. q. 14. art. 3. in corpore, dicit, *conſilium quaſi conſidium, eo quod multi conſident ad ſimul conferendum*. Et equidem ſi electores ſimul non conferant, caſualis erit electio melioris & dignioris. Difficile enim inter congregatos ex multis diverſis ac valde diſſitis Nationibus vix aliquis eſt, qui ſciat eligendorum qualitates, propenſiones, virtutes, vitia, defectus, merita, vires corporis & animi genium, & ſimilia, quæ regimen adiuvare vel deordinare valent. Huiuſcemodi igitur privatos tractatus conſultorios nedum non vetant, immo præcipiunt varii ſacri Canones, allati hic a Donato & Paſſerino, & præcipue cap. *Cum in veteri lege* 52. *de elect.* in quo irritatur electio ob defectum tractatus cap. *In nomine Domini* diſt. 23. verb. *tractantes*, & cap. *Cum terra* 13. *de elect.*

Secunda conditio ad electionem Superiorum in Capitulis Generalibus, ut legitime, ideſt ut valide & licite fiat, eſt, quod ſit omnino libera. Libertas enim eſt de ſubſtantia electionis, ut clare patet ex ipſa definitione. Nam eligere eſt, unum ex pluribus eligibilibus per determinationem propriæ voluntatis aſſumere, ac vocare. Igitur ubi deſit libertas, non habet locum aſſumptio facta per determinationem propriæ voluntatis, ſed ſervilis eſt, & facta ad nutum alterius, ac proinde coacta. Electio autem coacta ex iure Canonico eſt indubitanter irrita & nulla, ut expreſſe habetur in cap. *Ubi periculum de elect.* in 6. ubi ſic: *Ceſſat electio, dum libertas adimitur eligendi*; item in cap. *Cum terra de elect.* & can. *Dilectiſſ.* 8. q. 2. Hinc docent communiter DD. electionem non debere eſſe coarctatam, nec directe, nec indirecte ad certum numerum perſonarum, & multo minus ad unum cum excluſione aliorum. Ita ut ſi hoc ſine Apoſtolica diſpenſatione fiat, nullam eſſe declaravit ſacra Congregatio teſte Donato



Digitized by Google

& etiam Fagnano in cap *Cum dilectus* 8. *de conſuetud.* n. 11. Dixi *nec indirecte*, utpote quod æquivaleat, & eiuſdem ſit virtutis ac directe volitum ſive intentum. Et revera non raro contingit in Capitulis, vi huiuſcemodi indirectæ coarctationis libertatem electionis tolli: Nam tametſi non dicant potentiores qui negotium hoc tractant, vel Superior, talem eligi, vel unum ex tribus vel quatuor, tamen ſi quis non det ſuum ſuffragium illi tali, quem ipſe peroptat, & ſive per ſe ſive per alios ad Prælaturam aſſumatur, periculum ſubit quod, ſicut iam ſæpe ſæpius contingere videtur, non levia incommoda patiatur, præcipue ſi ille vir ſit in Religione meriti & decoris, quia offenſo ex hoc Superiore, ſive alio potente, qui rem agit cum ſuis fautoribus, in odium ſuffragii ad ipſorum placitum non collati, nedum ei denegant omnes convenientias, quæ iuxta praxim Religionis, & iuxta conditionem gradus præcipue concedi ſolent, ſed aliis poſtea iniuriis eum deiiciunt, ut reddatur apud alios quoque obiectum irriſionis & contemptus, quod maxime viros honoris & meriti gravi animi turbatione & triſtitia afficit. Quocirca, ut huiuſmodi incommoda effugiant, coguntur non ſolum contra voluntatem, ſed aliquando forſan non ſine conſcientiæ remorſu huiuſmodi irregulari electioni ſuum ſuffragium præbere. Quomodo igitur tales electiones non erunt arctatæ, quando vel unus tantum, vel unus ex aliquibus paucis virtuali neceſſitate aſſumendus proponitur? Quomodo non violentæ, ſi ſuffragium denegans ſe huiuſmodi exponit moleſtiis? Quæ libertas electorum in ſuffragiis ferendis, quando tali modo agendi, qui ex ipſa experientia prudenter timetur, ſunt extorta? Licet igitur voluntas ſeu iuſſio Superioris, vel alterius auctoritate in Religione potentis indirecte ſolum circa talem electionem indicetur, quoad vim tamen & effectum idem eſt ac ſi directe exponeretur. Non eſt tamen contra libertatem electionis, quod electores coarctentur ad eligendum quoddam genus perſonarum, puta Magiſtrorum, Lectorum &c. vel talis Nationis, & huiuſmodi, ut patet ex ſtylo & praxi multarum Religionum, in quibus ſunt legitime inſtitutæ alternativæ, ut electio Superioris, aliorumque Officialium ſemel fiat de una, ſemel de altera Natione, & nonniſi de perſonis, quæ tales vel tales habeant qualitates; quia primum valet ad pacem in Religione ſervandam, alterum pro bono communi Religionis, ut ita præbeatur ſtimulum ſtudiis, & provideantur Prælaturæ viris decoris & ſapientibus. Ferraris. Et valere tales electiones tenet Fagnanus in cit. cap. *Cum dilectus* 8. *de conſuetud.* a n. 25. ad n. 39. Sylv. Navar. Donat. & alii communiter.

Libertas electionis tollitur etiam, & electio irritatur, ſi intercedat ſubornatio facta Electoribus, ut trahantur ad ferendum votum alicui determinato. *Subornator* autem ille dicitur, *qui alium trahit donis, promiſſis, timore, obſecrationibus falſis, ut ſuum ſuffragium alicui in electionibus ferat, aut non ferat*. Subornator etiam dicitur quicumque fecerit colligationes & inductiones ad prædictum finem. Henno. Dicitur *donis, promiſſis*, ſive interim detur, ſive promittatur pecunia, officium, ſive remiſſio pœnæ, ſive quodvis temporale commodum. Dicitur *timore*, quod accidere poteſt dum Superior vel alter magnæ auctoritatis, utpote prædominator in negotiis Religionis, ſuper aliquo voluntatem ſuam explicat de aliquo determinato ad Prælaturam promovendo, qui licet explicite non dicat ſe velle talem, tamen ſuo modo agendi indicat ſe talem velle, ita ut ſubditi, ne ſubiaceant iniuriis, ut antea dicebam, quæ in hiſce caſibus ab his potentibus & ſuis factioſis fieri ſolent iis qui eis non obſequuntur, compellantur ex metu illum eligere, qui ſi non indignus, certe eſt longe minus dignus. Dicitur *obſecrationibus falſis*, quod fit vel extollendo exceſſive promovendum, vel deprimendo exceſſive excludendum, ita ut vel ipſi aliquando chimærica crimina affingunt, vel vera, ſed iam emendata & purgata detegunt, ſine ullo boni communis emolumento, vel amplificant eius defectus, infirmitates, imperfectioneſve corporis, & multo magis quæ ſunt animi. Dicitur tandem, *aut fecerit colligationes* &c., quas facere convincuntur illi, qui ut ſibi aut amico conſulant, rationibus fucatis, argumentiſque apparentibus *vocales* in ſuas partes trahunt.

Præſes aut aſſiſtens electionibus, qui eligendos electores, quos ſibi aut ſuo amico exiſtimat contrarios, terret verbis, minatur ſignis, torvis oculis &c., eſſet vere ſubornator, ac incurreret omnes pœnas ſubornatoribus impoſitas, cum per hoc intendat electoribus ſuadere, ut ſibi, aut ſuo amico ſuffragentur. Subornatio invalidat electionem, ſi ab ipſa ſequatur, quia libertatem electioni eſſentialem vel tollit, vel notabiliter lædit. Pœnæ ſubornatorum expreſſæ

ſunt

ſunt in Bulla S. Pii V. *Paſtoralis officii*, quæ ſunt, incurrere excommunicationem Papæ reſervatam, cuius abſolutionem etiam Miniſtro & Commiſſario Generali poſtea commiſit Gregorius XIII. in ſua Bulla *Conſuevit*. Hæc tamen præcipue reſpiciunt Franciſcanos. Quantum vero ad Regulares indiſcriminatim per Decretum Clementis VIII. relatum in Bulla 28. Urbani VIII. *Sacra Conſtitutio*, privantur officiis obtentis, & inhabiles ad ea in futurum obtinenda redduntur. Non licet ſane ſubornatione ſubornationem impedire, quia nunquam licitum eſt mala facere ut eveniant bona, nec crimen cum crimine impedire. Licet quidem zelo publici boni ſubornationem & ſubornatorem, ac per ipſos promovendum manifeſtare, ut ſic malo communi occurratur. Item licitum eſt per conferentias cum aliis digniorem, eiuſque egregias dotes aperire, quia hoc non eſt ſubornare vitioſa ſuaſione, ſed commune bonum vero zelo curare. Henno.

Tertia tandem conditio ad hoc ut legitima ſit Prælatorum Regularium electio in ſuis Capitulis eſt, quod fiat de iis qui digniores & magis utiles Eccleſiæ ab ipſis iudicati fuerint; idcirco tenentur ſub gravi inveſtigare de idoneitate perſonæ eligendæ; ita ut ſi talem inquiſitionem negligant, delinquunt in re gravi cap. *Ea quæ* 3. *de offic. Archidiac.* cap. *Nulli* diſt. 19. cap. *dictum* 8. diſt. 81. dum ratione officii tenentur præcavere ne eligantur indigni, aut minus idonei cum nimio præiudicio Religionis & animarum ad eius regimen aſſumantur. Hinc electores eligentes indignum, id eſt cui deſunt qualitates ad ſic promovendos de iure requiſitas, ultra peccatum mortale quod incurrunt, ipſo iure privati exiſtunt pro una vice poteſtate eligendi, ut in cap. *Cum in cunctis* 7. *de elect.* §. *finali*, & alibi.

Eligens ſcienter indignum peccat graviter, etiamſi ſciat nihil profuturum ſuum votum denegando, ex quo iam omnes alii electores illum talem eligere velint. Etenim eligere indignum eſt intrinſece malum, adeoque nulla ratione poteſt eſſe licitum. Unuſquiſque enim tenetur quantum in ſe eſt, proſpicere bono communi, quod ſemper bono privatorum præferendum eſt, & præſtat mori potius quam peccare; quia mors animæ magis quam corporis eſt timenda, ut advertit hic Donatus. Non enim attendendum eſt quid alii facere velint, ſed quiſque tenetur propriæ conſcientiæ conſulere, ac proinde non concurrere aliorum errori, quia hoc eſſet illum approbare ut ex cap. *Error.* 3. diſt. 87. Non eſt tamen denegandum votum ei, qui ex ſola Sacramentali confeſſione indignus dignoſcitur, cum in foro externo frangatur ſigillum confeſſionis, & confeſſio odioſa reddatur; idcirco qui hoc medio indignitatem eligendi agnoſcit, ſe gerere debet in foro externo, non ſecus ac ſi hoc ignoraret. Et ſic tenent fere communiter DD. ex Conſtitutione Clementis VIII. edita pro caſuum reſervatione, quæ ita clare loquitur reſpectu Regularium, ut contraria opinio minime ſuſtineri queat.

Ad electionem igitur canonicam Prælatorum tenentur electores ſub mortali eum eligere, quem quatenus ipſis conſtat, iudicant digniorem, & magis utilem Religioni exiſtimant. Ita Concilium Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. *de reform.* hoc definit. Unde Innocentius XI. contra aliter ſentientes die 2. Maii 1679. damnavit ſequentem propoſitionem n. 47. *Cum dicit Concilium Trid. eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores & Eccleſiæ magis utiles ipſi iudicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc* digniores *non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumptu comparativo pro poſitivo; vel ſecundo locutione minus propria ponit digniores ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio quando fit concurſus.* Et cum Concilium generatim loquatur ſine ulla exceptione, idcirco generatim intelligendum eſt de omni Prælatura ſive ſæculari ſive Regulari iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habente, & ſic communiter DD. teſte Paſſerino cap. 3. *de elect.* n. 1. Cardenas, Lugo, Diana, Reiffenſtuel.

Electio digni prætermiſſo digniore eſt valida, quamvis ex dictis illicita ex cap. *Cum nobis* §. *his igitur* 19. & *Cum dilectus* 32. *de elect.* & eſt communis Doctorum cum Gloſſa & D. Thoma 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3. Quia ſi electio ex capite quod facta non ſit de digniore, impugnari poſſet, fere omnes electiones huic difficultati ſubiacere poſſent, & ſic apertum eſſet ſeminarium litium. Immo electio digni prætermiſſo digniore aliquando eſſe poteſt etiam licita, ut quando maior pars electorum vult excludere digniorem, & niſi eligatur dignus vult eligere indignum, quia tunc eſt magis utile Eccleſiæ quod excludatur indignus. Sic Donatus. Item eligi poteſt minus dignus reli-

ćto digniore, quando maior pars electorum ita firmiter decrevit eligere minus dignum, ut moraliter ſit certum quod talis erit electus: tunc enim minor pars licite ſe conformare poteſt maiori pro bono pacis conſervandæ; quia in tali caſu ob malitiam electorum impoſſibile eſt eligere digniorem, & aliunde electio digni relicto digniore non eſt intrinſece mala, ſicuti electio indigni, ut antea dictum fuit, quæ ratione nulla licita fieri poteſt. Caietan., Sotus, Lezzana, Donatus. Item quando minus dignus eſt magis utilis regimini Eccleſiæ vel Monaſterii; quia ſit magis activus, ſedulus, expertus &c., quia maior dignitas ad Prælaturas ſæculares ſive Regulares non præciſe menſuranda eſt a maiori ſcientia vel probitate, ſed præcipue ex prudentia, ſolertia, ex dexteritate ad regendum, aliiſque circumſtantiis, adeo ut omnibus ſimul conſideratis utilior cæteris fore creditur regimini cui præficitur; ut clare docet D. Thomas 2. 2. q. 63. art. 2. in reſponſ. ad 3. qui proinde concludit, non ſemper eligendum eſſe *meliorem ſimpliciter*, *ſed meliorem quoad aliquid ſeu relative*.

Electio celebranda eſt ab electoribus omnibus ſimul collegialiter congregatis, & non ſingulariter tantum in camera ſua, ſeu alio modo ſingilatim conſenſum præſtent cap. *Quapropter* 42. *de elect.* Nam eſt de eſſentia ac ſubſtantia electionis, ut Capitulum congregetur. Quod ſi aliqui Vocales ad Capitulum vocati intereſſe nolint, adhuc electio ſine ipſis canonica remanet cap. *cum nobis* 19. *de elect.* & ſic communiter DD. Et ita dicito, ſi aliqui vocales incœpto electionis tractatu egrediantur & redire nolint, dummodo maior pars remaneat in Capitulo ex cit. cap. *cum nobis*. Et talis electio tenet, licet egredientes proteſtationem & appellationem interponant, quia per talem egreſſum faciunt ſe a Capitulo & iure eligendi alienos ex cit. cap. *cum nobis*.

Hoc quoque ob eamdem rationem ex cit. cap. *cum nobis* intelligendum eſt, ſi cum aliquibus, vel ſolus ſine iuſta cauſſa exiret de loco Capituli, vel nollet votare ipſe Præſes, aut nollet ad indictam electionem procedere; quia eo ipſo quod Capitulum fuit legitime congregatum pro habenda electione, & illam inchoaverit, fuit ius quæſitum remanentibus pro ea complenda. Præſes enim non pertinet ad ſubſtantiam electionis, ut probat Fagnanus cum aliis in cap. *Quapropter* 42. *de elect.* Immo etiamſi omnes electores exirent de Capitulo, & inſtaret finis a iure ſtatutus pro electione facienda, ſi unus ſolus remaneret, hic ſatis eſſet, ac ſervatis ceteris ſervandis valide poſſet eligere; quia iſte unus qui remanſit, privandus non eſt ſuo iure ſine propria ipſius culpa. Sic Gloſſa in cap. *Gratum* 2. *de poſtul. Prælator.* Et hoc dicendum ſi omnes alii abirent, vel voto ſuo renuntiarent; quia in tali caſu in iſto ſolo conſervatur ius totius Capituli; ideoque poſſet eligere aliquem, ac alium extraneum etiam, quia nemo poteſt eligere ſeipſum. Gloſſa in cit. cap. *Gratum*.

Si aliquis vocalium miſerit in communem votorum urnam ſchedulam vacuam, electio nihilominus eſt valida; quia cenſetur hic renuntiaſſe ſuo voto ex cap. *cum nobis* 19. *de elect.* Similiter eſt valida, ſi reperiantur plures ſchedulæ quam vocales, ſi demptis ſuperfluis remaneat maior pars. S. Congr. Epiſc. & Regul. 17. Nov. 1628. & ſacra Cong. Concil. in Aquinaten. 23. Aug. 1692.

Præſes Capituli in paritate votorum nequit dare votum deciſivum in electionibus faciendis a toto Capitulo; quia nec ius Canonicum, nec Conſtitutio particularis, nec Doctores hoc concedunt: ſed tranſacto termino præfixo devolvitur electio ad immediatum Superiorem. Poteſt quidem Præſes, & in eius defectu Provincialis, in electionibus quæ fiunt a ſolo Definitorio, in paritate votorum dare votum deciſivum ex Conſt. Urbani VIII. quæ incipit *Religioſos viros*, & Conſt. Alexandri VII. quæ incipit *Creditæ nobis*, & reſpectu Provincialis ex ſacra Congreg. Epiſc. & Regul. 13. Martii 1653. Hoc tamen non eſt conceſſum niſi poſt tres æquales ballotationes, ut ex eadem ſacra Congreg. 15. Martii 1663.

Electio de iure communi facienda eſt, quando Eccleſia viduata eſt; quod contingit per obitum, renuntiationem, tranſlationem & remotionem proprii Prælati cap. *Inter corporalia* 2. *de tranſlat. Epiſcopor.* Et in viduatione Eccleſiæ ſeu vacatione electio facienda eſt Paſtoris ceſſante legitimo impedimento intra tres menſes: alioquin devolvitur ad immediatum Superiorem; & ſi Superior immediatus infra idem tempus non elegerit, devolvitur ad alium Superiorem, & ſic ſucceſſive uſque ad Papam. Sic ſtatuit Concilium Lateranenſe IV. can. 23. tam pro Cathedralibus, quam pro Regularibus, & habetur etiam in cap. *Ne pro defectu* 41. *de electione*. Tale vero tempus non computatur a die vacationis, ſed a die

quo

Digitized by Google

quo habita eſt cognitio talis vocationis cap. *Licet* 3. *de ſupplend. negligent. Prælator.* & alibi.

Regulares tamen univerſim ſtare debent tempori ac modo præfixis a ſuis Conſtitutionibus, ut colligitur ex Clement. *exivi de verbor. ſignific.* & conſtat etiam ex Decretis editis a Clemente VIII. *de reform. Regul.* §. 36. Electio celebrata poſt elapſum tempus a iure communi vel ſpeciali præfixum, nulla eſt cap. *Ne pro defectu* 2. *de elect.*

Nullum eſt Capitulum, nullaque electio ab ipſo facta, ſi ante tempus Capituli non exhibeantur a Superioribus localibus atteſtationes ſubſcriptæ ab omnibus Sacerdotibus Monaſterii ſeu Conventus de adimplemento onerum Miſſarum quarumcumque, vel quod ſaltem deficiente aliqua modica earumdem quantitate intra breve tempus moraliter ſatisfieri queat. Quia Superiores ad Capitulum ſine tali atteſtatione accedentes habere non valent in dicto Capitulo ſeu Congregatione vocem activam ſeu paſſivam. Ita ex Conſtit. Innocentii XII. quæ incipit *Nuper* §. 53. & ſic declaratum fuit a ſacra Congreg. Epiſcop. & Regular. 18. Febr. 1712. in Barenſi, & alibi.

Sententiæ privationis vocis activæ & paſſivæ pronuntiandæ ſunt a Superioribus per menſem ante Capitulum; aliter non tenent, ex Decreto Viſitationis Apoſtolicæ edito 14. Octob. 1601. a Clemente VIII. approbato: Nam omnes mutationes in limine Capituli prolatæ, ſecundum ius commune præſumuntur factæ ad fraudandam futuram electionem, ut advertunt Cartellinus, Pellizzarius, Pignatelli. Et eo vel maxime quod in hoc procedendum eſt ſervato iuris ordine: tunc autem tempus non ſuppetit ut ſervetur, licet conceſſa ſit facultas pronuntiandi iudicium ſine ſtrepitu, cum omitti nequeat citatio rei & eius defenſio. Clement. *Paſtoralis* 2. §. *cæterum de ſentent. & re iudicat.* Excipitur tamen, ſi citato Capitulo & congregato emergeret caſus, quo vocalis privandus eſſet voce activa & paſſiva: tunc enim ipſo ſummarie audito pro ſua defenſione, ſi careat legitima excuſatione, ſententia privationis &c., & declaratio quod excommunicationem incurrerit, pronuntiari poteſt. Vide P. Ferraris in ſua Biblioth. verb. *elect.* art. 4.

## §. XXI.

### *De Scrutatoribus Capituli.*

Scrutatorum officium neceſſarium eſt in Capitulis nedum ex iure canonico, quod in cap. *Quapropter* 42. *de elect.* præcipit, *ut tres aſſumantur de Collegio fide digni, qui ſecreto & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant*; ſed etiam ex ipſa rei natura; quia ubi agitur de multitudine eligente, ad confuſionem vitandam neceſſe eſt, ut aliqui ſint qui ſcrutentur, numerent vota, publicent electionem: & hi cum ex fine, tum ex officio ad quod aſſumuntur, exquirendi ſcilicet vota ſingulorum, dicuntur *Scrutatores*. Scrutatores ex iuris diſpoſitione debent eſſet tres, & hi eligendi ſunt ex Collegio electorum. Verum de eorum electione quoad modum quo aſſumi debent, nihil in iure ſtatutum eſt; cum dicat tantummodo ut aſſumantur. Quare in hoc ſtandum eſt conſuetudini & ſtatutis Religionis. Quoad Scrutatorum qualitates, præcipue morales, ex citato cap. debent eſſe *fide digni*; hoc ſuperadditum (notat & tenet Panormitanus) non eſt quid ſubſtantiale, ſed de iuſtitia; & hæc qualitas præſumitur in electo, niſi manifeſte oppoſitum probetur. Scrutatoribus addi poteſt Notarius, a quo vota eligentium ſcribantur, qui tamen ſit Clericus; immo apud aliquos Ordines debet eſſe de corpore Capituli.

Si Scrutatores inter ſe non conveniant in aſſignando numero ſuffragiorum, ſed unus dicat Titium tot ſuffragia habuiſſe, & alii duo negent, docet Panormitanus præſtandam eſſe fidem ſcrutatoribus in cap. *Quapropter* num. 9. ita ut duobus negantibus, utpote qui uni prævaleant, danda eſſet fides.

Cum Concilium Trid. ſeſſ. 25. *de Regularib.* cap. 6. præcipiat expreſſe ac velit omnino, ut electio ſit ſecreta, hinc & ſcrutatores etiam ex cap. *Quapropter* Concilii Lateran. ſecretum rigoroſe ſervare tenentur, alias electio eſſet nulla, & talis obligatio nedum reſpicit ſcrutatores ſecundum Suarezium, ſed etiam electores, cum hoc ſe extendat ad omnes, per quos fieri poteſt votorum manifeſtatio. Ex communi tamen Doctorum contra cit. Suarezium non vitiaretur electio propter manifeſtationem unius vel alterius vocalis privatim factam amico, niſi hæc manifeſtatio eſſet cauſſa, qua rationabiliter præſumeretur, electionem fa-

ctam fuiſſe in tali determinata perſona. Sic Navarrus, Barboſa ad dict. cap. Concilii Trid. n. 4. Paſſerinus & alii, apud Donatum & Bonac. Quia alias aperiretur via latiſſima fraudibus, & unus vel alter proprias ſchedulas manifeſtando impedire poſſet electionem canonicam, quæ talis eſt, quando fit a maiori parte ſervante ſecretum electionis intentum a Tridentino, nec approbante aliquorum manifeſtationem, quia denominatio ſumitur non a minori, ſed a maiori parte. Hoc tamen ſecretum intelligitur cum toto rigore in actu electionis; ita ut ſi antea privatim in cameris aliquis ſuam intentionem manifeſtat, hoc non irritat electionem, ſed ſolummodo ſi talis probatio & revelatio fiat in actu electionis, minime vero ſi antecedat aut ſubſequatur. Et hoc dicendum eſt etiam reſpectu Scrutatorum, qui tamen licet poſt conſummationem electionis revelando ſuffragia non valeant amplius reddere eam irritam, peccant tamen in tali revelatione, utpote qui deficiant fidelitati, quæ eorum officio graviter incumbit.

Quæri hic ſolet, an in ſcrutinio licitus ſit uſus calculorum ſeu fabarum. Putarunt aliqui, in electionibus Prælatorum nunc locum amplius non habere uſum calculorum ſeu fabarum ob rationes relatas hic a Rotario, & præcipue, quod hoc modo non eſt plena libertas in Capitulo, quia in tali caſu aliquis proponitur a Præſidente Capituli qui fabis ſeu calculis ſubiicitur, necnon quod ita ſciri nequit, an iuxta Canones electio facta ſit a maiori & ſaniori parte, cum fabæ & calculi numerentur, non ponderentur. Contrarium tamen ſentiunt Paſſerinus, ac Suarezius, apud quos Additionator ad Panormitanum in cap. *Eccleſia veſtra* dicit, uſum & praxim eſſe apud totum mundum, quod electio fiat per fabas ſeu lupinos aut calculos ſecretos, & Rotario videtur modus ſecurior eligendi tam pro libertate quam pro ſecreto, neque oppoſitæ rationes aliquid evincunt. Si enim per hunc modum eligendi dignoſci nequit an electio facta ſit a ſaniori parte, hoc idem iam contingit in ſcrutinio, in quo cum eligentium nomina publicari nequeant, neque idcirco ſciri poteſt num ſanior pars elegerit, & nunc ut antea notavimus ex communi Doctorum, ſanior pars præſumptive eſt illa, quæ maior. Ad aliam rationem de libertate Capituli, cuius læſio ſequatur ex tali modo eligendi, reſpondet Paſſerinus hoc falſum eſſe, cum non ſit contra libertatem Capituli quod Præſes proponat eligendos, cum coarctative eos proponat ad illos, non cum aliorum excluſione. Et revera Generalis Prædicatorum in nonnullis Provinciis proponit tres vel quatuor per calculos eligendos a Provincia. Et referente Rotario in Congregatione Barnabitarum cumulative pro bona electione habetur uſus ſcedularum, & calculorum, ut ſupra diximus. Antequam fiat conventus electorum ad electionem Prælatorum per ſuffragiorum collationem uſus eſt fere omnium Religionum, ut de mane prævie ad Capitulum celebretur Miſſa de Spiritu ſancto, cui electores omnes interſunt, & Miſſa celebrata, proceſſionaliter ab Eccleſia ad locum Capituli procedunt cum cantu Hymni *Veni Creator Spiritus*. Hæc tamen eſt ſolum pia ſolemnis cæremonia electionem præcedens, minime vero eius formam ingrediens, cum de ea nulla fiat mentio, neque in cap. *Quapropter*, neque in Concilio Trid.

## CAPUT V.

### *De Privilegiis Regularium.*

DE Privilegiis Regularium agere ſicut rei amplitudo fert, nimis longum eſſet, & ſimul non paucis odioſum. Etenim Privilegia, quibus identidem ſummi Pontifices Monaſticis Inſtitutis favorem ſuum præſtiterunt, conſiſtunt præcipue in eorum exemptione ab Ordinariis locorum, quibus in ſuis primordiis, non ſecus ac alii omnes, ſive Clerici, ſive Laici, ipſi quoque Monachi ſubdebantur. Hinc quo magis extenditur Prælatorum Regularium auctoritas, decreſcit in Epiſcopis. Quare perdifficile eſt ita moderate de his loqui cum applicatione generalium privilegiorum ad particulares circumſtantias, ut ſaltem moveri nequeat ſuſpicio de abuſu vel contemptu; unde ad quædam tantummodo deſcendam quæ magis ſcitu neceſſaria videbuntur; cum iam etiam de hoc actum ſit, dum in Tractatu de legibus ſermo factus eſt de Privilegiis. Satis igitur erit in præſenti propoſito breviter examinare originem ac naturam Privilegiorum quibus gaudent Regulares, mutuam eorumdem Privilegiorum inter Regulares communicationem, eorum ceſſationem, & tandem Oracula vivæ vocis, ac exemptionem ab Ordinario.

§. I.

§. I.

*De origine ac natura privilegiorum Regularium.*

Antiquitus Monachi ſeu Regulares, non ſecus ac ſæculares, ſubiecti erant Epiſcopis & Parochis, a quibus Sacramenta recipiebant, decimas Eccleſiis ſolvebant, ac ſimul cum ſæcularibus ad Eccleſiam conveniebant, ubi tamen his locus honoratior, idest ſæcularibus ſeu laicis ſuperior concedebatur. Verum cum ab aliquibus Epiſcopis non leves paterentur moleſtias & gravamina in exactione Cathedratici, in electioonibus ſuorum Superiorum, aliiſve, ut conſtat ex cap. *Nimis iniqua*, *nimis prava de exceſſib. Prælator.* & alibi, aliqui ex Epiſcopis ipſis Dei gloriæ zelatores, modo uni, modo alii, qui etiam aliqua fundarunt aut dotarunt Monaſteria, cedendo iuri ſuo cœperunt eximere Monachos ab Epiſcoporum ſubiectione, ut eos ab eorumdem moleſtiis ſubducerent. Privilegiis ac exemptionibus motu proprio indultis Monachis ab Epiſcopis, acceſſere privilegiorum, exemptionumque conceſſiones ſummorum Pontificum, qui aliquando, rogantibus ipſis fundatoribus vel Principibus, tum ob eorumdem Pontificum devotam ac paternam propenſionem erga Ordines Monaſticos, quos tantis virtutibus florere in Eccleſia videbant, identidem gratiis ac donis eoſdem Ordines cumularunt; & ut melius eorum tranquillitati conſulerent, ſub immediata Apoſtolica protectione hoſce receperunt, eos ab Ordinariorum poteſtate eximendo. De hoc ſæpe mentionem facit S. Gregorius Magnus, qui expertus eſt pondus & nocumentum ſubiectionis Ordinariis illorum temporum, & de illis loquitur lib. 1. epiſt. 12. ad Ioannem Epiſcopum Urbis veteris, & refertur can. Agapitus 16. q. 1. & lib. 4. epiſt. 18. ad Maximianum Epiſcopum Ravennatem. Et Baronius an. 592. refert, quod gravamina, quæ Monachi patiebantur ab Epiſcopis, moverunt Pontifices ad illis concedenda privilegia & exemptiones; immo teſte Thomaſſino hæc fuit etiam ratio, quare ſæpe Principes quoque & Monaſteriorum fundatores pluries impetrarunt ut eſſent immediati ab Apoſtolica Sede. Gravamina porro a quibus S. Gregorius Magnus explicite exemit Monachales Ordines, ſex recenſentur. Primo nempe exemit Monaſteria eorumque redditus ab omni ſolutione facienda tam Laicis quam Epiſcopis 2. Eis dat facultatem eligendi ſuum Abbatem vel ex eodem Monaſterio vel ex alio 3. Quod invito Abbate nullus Monachus promoveatur ad Ordines. 4. Exemptionem dedit redditutuum, rerumque Monaſterii ab adminiſtratione & cura Epiſcopi, & in cauſſis civilibus liberationem ab eius iuriſdictione. 5. Exemptionem cœnobiorum; ut in illis nequeat Epiſcopus Miſſas celebrare ſolemnes, neque ibi habere poteſtatem imperandi, neque aliquam minimam vel levem ordinationem habendi, quatenus Monachi maneant ſemper ſub poteſtate Abbatis. 6. Quod non poſſit Epiſcopus abſque Abbatis licentia uti aliquo Monacho, eum detinendo in aliqua Eccleſia, aut eum promovendo ad aliquem honorem. Privilegiis hiſce a S. Gregorio Monachis conceſſis acceſſere poſtea alia, quæ & Monachis aliiſque novis Ordinibus, præcipue Mendicantibus ſummi Pontifices indulſere, quæ cum tempore Concilii Trident. nimis eſſent exuberantia, moderata fuere, ac ad ſtatum convenientiorem redacta, ut melius dignitati ac poteſtati Epiſcoporum conſuleretur, quam non parum vulnerabant. Et hoc idem factum fuit poſtea per Summos Pontifices, ſi denuo a ſuis præceſſoribus nimis fuiſſent extenſa, præcipue ſi adverſarentur ſacris Canonibus ſeu iuri communi aut decretis Concilii Trid., ut factum fuit recenter a felicis recordationis Clemente XII. circa quædam privilegia conceſſa Regularibus a ſuo præceſſore Benedicto XIII. utpote quæ tranquillitatem inter Epiſcopos & Regulares non parum turbarent, qui aliquam moderationem illis impoſuit.

Regulares uti non poſſunt in foro conſcientiæ ſuis privilegiis, quæ a Concilio Trid. fuerunt expreſſe revocata, ne quidem in locis ubi receptum non eſt Concilium. Eſt communis, & ſententia contraria expreſſe damnata fuit ab Alexandro VII. die 18. Martii anno 1666. & eſt n. 36. *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſſe revocata per Concilium Tridentinum.* Immo ſecundum Vivam ad dictam propoſitionem n. 11. & eſt communior, Regulares uti nequeunt in conſcientia ſuis privilegiis etiam implicite revocatis a Concilio Trid., quod legem condendo in contrarium illa revocavit implicite, & in Bullis confirmatoriis privilegiorum quæ præter revocata a Concilio Regularibus remanſerunt, addi ſolet clauſula, *dummodo decretis Concilii Trid. non adverſentur.*

Privilegium, ut iam vidimus in tractatu de Legibus, eſt *lex privata aliquod ſpeciale beneficium concedens.* Hinc privilegium honeſtum

neſtum eſſe debet & rationabile, nullo modo contrarium iuri naturali aut divino, contra quæ iura nulla dari poteſt facultas ad agendum; unde vertitur ſolummodo circa ea quæ a iure communi præcepta vel prohibita ſunt, & cum hæc vim habeant a voluntate Legislatoris, poſſunt quoque ex eius gratia non ligare perſonas, quibus legislator intendit beneficium conferre; ſed iam de natura, diverſitate, extenſione privilegiorum, de cauſſa requiſita ad legitimam eorum conceſſionem, eorumque clauſulis ſatis dictum eſt in tractatu de Legibus, ubi de privilegiis.

Porro privilegia, quæ non opponuntur iuri communi, ſed ſunt præter vel ultra ius commune, nec cedunt in damnum tertii, cum ſint mere gratiæ & beneficia Principis, late ſunt interpretanda; & eſt communis ex cap. *Cum olim 16. de verbor. ſignificat.* & cap. *Odia 15. de Regulis iuris* in 6. ubi ſic. *Odia reſtringi & favores convenit ampliari*. Privilegia vero quæ ſunt contraria, ſeu derogant iuri communi, & quæ cedunt in damnum tertii, odioſa ſunt, ac ideo ſtricte ſunt interpretanda, ut minus noceant & incommodent, & eſt communis. Et ratio eſt clara quoad ſecundam partem, quia omnis receſſus a iure, ex communi, cenſetur odioſus cap. *Is qui 1.* & cap. *Si quis 2. de filiis Presbyter.* in 6. & odia ſunt reſtringenda ex cit. cap. *Odia 15. de Regulis iuris* in 6. & ex cap. *Quæ a iure 28. de Regulis iuris* in 6. ubi ſic habetur: *Quæ a iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda*. Quoad primam vero partem clare deſumitur ex cap. *Super eo 15. de offic. delegati*, & cap. *Dudum 31. de Privileg.* iuxta Gloſſ. & DD. inde inferunt, Pontificem non intendere ullius iuri derogare, niſi forſan hoc expreſſerit. Ex hac communi doctrina colligit Palaus, privilegia, quæ in perpetuum Religionibus conceduntur, late eſſe explicanda. Primo, quia favent Religioni, & ſunt ex cauſſa pia; ſecundo, quia ob eorum perpetuitatem reputantur ac ſi inſerta forent in corpore iuris. Sic Sanch. Bonac.

Quando privilegia ſunt obſcura, ut in quibuſdam caſibus qualificatis, in quibus non bene & clare conſtat de mente Legislatoris, recurrendum eſt ad interpretationem, ut mens concedentis inveſtigetur, ex quo tota vis privilegii dependet. Interpretatio autem duplex eſt, alia authentica & iuridica, & hæc haberi nequit niſi a concedente, cum eius ſit actum interpretari, cuius eſt condere ut ex L. *Sacratiſſ.* cod. *de legib.*, alia doctrinalis, qua iuxta regulas iuris, valore verborum quibus privilegium conceptum & expreſſum eſt, & legitimo ſenſu inveſtigato, extenſioni & applicationi ad caſus particulares via aperitur; & hæc pertinet ad viros doctos. Quando autem in facti contingentia S. Sedes pro dubii interpretatione conſuli nequit, conſultis viris doctis iudicandum eſt in favorem Religionis, quia ita ſtatuit Clemens IV. in favorem Ordinum Minorum, & Prædicatorum, & Alexander VI. Benedictinorum Kalend. Aprilis 1501. & ſic Rodrig. Lezz. Portell. Semper tamen omni conatu curandum eſt, ut tollatur dubium, nec alias cæco modo & præcipitanter iudicandum eſt in favorem Regularium, ſed re bene diſcuſſa.

## §. II.

### *De communicatione Privilegiorum, quam habent Regulares inter ſe.*

Privilegia reſpectu Regularium non ſolum ab ipſis acquiri poſſunt ex Principis conceſſione, aut conſuetudine ſeu legitima præſcriptione, ſicut omnes alii communiter acquirunt, ſed etiam communicatione. Communicatio vero ſeu communicare idem eſt ac commune facere & conferre alicui quod prius iam alteri fuerat conceſſum. Unde communicatio privilegiorum conſiſtit in participatione, & conceſſione quadam privilegii, quod Superior poſtquam illud ſimpliciter conceſſerat, etiam ad alium extendit cap. *Cum de diverſis 2. de Privilegiis* in 6.

Huiuſcemodi privilegiorum ampliſſimam communicationem habent Ordines Regulares, præſertim Mendicantium, qui communicant privilegiis indultis aliis etiam Ordinibus non Mendicantibus. Sic Portell. Donat. qui cum aliis Doctoribus communiter docent dari talem privilegiorum communicationem, ut quod uni expreſſe eſt conceſſum, cuilibet communicatum intelligatur, & fundamentum ita ſentiendi deſumunt ex variis Summorum Pontificum Conſtitutionibus, ex quibus clare hoc evincitur, & ſignanter Sixti IV. Alexandri VI. Iulii II. Leonis X. Clementis VII. Pauli IV. Pii IV. S. Pii V. Gregorii XIII. Sixti V. Clementis VIII. aliorumque, & clariſſime inter alios hoc expoſuit Iulius II. qui occaſione litis ortæ Minores inter & Prædicatores circa privilegiorum communicationem declaravit apertiſſime, uni Ordini conceſſa communicari alteri Ordini; & Sixtus IV. adducit con-

convenientiam huius communicationis; ait enim Pontifex: *Conveniebat, ut quos par labor & paria merita coniungunt, paria coniungerent privilegia & favores*. Hæc autem communicatio nedum extenditur inter Mendicantes, ſed etiam ad non Mendicantes, ita ut utraque Religionum conditio communicet in omnibus aliorum privilegiis, in iis tamen, quæ propriis cuiuſque Ordinis Inſtitutis ſeu Conſtitutionibus ac Regulis non adverſantur; quia, ut bene advertit Donatus q. 11. in generali communicatione privilegiorum apponi ſolet hæc clauſula *dummodo eorum ſtatutis & Regulari obſervantiæ non ſint contraria*. Et licet talis clauſula non ſemper apponatur, ſemper tamen intelligitur, quia Papa concedendo ſua privilegia intendit ſuis favoribus Religioſa corda ad maiorem fervorem inducere, & firmare Regularem diſciplinam, non eam relaxare & deſtruere. Salvis igitur ſtatutis & Regulari obſervantia, quæ conceduntur Generali, Provinciali, eorum Vicario, Lectoribus & Fratribus etiam privatis unius Ordinis, cenſentur conceſſa huiuſcemodi Superioribus & Officialibus ac Religioſis aliis alterius Ordinis.

Privilegia odioſa & pœnalia non communicantur, & eſt communis Doctorum ex can. *Sane de Privileg.* ubi dicitur *privilegia in odioſis & pœnalibus eſſe reſtringenda* iuxta regulam iuris in 6 *Favores ſunt ampliandi, & odia reſtringenda*. Præterquamquod privilegium pœnale eſt potius lex & ſtatutum quam privilegium. Statuta autem, & leges particulares pro bono regimine unius Ordinis, non communicantur alteri Ordini.

Quæri hic ſolet circa particularia privilegia conceſſa uni Perſonæ, Eccleſiæ, vel Monaſterio, num in his communicare poſſint non ſolum Monaſteria omnia eiuſdem Ordinis, ſed etiam alii Ordines; & circa hoc diſtinguunt DD. nempe ſi privilegium concedatur alicui Monaſterio intuitu Religionis, tunc communicant tum alia Monaſteria eiuſdem Ordinis, tum alii Ordines. Si vero conceſſum ſit intuitu alicuius particularis rationis, puta Eccleſiæ ob frequentem concurſum, ob magnam populi devotionem &c. privilegium tunc eſt omnino incommunicabile. In tali enim caſu Pontifex intendit favere illi tantum particulari Perſonæ, Eccleſiæ, vel Monaſterio: experientia etiam conſtat, quod privilegia conceſſa uni altari eiuſdem Eccleſiæ, non extenduntur ad omnia altaria eiuſdem Eccleſiæ; privilegium conceſſum uni Confeſſario cuiuſdam Ordinis, non extenditur ad omnes Confeſſarios eiuſdem Ordinis. Hinc Donatus cum aliis improbat eos, qui privilegia uni loco conceſſa faciliime ad alia Monaſteria alioſque Ordines extendunt, quia (ait ipſe) hæc ampliſſima extenſio a loco ad locum fieri nequit; quia primo in conceſſione generali non veniunt ea, quæ per ſpeciales Conſtitutiones ſunt proviſa L. *dolo* §. *de verbor. obligat.* & clarius cap. *ſi propter de reſcriptis* in 6. ubi dicitur, privilegium generale non operari circa ea, in quibus Eccleſia ſpeciales habet Conſtitutiones & ſtatuta, & in cap. *Cum Capella de Privileg.* in 6. *quod conceſſum eſt uni Eccleſiæ vel Provinciæ ſeu loco, nequit trahi ad aliam Eccleſiam, Provinciam ſeu locum* iuxta regulam iuris in 6. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis interrogatus veroſimiliter non eſſet conceſſurus in ſpecie*. Hinc non veniunt inſolita, extraordinaria, quæ raro conceduntur; hæc enim nunquam intelliguntur conceſſa, niſi in ſpecie & nominatim exprimantur. Hinc ſolent dicere Iuriſtæ, qui plures citantur a Donato, *Privilegia* habere determinatum territorium & provinciam, neque tranſire de perſona in perſonam, de loco ad locum. Igitur per ampliſſimas communicationis clauſulas, quibus munita ſunt Privilegia Regularium, ſolum intelliguntur extendi Privilegia Ordinis, aut Magiſtris conceſſa, Lectoribus, aut Prædicatoribus, aut in alterutro Iubilatis, aut Superioribus; uno verbo, quæ conceduntur Ordini intuitu Religionis, non ratione alicuius ſpecialis circumſtantiæ loci vel perſonæ, ut antea dicebam.

### §. III.

*De ceſſatione Privilegii.*

Pluribus rationibus ac modis ceſſare poſſunt Privilegia. 1. Per non uſum, quod tamen non contingeret ſi uſus omitteretur a paucis indoctis & ſcrupuloſis, qui non audent illis uti, ut notat Donatus; ſed hoc fieri debet per totam Religionem, & tunc per non uſum Privilegium deperditur, ac ideo ceſſat; & ita ſentiunt etiam alii DD. communiter; quia per non uſum vel ſaltem tacite renunciatur privilegio, vel privilegium legitime præſcribitur. 2. Ceſſat privilegium ceſſante tempore, pro quo fuit conceſſum, cum talis ſit voluntas concedentis, ut ultra non extendatur. Item ſi expiret conditio ſub qua privilegium datur; quia voluntas concedentis alligavit privilegium

gium conditioni. 3. Ceſſat privilegium ceſſante cauſſa finali. Advertunt hic DD. quod ſi cauſſa finalis omnino ceſſet antequam Privilegium integre ſit conceſſum, conceſſio eſt nulla, quia ceſſat intentio concedentis, quæ eſt concedere privilegium ad illum finem: Ex oppoſito vero ſi cauſſa finalis & vera adſit, quando conceſſio privilegii perficitur, ſive hoc fiat unica, ſive pluribus actionibus, licet poſtea ceſſet cauſſa finalis, non ceſſat ſeu non perit privilegium. Sic diſpenſatus in voto, ab irregularitate, ab impedimento Matrimonii, tametſi ceſſet cauſſa finalis talium diſpenſationum, diſpenſatio nihilominus perſeverat. Cæterum quidquid aliqui in contrarium dicant, docet Sanchez ut probabilius tenendum, quod ceſſante totaliter cauſſa finali, privilegium quoque ceſſat. Unde privilegiatus ratione infirmitatis, ut coram ſe etiam die Paſchatis celebrare faciat in Oratorio privato, ſi convaleſcat, privilegium ſeu gratia expirat, eiuſque uſus eſt nedum illicitus, ſed etiam invalidus. Redeunte tamen cauſſa reviviſcit privilegium, cum reſpectu talis finis ſuſpendatur potius in eiuſdem finis ceſſatione, quam ceſſet. Sic Sanchez, quod probat ex variis iuribus canonicis & civilibus, ideſt ex can. *Generaliter* 16. q. 1. ex cap. *Tua de Clerico non reſidente*, & alibi. Nam huiuſmodi privilegia habent tractum ſucceſſivum & diviſibilem. Quoad alios modos vero ceſſandi, puta per revocationem, renunciationem, abuſum, vel per mortem concedentis, &c. iam ſatis actum eſt locis antea cit. de legibus, & circa hæc videri poſſunt etiam Rotarius, Donatus, Paſſerinus, Lezzana & alii.

## §. IV.

### *De vivæ vocis Oraculis.*

Inter privilegia ea recenſentur quæ dicuntur vivæ vocis Oracula, quæ non aliud ſunt niſi Gratiæ ſeu favorabiles conceſſiones, quas elargiri ſolet ſupremus Princeps, ut in Eccleſia Summus Pontifex ſola voce, ſeu oretenus ſine ullo ſcripto. Sic communiter. Oracula vero alia ſunt authentica, alia non. Oracula authentica illa ſunt, quæ ne memoria pereant, ac ut etiam in foro externo probari, & in praxi reduci queant, in ſcripturam rediguntur, & teſtimonio authentico ab iis quibus ex officio incumbit, fide digna redduntur, ut in Extravag. Iulii II. & in Regula Cancellariæ, & ideo fit, ut Oracula non poſſint probari niſi per duos teſtes idoneos, aut per ſcripturam authenticam, aut per teſtimonium alicuius Cardinalis, ut voluit Gregorius XV. ſua Conſtitut. 27. quæ incipit *Romanus Pontifex*. Oracula autem non authentica illa ſunt, quæ ex neglectu impetrantium, vel alia de cauſſa in ſcripturam redacta non ſunt. Hinc ut oracula vivæ vocis authentica a non authenticis ſecernantur, in collectionibus oraculorum vivæ vocis diſtincto & diverſo ſigno notari ſolent, ut teſte P. Ferrar. in ſua Biblioth. habetur in compendio privilegiorum Fratrum Minorum, ubi Oracula vivæ vocis authentica ſignantur O magno, & non authentica o parvo. Pro foro interno privilegia & gratiæ conceſſæ vivæ vocis Oraculo, ſive ſint authentica, ſive non, dummodo non ſint revocata, quoad ſubſtantiam ſunt eiuſdem valoris, ac privilegia in ſcriptis conceſſa iuxta communem, ut in cap. *Inſtitution.* 7. cauſſ. 25. q. 2.

Quia, ut notat Donatus, non ſine fraude & dolo multa circumferebantur oracula vivæ vocis, Sixtus IV. in Extravag. *Etſi Dominus gregis de ſent. excommun.* revocavit omnes huiuſmodi gratias a ſe conceſſas; idemque præſtitit Gregorius XV. in cit. Conſtitut. quoad gratias conceſſas vivæ vocis oraculo tam a ſe, quam a ſuis prædeceſſoribus, iis exceptis quæ eſſent authenticæ, & manu alicuius Cardinalis ſubſcriptæ, vel ad inſtantiam Regum conceſſæ. Urbanus tandem VIII. die 20. Decembr. ann. 1631. Conſtitut. quæ incipit *Alias felicis recordationis*, omnia vivæ vocis oraculo privilegia etiam ad inſtantiam ſupremorum Principum indulta, & manu etiam Cardinalium ſubſcripta revocavit, & iuſſit hanc ſuam revocationem omnibus intimari, etiam Prælatis Societatis Ieſu. Idem Urbanus VIII. die 11. Aprilis ann. 1636. declaravit, Conſtitutiones revocatorias privilegiorum vivæ vocis oraculo tam ſuam, quam Gregorii XV. non comprehendere miniſtros neque Officiales Sanctitatis, quibus ratione munerum ſuorum, antea fides haberi ſolebat. Hos autem Officiales putat Rotarius eſſe Cardinalem Protectorem, per quem plerumque voluntas Pontificis indicatur Religioni protectæ; Præfectos Congregationum Diſciplinæ & Epiſcoporum ac Regularium; cum hi de commiſſione Pontificis exerceant munera in ordine ad Regulares; item Secretarios earumdem Congregationum, per quos ſolet mens ſummi Pontificis in ordine ad diſciplinam ad Regu-



Digitized by Google

gulares deferri. Poſt igitur revocationem huiuſcemodi privilegiorum per Urbanum VIII. non alia illorum privilegiorum vigent, niſi ea quæ ſunt iuxta dicti Urbani tenorem.

Quia in Conſtitutione Gregorii XV. excipiuntur oracula, quæ ſortita ſint ſuum effectum; hinc cum quædam oracula non ſortita ſint ſuum effectum, eo quod habeant tractum ſucceſſivum, cui in dies correſpondet effectus, hæc oracula non ſunt revocata, ut declaravit ſacra Congregatio, teſtibus Donato & Lezzana. Unde infert Donatus, non eſſe revocata oracula, quæ concedunt plura Magiſtris, Vicariis, Procuratoribus Generalium pro regimine Ordinum, & ea etiam quæ reſpiciunt Magiſtros Theologiæ, Baccalaureos & ſimiles, neque indigent revalidari, ut ſæpe deciſum fuit a ſacra Congregatione, nec nocet revocatio Urbani VIII. quia quoad hæc non expreſſit ſe intendere revocare conceſſum per dictam Conſtitutionem Gregorii XV. & cum odia non ſint dilatanda, non cenſentur iſta oracula revocata.

Item revocata non ſunt Oracula Indulgentiarum conceſſarum, utpote quæ ſunt gratiæ in favorem animarum, quæ in generali revocatione non intelliguntur comprehenſæ, niſi de illis fiat expreſſa mentio, iuxta Navarr. Donat. cum aliis, qui ſuſtinet hic n. 7. & 8. per dictas Conſtitutiones Gregorii & Urbani non revocari facultates abſolvendi a cenſuris & aliis pœnis, & commutandi vota, vel diſpenſandi ſuper male ablatis & incertis, prout reſpondit Datarius teſte Donato n. 8. cum hac reſtrictione, *dummodo Oraculo proceſſerint* iuxta formam Conſtitut. Urbani VIII. & hoc probat Donatus ex praxi Romanæ Curiæ, dum Pontifices initio ſui Pontificatus revocant quidem gratias omnes, indultaque a ſuis præceſſoribus conceſſa ad rem beneficiariam ſpectantia, non tamen revocatæ intelliguntur Indulgentiæ, aliæque ſpirituales gratiæ favore animæ conceſſæ, ut recitatio Officii Corporis Chriſti die Iovis, privilegium quo gaudent aliqui viſitandi altare SS. Sacramenti &c. & non tantum quia hæ ſunt gratiæ ſpirituales, ſed quia ſunt omnino favorabiles ſine præiudicio tertii.

Similiter non revocata cenſentur oracula, quæ pro bono regimine Ordinis ſeu conſervatione Regularis diſciplinæ facultatem aliquam contra ſubditos Prælatis concedunt, ſi illis diſcrete & moderate utantur, ut notat Donatus ex variis Declarationibus ſacræ Congregationis.

Privilegia conceſſa per Bullas uni Ordini, ac vivæ vocis Oraculo Religioni noviſſimæ communicata, revocata non cenſentur cum aliis Oraculis; quia revera illa privilegia indulta ſunt per Bullam, & non ſunt vocis oracula, ſed ſolum extenſio per viam communicationis, non oraculum; idcirco hæc extenſio eſt modus adveniens Privilegio bullato; quare cum modus rei non variet rem, neque hic modus extendendi facit Privilegium Bullatum eſſe Oraculum.

Num vero privilegia prius per oracula conceſſa, ſi reperiantur etiam per Bullas tradita, revocata cenſeantur per Urbanum VIII. videndum, an quando per Summum Pontificem Religioni per ſuam Bullam conceditur aliquod privilegium, quod eidem Religioni per præceſſorem Pontificem indultum fuerat vivæ vocis Oraculo, in Bulla facta fuit mentio oraculi; tunc enim certum eſt, privilegium eſſe revocatum, quia confirmatio privilegii non mutat naturam privilegii, ac proinde cum primum in ſuo eſſe fuerit per Oraculum, ex Bulla confirmativa non tranſit ad eſſe Bullatum: Si vero nulla mentio Oraculi facta ſit in Bulla, non eſt revocatum revocatione Oraculorum, cum per accidens ſit quod præceſſerit per oraculum, cum cæteruquin vere & per ſe ſit privilegium Bullatum conceſſum ſine ulla relatione & reſpectu ad oraculum.

## §. V.

### *De exemptione Regularium ab Ordinarii iuriſdictione.*

Exemptionis vox derivat a verbo *eximo*, idemque ſignificat ac liberatio; idcirco exemptio Regularium ab Epiſcoporum iuriſdictione eſt eorumdem liberatio a ſubiectione ad Ordinarium, quæ, ut antea diximus, ortum habuit a D. Gregorio Magno. Dixi *ad Ordinarium*, ſub cuius nomine veniunt Metropolitæ, Epiſcopi, omneſque alii inferiores Prælati Dioeceſim ſeu Territorium habentes, ubi iuriſdictionem Epiſcopalem exercent. Non veniunt tamen Legati aut delegati a Papa, ſi ipſis plena ac univerſalis iuriſdictio conceſſa ſit reſpectu etiam Regularium, uti fieri ſolet cum Nuntiis, qui a Pontifice mittuntur ad Principes, ut notat Lezzana. Subduntur pariter Regulares ſacris Congregationibus Romanæ Curiæ pro Regularium negotiis, aliiſque cauſſis; item Auditori Papæ, Rotæ, Cameræ, Legatis a latere. Ita Sylveſt. Paſſerin. & alii. Exemptio ſecundum DD. triplex eſt, perſo-

nalis

nalis ſcilicet, localis, & mixta. Perſonalis ea eſt, quæ affixa eſt perſonæ, eamque comitatur; idcirco ubicumque exemptus perſonaliter delinquat, conveniri nequit, nec iudicari ab Ordinario. Sic Fagnan. Barboſ. c. *Tuarum de privileg.* in 6. Localis, quæ non afficit perſonam immediate & directe, ſed illam afficit ratione loci privilegiati & exempti, ita ut ſi delinquat extra locum exemptum, ſubiacet foro ſeu iudicio Ordinarii c. *Volentes de Privileg.* in 6. Fagnan. loc. cit. Exemptio mixta utramque complectitur, localem ſcilicet & perſonalem. Contra huiuſcemodi exemptos, etiamſi delinquant extra locum exemptum, procedere nequit Ordinarius. Sic Sylveſt. Covarruv. Paſſerin. & alii.

Huiuſcemodi exemptiones gratioſæ Regularibus conceſſæ fuere a Summis Pontificibus, ut, ſicuti antea notatum eſt, eos ſubtraherent gravaminibus, quibus ab Epiſcopis afficiebantur, ac ita eorumdem Regularium quieti conſulerent. Et inter Pontifices, qui Regulares maioribus hiſce gratiis proſecuti ſint, recenſet Donatus Nicolaum V. Leonem X. Gregorium VIII. Martinum V. Clementem VIII. Paulum V. Urbanum VIII. His exemptionibus renuntiare non poſſunt Regulares iuxta Barboſam, Navar. Donat. quia cum Regulares per exemptionem conſtituti ſint immediate ſub poteſtate Pontificis, qui idcirco eſt immediatus ſupremus Regularium Superior, ſicut nequit Diœceſanus renuntiare in præiudicium eius cui competit iuriſdictio, ita nec Regulares nequidem capitulariter congregati ſine licentia S. Sedis, quæ in his habet ius quæſitum, renuntiare poſſunt privilegio in ipſius S. Sedis præiudicium; & ſic deciſum fuit a ſacra Congregatione in Ulyſſiponen. Monaſterio die 29. Novemb. 1625.

Advertendum tamen, beneficium ſeu privilegium exemptionis ab Ordinario parum favere ſcandaloſe delinquenti extra Clauſtra, licet moretur in Clauſtro, & multo magis ſi maneat extra Clauſtrum: pro utroque enim caſu providit Concilium Trid. ſeſſ. 25. cap. 14. *de Regul.* ut poſſit per Epiſcopum puniri; quando tamen, notat Donatus hic q. 47. quatuor concurrant conditiones, 1. nempe ut delictum commiſſum ſit extra Clauſtra. 2. Ut ſit notorium. 3. Ut ſit ſcandaloſum. 4. quod Epiſcopus inſtet ut Prælatus puniat, & Prælatus Regularis punire negligat; quæ omnia copulative requiruntur, ut ſi una deficiat, nequeat Epiſcopus ſe intromittere. Haſce conditiones fuſe exponit hic Rotarius ſimul cum Conſtitutione Clementis VIII. quæ incipit *Suſcepti muneris ratio* & eſt 39. in qua ad tollendum omne ſubterfugium contra decretum Tridentini ſtatuit, ſi Superior negligens punire delinquentem hunc ad effugiendam Epiſcopi pœnam alio traſmittat, inſtante Epiſcopo teneri eum reſtituere in loco ubi deliquerat; & ſi hoc facere prætermiſerit, ſtatuit ut Ordinarius loci ad quem tranſmiſerit, ad inſtantiam Epiſcopi in cuius Diœceſi deliquit, tamquam delegatus Sedis Apoſtolicæ prædictum decretum Concilii omnino exequi poſſit, ideſt poſſit & debeat Regularem reum ſevere punire.

Epiſcopus nequit retinere hunc delinquentem in ſuis carceribus, donec formet proceſſum contra illum, ut ſimul cum proceſſu ſuis Superioribus puniendum tradat, ſed ſtatim illum remittere debet ad ſuum Superiorem, etiam hoc non inſtante. Sic enim declaravit ſacra Congregatio teſte Barboſa in dictum cap. 14. ſeſſ. 25. Tridentini; & ſi Epiſcopus remittere differat, & in carceribus vexet delinquentem petentem remitti, incidit in excommunicationem, ut ex Gloſſ. in Clement. *frequens verba* cap. *de exceſſ. Prælator.*

Si autem delinquens ſit Prior, & Prælatus Regularis, Epiſcopi auctoritas ſuper hunc non extenditur, ut incarcerare poſſit, ac in carceribus detinere; ut Donatus cum aliis; quia cum ſimus in odioſis, iuriſdictio Epiſcopi extendi nequit ſuper exemptos ad caſus non expreſſos. Nomine enim Religioſi non venit hic Superior, ut ſubiaceat iuriſdictioni Epiſcopi ſicut præſcribitur a Tridentino, ſicut Monachi nomine non venit Abbas. Unde ſi ad cautelam eumdem incarceraret, teneretur Epiſcopus ſtatim de hoc certiorem facere Provincialem per litteras, etiam ſi abeſſet, narrando factum, & inſtando ut reſcribat cui conſignari velit, vel potius ſecundum Rotarium, admonito per literas Provinciali, reus conſignandus eſt debitis cautelis Religioſo Monaſterii, qui iuxta Regulas Inſtituti ſuccedit Priori, ſeu vices gerenti Superioris in eius abſentia. Quoad Cætera circa hoc, & circa Religioſos delinquentes, dum manent extra Clauſtra, quoad ius Epiſcopi eos puniendi, vide Rotarium, Donatum, qui exacte ſuper hoc negotio & fuſe agunt conciliando Doctorum ſententias, qui diverſimode in hiſce caſibus reſolvunt; ſicut etiam circa cenſuras, num, & quando Epiſcopi in Regu-

lares

Digitized by Google

lares eas ferre poſſint, quæ cum non ita facile occurrant, brevitatis gratia prætermittere cenſui, remittendo ad citatos Auctores, eo vel maxime, quod in varietate opinionum difficillimum eſt rem breviter, ut præſens fert inſtitutum, pertractare.

## CAPUT VI.

### *De Ritu ſeu ordine iudiciali apud Regulares.*

Cum in propoſito habuerim de Regularium negotio pertractare, ſtatui omnia quæ ad ipſos pertinent, breviter quidem attingere: hinc ne a propoſito inſtituto recedam, operæ pretium eſt, de ordine quoque a Regularibus tenendo in ſuis iudiciis aliquid dicere, ut hic quoque habeatur aliqua ſaltem adumbratio, ac veluti veſtigium, unde aliquantulum percipi queat qua via incedendum ſit in tali negotio tam ſalebroſo ob tot tantaque requiſita quæ ſecundum Doctores concurrere debent, ut meliori modo quo fieri poſſit iuxta æquitatis regulas, ideſt ſine alterius iniuria, res tanti momenti agatur. Hic non eſt mihi animus, ut completam huius materiæ ſeriem exhibeam, quod nimis eſſet perdifficile, ſed ea tantummodo quæ neceſſaria ſunt ut ordo ſervetur, quem in huiuſcemodi iudiciis, ne extra ſemitas æquitatis exeatur, iura omnia exquirunt: ac proinde licet deceat in huiuſcemodi iudiciis, quæ inter perſonas ob conditionem ſtatus venerabiles efformantur, forenſem rumorem caveri, breviori via procedendo; a iuris tamen ordine recedere nefas eſt. Quare breviter hic agere cenſui 1. de modo quo debet Tribunal Regularium procedere de plano ſola veritate facti inſpecta; 2. de via accuſationis; 3. de via inquiſitionis ex officio; 4. de Iudice Regularium; 5. de probatione per teſtes, 6. de reo examinando, & complendo proceſſu, datis defenſionibus, per ſententiam definitivam.

### §. I.

*De ordine procedendi de plano in Tribunali Regularium, ſola rei veritate perſpecta, & de ſubſtantialibus iudicii, quæ ſervanda ſunt.*

Regularibus Prælatis ad decorem ſervandum conceſſum eſt ex privilegio in cauſſis nedum civilibus, ſed in criminalibus quoque *procedere ſimpliciter de plano ſine ſtrepitu & figura iudicii*. Privilegium huiuſmodi teſte Paſſerino indultum habetur a Bonifacio VIII. in ſua Conſtitutione, quæ incipit *Ad augmentum*, in quo concedit Pontifex, ut Iudices Regulares *rimulis & apicibus iuris poſtpoſitis libere procedere valeant ſecundum conſuetudines approbatas*. Privilegium hoc, ait Rodriquez, conceſſum fuit a Bonifacio VIII. Minoribus, a Leone X. teſte Cardinali de Luzo Camaldulenſibus, & Lezana part. 1. cap. 27. n. 1. & 28. adducit plura alia huiuſce generis privilegia conceſſa aliis Ordinibus, de quibus per communicationem privilegiorum alii Ordines, præcipue Mendicantes, participant. Immo aliqui volunt hoc Regularibus de iure communi competere, ſcilicet ex cap. *Qualiter & quando*, & præcipue ex cap. *Olim de accuſat.* in quo ratio redditur de tali agendi modo: *Olim in negotio de plano abſque iudiciorum ſtrepitu præcedente*, ideſt ſine tot iuris ſolemnitatibus, *cum talibus minime in huiuſmodi deceat ſervos Dei involvi*. Quare Regulares ſervare non tenentur in eorum iudiciis niſi ſolemnitates, quæ ſunt de iure divino, naturali, & gentium, necnon quæ a propriis Regulis ſeu Conſtitutionibus adduntur, minime vero non ſubſtantialia; quidquid in contrarium dicant plures DD. Canoniſtæ. Et hoc comprobat tenor Privilegii conceſſi a Gregorio XIII. Congregationi Monachorum S. Iuſtinæ ſua Conſtitutione 205. in qua ſic habetur: *Quandocumque contra Monachos iudicium ex quavis cauſſa inſtitui contigerit, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ac ſola veritate inſpecta hoc fiat*. Tenentur igitur Iudices Regulares ſervare in ſuis iudiciis iuris ordinem, iuris ſcilicet ſubſtantialia, ſine quibus præcipitanter & imprudenter ea fieri contingeret. Et ſi non ſervent ea, quæ a propriis ſtatutis præſcribuntur cum decreto irritante, iudicium erit nullum. Reliquæ vero ſolemnitates a iure civili vel canonico inductæ, non neceſſariæ ad inquirendam delicti veritatem, cum ſuis circumſtantiis, ſed ad ornatum & maieſtatem iudicii, ut trina citatio in ſcriptis, locus non privatus, conteſtatio litis cum ſolemnitate intimata &c., dicuntur a Doctoribus ſubtilitates, apices, rimæ iuris, & ſtrepitus ac figura iudicii, & ad hæc Tribunal Regulare non tenetur, nec eorum defectus vitiat iudicium.

Inter ea quæ ſubſtantialia ſunt iudicii etiam ſummarii recenſentur accuſatio, vel denunciatio, vel infamia delicti: Nemo enim

nim iudicandus eſt & foro ſubiiciendus, niſi ſit vel accuſatus, vel denunciatus de crimine, aut de eo infamatus cum ſufficienti fundamento. Hinc contra unumquemque triplici via proceditur in criminalibus iuxta cap. *Qualiter & quando de accuſat.* nimirum per accuſationem, denunciationem, inquiſitionem, quæ inquiſitio innititur infamiæ, ſeu delicti notitiæ, vel delinquentis, quæ notitia talis eſſe debet, ut iudex prudenter moveatur ad inquirendam rei veritatem: quocirca non ſufficiunt levia motiva, quæ ſuſpicionem potius quam iudicium prudens fundare rationabiliter poſſunt. Alium modum adducit Paſſerinus, nempe per evidentiam facti, quod cadit ſub ſenſu iudicis, vel habet per revelationem alterius. Si autem cadat ſub ſenſu iudicis, reduci poteſt ad inquiſitionem ex infamia & notitia delicti; ſed tunc adhuc factum probandum eſt per teſtes; idcirco procedi poteſt per viam inquiſitionis; & ſi cadat ſub ſenſu revelantis, iudex nihilominus procedit per viam vel accuſationis, vel denunciationis. In rigore tamen loquendo, notat Paſſerinus, duplicem tantum eſſe modum procedendi, nempe vel ad inſtantiam alicuius ſeu per accuſationem, vel ex officio, ideſt per inquiſitionem, cum modus procedendi per denunciationem reducatur ad accuſationem vel ad inquiſitionem; quia ſi denunciator inſtet apud iudicem pro publica condigna vindicta, tunc quoad ſubſtantiam denunciator idem eſt ac accuſator. Si autem non inſtet pro pœna, ſed hoc relinquit arbitrio iudicis, tunc iudex procedit ex officio per viam inquiſitionis, ad quam ſufficit quæcumque notitia vel per famam ſeu infamiam, aut denunciationem, quæ talis ſit, ut eum prudenter movere poſſit ad magis ſe informandum, & ad veritatem inquirendam. Quocumque autem modo procedatur contra reum, eſt ſemper de ſubſtantia litis conteſtatio, quæ fit ſtatuendo reum ante iudicem, eumque examinando tamquam principalem, & hoc eſt de iure divino, ut conſtat ex Geneſi, ubi Deus, antequam damnaret Cain de crimine fratricidii, conſtituit & examinavit, dicens: *Quid feciſti?* Unde examen nunquam poteſt prætermitti, & hoc eſt præambulum & diſpoſitio neceſſaria ad defenſionem, quæ reo concedenda eſt, & ſolum prætermitti poteſt, quando reus eſt contumax, quia in tali caſu ratione ſuæ contumaciæ, ideſt obſtinatæ ſuæ inobedientiæ non comparendo dum iuridice eſt vocatus ante iudicem, habetur pro conſtituto, examinato & confeſſo. Sic Donatus.

Aliud ſubſtantiale requiſitum eſt, ut non omittantur defenſiones cap. *Suſceptis* 1. *de cauſ. poſſeſſ.* ubi ſic: *Contra partem inauditam nihil recte in iudicio poteſt definiri*. Unde infert Donatus, quod ſi reus petat, Teſtes examinatos in priori proceſſu iterum examinari, eo quod fuerint tantum examinati pro informatione iudicis, & reus ſperet ſecundum examen ſibi profuturum, iudex tenetur illos denuo examinare, & praxis eſt citandi reum ad videndum iuramentum Teſtium; & hoc utpote de ſubſtantia iudicii, advertit Donatus, a iudice omitti non poſſe, ut ex Clement. *Sæpe contingit de verbor. ſignificat.* verbo *citationem*, ubi ſtatuitur, quod quando cauſſa ſummarie de plano ſine ſtrepitu & figura iudicii expedienda eſt, citatio non ſit omittenda; & hoc intelligitur de omni citatione neceſſaria ad hoc ut in omnibus actibus reus dicatur auditus; unde infert Donatus, neque omitti poſſe citationem ad ſententiam definitivam, quam pariter numerat inter ſubſtantialia, ne reus æſtimetur gravatus utpote non auditus, & ne poſſit appellare, & de nullitate dicere.

Reo volenti ſe defendere danda eſt copia ſeu tranſumptum capitulorum, quæ contra ipſum ex dictis Teſtium reſultant. Credunt tamen aliqui, quod cum iudicium Regularium ſit privilegiatum, neceſſe non ſit tradere rectam copiam actuum cum omnibus circumſtantiis, ex quibus reus venire poſſit in cognitionem Teſtium, qui contra eum depoſuerunt, & nomina eorum poſſe reo celari. Sic Suarez, Lezzana, Portellus, Lugo, & alii, qui putant, tradere acta, ſicut etiam nomina teſtium & alias circumſtantias, eſſe apices & rimas iuris, maxime cum res agatur inter domeſticos & confratres, quæ notitia valde periculoſa eſt, ut cauſſet diſſenſiones & morales inimicitias. Donatus tamen & Paſſerinus volunt, quod in Religionibus, ubi non ſit hoc ſtatutum denegans dari reo nomina Teſtium, ſi petat, ea eſſe tradenda; cum publicatio nominum Teſtium non ſit inducta tamquam ſolemnitas a iure poſitivo, ad quam Regulares non tenentur, ſed ſit requiſita ex natura rei, ut reus poſſit ſe defendere etiam per viam exceptionis, adducendo inimicitiam, vel alia motiva, quæ vel tollere poſſunt, vel minuere fidem Teſtibus, & ut poſſit ſe defendere etiam per viam oppoſitionis, quæ deſtruat eorum dicta, puta

ſi Ti-

ſi Titius deponat de viſu & ex certa ſcientia, & reus probet, teſtem tempore commiſſi delicti fuiſſe abſentem. Idcirco notitia Teſtium nullum prodeſſe poteſt Reo ad ſui defenſionem: quare etiam in Tribunali Regularium nomina Teſtium reo eſſe notificanda cenſent Megala, Ghiſlerius & alii. Advertit hic tamen Paſſerinus, quod, ſi ex manifeſtatione Teſtium timeatur aliquod periculum, nomina Teſtium tradantur ſeiuncta ab eorum dictis, ut ex cit. Clement. *Sæpe contingit*, ad quam ſæpius recurrendum, & adducitur hic a Rotario, quam brevitatis gratia afferre prætermitto.

## §. II.

### *De via accuſationis.*

Accuſatio legitima quæ locum præbet iudici, ut proceſſum formare valeat contra accuſatum iuxta D. Thomam 2. 2. q. 68. art. 1. *eſt delatio rei de crimine commiſſo facta in ſcriptis coram iudice competente ad vindictam publicam, vel ad proprium intereſſe;* Addunt aliqui DD. quia in hac delatione intendere poteſt accuſator reparationem proprii honoris læſi, vel alterius gravaminis iniuſte illati ab accuſato. Differt igitur accuſatio a denunciatione Evangelica, quia hæc non intendit pœnam, ſed præciſe emendationem fratris; item a denunciatione iudiciali, facta Prælato tamquam iudici, quia neque hæc petit punitionem Rei, ſed hoc remittit arbitrio iudicis. Hinc denunciator non tenetur probare delictum, cum non inſtet pro pœna, quam relinquit arbitrio iudicis, ac proinde in iudicem refunditur totum onus probandi delictum. Ex oppoſito vero cum accuſator inſtet pro pœna, tenetur etiam probare delictum; & ſi non probet, tenetur pœnæ talionis. Hanc tamen pœnam talionis, notat Paſſerinus nunc parum eſſe in uſu, & loco accuſationis ſucceſſiſſe querelam, quæ in hoc diſtinguitur ab accuſatione, quod non datur ſolemnis libellus, ſicut datur in accuſatione. Sic ex Farinac. & Claro. Fit tamen querela cum omni alio ritu, ſicuti fit accuſatio.

In duobus caſibus docet Antonius a Spiritu ſancto cum Rodrig & aliis, Prælatum Regularem non debere recipere querelam: Primo nempe ſi denunciatus ſit vir eminens vita & moribus, ac per plures annos in Religione probatus; tunc enim non ita facile accipiendæ ſunt contra iſtiuſmodi virum querelæ & denunciationes, cum iam conſtet non raro ex falſo zelo & invidia moveri contra tales perſonas ad eorum depreſſionem, perſecutiones, & querelas. 2. Si accuſator ſit malignantis naturæ ſuſſurrator, Prælatus poteſt poſt acceptam accuſationem illam reiicere, & contra reum non proſequi, ſi advertat illam eſſe in maius damnum Communitatis; præcipue ſi accuſatio ſit de iniuria facta alicui tertio; quia bonum publicum prævalere debet privato. Sic Paſſerin. cum Caiet. Soto, Sayro, aliiſve cit. hic a Rotario. Providere tamen debet Prælatus, ut ſatisfiat perſonæ læſæ.

## §. III.

### *De via inquiſitionis ex officio.*

Via inquiſitionis in hoc differt a via accuſationis, quod Prælatus agens per viam accuſationis, denunciationis, aut querelæ, agit provocatus a parte inſtante: in via autem inquiſitionis Prælatus, nemine provocante & inſtante, incipit ipſe ex proprio officio & munere, ex quo ipſi incumbit quovis luſto modo providere ne delicta impunita remaneant. Advertunt hic DD. omnes, duplicem eſſe delictorum inquiſitionem, quæ ex officio competit Prælato. Prima eſt inquiſitio generalis, quæ fit in ordinariis viſitationibus, quæ nedum iniunguntur a Conſtitutionibus Ordinum Regularium, verum etiam præcipiuntur a Concilio Trid. ſeſſ. 25. *de Regularib.* In hac inquiſitione, quæ ordinatur ad conſervationem & inſtaurationem Monaſticæ diſciplinæ, & Regularis, etiamſi nulla præceſſerit infamia quod in Monaſterio introducta ſit laxitas, poteſt, immo debet Prælatus inquirere in generali, an leges Ordinis ſint in viridi obſervantia; alias ſi nihil inquireret ſaltem in generali, inutilis eſſet ordinaria & annua viſitatio. Notat hic Suarez, quod talis modus generaliter inquirendi tripliciter fieri poteſt: 1. in generali tam ex parte delictorum quam perſonarum, & hoc fit quando Prælatus interrogat vocatum ad ſui præſentiam, an in hoc Monaſterio obſervetur Regula, an ſint aliqua crimina, an ſciat aliquem commiſiſſe aliquod crimen: Iſtæ interrogationes nulla præcedente infamia non ſunt contra Iuſtitiam, quia non ſunt actus iudiciales, ſed actus prudentis gubernationis; eo modo quo paterfamilias non facit iniuriam inquirendo, an domeſtici bene aut male ſe gerant. 2. Inquiſitio poteſt eſſe ſpecialis ex parte delicti & generalis ex parte perſonarum, ut ſi Præ-

latus interroget, an ſcias quempiam in hac domo aliquid habere proprium, exire de nocte, &c. & etiam iſte modus inquirendi eſt medium neceſſarium ad obtinendum finem viſitationis, & nulli facit iniuriam, quia de nullo in particulari fit inquiſitio. Advertit tamen hic citatus Suarezius, quod ſi delicta ſint valde gravia, licet non quæratur de ullo in particulari, fit gravis iniuria toti Communitati, & generari poteſt ſuſpicio quod Prælatus vel malam opinionem illius Communitatis habeat ex inordinata paſſione contra Nationem aut locum, vel quod ad eius aures iam pervenerit rumor de delicto adeo gravi. Quare putat Suarez, inquiſitionem ſpecialem de delicto & generalem de delinquentibus non eſſe convenientem, quando nulla præceſſit infamia, niſi ſint defectus valde ordinarii, qui ſolent contingere, aut ſi prudenter timeatur maius periculum de aliquo crimine ratione loci & occaſionum, quæ magis obviæ ſunt in hoc, quam in alio Monaſterio. 3. In inquiſitione generali dari poteſt caſus quod fiat ſpecialis inquiſitio tam de delicto quam de perſona, puta an ſcias Petrum furatum fuiſſe, & de nocte exiiſſe. Hæc interrogatio adeo ſpecialis in viſitatione generali, quæ ad omnes dirigitur, nulla præcedente infamia, non eſt licita, quia fit iniuria perſonæ, de qua magis quam de aliis inquiritur, & eſt expreſſe contra cap. *Qualiter & quando*, in quo Innocentius III. præſcribit modum in viſitationibus generalibus ſervandum, ideſt ne inquirant de criminibus occultis, cum ea excipiat: *Exceptis occultis criminibus*. Hinc aſſerit Navarrus cap. *Inter verba* coroll. 47. n. 179. peccare Prælatum interrogando ſpecialiter circa delicta ſecreta, de quibus nulla habetur infamia; & ita docet D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. ad 5. Dicit tamen ibidem Suarez, talem generalem inquiſitionem legitimo modo factam aperire quandoque viam iudicio, ut præambulum ad inquiſitionem ſpecialem, ut oſtendit cum praxi Paſſerinus, nempe quod Iudici interroganti ſuper ſtatum generalem Monaſterii revelatur delictum & delinquens in particulari, & aperitur via iudicio, ut poſſit incboare proceſſum, etiamſi alias delinquens non ſit infamatus; & hoc univerſaliter obſervatur, ut ait Innocentius cap. *Bonæ de elect.*, nam per talem manifeſtationem delicti in generali inquiſitione delinquens iam incipit apud iudicem eſſe infamatus, & in tali caſu infamia habetur loco accuſatoris. Advertit hic tamen Paſſerinus, antequam iudex procedat contra delinquentem, debere melius ſe certiorare de veritate delicti.

Secundus modus procedendi competens Prælato ex officio, eſt per inquiſitionem ſpecialem ad conſtruendum proceſſum contra talem perſonam, & inquirendo in particulari an fecerit tale delictum. Prima regula generalis quam tradunt DD., & ut notat Suarezius, reſpicit Judices etiam Regulares, eſt, non poſſe Prælatum talem inſtituere inquiſitionem, niſi ſuppoſita infamia talis perſonæ, ideſt fama quod illa tale delictum comiſerit. Sic expreſſe D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. & Summiſtæ ac Canoniſtæ communiter in cap. *Qualiter 2. de accuſat.* & alibi; & verba iuris excludentis alium modum inquirendi ac procedendi contra aliquem niſi ex accuſatione, & infamia, ita ſunt clara, ut interpretationem non admittant. Verum iuxta hodiernam praxim ſolemnitas infamiæ ex conſuetudine receſſit a Tribunalibus tum Laicis tum Eccleſiaſticis, ita ut ſtatim ac Iudici conſtat de delicto per inquiſitionem generalem, vel ex gravibus indiciis, facultatem habet inquirendi delinquentem, nullo habito reſpectu ad infamiam delinquentis, & præcipue apud Regulares ſolemnitas infamiæ non eſt de ſubſtantialibus iuris, quæ ſola a Regularibus iudicibus ſunt obſervanda. Unde licet aliquis non laboret infamia, dummodo ipſis conſtet ex generali inquiſitione de delicto, ex officio procedere poſſunt; eo vel maxime quod, ut advertit Fagnanus, Regulares vi ſuorum privilegiorum poſſunt procedere nedum ſummarie, ſed etiam ſummariſſime, ſola facti veritate inſpecta. Et equidem ſi etiam in Tribunali Regularium tot eſſent ſervandæ ſolemnitates, res nimis in longum protraheretur, cum periculo quod reus deterior fieret, & non ſine gravi Regularis diſciplinæ detrimento, ac ideo & communi damno. Non ſunt tamen ſufficientia indicia, ut iudex Regularis procedat ad ſpecialem inquiſitionem de delicto ſupra aliquam particularem perſonam, litteræ anonymæ, quæ communiter *cæcæ* dicuntur, eo quia ſint incerti auctoris & ſine ſubſcriptione: ita ut ſi ſuper hoc ſolo indicio procederet Prælatus ad ſpecialem inquiſitionem, docet Donatus quod peccaret mortaliter, quinimmo puniendus eſſet, & proceſſus lacerandus. Sufficiunt tamen ad generaliter inquirendum, quod etiam ſine iſtis litteris ſemper fieri poteſt.

§. IV.

## §. IV.

### *De iudice Regularium.*

Iudex Regularium intra Clauſtra, cuius officio aut perſonæ commiſſa eſt cognitio cauſſarum, eſt Generalis in toto Ordine, Provincialis in tota ſua Provincia, Superior localis in ſuo Monaſterio. Iſti vocantur iudices ordinarii, qui ſine alia ſuperaddita commiſſione, quoties opus fuerit, procedunt. Iudex enim ordinarius ſecundum DD. eſt ille, qui dignitatem habet aut officium, cui a iure vel conſuetudine ſeu privilegio annexa eſt iuriſdictio in foro externo; ita quod ſuo iure iudicandi poteſtatem habet ex nativo, non ex dativo nomine. Sic Paſſerinus q. 2. art. 2. n. 1. Alii autem ſunt iudices delegati, qui non ex proprio officio, ſed ex commiſſione ipſis data cauſſas cognoſcunt ex cap. *Iure*, & cap. *Cum olim de offic. delegati*. Quare delegatus extendere nequit ſuam auctoritatem niſi ad cauſſas ſibi commiſſas, ac ad omnia incidentia acceſſoria, dependentia, emergentia & annexa, ſine quibus commode cauſſam expreſſam in delegatione expedire nequit. Et ſi ultra commiſſionem ſe extendat, acta per ipſum facta ſunt nulla, utpote habita per eum, qui caret iuriſdictione. Porro alius eſt delagatus a Principe, & in Religionibus a Generali, qui habet ſupremam auctoritatem; & iſte habet auctoritatem ſubdelegandi; alius eſt delegatus a iudice inferiori, & iſte non poteſt ſubdelegare, niſi ad miniſterium circa aliquem articulum cauſſæ principalis, ſi hoc non requirat iuriſdictionem, nec induſtriam perſonæ ſecundum Sanchez. Porro alius eſt iudex delegatus ad univerſalitatem cauſſarum, cum hic ob amplitudinem auctoritatis æquiparetur Ordinario, & poteſt ſubdelegare. Alius eſt delegatus ad particularem, ad unicam ſcilicet vel aliquas cauſſas tantum expreſſas; & iſte non poteſt ſubdelegare: de hoc enim intelligitur axioma, quod *delegatus non poteſt ſubdelegare*. Delegati iuriſdictio ceſſat per mortem naturalem vel etiam civilem delegantis ſi res ſit integra, re non integra non ceſſat, quod tamen univerſaliter non eſt verum, ut patet in Vicariis Generalibus, quorum iuriſdictio mortuo Epiſcopo prorſus ceſſat.

Quamvis communiter loquendo ex iure tam civili quam canonico, & ſecundum aliquos etiam naturali conceſſum ſit reo quandoque recuſare non ſolum iudicem delegatum, ſed etiam ſui ipſius ordinarii iudicium declinare, quando rationabiliter dubitet iudicem non ſervaturum cum ipſo leges iuſtitiæ, habeatque in promptu rationes ad hoc probandum: Regularibus tamen, quibus non ita facile conceditur appellatio, ita nec conceditur recuſatio ſui iudicis ordinarii, præcipue ſi adſit ſtatutum Capituli Generalis hoc vetans, & nunquam ſane in caſibus non gravis momenti, etiam ubi & appellatio & iudicis recuſatio ex nullo ſtatuto interdicitur, ut Paſqualigus, Rotarius; & facienda eſt modo debito & ſacris Canonibus conformi. Sic Paſſerin. Rotar.

Iudex ſive ordinarius, ſive delegatus, ad cuius Tribunal delatum fuit aliquod delictum, ſive per accuſationem, ſive per denunciationem, ſive per infamiam ſeu famam, antequam per inquiſitionem ſpecialem, ſive ex officio, ſive ad inſtantiam partis contra determinatam perſonam procedat, prius probare tenetur delictum fuiſſe commiſſum, & non ſolum probare tenetur corpus delicti quoad ſubſtantiam, verum etiam quantum fieri poteſt, quoad circumſtantias ſaltem graviores, inquit Farinac. in *praxi* q. 2. n. 4. cum ex circumſtantiis ut plurimum reſultent qualitates delicti gravis, atrocis, levis, quibus pœna debet correſpondere. Corpus autem delicti eſt totum illud complexum materiæ, formæ, actionis, circumſtantiarum facti contra legem commiſſi. Delicta vero alia ſunt facti permanentis, quæ relinquunt poſt ſe ſigna ſenſibilia, per quæ probari poteſt eſſe patrata, ut homicidium, ſtuprum, percuſſio cum enſe, baculo, &c. ſi relinquant livorem aut cicatricem, furtum cum fractura: alia facti tranſeuntis, & ſunt ea, quæ non relinquunt poſt ſe ſenſibile veſtigium ex quo probari poſſit fuiſſe commiſſa, cuiuſmodi ſunt iniuriæ, minæ, furtum ſine fractura, percuſſio ſine cicatrice aut livore. Corpus delicti permanentis probatur a iudice, cum ipſe propriis oculis vel per Cancellarium viſitat cum teſtibus cadaver, vulnus, incendium, fracturam &c. & mandat Notario ſcribere viſum & repertum eſſe tale delictum. Corpus vero delicti tranſeuntis, cum non habeat veſtigium ſenſibile, conſtare debet per indicia, conjecturas, aliaſque probationes, ex quibus vere conſtet delictum fuiſſe commiſſum.

Ad reum iuridice conſtituendum ſeu interrogandum, ſeu ad conteſtandam litem, hæc omnia enim idem ſignificant; neceſſe eſt iuxta communem ut præcedant indicia; & ſi ſecus fiat, iudex peccat mortaliter. Sufficiunt tamen indicia, quæ faciunt ſemi-

 ple-

plenam probationem, ut D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 2. Semiplena autem probatio importat, quod delictum ſit ſolum ſemiplene probatum, quod fit per atteſtationem unius teſtis omni exceptione maioris. Indicia ad hoc ut ſemiplene probent, debent eſſe taliter gravia, ut in mente iudicis generent certitudinem, quam generaret unicus teſtis idoneus. Præſumptiones neque ſemiplene probant: præſumptio enim apud Farinac. q. 36. n. 67. eſt *conceptus mentis cauſſatus ab aliqua probabili coniectura, vel eſt ſuſpicio cauſſata in animo iudicis ex multis argumentis; vel eſt veriſimilitudo veritatis neceſſario non adſtringens*. Ex his variis Doctorum explicationibus apud Farinac. colligit Paſſerin. q. 18. art. 1. præſumptionem ſemper importare dubietatem in animo iudicis, & per hoc differt ab indiciis gravibus, quæ excludunt ab animo iudicis omnem dubietatem, & moralem certitudinem cauſſant. Indicium enim ut definitur a Sylveſt. verb. *indic.* eſt *medium ex quo deducitur per conſequentiam certam vel probabilem innocentia vel delictum alicuius*: unde indicia adeo gravia, quæ vocantur indubitata, ſunt media, ex quibus deducitur in mente iudicis conſequentia certa, & generatur ſcientia; & talia indicia ſunt ea, quæ ab aliquibus attribuuntur præſumptioni, quam vocant vehementem ac violentam; ita ut nomine tantum diſputant circa hoc Doctores, dum uni attribuunt quod alteri etiam congruit. Si iudex habeat notitiam talem ex deductis in actis, ut babeat apud ſe indubitatum indicium, quod reus delictum commiſerit, dicitur delictum ſemiplene probatum. Semiplena probatio eſt diviſibilis in maiorem & minorem. Semiplena probatio per teſtes maior eſt ſemiplena probatione per indicia, & in probatione per teſtes illa maior eſt, quæ fundatur in Teſtibus magis idoneis.

Apud Regulares ut licite iniungatur carcer ad cuſtodiam rei (quamvis carcer ad cuſtodiam proprie non dicatur carcer) cum maxime apud ipſos carceratio aliquam infamiæ notam poſt ſe relinquat, neceſſe eſt ut res pro qua fit incarceratio Religioſi, ſit gravis; ita ut peccarent graviter Superiores Religionum ex levibus cauſſis carcerationem iniungendo. Sic Navar. *de Indic.* n. 8. neque de hoc dubitandum eſt, cum fiat graviſſima iniuria iniuſte carcerato, unde tenentur indices etiam damnum reparare. Addit Paſſerinus cum aliis, quod ſi iniungatur carcer ad cuſtodiam, hoc exprimi debeat in Actis, cum carcer ad cuſtodiam non infamet, aut ſaltem multo minus. Neque pro quocumque delicto mandari poteſt incarceratio inquiſiti, ſed pro gravibus, quibus gravis pœna corporalis eſt debita, cum non ſit iuſtum, maiori pœna prætenſum reum torquere ante cognitionem cauſſæ, illa quæ danda eſſet, ſi reus confeſſus eſſet & convictus.

Delicta autem apud Regulares capacia ut querelatis iniungatur carcer, recenſentur a Paſſerino n. 14. & ſunt homicidium, delicta carnis, verberatio gravis, ſimonia, ſubornatio in electionibus, furtiva egreſſio de nocte e Monaſterio, & ſimilia. Hæc ſunt de iure communi; ſed in unaquaque Religione ſunt ſtatuta propria, quæ ſunt ſervanda. Inquiſitus ergo, denunciatus, accuſatus de hiſce criminibus, tunc ſolum poteſt carcerari, quando poteſt conſtitui; adeoque requiritur quod delictum ſit ſemiplene probatum, vel per indicia vehementia probata etiam ſemiplene, vel per unum teſtem omni exceptione maiorem. Primo igitur conſtare debet de corpore delicti; 2. debet ſemiplene probari hunc eſſe delinquentem; inde poteſt iudex mandare capturam. Cætera vide hic in Rotar. & aliis, quos citat.

Tortura eſt ultimum remedium excogitatum ad eruendam veritatem a reo vel teſtibus contumacibus, qui recuſant eam dicere: Reo igitur confeſſo non eſt danda tortura. Tortura dari nequit, niſi corpus delicti fuerit ſaltem ſemiplene probatum, & ſaltem ſemiplene probatum ſit contra delinquentem, & ſine indiciis gravibus expreſſis: Non enim cenſentur indicia gravia ad torturam emiſſio ſanguinis facta a cadavere præſente homicida; Neque conſuetudo peccandi, neque ſocietas cum crimino ſo, neque delatio armorum in non aſſueto afferre arma, neque emptio veneni facta paulo ante quam quis mortuus fuerit; neque rivalitas in amore, aut pallor vultus. Adſunt aliæ regulæ recenſitæ a Doctoribus circa qualitatem perſonæ, & tempus, ac ſpatium torturæ, quas hic non opus eſt recenſere, cum apud Regulares loco torturæ adhibeantur alia affligentia, nempe rigidior carcer cum inedia, ieiunia in pane & aqua &c. Hæc autem omnia fieri debent diſcrete, & non ad mortem; alias iudex eſſet irregularis & puniendus. Et in materia tanti momenti attendendum eſt Oraculum Innocentii XI. nempe iudicem ſequi non poſſe in actionibus & modo procedendi contra reum, præcipue quoad pœnas, opinionem

nem probabilem, ſed ſequi debere probabiliorem, ut habetur in ipſius Pontificis proſcriptione propoſitionis n. 2. in qua ſic: *Probabiliter exiſtimo, iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem*: Necnon attendenda ſunt iura circa dubia quæ in actis iudiciariis tam iuris, quam facti oriri poſſunt, quæ ſtatuunt, in dubiis ſemper ſentiendum eſſe in favorem rei, iuxta Regulam 11. iuris in 6. ubi ſic: *Cum partium iura ſunt obſcura, reo favendum eſt potius quam actori*. Unde ſine ea certitudine quam lex requirit, iudex nihil decernere poteſt contra reum. Ita Rotarius cum Fagnano, Donato, & aliis hic ab eo citatis. Nemo enim iuſte poteſt in aliquo damnificari, niſi ex iuſta & certa cauſa. Quocirca nihil iudex ex arbitrio ſuo facere debet, ſed omnia ſecundum iura, ut D. Thomas docet 2. 2. q. 67. art. 2. ex D. Auguſtino: *Bonus iudex nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed ſecundum leges & iura pronunciat*. Et ſi neſciat iudex diſcernere probabiliorem inter opiniones, ad evitandum errorem docet Donatus cum Peyrino citat. hic a Rotario, in tali caſu ſequi debere communiorem. Advertendum, iudici omnino abſtinendum eſſe ab interrogationibus ſuggeſtivis, quia confeſſio extorta a reo per ſuggeſtionem non ſufficit ad eum damnandum, & omnia Acta exinde ſecuta ſunt ipſo iure nulla L. 1. §. *qui ad*. Ita Farinac. Paſſer. Rotar.

## §. V.

### *De Probatione per Teſtes.*

In criminalibus probationes debent eſſe luce meridiana clariores, ut ex L. *finali* 430. n. 1. c. 5. *de probat.* & hoc verificatur, quia ortum debent habere a ſenſu, ita ut Teſtes vel deponant immediate de viſu, vel de viſu deponant indiciorum: Unde colligitur probationes debere eſſe ita claras, ut in mente iudicis non relinquant prudentem rationem dubitandi; ad quem effectum adhibentur Teſtes, cum in ore duorum vel trium ſtet omne verbum; qui teſtes debent eſſe iurati, vel ad minus iuxta diverſarum Religionum ſtatuta debent præmiſſo ſanctæ obedientiæ præcepto obligari ad veritatem deponendam. Deinde, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 70. art. 3. Teſtes eſſe debent ſine ulla infamia, aut ſuſpicione vel manifeſta macula, & ſola veræ fidei plenitudine inſtructi, ut iudex eorum dictis poſſit prudenter acquieſcere, ne timeat reprehenſionem Epiſt. 1. Ioan. cap. 4. *Noli omni ſpiritui credere*. Quocirca in iure alii admittuntur Teſtes, & dicuntur idonei, alii tamquam ſuſpecti reiiciuntur ut inhabiles. Conditiones teſtis idonei deſcribuntur a Sylveſtro in his verſibus:

*Conditio, ſexus, ætas, diſcretio, fama,*
*Fortuna, fides, in Teſtibus iſta requires.*

Circa teſtes in iudiciis Regularium ut legitime probent, debent eſſe vocati a iudice; nam ultronei ſemper ſunt ſuſpecti, L. *Presbytero c. de Epiſc. & Cleric.* Quocumque tamen modo veniant, a Notario deſcribi debent ſecundum Farinac. & notari ſic: *Comparuit N. N. teſtis vocatus, vel.. ultroneus a nemine vocatus*. Deſcribantur pariter eorum nomen, cognomen, ætas, gradus ac conditio, & eis dandum eſt iuramentum de veritate dicenda. Advertendum eſt, quod licet iudex aliquot teſtes examinet, & ſumat informationes generales, ut probet famam & corpus delicti, & reum conſtituat & carceret; talis tamen proceſſus dicitur factus pro informatione Curiæ, & depoſitiones ibi receptæ contra reum nihil probant pro reo puniendo, niſi de novo prævio alio iuramento teſtes examinentur, vel cum iuramento ratificent quæ dixerunt, antequam reus citetur, & conſtituatur, ut cap. *de teſtibus*, ex cap. *Veniens* 2. eod. tit. Si autem iudex timeat in hac repetitione illos falſum depoſuiſſe, debet eos iterum examinare diligenter, cogendo eos ut reſpondeant ad ſingula, ad videndum num concordent cum prima depoſitione. Nec ſufficit permittere ut ſic in generali ratificent cum iuramento id, quod prima vice depoſuerunt. Sic Peyrinus. Verum cum talis repetitio examinis non ſit de ſubſtantia probationis naturalis, ſed iuxta aliquos ſpectet ad apices iuris poſitivi; ubi proceditur de plano, & ſola rei veritate inſpecta, ut fit inter Regulares, non eſt inter hos examen teſtium repetendum, ſed ſufficit quod teſtes ſint iurati, & reus poſſit obiicere contra teſtes, necnon teſtes audiant ſtatim ſibi legi ſuas depoſitiones factas coram iudice, ut videant an memoria aliquid eis ſuggerat quod adiungant, declarent, & emendent; quo facto ratificare debent & confirmare omnia quæ depoſuerunt ſe ſubſcribendo; & ſi ſcribere neſciant, loco ſubſcriptionis faciant ſignum Crucis. Sic Bartol. Deciſ. Farinac. Paſſerin. & alii. Quare ſi reus petat teſtium repetitionem, eſt in arbitrio iudicis illam ei concedere, & denegare, dummodo eam non peteret

pro defenſione, quia teſtes non fuerint ſufficienter examinati. Sic Rotar. cum Palerin. Advertendum, omnia quæ deponunt teſtes, etiam apud Regulares, ut depoſitio ſit valida, debere ſcribi a Notario a iudice electo, minime vero a iudice, ſaltem in cauſſis gravioribus. Adverte quoque cum Rodriguez, dicta teſtium conſcripta a Notario ſine iudicis præſentia, non probare. Unde ſi iudex ad hos actus nequeat eſſe præſens, & examen teſtium urgeat, alium ſuo loco delegatione ſcripta & in Actis redigenda delegare debet, dummodo iudex poteſtatem habeat delegandi. Dicta teſtium procedere debent ab eorum ore viva voce prævio iuramento, non ex ſcripto legi, iuxta Rodriguez, Abbatem, Covaruviam alioſve, qui hanc ſecundam atteſtationem in criminalibus non admittunt. Etenim ut teſtis probet, reſpondere debet iudici interroganti, non deponere quæ ſcripſit ignorans iudicis interrogationes ſuper qualitatem ac circumſtantias delicti: hoc tamen non prorſus eſt reiiciendum quando opus eſſet ad ſubveniendum memoriæ teſtis, ut eum maiori veritate reſpondeat.

Laicus regulariter loquendo non poteſt eſſe teſtis in cauſſa criminali contra Regularem, quia hoc vetitum eſt in iure canonico t. *cætero de teſtib.* dummodo delictum non ſit commiſſum in loco, ubi ſoli laici poſſunt deponere contra delinquentem, ne delicta maneant impunita; & iuxta Tamburinum, etiamſi delictum commiſſum ſit de nocte C. *cum dilectus 2. de purgat. canon.* necnon in delictis enormibus bono publico valde noxiis, ſicut etiam quando Religioſi proprii Monaſterii renuant teſtificari. Hoc ultimum tamen intelligitur quando iudex procedit ex officio, cum in tali caſu poſſit admittere in defectu teſtis integri ad teſtificandum eos quoque, qui a iure poſitivo repelluntur; ſecus vero ſi procedat per viam accuſationis: nam accuſator producere debet teſtes integros, ideſt a iure non excluſos. Poſſunt quidem eſſe teſtes contra Regularem Clerici etiam prima ſola tonſura initiati, & Religioſi alterius Ordinis, utpote a iure non excluſi.

Ad hoc ut teſtes plene probent, debent eſſe ſaltem duo idonei, ut dicunt iura omnia, quia in ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum. Ad hoc ut teſtes iudicentur idonei, quatuor requiruntur; 1. ut ſint iurati; 2. ut ſint conteſtes, hoc eſt deponant de eodem facto, convenientes nedum in ſpecie delicti, ſed in circumſtantiis ſubſtantialibus; ſecus, ſi unus dicat Ioannem occidiſſe Antonium mane, alter veſpere, unus in uno loco, alter in alio delictum patratum; hi enim dicuntur teſtes ſingulares, utpote convenientes in facto, non vero in circumſtantiis, ſine quibus delictum non potuit patrari, & teſtes ſingulares non probant, immo convincuntur de falſitate: tales fuere teſtes qui depoſuerunt in caſu de Suſannæ adulterio, & damnati fuere tamquam calumniatores. Paſſerinus putat reputandum eſſe teſtem ſingularem, ac nihil probare illum, qui interrogatus de circumſtantia, ſine qua delictum patrari non poteſt, reſpondet ſe non recordari. 3. Requiritur, ut nullo vitio laborent, per quod a iure excludantur. 4. Tandem requiritur, ut reddendo cauſſam ſuæ ſcientiæ, dicant ſe ſenſu aliquo veritatem percepiſſe quam deponunt; ita ut ſi originaliter eorum notitia procedat ab auditu, ac deponant ſe ab aliis audiviſſe, non plene probant, ſed faciunt indicium ad inquirendum ab aliis. Quando autem teſtis deponit de actu, qui directe per aliquem ſenſum corporeum probari non poteſt, ut fidem plenam faciat, debet ſe fundare in præſumptione illi actui proportionata, & proxima ſenſui, per quem veritas percipitur, ut ſi quis deponat ſe credere Religioſum fuiſſe fornicatum cum Berta, ſufficit quod dicat ſe eos vidiſſe expoliatos in eodem lecto; ſecus ſi afferat eos vidiſſe confabulantes etiam familiariter in eodem cubiculo; quia hæc credulitas eſt remota a ſenſu & actibus, quibus percipitur veritas fornicationis; idcirco hæc depoſitio non probat. Rotar. 430. cap. 5. n. 7.

Circa teſtes vero de auditu hæc notanda ſunt. 1. Si teſtes ſunt de auditu alieno, regulariter non probant, quia non deponunt de proprio ſenſu & auditu circa crimen, ſed ſolum ſe audiviſſe hoc dici ab aliis; & tunc examinandi ſunt nominati, a quibus iſti audierunt, & ſi iſti negent creditur iſtis, non vero teſti, qui depoſuit ſe ab illis audiviſſe dici. Sic Farinac. Teſtes autem de auditu proprio, qui deponunt ſe audiviſſe verba contumelioſa, probant quando agitur de delicto, quod percipitur per auditum, non vero ſi agatur de delicto, quod percipitur per viſum: probant ſolum in caſu in quo teſtis videre non potuit vel propter impedimentum, vel propter obſcuritatem, & audivit ſtrepitum proportionatum cum actione delicti, vel vocem delinquentis, quem optime novit. Sic Albertus in L. 2. §. *idem*. Farinac. dicit remitti ad

ar-

Digitized by Google

arbitrium iudicis, quando teſtes notitiam habent vocis querelati, additque, ut teſtes de auditu probent, requiri adminicula.

Quoad teſtes deponentes de credulitate, notandum, teſtem deponentem de credulitate, qui reſpondet *puto, credo rem ita eſſe*, nihil probare; quia per talem depoſitionem utpote ſolum opinativam, quæ idcirco non eſt certitudo in teſte, non certificatur iudex, ſicut ad probandum per depoſitionem requiritur: nequit enim talis teſtis dare iudici certitudinem, quam ipſe non habet: Teſtem aiunt DD. deponere de credulitate, non de ſcientia, ſi reſpondeat per verba *mibi videtur, in conſcientia mea plus minuſve*, vel per alia huiuſmodi verba, quæ opinativa ſunt; & tunc debet interrogari de cauſſa opinionis; & ſi reddat rationem vel præſumptionem ita credi debere, tunc probat, ſicut e contra, ſi reſpondeat non dubitative, ſed aſſertive; & tunc ſi in reddenda ratione ſuæ ſcientiæ dicit præſumptionem non inferentem niſi credulitatem, non probat; quia ex ratione adducta deprehendit iudex teſtem deponentem ignorare vim verborum, quibus utitur. Adverte cum Farinac. q. 76. n. 95. medicum, obſtetricem, ſimileſve perſonas in arte peritas, tametſi reſpondeant ſe ita arbitrari, vel credere, puta quod talis ex veneno ſit mortuus, quod illa fœmina a modico tempore ſit violata, adhuc probant, cum iſte ſit modus loquendi proprie ſecundum illam artem, quæ non eſt adeo evidens, ut aliquam formidinem non admittat; idcirco a peritis ſemper opinative reſpondetur. Rotar. hic.

Dixi *multoties teſtes inhabiles non probare*. Videndum igitur nunc eſſet, quinam ſint hi teſtes inhabiles; ſed de his iam habetur in tractatu de obligationibus quorumdam ſtatuum perſonarum, ubi agitur de Teſtibus; ubi facile videri poteſt quinam inhabiles ſint iuxta iuris diſpoſitionem.

## §. VI.

### *De reo examinando, & complendo proceſſu.*

Suppoſito quod habeantur requiſita omnia antea recenſita ad reum legitime conſtituendum coram iudice ad examen, debet illum iudex de carcere extractum ad ſe vocare, & in loco extra carceres examinare: nullo modo tempore examinis detinendus eſt in manicis ferreis, niſi, ſecundum Paſſerinum, qualitas delicti & perſonæ ita exigat. Iudex autem tenere debet tamquam certiſſimam regulam, non poſſe examinare reum ex ſcientia privata quam ipſe habeat, ſed a notitia quam habet in Actis reſtringitur illius ius ad reum interrogandum. Primo igitur admonebit reum de ſanctitate iuramenti, quod præſtare debet, de veritate in examine dicenda, & de gravitate ſceleris periurii, ac proinde eum ſimul hortabitur ad veritatem fatendam, ne conſcientiam ſuam tanto ſcelere pergravet: deinde ei præbebit iuramentum de veritate dicenda, vel iuxta morem Religionis ſuæ faciat ei præceptum ſanctæ obedientiæ loco iuramenti; & hoc fieri debet, quoties, ſi una aut altera vice non poterit examen complere, eum ante ſe pro tali examine advocare debuerit, quod cum teſtibus pariter eſt obſervandum.

Iudex debet ſe præbere quietum & pacatum, ne terreat inquiſitum, ut cum maiori libertate poſſit hic reſpondere. Interroget eum clare & diſtincte, ut reus queat de facili ſenſum interrogationis percipere. Et ſi reus petat interrogationem ſibi declarari, iudex declarare tenetur, ac facilitatem ad intelligentiam reddere. Nec urgeat aut ſoliciter reum, ſi dilationem petat ad reſpondendum, ut modum cogitet reſpondendi, præcipue ſi interrogatio verſetur circa delictum à multo tempore commiſſum, cuius circumſtantiæ nequeunt ſtatim menti occurrere.

Non poteſt iudex interrogare reum de aliis delictis, niſi habeant connexionem cum illis de quibus reus eſt inquiſitus, de quibus habet iudex ſemiplenam probationem. Neque interrogare poteſt de ſociis criminis, quando non ſunt infamati, niſi in crimine valde perniciofo communi bono, vel interente grave damnum innocenti, vel niſi crimen ſit talis naturæ, ut niſi cum ſociis committi poſſit. Reus non eſt inquietandus aut perturbandus a Iudice, dum confiteri incipit ſuum crimen; nec debet Iudex examen interrumpere & remittere ad aliud tempus, ne forte reum pœniteat, & revocet quæ dixit. Item non interroget de non pertinentibus ad cauſſam, aut dum captus eſt pro uno crimine, non interroget de alio, de quo non eſt iudicatus, quod expreſſe vetitum eſt a Paulo III. Conſtitut. quæ incipit *Adonus* §. 1. verbo *Iudices*.

Si reus renuat fateri veritatem, Iudex curet bonis rationibus eum inducere ad fatendum, repetendo interrogationes circa circumſtantias delicti, revocando illi in me-

moriam tempus, locum, perſonas cum quibus erat, quando delictum commiſit; & ſi perſiſtat negando, interrogari poterit de remotis cauſſis, quas facile rei confitentur, ex quibus gradatim procedendo vel convincitur, vel inducitur ad confitendum. Si autem renuat reſpondere, vel reſpondeat per verbum *recordor* in iis quæ veriſimiliter recordatur, in levibus cauſſis debet iudex charitative eum monere, & pluries, ut reſpondeat clare & diſtincte, affirmando, vel negando: poteſt etiam moneri ſub pœna convicti, & quod poſt trinam monitionem habebitur pro convicto. In delictis vero gravibus, ſi non det ſufficientem rationem quare non reſpondeat, traditur torturæ.

Reus interrogandus eſt lingua vulgari, & ſcripto mandari debent eius reſponſiones modo eodem, quo ab ipſo proferuntur, fideliter ſcribendo tam quæ contra ſe, quam quæ pro aliis deponit. Debent inſuper deſcribi quæ infra examen contingunt, puta ſi reus flexis genibus veniam petat, ſi prorumpat in lacrymas, vel ſi audita interrogatione expalleſcat, trepidet, & ſimilia. Confeſſio Rei debet ab ipſo ratificari & ſubſcribi, ac pro legitima admitti.

Spontanea iudicialis confeſſio delicti ſufficit ad reum damnandum, ut habetur L. 1. cap. *de confeſſis*: Cum enim confeſſio inducat notorium in iure, nulla maior probatio requiritur cap. *Veſtra*, & cap. *finali de cohabitatio. Cleric.* Confeſſio iudicialis & ſpontanea validat proceſſum alioquin nullum. Dixi quod confeſſio debet eſſe *iudicialis* facta cum iuramento coram Iudice ordinario vel delegato (non autem ſubdelegato) recepta a Notario: unde non ſufficit quod ſit facta Superiori tanquam patri, ſed debet eſſe facta illi tamquam iudici. Debet inſuper eſſe ſpontanea, non extorta, ſcilicet metu, vi aut fraude, promiſſionibus fictis, aut ſpe immunitatis, & debet eſſe ſubſcripta a Reo & Notario.

Habita confeſſione ſpontanea reus damnari poteſt ſine proceſſu, ſecundum Paſſerin. Panormit. ac ſine litis conteſtatione, cum confeſſio ſpontanea ſuppleat nullitatem proceſſus: quinimmo poſita confeſſione ſpontanea nihil intereſt an proceſſus ſit validus, ac præceſſerit, cum ad damnandum reum confeſſum non ſit neceſſarius præcedens proceſſus, niſi ille qui ſufficiat ad damnandum reum in iudicio notorio. Paſſerin. Panormit. Farinac. cum aliis. Spontanee confeſſi mitius puniuntur.

Num puniendus ſit reus pro delicto incidenter confeſſo, de quo non agebatur, cum diſtinctione reſpondent DD. nempe quando incidenter crimen obiicitur, & illud reus non inquiſitus confitetur, ſed agitur de illo pro alia cauſſa, puta de promovendo ad Ordines vel dignitates, & obiicitur illi homicidium ne promoveatur, ſi hoc confiteatur, repellitur quidem a dignitate vel Ordine, non vero ex vi talis confeſſionis punitur de homicidio, cum de illo non agatur. Ita Gloſſa in cap *Cum ſuper* verbo *confeſſus*, & Paſſerin. cum aliis. Si autem inquiſitus eſt, & res iudiciaria agitur contra illud, de cuius confeſſione incidenter conſtat, damnari poteſt etiam ad pœnam ordinariam. Sic ex cap. *Per inquiſitionem de delictis* habetur, quod iudex generaliter inquirens ſuper ſtatum Eccleſiæ vel Capituli, ſi incidenter ei conſtet de delicto alicuius, poteſt eum punire. Sic Farinac. Adverte, regulam, ex qua aliqui inferunt, incidenter confeſſum non poſſe puniri, eſſe, quia de hoc iudex non inquirebat, neque agebat. Aiunt tamen aliqui, regulam hanc non eſſe tantæ virtutis, ut impediat Principem a iuſte puniendo reo incidenter confeſſo, cum confeſſio incidenter facta, quantum eſt de iure naturæ & gentium, ſufficiat ad puniendum reum pœna ordinaria, ſervatis tamen ſervandis, datis etiam defenſionibus, ut excipere valeat contra ſuam confeſſionem. Sic tenet Paſſerin. cum Gloſſa c. *Cum ſuper* verbo *confeſſus de confeſſ.* contra Farinacium.

Reus non confeſſus, ſecundum communem Doctorum, tribus modis convincitur; 1. videlicet per teſtes, qui ſaltem ſint duo, & idonei, ac omni exceptione maiores, & nulla ratione ſuſpecti: ex iure civili, tametſi iudex procedat ex officio & per viam inquiſitionis, damnatur ad pœnam ordinariam, cum invicem æquivaleant, eſſe convictum & confeſſum. Menoch. Farinac. 2. Convincitur reus per indicia vehementia, gravia, immo graviſſima, bene probata; ac ideo dicuntur indubitata, ita ut quodlibet indicium, ex quo iudex prætendit habere reum pro convicto, probatum ſit per duos teſtes idoneos: debent enim indicia ex eorum natura vim talem habere, ut in mente iudicis certitudinem moralem cauſſent, Titium tale delictum commiſiſſe. Unde ſi relinquant in mente iudicis formidinem ac dubietatem, non ſunt indicia certa moraliter, ſeu indubitata, ac ſufficientia ad reum damnandum. Hinc excluduntur præſumptiones, veriſimi-

litu-

Digitized by Google

litudines, quæ in rigore indicia non ſint, vel ſi indicia, levia tamen ac inſufficientia ad habendum reum pro convicto, & ad eum damnandum, cum indicia probantia, ſecundum DD. luce meridiana clariora eſſe debeant, delictumque inferentia. Quando vero indicia ſint hinc & inde pro reo, & pro Fiſco, ideſt contra reum, ad hoc ut deveniri poſſit ad torturam, & multo magis ad condemnationem, quæ ſunt Fiſci, ideſt contra reum, debent eſſe multo magis urgentia, ita ut ſuperent indicia reo faventia; & poſita æqualitate ſemper valet Regula iuris, quod in dubio favendum eſt reo. In condemnatione rei convicti tantum per indicia, nunquam dari poteſt pœna ordinaria, ſed mitior cum proportione ad indicia inferentia qualitatem delicti. 3. Convincitur reus per ſcripturam, ſi delictum ſit talis naturæ, ut committatur ſcribendo, ut ſunt ſtatuta contra immunitatem Eccleſiæ, libelli famoſi, calumniæ, conſpirationes, periuria, & ſimilia, quæ in ſcriptis & ex ſcriptis conſtant. Scriptura tamen debet eſſe probata, & recognita a peritis. Si autem ſcriptura non ſit delictum, ſed deſcribat delictum præteritum v. g. adulterium, vindictam factam de inimico, facit ſolum præſumptionem contra delinquentem, ſed non probat delictum, & habere poteſt vim accuſationis & denunciationis ad inquirendum, ut Paſſerinus.

Reus puniri nequit, nec torqueri pro veritate habenda, niſi prius datis defenſionibus; & hoc certiſſimum eſt tam de iure civili quam canonico, immo de iure naturæ inauditus, & indefenſus non poteſt puniri aut torqueri. Unde tametſi iudex timeat de ſubornatione teſtium adducendorum a reo, & delictum ſit atrox, & delinquens ſit perſona potens, illi negandæ non ſunt defenſiones: præcautiones tamen in caſu huiuſce dubii, ſecundum Farinacii monitum, ſumi poſſunt a iudice, & ſunt, ut reus non loquatur cum Advocato, niſi coram Iudice, Notario, aut Fiſcali; quæ cautela in caſibus tantum atrocibus ſervanda eſt, & quando ſit ſubornationis periculum: ſecus in cauſis Regularium hoc ſaperet crudelitatem; idcirco danda ſunt reo indicia omnia contra ipſum militantia, licet etiam ipſe confeſſus fuerit delictum, & qualitatem. Reo Regulari petenti ad ſe defendendum nomina teſtium, danda non ſunt niſi disiuncta a depoſitionibus, ut antea diximus, ob rationes ibi expoſitas, ut quos ex ipſis habeat inimicos, vel tamquam ſuſpectos, denunciet. Non tenetur iudex tradere reo copiam depoſitionum contra ipſum, quando ipſe hoc non petat; ſed ſatis eſt quod iudex det ei indicia, & probationes, quæ ex depoſitionibus reſultant. Si reus cedat defenſionibus, nihilominus deputandus eſt Religioſus doctus & prudens, qui eum cum charitate defendat, & ei debet permitti ut ad reum audiendum accedat, ut ex ipſius ore accipere poſſit lumen, ideſt neceſſarias inſtructiones ad eum defendendum. Dandum eſt reo tempus competens ad purganda indicia etiam ultra tertiam dilationem conceſſam a iure, nec ad hoc, ut monet Farinacius, iudices debent eſſe difficiles. Defenſiones datæ Iudici a reo inſeri debent in actis. Iudex conſideratis defenſionibus factis pro reo, & bene omnibus conſideratis iudicet apud ſe quænam capita contra reum non ſint evacuata, & hic diſtinguat articulos, qui ſunt illa capitula, quæ reſultant ex dictis teſtium & ipſius confeſſione, hoſque articulos reo præſentet; nec hoc iuxta DD. negandum eſt reo, tamquam appendix iuris naturalis ſe defendendi. Propoſitis articulis reo, fiat illi præceptum ut alleget ſi quid habet dicendum pro ſui defenſione, & ordinarie ad hoc ei conceditur tempus vigintiquatuor horarum. Si autem reus renunciet tali dilationi, reſpondeat ſe nihil habere addendum. Notarius hanc renunciationem ſcribat, & illam ſubſcribat Iudex. Si vero dilationem acceptet, præterito tali intervallo vocetur reus audiendus, & audito quod nihil habeat, Iudex, Notarius, & etiam reus debent ſe ſubſcribere, notando annum, menſem, diem & horam.

Conſummato, ideſt completo proceſſu, ut iudex partes ſuas impleat, deſcendere debet ad ſententiam definitivam, vel damnando, vel abſolvendo inquiſitum per ſententiam ultimam & definitivam, quam ferre debet iuxta allegata & probata, quæ faciunt ſcientiam publicam & iuridicam, non vero ſecundum propriam cognitionem & ſcientiam privatam quam ipſe habet, ut probat D. Thomas 2. 2. q. 57. art. 2. ad 2. ubi dicit, Iudices huius mundi habere poteſtatem iudicandi non a ſe, ſed a publica auctoritate, & ideo informari debent in iudicando non ſecundum id, quod ipſis innoteſcit tamquam privatis perſonis, ſed ſecundum id, quod ipſis innoteſcit tamquam perſonis publicis publica auctoritate munitis. Hinc erit illa gravis controverſia, num iudex, cui ex propria ſcientia conſtat de inno-

nocentia perſonæ ut reæ ante ſe conſtitutæ, poſſit illam damnare convictam & confeſſam tamquam ream; de qua hic agere ſuperſedeo, cum iam ſatis dixerim in tractatu de obligationibus quorumdam ſtatuum perſonarum, ubi de iudice.

Iudex Regularis in ferenda ſententia non tenetur ad apices & ſolemnitates iuris, quia eius iudicium eſt privilegiatum; quæ omnia cum facile videri poſſint in Auctoribus, & præcipue in Rotario, nec ſint tantæ neceſſitatis, brevitatis gratia, ut tandem ad finem veniam, prætermittere cenſui; cum ſcopus fuerit & mens hic delineare tantummodo univerſim quæ ad ſtatum Regularium pertinent; hinc brevitatem proſecutus ſum, remittendo Lectorem, qui fuſius rem ſcire cupiat, aut indigeat, ad Doctores, qui ex profeſſo materiam hanc pertractant, qui plures ſunt, ut Bordonus, Paſſerinus, Donatus, Pellizzarius, Lezzana, Peyrinus, Portellus, Suatez, Rodriguez, & alii.

FINIS TOMI SEXTI.

Digitized by Google

# APPENDIX

## DE

## REGULIS IURIS CANONICI

### IN QUINTO ET SEXTO DECRETALIUM

CUM BREVI EARUMDEM EXPLICATIONE JUXTA SENSUM CELEBRIORUM CANONISTARUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

# TRACTATUS
## DE REGULIS IURIS CANONICI
### IN V. ET IN VI. DECRETALIUM.

QUamvis Regulæ vocabulum varias habeat ſignificationes, & ſtando etymologiæ a regendo ſeu regulando derivetur, eo quod *recte ducat*, vel *normam recte vivendi præbeat*, vel *diſtortum pravumque cor regat*, Can. *regul.*1. diſt. 3., tamen ad propoſitum & in quantum ut *Regula iuris* conſideratur, denotat ſententiam generalem, quæ plura iura ſeu canones hinc inde diſperſos, de diverſis rebus & caſibus eamdem rationem habentibus agentes, brevi ac claro compendio complectitur, & proponit; in quo ſenſu Regula definitur a Canoniſtis, & præcipue a Reiffenſtuel *Regula eſt, quæ rem, quæ eſt, breviter enarrat*; ubi per *rem* non denotatur res ſeu factum vel cauſſa in controverſiam deducta, ſed ipſum ius de variis rebus eamdem rationem habentibus hinc inde fuſius diſperſum, quod per Regulam breviter, compendioſe, & clare proponitur, non ut ex Regulis iuris ſumatur, ſed ex iure quod eſt Regula fiat ff. *ibidem*; ſicque non ius ex Regulis, ſed Regulæ ex iure ſumantur. Et hoc declaratur pro faciliori intelligentia utriuſque iuris exemplis. Sic enim dum infames unus Canon excludit a Prælaturis & Beneficiis Eccleſiaſticis, alius a Magiſtratu, & alius a Tabellionis & Advocati munere arcet, omnia iura & Canones diverſis in locis poſitos unica Regula, quæ eſt 87. iuris in 6. paucis verbis complectitur. *Infamibus portæ non pateant dignitatum*. Et ſic in aliis Regulis contingit.

Regulæ iuris in tali ſenſu acceptæ, aliæ ſunt iuris Canonici, aliæ iuris Civilis, quæ iuri civili ſunt inſertæ, ut illæ præſertim, quas Iuſtinianus Imperator ad finem Digeſtorum inſeruit ſub titulo *de Regulis iuris* numero 210. Regulæ iuris Canonici ſunt, quæ iuri Canonico ſunt annexæ; & ſicut Imperator ad finem Digeſtorum poſuit Titulum *de Regulis iuris*, ſic ad exemplum eiuſdem Gregorius IX. poſt quinque libros Decretalium Titulum apponi voluit *de Regulis iuris*, quæ 11. ibidem numerantur; & Bonifacius VIII. huiuſcemodi Regularum Titulum poſuit poſt omnes ſex libros Decretalium, quæ numero ſunt 88.

Regulæ utriuſque iuris, civilis nempe & canonici, ſummam habent ad invicem connexionem, convenientiam & habitudinem, ſeſe mutuo adiuvant, & explicant, ſuntque quandoque Regulæ iuris Canonici ex ipſis Regulis iuris Civilis deſumptæ, ut proinde tam Legiſtæ quam Canoniſtæ utriuſque, Civilis nempe, & Canonici iuris Regulis promiſcue merito utantur, eaſque pro ſuis cauſis citent, ac plerumque applicent.

Regulæ iuris inſuper aliæ ſunt Authenticæ, ideo dictæ quia auctoritate Papali vel Imperiali in iure Canonico & Civili, præſertim ſub hac Regula ſeu Titulo *De Regulis iuris* inſertæ inveniuntur; aliæ non Authenticæ ſeu Doctrinales dumtaxat, communiter dictæ Brochardicæ, quæ a Iuriſconſultis vel aliis Doctoribus privata auctoritate ex variis textibus vel etiam Philoſophorum dictis depromptæ inveniuntur; citantur ac applicantur quidem, ſed vim iuris, ſicuti Authenticæ non habent, etſi pondus ſuum, & auctoritatem ſat magnam in probando habeant.

Regulæ iuris Authenticæ debite applicatæ caſibus non exceptis vim habent iuris; quia licet ius novum non faciant, tamen plura iura prius iam conſtituta ſupponunt, eaque compendioſe comprehendunt, & hoc ipſo vim iuris habent utpote ex iure deſumptæ, & iure ſpeciali Titulo inſertæ. Dicitur *in caſibus non exceptis*; quia etſi Authenticæ Regulæ iuris bene applicatæ habeant vim iuris, univerſaliter tamen, & ſemper, ut videbitur, infallibiles non ſunt cum in ipſo iure nonnunquam reperiantur exceptiones contra Regulas; & quia materiæ illæ, circa quas Regulæ iuris verſantur, maximam habent latitudinem, inde ob diverſitatem rationis, vel iuris diſpoſitionem non raro patiuntur exceptiones & fallentias, ut docent cum Gloſſa fin. in *Rubr. de Regul. iur.* communiter DD., ac exinde communiter receptum eſt illud Brochardicum: *Nulla Regula ſine exceptione*.

Digitized by Google

*ceptione*. Verum licet Regulæ iuris ſuas patiantur exceptiones, & fallentias; tamen eſt maximæ utilitatis earum uſus in caſuum deciſione; quia iuxta eas deciduntur caſus emergentes, qui a iure ſpeciatim & expreſſe nun ſunt deciſi, cum tales uſus decidendi ſint per ſimilia l. *non poſſunt* §. *de legibus*.

Circa vero uſum debitum Regularum duo præcipue ſunt obſervanda. 1. Utrum in tali caſu eadem habeatur ratio; quia cum Regula ſit ſententia generalis, & compendioſa plurium iurium coniunctio ac diſpoſitio de variis rebus eamdem rationem habentibus, neceſſario ſequitur quod ratio caſus decidendi debeat eadem eſſe cum ratinne generali ipſius Regulæ; quia ubi non eſt eadem ratio, ibi cenſeri, & eſſe non poteſt eadem iuris diſpoſitio L. *Illud* 3. ff. *ad Leg. Aquil.* 2. Attendendum eſt, num circa talem caſum ſpecialis in iure habeatur exceptio; hæc enim ubi adeſt, procul dubio Regula non procedit, cum exceptiones aliud non ſint quam limitationes Regularum circa caſus particulares. Cæterum, licet exceptiones aliquo modo adverſentur Regulæ generali, eidem tamen etiam ſuo, præſertim duplici, modo opitulantur. Et quidem 1. quia iuxta tritum axioma: *Exceptio declarat Regulam*; cum ex exceptionis qualitate & caſus excepti facile colligi poſſit de quonam genere vel materia Regula loquarur. 2. Quia exceptio firmat Regulam in contrarium in caſibus non exceptis. L. *Ex eo* 18. ff. *de Teſtibus*: Quia qui aliquam ſpeciem ſub aliquo genere contenta excipit, de reliquis ſub eodem genere contentis etiam cogitaſſe, & eas non exceptas, ſed ſub genere comprehenſas voluiſſe cenſendus eſt L. *Cum Prætor* 10. pri. ff. *de iudice*, & quia verba generalia generaliter de omnibus ſub Regula contentis, & ſpecialiter non exceptis intelligenda veniunt cap. *Quia circa* 22. *de privilegiis*, niſi caſus aliqui exceptis ſimiles forent, aut correctio iuris vel abſurdum ſequeretur, aut ex ſufficienti ratione appareret, veriſimile non eſſe, voluiſſe Legiſlatorem talem caſum ſub univerſali Regula eſſe comprehenſum.

## CAPUT I.

### *De Regulis iuris in Quinto Decretalium*

Regula 1. *Omnis res per quaſcumque cauſſas naſcitur, per eaſdem & diſſolvitur*. Huius Regulæ ſenſus eſt: *Omnis obligatio ſeu contractus civilis temporalis per quaſcumque cauſſas, ſive media & modos contrahitur aut inducitur, per eaſdem etiam diſſolvitur*.

Procedit igitur hæc Regula in iis, quæ natura ſua ſunt diſſolubilia per contrahentes, ut ſponſalia, alique contractus. Item in votis, quorum firmitas pender ab alieno arbitrio, ut uxorum, filiorum; in teſtamentis, quæ non firmantur niſi morte Teſtatoris, &c. ideoque hæc Regula eſt accipienda in ſenſu accommodo.

Fallit enim in Baptiſmo, in Ordine, quia imprimunt Characterem, in Matrimonio conſummato, quod ſolo conſenſu contrahitur, ſed ſolo diſſenſu non diſſolvitur, quia ex inſtitutione divina eſt indiſſolubile.

Regula 2. *Eſtote miſericordes &c. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi exiſtimo, niſi, ut ea facta, quæ dubium eſt quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod conſcriptum eſt: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos; de manifeſtis dictum eſt, quæ non poſſunt bono animo fieri, ut furtum, blaſphemia, & ſimilia, de quibus nobis permittitur iudicare*. Vel ut in Rubrica: *Dubia in meliorem partem ſunt interpretanda*.

Per verbum *facta*, quod eſt in Regula, intelliguntur actus omnes, geſta, operationes, actiones, immo & verba; cap. *Quia circa* 22. *de Privileg.* quæ ſi ita ſe habent, ut nec certum, nec vere probabile, nec probabilius appareat ex quo fine vel qua intentione bona vel mala prodierint, bona potius quam mala intentione prodiiſſe vi huius Regulæ cenſenda ſunt; quia iuxta D. Thomam, *ille qui malam opinionem habet de proximo abſque ſufficienti ratione, facit ei iniuriam, eumque temere iudicat & contemnit*. Et hic eſt ſenſus Regulæ.

Fallit 1. hæc Regula in actionibus manifeſte malis. In caſibus vero, in quibus agitur de malo avertendo, de bono acquirendo aut tuendo, poſſumus tantum timere malum, de illo cogitare, & convenientem cautelam adhibere, quod abundanter a iure approbatur L. *Teſtament.* 17. c. *de teſtib.*

Fallit 2. in Iudiciis, in quibus Iudex controverſa & dubia non privato ſuo arbitrio, & bonitate ſua in meliorem partem interpretari poteſt, ſed iuxta allegata & probata, & ut res in ſe eſt, iudicare debet Can. *iudicat.* 4. cauſ. 3. q. 7. Salvo tamen

ca-

caſu, quod reus ſit abſolvendus manente etiam dubio cap. *Ex literis* 3. *de probat.* ubi ſic: *Promptiora ſunt iura ad abſolvendum, quam ad condemnandum.*

Regula 3. *Utilius ſcandalum naſci permittitur, quam veritas relinquatur.*

Quid ſit ſcandalum, iam ſuo loco expoſitum fuit. Veritas vero triplex eſt, vitæ, iuſtitiæ, & diſciplinæ. Veritas vitæ eſt ipſa legibus, & præceptis conformis honeſtas & integritas vitæ. Veritas iuſtitiæ ad iuſtitiam pertinens eſt univerſalis recta adminiſtratio iuſtitiæ, quatenus iura & leges exigunt. Veritas diſciplinæ Prælatis propria eſt debita cura diſciplinæ, ut a ſubditis cuiuſvis inſtitutum ſervetur. Addunt aliqui veritatem doctrinæ, quæ in conformitate mentis cum verbis externis conſiſtit, & opponitur mendacio.

Regula hæc intelligenda eſt principaliter de veritate vitæ, notat Reiffenſtuel, ideſt ad vitandum ſcandalum paſſivum nihil culpabiliter faciendum vel omittendum eſt, quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona.

Fallit 1. hæc Regula quoad opera bona ſupererogationis, quæ aliquando ad vitandum ſcandalum puſillorum omittenda ſunt, dummodo propria vel alterius utilitas ſive neceſſitas ad ea non cogat; quia tenemur ex lege charitatis evitare grave proximi detrimentum, quando ſine noſtro incommodo hoc præſtare poſſumus.

Fallit 2. hæc Regula circa veritatem iuſtitiæ & diſciplinæ, eas quandoque ad vitandum ſcandalum temperando, omittendo, vel differendo; ſalvo tamen quod fieri poſſit ſine culpa; quod dicendum etiam eſt quoad veritatem doctrinæ, ſi ſine noſtro incommodo illud fieri queat.

Regula 4. *Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum. Nam & cuſtodiri Sabbatum præceptum eſt: Machabæi tamen ſine culpa ſua in Sabatho pugnarunt; ſic & hodie ſi quis ieiunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.* Hæc Regula intelligenda eſt de lege poſitiva & humana, non de naturali & divina, vel de iis quæ intrinſece mala ſunt; unde in nullo caſu licitum eſt mentiri, fornicari etiam ad vitam ſervandam.

Fallit 1. hæc Regula, quando actio aut omiſſio contra legem cederet in detrimentum totius Communitatis; quia bonum commune prævalet privato.

Fallit 2. quando tranſgreſſio legis humanæ ceſſura videtur in contemptum ipſius legis, vel poteſtatis legiſlativæ, vel in commune detrimentum Fidei & Religionis, quia tunc ſubintrat ius naturale dictans, tale commune bonum præferendum eſſe privato.

Regula 5. *Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum eſt, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere.* Regula intelligenda eſt in hoc ſenſu, ideſt quod *vel ipſo iure ſit nullum, vel ſi de iure ſubſiſtat, tamen per ſententiam iudicis ad inſtantiam partis annullari poſſit & debeat.*

Fallit 1. hæc Regula in actibus vel contractibus, qui ſemel validi, vel ex natura ſua, vel ex iuris diſpoſitione non amplius annullari valent, etiamſi contra iuris prohibitionem illicite fuerint facti: Nam *multa fieri prohibentur, quæ ſi fuerint facta, obtinent roboris firmitatem* cap. *Ad Apoſtolicam* 16. *de Regularib.* ut patet in Matrimonio contracto ſine denunciationibus, in Baptiſmo, & Ordine, quæ etiam ex metu gravi iniuſte incuſſo ſuſcepta perpetuo tenent.

Fallit 2. ſi metus etiam gravis non ſit ab extrinſeco, ideſt ab homine, ſed ab intrinſeco, ideſt ab ipſo metuente, ab ipſius propria infirmitate, vel paſſione, puta ob metum imminentis mortis, naufragii &c.

Fallit 3. ſi metus gravis ab intrinſeco iuſte incuſſus fuerit.

Fallit 4. ſi metus gravis non incuſſus fuerit ad extorquendum conſenſum, ſed ad alium finem iuſte obtinendum.

Fallit 5. in dolo bono & iuſto, quatenus prudens ſolertia, pia aſtutia, ac machinatio eſt ad ſe vel alium defendendum, ad propria vel aliena iura tuenda vel recuperanda.

Regula 6. *In ipſo cauſſæ initio non eſt a quæſtione incoandum.* Huius Regulæ verus ſenſus eſt ſecundum communem: *In cauſſa ſeu proceſſu criminali non incoandum eſſe a Tortura*; ſed prius habenda ſunt indicia, ſufficientes præſumptiones, aut ſemiplena, vel plus quam ſemiplena probatio.

Regula 7. *Quidquid in ſacratis Deo rebus & Epiſcopis iniuſte agitur, ſacrilegium reputatur; quia ſacra ſunt, & a quoquam violari non debent.* Senſus huius Regulæ eſt, *quemquam ſacrilegium committere, ac ſacrilegum eſſe, qui rem, vel perſonam, vel locum Deo, eiuſque cultui directe vel indirecte, mediate vel immediate ſacratum violat, ac irreverenter tractat.* Deo autem ſacrata tria recenſentur. Perſonæ ſunt Clerici & Religioſi per S. Sedem approbati. Res ſunt Sacramenta, Vaſa ſacra, Ciboria, Altaria,

Ima-

Digitized by Google

Imagines Chriſti, & Sanctorum, ac eorum Reliquiæ, Scriptura ſacra, ornamenta & paramenta altarium, veſtes ſacræ ſacrorum Miniſtrorum. Et ad hæc reducuntur bona mobilia & immobilia, iura Eccleſiarum ad ſacros Miniſtros ſuſtentandos, ad fabricam Eccleſiæ ſervandam, reparandamque, ad comparanda pro divino Sacrificio rite peragendo requiſita. Loca ſacra ſunt Eccleſiæ, Capellæ, Oratoria pro divinis Officiis celebrandis, Sacramentis miniſtrandis, Cæmeteria ad ſepulturam Fidelium per conſecrationem vel benedictionem præviam deputata.

Fallit hæc Regula 1. circa perſonas in caſibus, ubi in pœnam ſceleris perſonæ ſacræ privatæ exiſtunt privilegio Clericali cap. *cum non ab homine* 10. *de iudic.*

Fallit 2. quoad res ſacras, quando perdunt per aliquem defectum conſecrationem.

Fallit 3 quoad bona & iura temporalia in communi neceſſitate habente præſcriptas conditiones.

Fallit 4. quoad loca, ſi Templa, Eccleſiæ, &c. Deo ſacratæ, vel benedictæ deſtruantur.

Regula 8. *Qui ex timore facit præceptum, aliter quam debeat facit, & ideo non facit.* Senſus Regulæ eſt de timore ſervili, quem vult expelli, & filialem introduci, & quem Deus a nobis exigit, qui ex motivo tantum ſervili non facit voluntatem, ſed iram declinat ultoris. Ratio Regulæ colligitur ex defectu debitæ intentionis.

Regula 9. *Defleat peccator, quia offendens in uno factus eſt omnium reus.* Senſus Regulæ eſt: *defleat mortaliter peccans, quia propter unum peccatum mortale, amicitiam divinam, charitatem, gratiam ſanctificantem, opera bona prius facta, & æternam beatitudinem amittit, pœnamque æternam perinde incurrit, ac ſi omnia reapſe commiſiſſet peccata.*

Regula 10. *Non poteſt eſſe iuſta Paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit, & Paſtor neſcit.* Verus ſenſus Regulæ eſt: *Graviſſima & tanta debet eſſe Paſtoribus Animarum obligatio vigilandi ſubditis ſibi concreditis, errores eorum corrigendi, illoſque debite regendi, a recta via aberrantes reducendi, ut etiam in caſu quo ipſis inſciis aliqua ex concreditis animabus male vivendo pereat, coram Deo inexcuſabiles fiunt.*

Fallit 1. Regula in caſu, quo Paſtor invincibiliter ignoret ſubditum in occulto male vivere & perire.

Fallit 2. in caſu, quo Superior monendo, corrigendo, puniendo, quæ potuit & debuit, fecit, & tamen ſubditus in mala vita perſeveravit, & periit; quia in tali caſu merito contra ſubditum incorrigibilem ſua excuſatione utitur; dummodo talem, ſi ſcandaloſus eſt Communitati, tamquam ovem ſcabioſam, ne alios inficiat, competentibus mediis a Communitate amoveat, ſicuti ex officio tenetur.

Regula 11. *Indignum eſt, & a conſuetudine Eccleſiæ Romanæ alienum, ut pro ſpiritualibus facere quis homagium teneatur.* Regula intelligenda eſt de homagio proprie & ſtricte tali; quia hoc ſimoniacum eſt. Nec Regulam offendunt Clerici Feudatarii, qui Domino directo homagium præſtant; quia illud præſtant pro re temporali, quæ eſt Feudum.

## CAPUT II.

*De Regulis Iuris in Sexto Decretalium.*

Regula 1. *Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licite ſine inſtitutione canonica obtineri.* Regulæ ſenſus eſt, quod ius percipiendi fructus ex bonis eccleſiaſticis a nullo iuſte & legitime acquiratur, acceptetur, vel retineatur, niſi canonico more, ſeu iuxta Canonum præſcriptum & ſolemnitates debitas fuerit collatum. Regula tamen intelligenda eſt, quando Beneficium habetur in titulum, idest Beneficium ſit proprie tale; ſecus ſi Præbenda aliqua aſſignetur parvulo, vel pulſantibus organa & campanas, qui ex hoc non dicuntur Canonici aut Beneficiati. Nec contra hoſce admittitur præſcriptio; & in cap. *Cura de iure patron.* ubi præſcriptio admittitur, caput loquitur de illis, qui bona fide a Laico Eccleſiam accipiunt, præſumentes Epiſcopi tamquam boni Paſtoris notitiam.

Regula 2. *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit.* Procedit de iure Canonico, ſecus vero de iure civili; eo namque iure præſcribitur res longiſſimo tempore & cum mala fide L. *Cum notiſſimi C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annorum.* Cum enim ius civile non habeat reſpectum ad ſalutem animarum, ſed ſolum ad bonum commune; ideo cum mala fide procedit præſcriptio: Sed cum ius Canonicum reſpectum habeat non ſolum ad bonum commune, ſed etiam, immo principalius ad ſalutem animarum, & cum poſſidentes mala fide ſemper ſint in peccato mortali; hinc noluit, ut poſſeſſor

malæ

malæ fidei ullo tempore præſcribat: & quia ſumus in materia peccati, hoc ius Canonicum locum habet non ſolum in foro Eccleſiaſtico, ſed etiam ſæculari.

Regula 3. *Sine poſſeſſione præſcriptio non currit*. Regula intelligenda eſt de poſſeſſione tam naturali, quæ eſt corporalis reipſa detentio, quam civili, quæ iuris auctoritate nititur, & hæc haberi poteſt etiam in abſente, ac etiam de quaſi poſſeſſione debito tempore continuata, taliter quod ad inchoandam præſcriptionem rerum temporalium requiritur poſſeſſio naturalis & civilis ſimul; ad continuandam vero eamdem iuſte cœptam ſufficit ſola civilis, non item ſola naturalis; ad præſcribendum vero incorporalia ſufficit & requiritur quaſi poſſeſſio, quæ a iuribus inducta eſt ad ſimilitudinem veræ poſſeſſionis pro iuribus incorporalibus, & eoſdem vel ſimiles effectus operatur ac vera poſſeſſio L. *licet* 4. c. *de acquirend. poſſeſs.* ubi ſic: *Licet poſſeſſio* (& conſequenter præſcriptio) *nudo animo acquiri non poſſit, tamen ſolo animo retineri valet*.

Regula 4. *Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum*. Senſus Regulæ eſt: *Peccatum iniuſte auferendo, detinendo vel damnificando contra iuſtitiam commiſſum, coram Tribunali divino nec quoad culpam, nec quoad pœnam æternam eidem annexam dimittitur, niſi, ubi poſſibile eſt, reſtituatur ablatum, vel reſarciatur damnum iniuſte illatum*; aut ubi impoſſibilitas phyſica vel moralis adeſt, ſincera id præſtandi voluntas adſit, vel alia iuſta cauſſa excuſet. Ad hoc tamen ut culpa & pœna dimittatur, neceſſe eſt ut iniuſte auferens, per ſe, aut per alium vivus reſtituat, vel eius hæredes de ſuo ex eius mandato.

Tot fallentias habet Regula, quot ſunt cauſſæ excuſantes a reſtitutione ſeu compenſatione, ideſt impoſſibilitas phyſica vel moralis, quia nemo ad impoſſibile tenetur.

Si is cui facienda eſt reſtitutio vel compenſatio, debitum voluntarie & ultro dimittat. Si dilatio reſtitutionis in magnum bonum creditoris cedat, puta ſi re, vel pecunia reſtituenda abuſurus ſit in ſuam perniciem. Si cedat bonis ſuis, donec ad pinguiorem fortunam perveniat. L. *Cum & filiiſfamilias* 7. Si in damno dato nulla intercesſerit culpa theologica.

Regula 5 *Peccati venia non datur niſi correcto*. Hæc Regula loquitur de peccati cuiuſcumque venia, quæ non datur niſi correcto, hoc eſt niſi habenti dolorem & propoſitum emendandi. Porro hoc caput intelligitur de venia culpæ, non de venia pœnæ, ut Gloſſa in hoc caput.

Regula 6 *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari* cap. *Nemo poteſt de regulis iuris in* 6. L. *impoſſibilium nulla eſt obligatio*. Regula intelligitur de utroque impoſſibili, ita ut vi illius, ad id quod de facto vel de iure impoſſibile eſt, nemo poteſt obligari per legem aut Conſtitutionem Can. *Erit autem* 2. diſt. 4. *Erit autem lex honeſta, iuſta, poſſibilis*; nec per ſententiam, nec per præceptum, vel per contractum, neque per teſtamentum, nec propria voluntate induci poteſt obligatio ad impoſſibilia.

Regula 7. *Privilegium perſonale perſonam ſequitur & extinguitur cum perſona*. Hic ſermo eſt de ſolo privilegio perſonali, quod ita dicitur, quia perſonæ conceditur, non de reali, quod directe & immediate indulgetur ipſi rei, alicui loco, dignitati, officio, cauſſæ &c. nec de locali, quod ſpecialiter ob rationem aliquam alicui particulari loco tribuitur, ac proinde tempore quo durat, eidem adſtringitur. L. *Imperatorem* 7. ff. *de Public.* Senſus huius Regulæ eſt, Privilegium mere perſonale ſemper, & ubique ſequitur perſonam, cui eſt conceſſum, eique adhæret, ita ut illo ſemper frui queat in quocumque tandem loco exiſtat, niſi ab ipſo concedente ſit reſtrictum. Privilegium autem hoc, per mortem extincta perſona cui eſt conceſſum, pariter extinguitur, ita ut prorſus ad nullum hæredem vel quemquam alium tranſeat; quia ceſsante cauſsa (ait in hoc propoſito Caniſius) ceſsat effectus. Quare Privilegium reſtitutionis in integrum, & S. C. Velleiani, quod tranſit etiam in hæredes, non eſt purum perſonale, ſed conceditur propter læſionem. Nullas revera exceptiones patitur hæc Regula.

Regula 8. *Semel malus, ſemper præſumitur eſſe malus*. Pro intelligentia huius Regulæ advertendum, præſumptionem aliam eſse *iuris tantum*, aliam *iuris & de iure ſimul*, aliam *hominis*. Prima eſt, quæ in iure quidem expreſse invenitur, ſed pro certa veritate non habetur, unde admittit probationem in contrarium. Ita Gloſsa communiter recepta in cap. *Is qui fidem* 30. *de Sponſ.* Præſumptio *iuris & de iure* illa eſt, quæ non ſolum in iure expreſsa eſt, ſed ab eodem tam firmiter tenetur, ut pro ipſa veritate habeatur, indeque probatio in contrarium facile non admittatur. Gloſſ. loc. cit. cap. ubi Pontifex ait: *Contra hanc præſumptionem non eſt probatio admittenda*.

Præſumptio *hominis* eſt, quæ in iure expreſſa non habetur, ſed iuxta rerum & perſonarum circumſtantias & apparentia indicia prudenter iudicat; & alia eſt violenta, ſeu quæ moralem certitudinem inducit, & alia non violenta, quæ talem certitudinem non inducit. In præſenti Regula ſermo eſt de ſola præſumptione iuris vel hominis admittente probationem innocentiæ. Item hæc Regula non eſt intelligenda, niſi in eodem genere delicti. Fur ſemper præſumitur fur. Repertus periurus ſemper periurus præſumitur, niſi tamen de emendatione ſufficienter conſtet.

Senſus verus Regulæ eſt: *Semel in aliquo genere delicti inventus malus, in eodem genere ſemper præſumitur malus præſumptione iuris tantum vel hominis, niſi de vera emendatione ſufficienter conſtet*. Regula fallere poteſt 1. in altero genere delicti; 2. etiam in eodem genere delicti, ſi conſtet reum eſſe emendatum.

Regula 9. *Ratum quis habere non poteſt quod ipſius nomine non eſt geſtum*. Ratum habere eſt approbare ſeu comprobare, confirmare, & ut ſuum agnoſcere id quod per alium non procuratorem noſtrum, noſtro nomine factum eſt ſine noſtra commiſſione & mandato aut requiſitione, ac ſi a nobis ipſis geſtum fuiſſet, aut mandatum dediſſemus. Genuinus ſenſus Regulæ eſt: *Neminem poſſe factum alienum ratum habere cum effectu iuris*; ita ut huius fictione tranſlativa cenſeatur ſuum factum, indeque effectum iuris inducat, & obligationem ratihabenti imponat, ſi quis tale factum, non ratihabentis, ſed ſuo proprio vel alterius nomine peregit. Nomine porro noſtro factum intelligitur, ſi quis noſtrum eſſe ſcivit, vel noſtra intereſſe, ſi amicitia interceſſit, ex qua prudenter intelligatur, non tam ſui, quam noſtram habuiſſe rationem; ſi proteſtetur ſe nomine noſtro agere, v. g. ſi mater proteſtetur ſe alere filium, ut ipſum aut eius Tutores ſuo tempore convenire poſſit.

Suas habet hæc Regula exceptiones: 1. ſi intuitu mei celebratus ſit contractus: 2. Quoad iacturam rei meæ vel alterius; tunc enim ratum habere poſſum etiam quod nomine meo geſtum non eſt: 3. Si æquitas aliud ſuggerat, v. g. ſi res mea ab alio vendita ſine mandato meo, apud emptorem perierit, aut ab eo præſcripta ſit; poſſum enim ratam habere hanc venditionem, ut ita a venditore pretium illius conſequar: 4. Si quis furem recipiat, videtur furtum ratificare, licet non eius nomine factum; hinc tales ex hoc puniuntur.

Pro maiori vero claritate obſervandum ex Barboſ. *Collectan. Doct.* in lib. 5. *Sexti Decretal.* Regul. 9. triplicem eſſe fictionem, ſcilicet inductivam, privativam, & tranſlativam. Inductiva, quæ etiam dicitur ab aliis affirmativa, eſt quando lex fingit eſſe quod non eſt, v. g. quod Iulius mortuus in bello vivat per gloriam. L. *Bello omiſſ.* ff. *de excuſ. Tutor.* Privativa eſt, quando lex per contrarium fingit non eſſe vel non exiſtere quod revera exiſtit, v. g. quod Religioſus deportatus, aut ſervus habeatur pro mortuo iuxta C. *Placuit* XVI. q. 1. Tranſlativa eſt, quando lex actum certo tempore aut modo factum, alio factum fingit; ex quibus rationem Regulæ reddit Barboſa; quia ſi quis ratum haberet quod ſuo nomine non eſt geſtum, cum nulla harum fictionum intercedat, non eſt habilitas extremorum, cum huiuſcemodi actus alienus nullam habeat effigiem actus mei.

Regula 10. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari*. Hæc Regula deſumitur ex cap. penult. *de ſentent. excommun. in 6.* Verus ſenſus huius Regulæ eſt: *Quandocumque aliquid ab alio nomine noſtro geſtum, poſtea ratificamus, & approbamus, idem eſt, & eoſdem habet iuris effectus, ac ſi a nobis ei prius expreſſe fuiſſet mandatum, ſeu verum ad id dediſſemus mandatum*. Reiffenſt. Unde ſi quis ſine meo mandato, ſed nomine meo Clericum percuſſit, & ego poſtea ratum habeo, æque excommunicatus ſum, ac ſi prius ad id dediſſem mandatum. Non tamen hoc contingeret in approbatione eiuſmodi percuſſionis, ſi facta fuiſſet non nomine meo, ſed alterius.

Fallit hæc Regula 1. in illis caſibus, in quibus deeſt unum ex neceſſariis requiſitis. 2. Quando expreſſum mandatum requiritur ad formam & ſubſtantiam actus vel in vim auctoritatis, cum iſta per ratihabitionem non ſuppleantur c. *Cum delicta* 22. *de Reſcript.* 3. Quoad irregularitatem incurrendam ob homicidium per alium nomine meo factum, & a me ratificatum, ut ex Gloſſa in Can. *Si quis viduam* 8. diſt. 50.

Regula 11. *Cum ſunt partium iura obſcura, reo favendum eſt potius quam actori*; concordat hæc Regulæ iuris civilis 168. Senſus huius Regulæ eſt, quod *quando in iudicio accidit, ut neque huius, neque illius partis allegata & rationes præponderent, ſed æqualis utrinque ſit probatio, adeoque obſcurum, cuius cauſa prævaleat, abſolvendus*

*ſit*

Digitized by Google

*ſit potius reus quam damnandus*; quia ſatius eſt impunitum relinqui facinus nocentis quam innocentem damnare, & præſumendum eſt pro poſſeſſione, in qua reus perſiſtit; tamdiu enim quis habendus eſt bonus, & innocens, donec contrarium probetur.

Fallit hæc Regula 1. caſu quo actor fovet cauſſam favorabilem, puta pro Matrimonio, libertate, dote, aut teſtamento; in huiuſmodi enim caſibus potius Actori quam reo eſt favendum Barboſ. ex cap. *litteris de probat.*

Fallit 2. in omni cauſſa pia, ſi eam tneatur actor: Barbos. loco cit. quia cauſſæ piæ etiam inter favorabiles veniunt.

Fallit 3. ſi actor eſt in poſſeſſione; in hoc enim caſu ipſe tenendus eſt, donec de iure partis adverſæ conſtet cap. *Ex litteris* 3. verſu *Quod ſi de probat.*

Regula 12. *In iudicio non eſt ratio perſonarum habenda.* Hæc Regula conformis eſt præcepto divino Deuter. 1. Senſus Regulæ eſt, *Iudici in adminiſtranda iuſtitia, perſonarum, quibus ius dicit, rationem non habendam, ſed depoſito omni affectu odii, favoris, præmii, timoris, cauſſam ex æquo cognoſcere debere* cap. 1. *de ſent. & re iudicat.* in 6. Et apud Theologos acceptio perſonarum in graviſſimis ſceleribus contra iuſtitiam recenſetur. Sylv. ex D. Thom. 2. 2. q. 63. Porro iudiciorum nomine hic veniunt omnia illa, in quibus ſpectari debent merita, & aptitudo perſonarum, v. g. in collatione Beneficiorum, gradibus literariis, &c. Secus vero in gratuitis donationibus, adeoque etiam in arbitrariis L. *Sticus* 12. ff. *de legatis*.

Fallit 1. Regula, ac limitatur in aſſignando locum honorabiliorem cap. *Solitæ de Maioritb.*

Fallit 2. in quibuſdam aliis caſibus in iure exceptis, nimirum In Minoribus 25. annis; circa hos enim aliter iudicari debet in contractibus, quam in Maioribus; hi enim ſine auctoritate Tutoris, vel Curatoris inniti, hos non obligant. *Inſtit. de auctorit. Tutor. in princip.*

Regula 13. *Ignorantia facti, non iuris excuſat.* Ignorantia facti (quæ in hoc proprie differt ab errore, quod hic conſiſtat in iudicio falſo poſitivo; ignorantia vero in privatione ſcientiæ) tunc dicitur, cum quis ignorat id quod factum eſt, licet ius non ignoret; ignorantia vero iuris eſt, cum ius ſeu lex ignoratur. Et utraque ignorantia dividitur in vincibilem & culpabilem, & in invincibilem & inculpabilem, quæ etiam dicitur antecedens, cum nimirum antecedenter nullum occurrit dubium aut ſuſpicio; ſed de hoc iam fuſius actum eſt ſuo loco, ubi de Actibus humanis. Ignorantia facti excuſat, quia facta ſunt infinita, unde prudentiſſimum etiam fallere poſſunt; minime vero ignorantia iuris, quia ius limitatum eſt, quod quivis, ſi ſaltem publice propoſitum ſit, ſcire ſupponitur. Senſus Regulæ eſt: *Probabilem ſeu invincibilem ignorantiam facti alieni, non proprii, in foro externo excuſare*, tam quoad vitandum damnum, quam in commodis: L. 8. ff. *de iuris & facti ignorantia*. Nulla vero ignorantia iuris ſive divini & naturalis, ſive humani, ſive canonis, ſive ſtatuti municipalis, ſive receptæ conſuetudinis, in foro externo excuſat quoad acquirendum lucrum, bene vero quoad vitandum damnum in re ſua amittenda emergens can. *Turbatur* 12. cauſ. 1. q. 4.; quia leges ab omnibus intelligi, & ſciri debent l. *Leges* 3. cap. *de legib.*

Fallit 1. hæc Regula in militibus & Minoribus l. *Regula eſt* 9. ff. *de iur. & fact. ignoran.*

Fallit 2. iuxta aliquos in fœminis propter ſexus fragilitatem ex cit. l. *Regula*.

Fallit 3. quando iura non ſunt clara, ſed ambigua & obſcura, ac ideo multum controverſa inter DD. Huiuſmodi enim ignorantia tam quoad acquirendum, quam quoad vitandum damnum excuſat. Barb. hic n. 16.

Regula 14. *Cum quis in ius alterius ſuccedit, iuſtam ignorantiæ cauſſam habere cenſetur.* Hæc Regula concordat cum Regula Iuris civilis 43. *de Regulis iuris*. Senſus verus huius Regulæ hic eſt: *Qui in ius alterius ſive univerſale, ſive particulare ſuccedit, invincibiliter cenſetur ignorare geſta anteceſſoris; conſequenter nec in culpa, nec in mora eſt ſolvendi debita per anteceſſorem occulte contracta, vel reſtituendi iniuſte ab eo ablata, vel alias præſtandi occultam obligationem, donec a petente ſufficienter probetur per iura, & rationes iam allegatas.*

Regula 15. *Odia reſtringi, favores convenit ampliari.* Senſus huius Regulæ eſt: *Leges, Canones, ſtatuta, reſcripta, diſpoſitiones odioſæ, ideſt quæ vel a iure communi exorbitant, vel principaliter in odium vel pœnam tendunt, ſtricte interpretandæ, ac propterea non extendendæ, ſed reſtringendæ ſunt. Favorabiles vero, illæ videlicet quæ principaliter in favorem alicuius factæ ſunt, late explicari, & extendi poſſunt & debent.* Hoc enim ſuadet humanitas, quæ hominem maxime decet, ſicque magis ad Deum accedimus, cui pro-

prium eſt miſereri ſemper, & parcere. Unde iubet: Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt.

Fallit hæc Regula 1. in exorbitationibus a iure, conſequenter odioſis, tam legibus, quam reſcriptis & privilegiis, ita ut non ſtricte, ſed late explicari poſſunt, & debent, quando agitur de favore publicæ utilitatis L. *cætera* 41. §. *Sed ſi quis*.

Fallit 2. in Reſcriptis, & privilegiis conceſſis pro favore cultus divini, Fidei, Religionis, ſalutis animarum. Fagnan. in cap. *Olim* de V. S. n. 5. Aliqui extendunt etiam ad illa, quæ conceſſa ſunt in favorem Eccleſiæ, Monaſterii, Hoſpitalis, alteriuſque piæ cauſſæ, aut alias favorabilis.

Fallit 3. quando Privilegium aut Reſcriptum iuri communi contrarium, datum eſt motu proprio. Sic Suarez. Laym. Tale ſiquidem tanquam proprium Principis beneficium ex certa ſcientia conceſſum, amplam & latam interpretationem meretur cap. *Si motu proprio* 23. &c.

Fallit 4. circa leges, ubi eſt eadem ratio in lege expreſſa; ob hanc enim etiam lex pœnalis, vel alias odioſa ad caſum expreſſum extenditur. Sic Panormit. l. 1. *conſil.* 75. n. 6. quia ratio in lege expreſſa eſt anima legis, c. *Si conſuetudo* diſt. 1. Et ubi hæc eſt eadem, etiam eadem cenſetur eſſe legis diſpoſitio. L. *ideo* 27. ff. *de legibus cum Concord.*

Fallit 5. in caſibus, in quibus exorbitantia a iure communi extenſionem exigunt ad evitandum abſurdum, v. g. quia alias durius ageretur cum Eccleſia, & perſonis eccleſiaſticis, contra c. *de dolo*, *& contumac.*

Et quoad favores ampliandos excipit 1. Regula hæc in Beneficiis eccleſiaſticis, utpote quæ, propter ambitionem ſtricte interpretanda ſunt c. *Quamvis* 4. *de Præbend.* in 6. Excipit 2. in quibuſcunque etiam maxime favorabilibus diſpoſitionibus, quæ præiudicant iuri tertii iam quæſito, ut ex cap. *Super eo* 15. *de offic. delegati*; & alias, ubi Papa expreſſe declarat per nullas litteras, & gratias, etiam motu proprio, tolli ius tertii, iam quæſitum.

Regula 16. *Decet conceſſum a Principe beneficium eſſe manſurum*. Hæc Regula deſumpta eſt ex cap. *Si ſuper gratia* 9. *de offic. delegati* in 6. Illius ſenſus eſt, ut explicat Gloſſa verb. *Decet*, quod privilegia Principis ſint perpetua, neque abſque urgenti cauſſa tollenda ſint. Licet enim diſtinguant aliqui inter beneficium & privilegium, quod ſcilicet beneficium illud ſit, quod Princeps de ſuo ſecundum vel præter ius concedit, ut ſi Feudum concedat, vel propriam domum donet, Privilegium vero quod eſt contra ius commune v. g. ſi Princeps aliquem liberet a vectigalibus, hic tamen accipitur pro eodem; quia Princeps ex conſenſu ſuo (ait hic Caniſius) non magis obligatur quam privatus propter naturalem æquitatem, quæ dictat, ea, quæ ſemel placuerunt, ſervanda eſſe L. 1. *in princ.* ff. *de Pactis*. Nemo enim dubitat, Principem naturali æquitati ſubiectum eſſe. Privilegium, ut ſuo loco diximus, variis modiis vel cauſſis deperdi poteſt; propter abuſum nempe, vel delictum, vel non uſum, vel contrarium factum, vel novum damnum ſuperveniens, vel cauſſæ finalis privilegii ceſſationem.

Regula 17. *Inductum a iure Beneficium non eſt alicui auferendum*. Concordat L. 5. *Adulter.* cap. *Ad Legem Juliam de adulteriis*, *& ſtupro*. Certum eſt enim quod Clericus promotus ad Eccleſiam Parochialem habet annum a iure ad ſuſcipiendum Sacerdotium, nec tempus hoc ei a iure conceſſum ab Epiſcopo denegari poteſt. Nullus item auferre poteſt beneficium reſtitutionis in integrum Minoribus & Eccleſiis de iure communi competens. Senſus idcirco huius Regulæ eſt, beneficium illud, quod a iure conceſſum eſt, nemini auferendum. Excipe tamen reſpectu ſupremi Principis, ideſt ſupremi Legiſlatoris: Hic enim, ſicut alias leges & Conſtitutiones, ſic & indulta, beneficia, & privilegia etiam iuri communi inſerta, per aliam legem revocare, mutare, variare, aut penitus auferre poteſt ob gravem & iuſtam cauſſam, præſertim ob neceſſitatem publicam, & utilitatem cap. *Non debet* 8. *de conſanguin. & affinib.*

Regula 18 *Non firmatur tractu temporis quod de iure ab initio non ſubſiſtit*. Deſumpta eſt hæc Regula ex L. *Quod ab initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere*. Senſus Regulæ eſt: Quod *nullus actus, qui dum perficitur, ipſo iure invalidus & nullus eſt, ſolo tractu, & lapſu temporis ſine alio adminiculo convaleſcit, ut vim & effectus actus ab initio valide geſti habeat*. Procedit hæc Regula in praxi univerſaliter in teſtamentis, & ultimis voluntatibus, in contractibus, in Beneficiis & Reſcriptis, in Iudiciis. Unde Teſtamentum factum ab impubere, furioſo, &c., non convaleſcit, tametſi tractu temporis amens fiat rationis compos, aut impubes pubeſcat §. *Inſtitut. quib. permiſſum non eſt facere teſtam.* Sic dicito in aliis ab initio ex iure invalidis.

Exce-

Exceptio datur huic Regulæ in præſcriptione; hæc enim lapſu temporis a iure præſcripti firmat contractum emptionis, & venditionis, etiam quoad translationem dominii, non ſecus ac ſi ab initio rite omni ex parte celebratus eſſet.

Regula 19. *Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad ſe non pertinet, ſe immiſcet.* Nomine *rei* hic intelligitur in ſenſu tamen lato non ſolum res ad aliquem iure proprietatis pertinens; ſed etiam officia, negotia, munera, iudicia, ſententiæ, aliqua facta, & acta nomine *rei* comprehenduntur, ut communiter. Verus ſenſus Regulæ eſt: *Qui rei ſe immiſcet, ideſt qui rem alienam, in qua nihil iuris habet, invadit, aut negotio vel officio contra interdictum illius, ad quem ſpectat, vel quod ratione propriæ imperitiæ aut inhabilitatis vel intuitu præſentis ſtatus ſibi non congruit, ſe ingerit, culpam committit, ac propterea non tantum ad reſtitutionem, damnique inde ſecuti reſarcitionem tenetur, & conveniri valet, ſed etiam pœna publica prò culpæ, & circumſtantiarum qualitate affici poteſt.*

Exceptioni ſubiacet hæc Regula 1. in caſu neceſſitatis; 2. in caſu quo quis requiſitus alterius negotium vel officium peragit, dummodo conditioni ſtatus non incongruum ſit cap. *Cum non elect.* in 6. 3. univerſaliter quando quis ad rem alias habilis, & peritus, & irrequiſitus, non ob proprium, ſed ob alterius præſertim abſentis commodum & lucrum, negotium illius ſibi ratione ſtatus non inconveniens utiliter gerit, & agit: Gloſſa hic verſ. *Non eſt ſine.* Dicitur notanter *ad rem alias habilis & peritus*, alias inhabilis & imperitus ſe alieno negotio immiſcens, ſemper eſt in culpa & cum debito reſtitutionis, in caſu quod damnum ſequatur; 4. in caſu, quo quis alieno negotio, etiam contra prohibitionem illius, ad quem pertinet, ſe immiſcet, ut eum ab interitu alias ſecuturo ſervet. Gloſſ. c. *arg. lege Non tantum 6.* ff. *de Appell. & Relat.*

Regula 20. *Nullus pluribus uti defenſionibus probibetur.* Hæc Regula conformis eſt Regulæ civili 44. Quia defenſio eſt iuris naturalis L. *ut vim* ff. *de iure naturæ*; & ius naturæ favorabile eſt. Verus ſenſus Regulæ eſt; *Nullus reus in iudicio conventus probibetur pro eadem re, vel iure ſuo conſervando plures, etiam diverſas, & ſibi contrarias adhibere exceptiones, non quidem eas ſimul, & ſemel, ſed ſucceſſive proponendo, ac ſucceſſive dicendo; quod ſi una non ſit vera, vel inſufficiens exiſtat, ſaltem altera, vel tertia vera, & ſufficiens maneat.*

Excipit Regula, hoc Reo concedi 1. niſi alia lege prohibeatur. Convictus enim de mendacio non plus auditur l. *Quoties* 21. §. *fin.* ff. *de Dotali*. 2. Si conventus de pauperie quadrupedis, neget ſe habere quadrupedem: convictus ſiquidem alia exceptione uti nequit. l. 1. §. 15. ff. *Si quadrup. pauper.* 3. Si qui mutuum recepit, neget ſe illud recepiſſe. 4 Si debitor conventus neget propriam ſcripturam. 5. Si creditor conventus de pignore, ſe pignus habere neget. Nemo horum eſt amplius audiendus.

Regula 21. *Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.* Concordat hæc Regula L. *Sicut initio c. de Action. & obligat.* Quamvis hæc vere æqua ſit ac rationabilis & pro conſtantia & perſeverantia in bono plurimum ſerviat, ut bene advertit Barboſa, hic tamen ſine requiſitis ad eam, ac pluribus limitationibus intelligenda non venit. Primo enim ad eam ſervandam requiritur, ut quod placuit, non ſit reprobatum a iure, nec turpe, nec contra bonos mores, aut in detrimentum animarum c. *Pœnitentes* diſt. 55. & alibi: Quod id quod placuit, placuerit facto: Quod alterius interſit in ſemel placito permanere, & ex illius revocatione, vel mutatione præiudicium patiatur iuxta Regulam 33. in 6. *Mutare quis non poteſt conſilium in alterius detrimentum.* Unde

Proprius ſenſus Regulæ eſt: *Quod alicui ſcienter, libere, & iuſte ita placuit, ut inde ius quæſitum ſit tertio, cum huius præiudicio revocari vel mutari amplius non poteſt* L. 5. cap. *de obligat. & action.* Sicut enim commercio, & fidei humanæ nihil tam congruum eſt, quam verba, & promiſſa ſervare L. *in princ.* ff. *de Pactis*; ita nihil magis adverſum æquitati, & iuri naturali, quam dicta, & promiſſa, ac præcipue fidem non ſervare L. 1. ff. *de pecunia conſtituta*. Inſuper cum hæc Regula in contractibus præcipue, & promiſſis procedat ex utriuſque contrahentis conſenſu, & ex promittentis promiſſione, ac promiſſarii acceptatione oriatur obligatio naturalis, eidem cum alterius præiudicio contravenire non licet ex cit. L. *de action. & obligat.*

Fallit hæc Regula 1. & univerſaliter quando receſſus ſit ab ea mutuo conſenſu utriuſque partis, excepto Matrimonio, conſummato præſertim, & Profeſſione Religioſa, quæ ex conſenſu partium invalidari nequeunt.



Digitized by Google

Fallit 2. in non paucis propter ſupervenientem de novo, & prius non cognitam cauſſam Gloſſ. hic arg. c. *Ut circa* 4. & cap. *Nulli* 8. *de elect.* in 6. quia quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio cap. *Paſtoral.* 4. *de excep.*

Fallit 3. in omnibus, in quibus licet de iure pœnitere, & recedere etiam uni ſine alterius conſenſu. Sic licet impuberi a ſponſalibus reſilire, quando pubertatem adeptus fuerit cap. *de illis* 7. Sic a Matrimonio rato tantum pro ingreſſu in Religionem cap. *Verum* 2. *de converſ. conjug.*

Fallit 4. in ultimis voluntatibus, quia hæ ambulatoriæ ſunt uſque ad mortem L. *Quod ſi* 4. ff. *de adim. & transf. legato*, cum nemo ad non mutandam voluntatem aſtringi valeat.

Fallit 5. in contractibus innominatis, quando res adhuc eſt integra L. *ſi pecun.* ff. *de condit. cauſ. dat.*

Fallit. 6. in Mandato & contractu Societatis, re adhuc integra, ſeu ſi intereſſe alterius nondum incœperit §. *Mandatum* 11. *Inſtitut. de Mandato*.

Fallit 7. in ſententia interlocutoria, quam iudex, qui eam tulit, revocare poteſt, cum officio ſuo nondum ex integro functus fuerit c. *Cum ceſſante* 60. *de Appellat.*

Fallit 8. in appellatione, e qua ſemel interpoſita appellans recedere poteſt.

Regula 22. *Non debet aliquis alterius odio pergravari*. Hæc Regula deſumpta eſt ex L. *Si quis* 33. §. *legis*. Verus ſenſus huius Regulæ eſt: *Neminem, qui innocens ſit, debere pergravari, ideſt pœna affici, damno vel alio quovis incommodo propter odium, quo iniuſte gravans ex quacumque tandem cauſſa fertur erga tertium, v. g. conſanguineum, amicum ſeu familiarem innocentis*. Reiffenſt. Iuſtitia enim commutativa, & diſtributiva exigunt, ut ius ſuum cuique reddatur, innocentes ab iniuriis, damnis, aut gravaminibus defendantur, nocentes & rei puniantur, promeriti vero condigne prœmientur.

Regula 23. *Sine culpa, niſi ſubſit cauſſa, non eſt aliquis puniendus*. Regula hæc per illa verba *niſi ſubſit cauſſa*, bonum commune ut cauſſam iuſtam occurrentem intelligit. Senſus genuinus Regulæ eſt: *Neminem puniendum vel gravandum eſſe ob alicuius actus commiſſionem vel omiſſionem, quæ dolo & culpa vacat, niſi ex iuſta bonum commune concernente cauſſa*. Quia ubi non eſt noxa, non eſt pœna L. *Sancimus* 22. c. *de pœnis*.

Quod quis vero etiam ſine culpa, ex iuſta bonum commune concernente cauſſa, ſeu propter utilitatem publicam puniri, ſeu magis proprie loquendo, pergravari, & incommodari poſſit, id conſtat, quia bonum commune, ſeu publica, & communis utilitas eſt præferenda privatæ.

Regula 24. *Quod quis mandato facit iudicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere neceſſe*. Concordat Regulæ iuris civilis 128. Regula intelligenda eſt de mandato tum Iudicis, tum Principis. Verus ſenſus huius Regulæ eſt: *Quicumque in mandato Iudicis vel Principis, vel cuiuſcumque legitimi Superioris ſui aliquid facit, vel omittit, a dolo & culpa immunis cenſetur*. Quia ſubditi iuxta Apoſtolum obedire debent ſuis Superioribus Hebræor. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis*. Et Epheſ. 6. inſinuat ſervis idipſum reſpectu dominorum ſuorum. Regula procedit pariter, ubi Superior vel Iudex præcipiat indifferentia, vel dubium ſit num iuſte vel iniuſte præcipiat, quia quod faciunt hi, vel iubent, iuſte facere, & iubere præſumuntur cap. *Sicut* 16. in fine *de ſentent. & re iudic.* & alibi.

Excipitur tamen 1. ab hac Regula, ſi Superior & Iudex præcipiant, quæ adverſantur iuri naturali, & divino, quia in hoc caſu ſubditus non habet parere neceſſe, ut Actor. 4. *Si iuſtum eſt in conſpectu Dei vos potius quam Deum audire, iudicate*.

Excipitur 2. ſi quid contra ius clarum manifeſte militat: Ita communiter L. *Omnes* 33. c. *de Decur.* & alibi.

3. Si Iudex aliquid iubeat ad ſuum officium non pertinens, quia Iudici in iis tantum parere neceſſe eſt, in quibus officio ſuo fungitur, & intra ſuum Territorium, minime vero in aliis, & extra ſuam ditionem arg. L. *factum* 170. ff. *de Reg.* & L. *finali* D. *de Iuriſdict.*

Regula 25. *Mora ſua cuilibet nociva eſt*. Regula hæc conformis eſt Regulæ iuris civilis 134. Ratio eſt, quia alias multa maneret contumacia, & cum iactura alterius iniquus poſſeſſor lucrum faceret, contra Regulam iuris civilis 207. Mora hæc duplex eſt, una ex perſona, quæ etiam *regularis* communiter vocatur, altera ex re, quæ *irregularis* nuncupatur. L. *Mora* 32. ff. *de uſura & fructu*. Ex perſona intervenit culpabilis mora, quando is, cui debetur, interpellat, ut debitum, ex contractu, puta venditionis &c. ſine determinato tempore contractum, eidem ſolvatur, & in tali caſu ad damnum ex mora ſecutum tenetur debitor. Mora ex re eſt, quando debitor non ſatisfacit eo die vel tempore, quo ut ſolvat;

vat, ſine interpellatione creditoris ius ipſum diſponit, & monere cenſetur, & eſt quando contrahentes ſtatuunt, ſeu præfigunt determinatum tempus pro ſolutione, quo elapſo debitor eſt in culpabili mora L. *magnum* 12. cap. *de contrab. ſtipul.* Senſus verus huius Regulæ eſt : *Quando debitor, id quod debet, tempore debito non præſtat, mora ipſi non creditori, eſt nociva, ſive ab homine creditore videlicet, ſive a iure ſtatuta die fuerit interpellatus*; *ita ut ad omnia damna & incommoda ratione moræ ſecuta reſarcienda teneatur*. Et hoc pluribus iuribus comprobat Reiffenſt.

Fallit 1. hæc Regula in eo, quod mora non tantum ipſi moroſo, ſed etiam aliis nociva ſit; & quidem 1. in fideiuſſore, utpote cui noceat mora in ſolvendo exiſtentis debitoris principalis L. *Mora*; ita ut teneatur fideiuſſor ad damnum omne, & intereſſe, ſaltem ſi in omnem caſum promiſit L. *Quæro* 54. ff. *locat. conduct.* Dicitur notanter, *ſaltem ſi in omnem caſum ſe obligavit*; alias ſuſtinent aliqui cum Barboſa non teneri niſi ad debitum principale.

Fallit 2. in caſu quo duo ſocii ſint obligati, ubi mora unius nocet alteri ſocio L. penult. ff. *de duobus reis*; quia ſociorum communis cauſſa commodi & incommodi eſt.

Fallit 3. quoad actionem de peculio, ubi mora filii patri nocet L. *cum filius* 49. ff. de V. O. Licet haſce tres exceptiones negent aliqui eſſe vere tales, quia filius cum patre, fideiuſſor cum principali debitore, ſocius cum ſocio in huiuſmodi caſibus, idem fictione iuris eſſe volunt.

Regula 26. *Ea quæ fiunt a Iudice, ſi ad eius non ſpectant officium, non ſubſiſtunt.* Conſonat hæc Regulæ iuris civilis 132. Per officium iudicis hic intelligitur poteſtas, iuriſdictio a lege, a canone, vel ab homine Iudici conceſſa ad debite, & legitime examinandas, expediendas cauſſas, & negotia ad ſuam poteſtatem & iuriſdictionem pertinentia; ac proinde Iudex quod ad officium non ſpectat agere dicitur, quando tranſgreditur limites ſibi conceſſæ poteſtatis, & iuriſdictionis, ſive id faciat circa rem & cauſſam ſub poteſtate, & iuriſdictione non comprehenſam, ſive circa perſonam illius iuriſdictioni non ſubiectam, ſive extra territorium iuriſdictioni ſuæ præfixum, ſive contra præſcriptam formam & ordinem iuris. Quæ omnia, ſi fiant a iudice, iuxta Regulam, nulla & invalida ſunt. Idcirco ſenſus proprius Regulæ eſt hic : *Omne id quod Iudex ultra limites & poteſtatem iuriſdictionis ſibi conceſſæ, vel contra præſcriptam iuris formam facit, nullum & invalidum eſt*; quia vis tota, ac valor eorum, quæ a Iudice fiunt, fundatur in poteſtate publica, & iuriſdictione ſibi data, ac præſcripta; idcirco ubi hoc fundamentum deficit, valorem quoque ab eo actorum deficere neceſſe eſt. Barboſ. cum Gloſſa communiter recepta.

Regula hæc ſuas habet exceptiones : 1. in illis ſpiritualibus, quæ pendent potius a poteſtate Ordinis, quam iuriſdictionis : Epiſcopus enim conſecrans alienam Eccleſiam vel altare, aut ordinans alienum ſubditum etiam inſcio vel invito ſuo Epiſcopo, valide tamen conſecrat, & ordinat. Gloſſa hic : 2. In iis quæ ſunt voluntariæ iuriſdictionis : ſic enim Epiſcopus etiam extra territorium ſuum exiſtens poteſt conferre Beneficia : 3. In Epiſcopo iniuſte expulſo a ſua Civitate, & Sede Epiſcopali; talis enim ex ſpeciali diſpoſitione iuris in vicino Epiſcopatu iuriſdictionem ſuam exercere poteſt. Clement. unic. *de foro competenti*.

Regula 27. *Scienti & conſentienti non fit iniuria, nec dolus*. Concordat hæc Regula Regulæ iuris civilis 188. Regula hæc intelligenda eſt copulative, non diſiunctive; ita ut coniunctim quis ſciat, ſimulque conſentiat, & quidem libere, non vi aut metu coactus; ſitque conſenſus in id, in quod quis conſentire poteſt, ſeu de iure non prohibetur. Senſus proprius Regulæ eſt, quod *ei qui aliquid ſufficienter intelligit, & in illud, nulla vi nullove metu coactus, libere conſentit, nec iniuria, nec dolus fieri cenſetur*; quia nullus iniuriam patitur, cuius ius non violatur, ſicuti eſt ille qui ſcienter & libere conſentit, cum iuri ſuo, quod in re aliqua habet, conſentiendo in illud quo tale eidem ius violatur, cedere cenſeatur. Unde univerſaliter loquendo, qui utitur vel fruitur iure alterius bene ſcientis, & libere conſentientis, iniuriam, neque dolum ei facit.

Regula hæc fallit in omnibus iis, ubi aliunde adſit prohibitio præſertim a iure divino, & naturali, ut eſt in uſuris, licet mutuatarius in illas conſentiat, eo vel maxime quod huius conſenſus ſit quodammodo coactus, quia mutuum, quo indiget, aliter obtinere nequit. Idemque dicito de adulterio, quod cum iure divino vetitum ſit, conſenſus ad id, licet ſcienter & libere datus ab altero coniuge adulteranti, non excuſat quin coram Deo, & hominibus adulter'

Rei non exiſtant, pœniſque a iure humano ſtatutis non ſubiiciantur.

Regula 28. *Quæ a iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda*. Concordat Regulæ iuris civilis 184. *Quod contra rationem iuris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentiam*. Ratio eſt quod ius commune ſit aliqnid favorabile, utpote ab omnibus ob publicam utilitatem receptum; igitur quidqnid huic adverſatur, odioſum eſt, adeoque reſtringi, neque trahendo ad conſequentiam convenit ampliari.

Verus huius Regulæ ſenſus eſt: *Quæcumque a iure communi exorbitant, ideſt legales, aliæque diſpoſitiones, reſcripta, ſtatuta, diſpenſationes, privilegia, conſuetudines, quæ diſpoſitioni iuris communis ex parte vel ex toto adverſantur, ad conſequentiam, ſive ad alios caſus, & perſonas non expreſſas, non ſunt trahendæ ſeu extendendæ; quia odia reſtringi, & favores convenit ampliari iuxta* iuxta Regulam 15. de R. S. in 6. ob ſupra hic allatam rationem de utilitate publica iuris communis.

Fallit hæc Regula 1. quando agitur de favore utilitatis publicæ: 2. In conceſſionibus, diſpoſitionibus, reſcriptis, privilegiis pro favore cultus divini, Fidei, Religionis, & ſalutis animarum: 3. Quando diſpoſitio, diſpenſatio, reſcriptum, privilegium datum eſt motu proprio: 4. Ubi eſt eadem ratio in lege expreſſa: 5. Quando extenſio requiritur ad vitandum abſurdum: 6. In neceſſario connexis, & niſi extenſio fieret conceſſionis a iure exorbitantis, alias eſſet inutilis, & careret effectu: neceſſario enim connexa comprehendi, & includi cenſentur in conceſſo uno, etſi non fiat expreſſa mentio alterius c. *Præterea 5. de offic. & poteſt. iudicis deleg.*

Regula 29. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*. Similia habentur in L. *finali* cap. *de auctorit. præſt.* circa finem: *Quod omnes ſimiliter tangit, ab omnibus comprobetur*. Ratio eſt, quia alteri per alterum iniqua conditio inferri non debet, neque id quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri.

Proprius ſenſus Regulæ eſt: *Quod plures ut ſingulos tangit, ideſt ad eos pertinet, eiſque ut ſingulis de iure competit, ita ut agendo de illo, de iure & præiudicio cuiuslibet in ſpecie, ac individuo, directe, primario, ac quaſi principaliter agatur, ab omnibus unanimiter approbari debet*; ita ut unico diſſentiente, contradicente, ſpreto, aut neglecto, tota actio ſit nulla & invalida. Nullus enim invitus ſuo iure ſpoliandus eſt.

Fallit hæc Regula 1. in favore liberationis a debitis L. *Maiorem* ff. *de Pactis*. 2. in arbitris favore litium dirimendarum; nam arbitris, qui communi partium conſenſu in diſpari numero ſunt aſſumpti, diſcordantibus, ſtandum eſt ſententiæ maioris partis, etſi res plures ut ſingulas tangat. Fallit 3. in caſu quo pluribus patronis iuſpatronatus competit: nam his diſcordantibus valet præſentatio perſonæ idoneæ facta a maiori parte. 4. Si Princeps, vel Fiſcus illius rem aliquam communem cum aliis habeat; quia poteſt ille etiam his invitis vendere, reddita tamen parte aliis competente.

Regula 30. *In obſcuris minimum eſt ſequendum*. Huic concordat Regula iuris civilis 9. *Semper in obſcuris quod minimum eſt ſequimur*. *Obſcurum* in hac Regula ſumitur pro eo, in quo rei veritas, & intentio diſponentis, etiam conſideratis conſiderandis circumſtantiis, nec veriſimiliter ſatis apparet. Per *minimum* vero illud intelligitur, quod minus gravat.

Senſus genuinus Regulæ eſt: *Quando in lege, ſtatuto, aut alia diſpoſitione ſenſus ita obſcurus eſt, ut neque ex natura actus, neque ex antecedente aut ſubſequente tenore verborum, neque ex conſuetudine loci, nec ex aliis circumſtantiis vera legislatoris, vel aliter diſponentis voluntas aut intentio ſaltem veriſimiliter ſatis appareat, id quod minimum eſt, hoc eſt quod minus obligat, vel gravat, ſentire debemus*; quia iura proniora ſunt ad liberandum & minuendum, quam obligandum, obligationemque augendam, & ſequendo minimum, ideſt quod minus obligat, minus errandi periculum eſt.

Porro Regula hæc ſat ample extenditur: Nam procedit non ſolum in legibus & ſtatutis, ſed etiam in contractibus, in voluntariis promiſſionibus, in teſtamentis, & ultimis voluntatibus, in pœnis, delictis, & ſententiis.

Hanc regulam Limita 1. generaliter in ſpeciebus (in ſenſu iuridico acceptis) & iis quæ præceptis æquivalent, uti ſunt anteſacta; circa hæc enim non minimum, ſed mediocre præſtandum eſt, Leg. *legato generaliter* 37. ff. *de legatis* 1. Quod ſi ex legata vel donata ſpecie duo tantum individua adſint, puta duo fundi, unus melior, alter deterior, nonniſi ad deteriorem dandum obligatio inducitur.

Limita 2. in caſu, quo homicidium a pluribus committitur, & neſcitur, ſeu obſcurum

rum manet quis eorum lethaliter vulneraverit: tunc enim non minimum de puniendo uno, vel nullo, ſed maximum, videlicet ut omnes tamquam homicidæ puniantur, eligendum ſtatuitur L. *Item* 11. §. 2. ff. *ad L. Aquil.* Cum enim omnes deprehenſi culpabiliter exiſtant, ne ſcelera impunita maneant cum gravi damno Reipublicæ, omnes iuremerito pœnis ſubiiciuntur. L. *Ita vulneratus* 51. §. 2. ff. *ad Legem Aquiliam*.

Regula 31. *Cum quis certus eſt, certiorari ulterius non oportet*. Hæc Regula deſumitur iuxta Gloſſam ex L. 1. ff. *de actionib. empt. & vendit.* in qua ita: *Quia non videtur eſſe celatus, qui ſcit, nec certiorari debet qui non ignoravit*. *Certus* hic intelligitur qui non qualemcumque, ſed indubitatam notitiam ſeu ſcientiam rei, vel negotii alicuius habet, quæ notitia vel certitudo triplici modo haberi poteſt, vel *phyſice* ac naturaliter per quinque ſenſus, viſum præſertim & auditum, ut ſi quis factum aliquod vel rem ipſemet vidit, vel propriis auribus, v. g. promulgationem inſtrumenti, legis, &c. audivit; vel *moraliter*, quæ notitia provenit ex motivis adeo vehementibus, ut nullus prudenter dubitandi locus relinquatur, quæ certitudo ex relatione virorum omni exceptione maiorum, fideque dignorum habetur; vel *ex diſpoſitione legis naturalis*, quæ cunctis nota eſſe debet, vel *humanæ* clare, ac certe, riteque promulgatæ arg. l. *Magnam* 12. cap. *de contrab. & committ. ſtipul.* Per ly *certiorari* intelligitur particularis aliqua iudicialis, vel alia denunciatio, inſinuatio, aut notificatio.

Senſus proprius huius Regulæ eſt: *De iure non eſt neceſſarium, ut alicui, qui ſufficientem notitiam vel ſcientiam de re, vel negotio aliquo iam habet, vel ſaltem habere deberet, pro acquirenda eiuſdem rei, vel negotii notitia, adhuc ulterior aliqua fiat denunciatio, inſinuatio, vel notificatio*. Et ratio Regulæ eſt, quia denunciatio regulariter alicui ideo fit, ut notitiam de re aliqua, quam ſaltem ſufficientem non habet, acquirat. L. *Item veniunt* 20. §. 11. ff. *de hæredit. petit.* Unde vendens fundum ſervituti ſubiectum, monere non debet emptorem, quando hoc ei certo, & ſufficienter innoteſcat.

Fallit hæc Regula univerſaliter, quando ulterior certioratio ſeu denunciatio requiritur ex diſpoſitione iuris ad ſubſtantiam, & valorem actus, ut communiter DD. ex L. *Denunciat.* 17. ff. *de adult.* Sic ut contumax talis declaretur, & contra eum procedi queat, præmitti debet trina, vel una tribus æquivalens citatio, quæ in pluribus aliis caſibus ex iurium diſpoſitione eſt præmittenda.

Regula 32. *Non licet Actori quod Reo licitum non exiſtit*. Concordat hæc Regula Canonica Regulæ civili 42. *Non debet Actori licere quod Reo non permittitur*. Hæc Regula eſt quidem expreſſe negativa, tacite tamen etiam affirmativa; unde ſic etiam intelligenda: *Quod licet Actori, Reo quoque licitum eſſe debet*, ut cum Gloſſa in Clement. *Sæpe* v. *Voluerit de verbor. ſignificat.*

Regulæ ſenſus proprius eſt: *Quidquid in iudicio ad promovendam, & conſequendam ſuam intentionem Actori permittitur, a fortiori etiam Reo ad ſe defendendum, ſuamque exceptionem fundandam permittendum erit, & quidquid in præfato ſenſu Reo non licet, multo minus Actori licebit*. Unde ſi Actori concedenda eſt dilatio propter teſtes, etiam Reo concedi debet.

Limitat Caniſius, ſcilicet quod quando maior ſit ratio in Actore, Reo permiſſum non eſt, ut rem, quæ in iudicio obſcure petita eſt ab Actore, ipſe deſignet, vel explicet, ſed Actori L. *Inter ſtipulan.* 83. ff. *de verbor. obligat.* ſcilicet ne Reus eludat iudicium. Item ſi Reus plures iudices habeat ordinarios, erit penes Actorem electio, coram quo velit illum convenire L. *fina.* C. *Ubi in rem actio*.

Regula 33. *Mutare quis conſilium non poteſt in alterius præiudicium*. Concordat Regula hæc Regulæ iuris civilis 76. in iiſdem verbis. Senſus proprius Regulæ eſt: *Nemo poteſt ſuum conſilium, conſenſum, reſolutionem &c. mutare, ac revocare, poſtquam alteri ius iam fuit quæſitum, & conſequenter ex mutatione ſeu revocatione conſilii, &c. iniuria, & detrimentum eidem inferatur, quia iure naturali & divino cautum eſt*.

Regula 34. *Generi per ſpeciem derogatur*. Conſonat hæc Regula Regulæ iuris civilis 81. *In toto iure generi per ſpeciem derogatur*. *Genus* hic non accipitur ſicut a Dialecticis, ſed ut paſſim fit apud Iuriſtas, pro eo nempe quod ſingularia nomine ſuo complectitur, ſicuti homo, veſtis, pecunia, equus, reſcriptum. Species vero dicitur quod ſub hoc genere iuridico tamquam individuum ſeu ſingulare continetur L. 2. L. 3. *Si certum pet.* Porro apud Iuriſtas nomine ſpeciei venit etiam illud, quod quidem tamquam commune plura continet, tamen minus commune eſt, quam genus, cum quo hic & nunc

nunc concurrit, ac ideo pauciora ſub ſe comprehendit, ut proinde idem ſub diverſo reſpectu, & concurrentia in ſenſu iuridico nunc genus, nunc ſpecies vocari valeat; ut ſi duæ leges generales ſint, una magis generalis quam altera, tunc lex minus generalis reſpectu magis generalis *ſpeciei* nomen habet, quamvis & hæc reſpectu legis particularis *genus* vocetur. Decius in L. *In omni iure* ff. *de Regulis iuris*.

Præſens igitur Regula intelligenda eſt de genere & ſpecie in ſenſu iuridico hactenus declarato. Unde ſenſus, qui proprie Regulæ huic convenit, eſt: *Quando duæ diſpoſitiones ſibi contrariæ concurrunt, illa quæ ſpecialis eſt, derogat generali; & ſi ambæ communes ſunt, una tamen magis, altera minus talis, ea quæ minus communis, & ſic ſpecies eſt, derogat magis communi tamquam generi, in eo tamen dumtaxat, in quo ſpecialis generali, vel minus communis magis tali contraria exiſtit:* Quia, ut ex Barboſa, & communi Doctorum notat Reiffenſtuel, ratio & finis Regulæ eſt, ut diſcordantes ſpecies & genus, quantum poſſibile eſt, concordentur iuxta univerſale iuris reſcriptum *Cum expediat* 29. *de elect. in* 6. Quod aliter fieri nequit, quam ſi ſecundum Regulam ſpecies generi, in eo dumtaxat in quo ei contraria videtur, derogare dicatur, ſalva in reliquo utriuſque natura & proprietate verborum, eo ferme pacto, quo fieri ſolet in aliqua univerſali Regula, & eius exceptione, limitatione ſeu fallentia, ubi Regula ſtat loco generis, exceptio ſeu fallentia loco ſpeciei, quæ derogat Regulæ in eo, ubi eidem contraria eſt.

Regula ſic explicata procedit in plurimis, ut obſervat Gloſſa hic, in legibus ſcilicet, & ſtatutis, in reſcriptis, & mandatis, in legatis, & ultimis voluntatibus, in contractibus, & univerſaliter in omnibus diſpoſitionibus, ubi ſpecialis contraria eſt generali.

Limita Regulam 1. in privilegiis; quia Reſcriptum ſpeciale non præiudicat generali, niſi de eo fiat expreſſa mentio & derogatio. Barboſ. Gloſſa in cap. *Cum ordinem de Reſcriptis*.

Limita 2. quando genus in una tantum ſpecie verificatur, ac ideo illi contraria non eſt; quia tunc genus pro ſpecie reputatur. Barboſa. Limita 3. Si ſpecies præciſe adducitur pro maiori declaratione generis, Barboſa; quia ibi nulla recurrit oppoſitio. Limita 4. & quidem univerſaliter, quando per genus iam eſt quæſitum ius tertio; tunc enim generi per ſpeciem non derogatur, niſi exprimatur cap. *Super eo* 15. *de offic. delegati*, & L. *Qui generaliter* 2. ff. *Qui potior in pignor.*

Regula 35. *Plus ſemper in ſe continet quod eſt minus*. Regula hæc deſumpta eſt ex Lege Iuris civilis 114. *minus in toto contineri, ex ipſo rationis lumine conſtat, & per ſe patet*. Regula intelligenda eſt quoad quantitatem in ſumma, ſive numero, menſura, & pondere, & toto integrali, ut quinque menſuræ in ſe duas continent, & totum, quod eſt plus, partem continet. Unde verus ſenſus Regulæ eſt: *Quantitatem maiorem, ſive ſummam, numerum, vel pondus, aut menſuram ſemper in ſe continere quantitatem minorem, & quodlibet totum in ſe continere ſuam partem*; & hoc abſque ulla probatione ſolo naturali rationis lumine clariſſime conſtat. Hæc Regula locum habet in ultimis voluntatibus, ſententiis, probationibus, & in quavis diſpoſitione. Sic enim in ultimis voluntatibus ſi quis intendit legare alicui quartam partem bonorum, & ex errore ſcripſit dimidium, debetur ei quarta pars, quæ dimidiæ, quæ plus importat, ineſt. In contractibus pariter, ſi alicui ſtipulanti viginti alter decem reſpondeat, nonniſi de decem erit obligatio l. 1. §. 4. ff. *de verbor. obligat.* Ita in ſententiis & iudiciis, ſi quis eſt abſolutus a petitione totius, abſolutus etiam videtur a quavis parte fundi; ita ut petenti aliquam partem fundi obſtet exceptio rei iudicatæ cit. L. *ſi quis cum totum de except. rei iudicatæ*; quia pars tamquam quid minus continetur in toto, utpote quod plus eſt.

Fallit hæc Regula 1. in caſu, quo hæres conſtitutus non totam hæreditatem, ſed unam vel alteram dumtaxat partem illius adire, & reliquam repudiare velit. Quamvis enim partes hæreditatis in tota contineantur, iura tamen expreſſe volunt, ut vel totam adeat, vel prorſus abſtineat, ne quis partim teſtatus, partim inteſtatus decedere videatur arg. l. *Sed etſi* 2. ff. *de acquirenda hæredit.*

Fallit 2. in Procuratore generaliter conſtituto, utpote qui non admittatur ad ea, in quibus ſpeciale exigitur mandatum c. *Qui agendum de Procurat. in 6.* licet cæteroquin ſemper in generalibus ſpecialia inſint l. *Semper* 147. ff. *de R. S.*

Regula 36. *Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere*. Concordat Regulæ civili 174., unde, ut teſtatur Gloſſa, deſumpta eſt. Senſus huius Regulæ hic eſt: *Qui rem ali-*

*aliquam bona vel mala fide poſſidet, eamque ab alio vindicandam advertens, illam dolo malo, aut lata culpa poſſidere deſinit, eamdem deſtruendo v. g., vel in alium diſtrahendo, pro poſſeſſore adhuc in ſui damnum habetur, & ut talis pro reſtitutione, ſeu æſtimatione rei conveniri poteſt*. Nam alias quis ex fraude & dolo commodum, & innocens incommodum & præiudicium frequenter reportarent contra c. *Sedes* 15., & c. *Ex te nore de Reſcript.* ubi ſic: *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent*.

Regula 37. *Utile per inutile non debet vitiari*. Senſus huius Regulæ eſt, quod *quidquid ex ſe de iure validum, vel alias ad efficiendum, firmandum aut aſſecurandum aptum eſt, valorem, & vim ſuam non amittit adiunctione vel acceſſione alicuius de iure prohibiti, aut invalidi, vel alias inepti*. Etenim communis agentium, & contrahentium mens eſt ac intentio, ut ea actuum ſuorum fiat interpretatio, quatenus potius valeant quam pereant; idcirco ſi quid inutile actibus eorum admiſceatur, ab eis amoveatur, & pro non adiecto habeatur, ut in reliquis actus ſuum valorem retineant. c. *Abbate* 25. *de verbor. ſignificat*, & l. *Quoties* 12. ff. *de rebus dubiis.*

Fallit hæc Regula 1. quando utile ab inutili ſeparari nequit.

Fallit 2. in teſtimonio quod teſtis fert; ſi enim una pars illius falſa reperitur, totum huiuſmodi teſtimonium corruit. Barbol. hic n. 2. cum communi. Idemque dicito de inſtrumento confecto a Notario publico, quod fidem & probandi vim amittit, ſi in una parte falſum deprehendatur arg. l. 2. c. *de veteri iure enucl.*

Fallit tandem in omnibus aliis caſibus a iure expreſſis.

Regula 38. *Ex eo non debet fructum conſequi, quod nixus extitit impugnare*. Hæc Regula intelligenda eſt de impugnatione in iudicio, in quo non ſecus ac qui ibi aliquid approbavit, nequit amplius reprobare, iuxta Regulam 21. Iuris in 6. *Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt*; ita e contra: quod ſemel quis reprobavit aut impugnavit, pro ſuo commodo, non amplius approbare, & adducere, eo ſcilicet uti valet l. *Diſpenſatorem* 62. ff. *de ſolut.*

Senſus huiuſce Regulæ eſt quod, *qui legem, reſcriptum, inſtrumentum, atteſtationem, contractum, teſtamentum, vel quamvis aliam diſpoſitionem in iudicio ſemel impugnavit, eam in ſui favorem allegare, eave uti, ac commodum ex illa percipere non poteſt*. Eo enim quod quis impugnat fundamentum iuris ſui, videtur illi tacite renunciaſſe cap. *Cum olim* circa finem. Hinc qui Decretales Epiſtolas, vel alias Conſtitutiones aut Sanctiones Apoſtolicas aſſeruit non eſſe authenticas, non poteſt eas amplius in ſui favorem allegare, arg. Canon. *Si Romanorum* diſt. 19. Sic qui teſtamentum impugnavit tamquam falſum & inofficioſum, & ſuccumbit, ex tali impugnato teſtamento non ſolum nihil accipit, ſed quod etiam accepit, eidem iterum aufertur, & applicatur Fiſco l. *Papinianus* 8. ff. *de inofficioſo teſtamento*. Secus vero res ſe haberet, ſi quis teſtamentum, non ut falſum, & inofficioſum, ſed ut carens debitis ſolemnitatibus, ac ideo de iure non ſubſiſtens impugnaret; talis enim legata in illo pro ſe facta non amitteret, prout clare ſtatutum habetur in cit. l. *Papinianus* §. 14. & l. *poſt legatum* 5. §. 1. d. *de iis quibus ut indigni*.

Fallit hæc Regula 1. ubi quis ante iudicis ſententiam deſtitit ab impugnatione, eo quod iura pœnitenti, & deſiſtenti ignoſcant ex cit. cap. *de iis quibus ut indigni*.

Fallit 2. ſi quis non ſuo, ſed alieno nomine, & ex officio, ſicque non prorſus libere, ſed quaſi neceſſario impugnat, uti Tutor, & Curator nomine pupilli & minoris; talis enim ex illo etiam quod impugnavit, v. g. ex teſtamento ſic impugnato fructum pro ſe, puta legatum in illo teſtamento ſibi relictum, percipere valet.

Fallit 3. ubi non eſt eadem materia, vel capitulum quod quis impugnat, cum illo, ex quo etiam poſt impugnationem fructum conſequi nititur arg. cap. *Utile non debet per inutile vitiari* 37. *de Regulis iuris* in 6.

Fallit tandem reſpectu tertii, ita ut licet quis ex eo quod contra certum aliquem impugnavit, contra eumdem ex eadem re impugnata fructum percipere non valeat, eadem tamen re impugnata, & iure exinde ſibi competente contra tertium frui omnino poteſt, eo quod regulariter aliis non noceat res inter alios iudicata cap. *Quamvis de ſentent. & re iudic.*

Regula 39. *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo*. Hæc Regula concordat alteri Regulæ, quæ eſt 42. Iuris in 6. *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis*, & plura afferuntur exempla in Gloſſa in eamdem Regulam, quæ ſimul ſenſum explicant melius. Primum eſt, quod can. *Denique* diſt. 4. prohibitum erat in Quadrageſima veſci carnibus; unde prohibebatur etiam eſus ovorum, caſei, la-

ctis,

ſtis, utpote quæ ex carne trahant originem. Secundum can. *Eos* diſt. 81. Si quis in pœnam ſui delicti ſuſpenſus fuit ab officio, ſuſpenſus cenſetur etiam a Beneficio. Ratio deſumitur ex dependentia neceſſaria, & inſeparabili antecedentium & conſequentium connexione.

Regula hæc intelligenda eſt non de iis ſolum, quæ ſimpliciter, ſed de illis quoque, quæ ſub nullitate prohibentur.

Regula 40. *Pluralis locutio duorum numero eſt contenta*. Senſus huiuſce Regulæ eſt: *Quandocumque in lege, ſtatuto, Reſcripto, inſtrumento, vel quacumque alia diſpoſitione terminus pluralis* plures, plura, *indiſtincte ponitur, requiritur, & ſufficit numerus dualis, ſeu duorum, niſi maiorem numerum iura expreſſe requirant*; quia excluſio unius eſt incluſio alterius arg. l. *cum Prætor* 12. ff. *de iudiciis*. Sic ubi ad valorem cuiuſcumque actus plures teſtes indiſtincte requiruntur, ſufficiunt duo L. *ubi numerus* ff. *de Teſtibus*. Sic ſi Papa cum aliquo diſpenſet quod poſſit habere plura Beneficia, & aliud non exprimit, iſta pluralitas nonniſi de duobus Beneficiis, & quidem non curatis intelligi debet cap. *Si cui* 19. *de Præbend.* in 6. Tum quia iſta pluralitas in duobus verificatur; tum quia hæc diſpenſatio, utpote iuri contraria, eſt odioſa, conſequenter eſt reſtringenda per Regulam 15. Iuris in 6. *Odia reſtringi*, & præſertim quia alias in obſcuris minimum eſt ſequendum. Sic ordinationi Concilii Trid. ſeſſ. 25. *de reform.* cap. 9. quod probatio iuriſpatronatus *ex multiplicatis præſentationibus* fieri debeat, ſatisfit allegando & probando duas. Barboſ. *de offic & poteſt. Epiſc.* p. 3. alleg. 72. n. 4. Dicitur notanter in Regula *duorum numerus requiritur, & ſufficit*, cum hic ſaltem numerus, ſcilicet duorum requiratur & ſufficiat ad ſalvandam pluralitatem, ita ut in uno ſolo pluralis numerus non ſalvetur. Sic communiter DD. can. *Huc quoque* 61. diſt. 1. *de conſecrat* ubi proprerea antiquitus vetitum erat Miſſam celebrare coram uno tantum, cum in tali non videantur verificari verba Miſſæ pluralem numerum indicantia *Dominus vobiſcum*, *Orate fratres*.

Fallit 1. hæc Regula univerſaliter in iis, in quibus ex ſpeciali diſpoſitione legis ad verificandam pluralitatem indiſtincte poſitam, magis quam dualis numerus requiritur, prout fit per l. 1. ff. *de optione & elect. leg.*

Fallit 2. quando leges ad valorem actus certum numerum duobus maiorem requirunt, uti ad Codicillum, & Teſtamentum, ubi ſeptem requirunt teſtes.

Fallit 3. e contra, & ad verificandam pluralitatem poſitam ſufficit etiam unum, quando ita leges volunt, & declarant.

Regula 41. *Imputari non debet ei, per quem non ſtat ſi non faciat quod per eum erat faciendum*. Hæc Regula concordat cum Regula Iuris civilis 122. Senſus huiuſce Regulæ eſt, *quemvis ſalvari a pœna & damno in caſu, quo legitime impeditus non fecit quod alias facere debuiſſet*: Et quia iuxta Regulam alias citatam iuris in 6. *nemo poteſt ad impoſſibile obligari*; & quia nemo ſine culpa debet puniri, nec iure ſuo privari, aut damno affici arg. cap. *Sine culpa* 23. tit. in 6. Tenetur tamen impedimentum faciendi, quod iam facto conſiſtit, probare, quod aliquando fit iuramento, ſimulque oſtendere ſufficientem diligentiam, qua impedimentum tolleretur, adhibuiſſe, niſi aliunde hoc ſatis conſtaret. Et inter alia impedimenta, quæ afferuntur a Doctoribus, ſunt grave morbum, captivitas, aeris infectio, inundationes, aliaque gravia viarum pericula, mors parentum, defectus rerum neceſſariarum ad iter, bellum, cauſſa Reipublicæ, violenta detentio &c.

Regula 42. *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis*. Concordat hæc Regula cum Regula civili 139. ff. *de Regulis iuris*. Nomine *principalis* hic intelligitur quod eſt præcipuum in re, & quaſi illius cauſſa, & fundamentum; vel ſecundum Barboſam, *principale eſt, quod per ſe ſtat, ſeu propria virtute ſubſiſtit; acceſſorium vero, quod per ſe non ſubſiſtit, ſed vel ex natura rei, vel ex diſpoſitione legis, vel ex partum conventione dependet ab alio, vel accedit, aut comitatur principale*.

Senſus Regulæ eſt: *Tantam eſſe dependentiam acceſſorii a principali, ut regulariter loquendo, inducto, conceſſo, prohibito, annullato principali, vel infirmato, inductum, conceſſum, prohibitum &c. cenſeatur acceſſorium*. Dicitur *regulariter*; quia, ut infra patebit, Regula patitur ſuas exceptiones ſeu fallentias. Ratio Regulæ eſt; tum quia acceſſorium eſt connexum, & adhærens principali: connexorum autem eadem eſt ratio, idemque iudicium; tum quia magis dignum trahit ad ſe minus dignum. Hæc Regula fere ubique procedit, præſertim in legibus & Reſcriptis, in Contractibus, in ultimis voluntatibus, in Privilegiis, in Matrimonio &c.

Fal-

Fallit hæc Regula 1. quando in principali & acceſſorio non eadem, ſed diverſa reperitur ratio. Abb. in cap. *De iuriurand.* n. 2.

Fallit 2. quoad pia legata inſerta in teſtamento ad cauſas profanas nulliter facto, quia acceſſoria valent, licet principale ſeu teſtamentum ſit nullum.

Fallit 3. in Acceſſorio, quod ex ſe ſolo, & independenter a principali ſubſiſtere poteſt, ſicque ab eo eſt diviſibile.

Fallit 4. in caſibus, in quibus iura aliter ſpecialiter diſponunt, ſicuti fit in caſu quo ob adulterium uxoris, Matrimonio tanquam principali quoad thorum ſublato, non tollitur dos, ſed penes ſolum virum manet, etſi dos Matrimonii acceſſorium ſit.

Regula 43 *Qui tacet conſentire videtur.* Senſus huius Regulæ eſt, qui in honorabili ſeu favorabili tacet, conſentire videtur; in actu vero vituperabili vel præiudiciali, in quo eſſet verecundum vel damnoſum ſequi vel contradicere, tacens plerumque diſſentire videtur l. *fil. famil.* §. *invitus* ff. *de procurat.* Interdum tamen qui tacet, nec conſentit, nec contradicit.

Fallit autem hæc Regula in caſibus, in quibus conſenſus expreſſus requiritur, ut notat Gloſſa in d. cap. *Is qui tacet.*

Regula 44. *Is qui tacet, non fatetur, ſed nec utique negare videtur.* Concordat hæc Regula Regulæ 185. Iuris civilis, & pertinet ad interrogationes, quæ fiunt ad eliciendam reſponſionem. Quare ſenſus huiuſce Regulæ eſt, quod *qui ad interrogationem alterius tacet, regulariter nec fateri, nec negare præſumitur.* Etenim inter negare, & confiteri, tanquam duo membra, datur medium, ſilere nempe, & tacere, ut cum Gloſſa obſervant DD. Unde qui in iudicio, vel extra iudicium a non iudice interrogatur, num hoc vel illud crimen commiſerit, ſi tacet, nec fateri, nec negare cenſetur ar. l. *Si filius* 19. ff. *de interrogat. in iure faciend.*

Fallit hæc Regula 1. univerſaliter, quoties qui in iudicio a iudice legitime interrogatur, ſi tacet, habetur pro confeſſo, vel etiam in ſui damnum pro negante L. *de ætate* 11. ff. 4. *de interrogat. in iure faciend.*

Fallit 2. in quovis alio, qui in iudicio ad poſitiones, ſeu articulos ab adverſario propoſitos & a iudice approbatos reſpondere iuſſus, tacet, vel ſine cauſa reſpondere recuſat, quia etiam talis pro confeſſo habetur cap. 2. *de confeſſ.* in 6.

Fallit 3. quando in iudicio duo alicui obiiciuntur, & is unum negat, vel in eo ſe excuſat, ad alterum vero tacet, cenſetur enim hoc tacite fateri c. *Nonne* 5. *de Præſumpt.*

Regula 45. *Inſpicimus in obſcuris quod eſt veroſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.* Regula hæc concordat cum 115. Iuris civilis. Per verba *in obſcuris* intelligendum eſt id, in quo rei veritas, & intentio diſponentis, etiam conſideratis conſiderandis circumſtantiis, nec veroſimiliter apparet. Per *veroſimilius* autem id intelligitur, quod prudenter, conſideratis conſiderandis circumſtantiis, ac aliis ad genuinam veritatem inſervientibus, veritati magis conſentaneum apparet. Per *plerumque* vero id denotatur, quod in eiuſmodi, de quibus quæritur, negotiis, contractibus &c., communiter, & ordinarie fieri ſolet, ac in regione fieri conſuevit.

Senſus huiuſce Regulæ eſt, quod *quandocumque intentio, & mens ſtatuentis, agentis, contrahentis, diſponentis &c. aliunde certo, vel ſufficienter non apparet, illud ſequendum, iudicandum, & tenendum eſt, quod prudenter, & æquo animo, conſideratis conſiderandis ad cognoſcendam veritatem ſervientibus circumſtantiis, veritati magis conſentaneum, & conforme apparet, vel quod in huiuſmodi, de quibus quæritur, actibus &c. ordinarie fieri ſolet, ac in Religione fieri conſuevit* arg. l. *Semper in ſtipulationib.* 34. ff. *de Regulis iuris.* Ratio primæ partis eſt, quia veroſimilia quaſi pro vero habentur l. *Cum quid* 3. ff. *de rebus credit.* ſi certum petatur. Partis vero ſecundæ ratio eſt, quia ſicut Legislatores non de iis quæ frequenter contingunt, leges condunt L. *ex his* 4. ut alibi; ſic etiam intentio, & mens privatim diſponentium & contrahentium in defectu alterius certitudinis, iuxta communiter & ordinarie fieri ſolita præſumi & colligi debet, l. *certi conditio* 9. §. 8. ff. *de reb. credit.* præſertim in regione in qua verſantur, l. *ſemper* 34. ff. *de Regulis iuris.*

Regula 46. *Is qui in ius ſuccedit alterius, eo iure, quo ille, uti debet.* Regula concordat cum Regula 138. Iuris civilis. Pro intelligentia huius Regulæ nota, duplicem eſſe ſucceſſionem; alia eſt *univerſalis* & proprie talis, ut hæres L. *hæres* 47. ff. *de Acquir. vel amittend. hæredit* quo nomine veniunt etiam hæredes mediati L. *hæredis appell.* ff. *de verbor. ſignif.* hi enim proprie in ius alterius ſuccedunt: Immo etiam hæres particularis, licet non ſit ex aſſe; quia pro

ea

Digitized by Google

ea parte, quam obtinet, repræſentat defunctum l. *fin.* l. *ſi Adulter.* Item Fiſcus quoad bona fiſco illata l. 2. c. *Ad legem Iuliam*. Alii dicuntur ſucceſſores *ſingulares*, ut legatarii; item ſingularium rerum emptores, donatarii qui in ipſam, & ius ſingulare ſuccedunt L. *quædam* tit. *de edend.* & hi dicuntur ſuccedere in dominium.

Quare ſenſus Regulæ eſt, quod *omnes actiones tam activæ quam paſſivæ in huiuſmodi ſucceſſores tranſeunt, & quod defuncto profuit, & nocuit, ipſis pariter prodeſt & nocet*: l. *cum hæres* 11. ff. *de diverſis, & tempor. præſcript.* Hinc inferunt DD. hæredem conveniri poſſe ubi defunctus conveniendus erat L. 19. *Hæres abſens* ff. *de iudiciis*.

Quare hæres, ſive filius, ſive extraneus debita omnia realia defuncti ſolvere tenetur, ſive ſint ex contractu, ſive quaſi contractu, maleficio &c., etiam ſi res ipſæ non pervenerint; modo bona hæreditatis ſint tanta ut poſſint expedire omnia legata, & vota realia a defuncto edita, v. g. dandi eleemoſynam, Eccleſiam ædificandi &c. Dixi *realia*; quia debita omnia perſonalia extincta ſunt cum defuncto, iuxta illud commune adagium: *mors omnia ſolvit*; quod contingit etiam quoad privilegia, quæ perſonæ defunctæ cohærebant.

Quoad rerum ſingularium ſucceſſores, eadem fere ſuccedendi ratio eſt, ut notant DD. in hanc Regulam ex l. *Alien.* 67. ff *de contrahend. empt.* Idemque dicito de ſucceſſoribus ſingularibus: atque hinc fit, ut quæ Actori circa eamdem rem petendam vel defendendam competebant, eadem competant etiam illius ſucceſſori, l. *invitus* 199. *Cum quis* ff. hoc tit.

Regula 47. *Præſumitur ignorantia ubi ſcientia non probatur*. Regula hæc licet generaliter loquatur, tamen intelligenda eſt de ignorantia facti, non iuris, ſicuti obſervat Gloſſa hic communiter recepta; immo non de quavis, ſed de ignorantia facti alterius eſt intelligenda, cum nemo facta propria ignorare præſumatur. Unde ſenſus Regulæ eſt: *Facti alieni ignorantiam habere in dubio quivis præſumitur, niſi probetur eum tale factum ſciviſſe*. Et ratio eſt, quia facta aliena fere innumera, ac diverſa ſunt, ideoque etiam expertiſſimos & prudentiſſimos latere poſſunt & fallere, ut dicitur l. 2. ff. *de iur. & facti ignorant*; conſequenter ſtante dubio in iudiciis ignorantia præſumitur; ita ut onus probandi ſcientiam transferatur in adverſarium, quam ſi non probet, hoc ipſo facti ignorantia ex præſumptione probatur, & ignorans pro excuſato habetur, ut poſt Gloſſam in l. 1. c. ad S. C. *Macedonian.* docet Barboſa.

Quare qui in Clericum clericaliter non incedentem, ideoque ex præſumptione iuris ignorans eum eſſe Clericum, manus violentas iniiciat, non excommunicatur. Sic Summi Pontifices, quia præſumuntur ignorare particulares conſuetudines & ſtatuta laicorum, tamquam quid facti, eis per Conſtitutionem generalem derogare non cenſentur, niſi exprimant cap. 1. *de Conſtit.* in 6.

In caſibus autem, in quibus allegans ignorantiam, eam probare debeat ob præſumptionem ſibi contrariam, duplici modo eam probare poteſt, nempe iuramento, vel probando id ex quo neceſſario, aut veriſimiliter ſequitur ſe ignoraſſe, puta quia fuiſti furioſus, vel abſens.

Fallit 1. hæc Regula in iis quæ ſunt publica & notoria: 2. in iis quæ quis etiam in facto ex officio indagare ac ſcire tenetur: 3. ita ut non facti tantum alieni iuxta Regulam, ſed etiam proprii præſumatur, quæ non excuſat c. *ab excommunicato* 41. *de Reſcript.*

Regula 48. *Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria vel iactura*. Concordat hæc Regula Regulæ 207. Iuris civilis. Licet hæc Regula loquatur in ſenſu disiunctivo, nempe *vel iactura*, tamen intelligenda eſt in ſenſu copulativo; idcirco ille agit dumtaxat contra Regulam, qui cum damno & iniuria alterius locupletatur, non ille qui cum damno quidem alterius, non vero cum illius iniuria, ſed iuſto titulo locupletatur; ſic DD. Terminus disiunctivus *vel* ſubinde etiam pro termino copulativo in iure ſumitur l. *cum quidam* 4. §. *Melius itaque*; & præcipue quando alias ſequeretur abſurdum. Quare verus huius Regulæ ſenſus eſt, quod *nemo debet cum alterius iniuria, & iactura ſeu detrimento locupletari*; quia eſt non ſolum de iure naturali, ſed etiam poſitivo, neminem iniuſte lædere, ſuum cuique tribuere, relinquere, non auferre l. *Iuſtitia* 10. ff. de i. & §. *Iuriſ.*

Regula 49. *In pœnis benignior interpretatio facienda*. Hæc Regula deſumpta eſt ex 197. Iuris civilis, & procedit tantum in dubio, nempe quando in lege & ſtatuto, vel alia diſpoſitione pœna certa claris verbis non invenitur. Quare

Senſus huiuſce Regulæ eſt, quod *quando in lege vel alia diſpoſitione verba circa pœnas non certa, & clara, ſed ambigua ſunt, mitior, & benignior interpretatio eſt facienda*;

quia

Digitized by Google

quia per Regulam 15. Iuris in 6. *odia reſtringi, & favores convenit ampliari*.

Fallit hæc Regula 1. in pœna excommunicationis: quandocumque enim ſive per ſententiam, ſive per decretum, ſive in iure imponitur pœna excommunicationis, ſemper eſt intelligenda de maiori, non de minori cap. *Si quam* 59. *de ſentent. excommunicat.*

Fallit 2. in delicto contumaciæ; contra hanc enim Iudicem ea pœna, quæ magis timeri debet, procedere oportet, ut habetur c. & §. *fin. Ut lite non conteſtante*.

Fallit 3. in materia interdicti; quia ſi interdicitur Civitas, etiam Suburbia interdicta cenſentur cap. *Si Civitas* 17. *de ſentent. excommunic.* in 6.

Fallit 4. in delictis valde atrocibus, utpote in quibus ſeveriora ſunt eligenda arg. l. *Divus* 33. ff. *de re iudicata*.

Regula 50. *Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem*. Congruit hæc Regula Regulæ 78. Iuris civilis. Pro faciliori Regulæ intelligentia nota, actus legitimos in duplici ſenſu percipi; 1. illos actus vere dici legitimos, qui a Iure ſcripto inveniri, introducti, & approbati ſunt. Quicumque enim moralis actus legibus conformis legitimus eſt. 2. Et ad propoſitum: Actus legitimi ſunt, & vocantur illi, qui vel ex natura ſua, vel ſpecialis legis diſpoſitione appoſitionem conditionis, vel diei, ſeu temporis non recipiunt, eo quod ſtatim certo valeant, ſuumque purum habeant effectum; idcirco tempus, vel conditionem ſuſpenſivam valoris non patiuntur, & ſi addatur, invalidi ſunt, cum dies, vel conditio ſuſpenſiva immediate opponatur illorum ſubſtantiæ ſeu eſſentiæ.

Senſus huiuſce Regulæ eſt, quod *actus legitimi illi ſunt, qui non ſunt contractus, & eorum valor ac effectus in futurum contingentem eventum ex ipſa natura actus, vel diſpoſitione iuris ſuſpendi nequit, ſed ſtatim ac fiunt, ſubſiſtere debent; idcirco appoſitione unius vel utriuſque illico invalidi, & irriti exiſtunt; quia huiuſmodi appoſitiones eorum naturæ ſeu eſſentiæ adverſantur*. Ex huiuſcemodi actibus eſt Matrimonium, quod non contrahitur in diem, neque ſub conditione.

Fallit hæc Regula in actibus legitimis, qui ſunt contractus; nam contractus diem & conditionem recipiunt, ac ideo emptio, & venditio poſſunt contrahi ſub conditione, unde valeat talis emptio: *emo tuum equum, ſi mihi placuerit* §. *emptio*.

Regula 51. *Semel Deo dicatum non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum*, Regula intelligenda eſt non de quibuſcumque rebus Deo dicatis, ſed de rebus Deo conſecratione ſeu benedictione eccleſiaſtica ſacratis, vel publica, præſertim Papali vel Epiſcopali auctoritate eccleſiaſtica ad cultum divinum & miniſterium ſacrum deputatis; ſiquidem res Eccleſiarum non ſacræ, etſi Deo ſint dicatæ, ad humanos uſus transferri poſſunt, ut fruges terræ, iumenta &c. ad Eccleſiam ſpectantia. Hinc

Senſus huiuſce Regulæ hic eſt: *Res quæ per conſecrationem vel per benedictionem ſacratæ ſunt, veluti Eccleſiæ, altaria, cœmeteria, calices, paramenta eccleſiaſtica, aliaque ſacra ſupellex: Item Monaſteria, hoſpitalia, aliaque loca pia auctoritate Papali, vel Epiſcopali ad uſum divinum, ſacrum Miniſterium, cauſſaſque pias principaliter ordinata, ad ſæcularium ſeu laicorum profanos uſus transferenda, & adhibenda amplius non ſunt*. Et ratio eſt, quia reverentia præfatis ſacris, ſeu ſacratis rebus debita merito exigit, ne contra primum ac principalem finem ad profanos ſæcularium uſus amplius applicentur, cum qui contra debitam reverentiam facit, ſacrilegium committat.

Fallit 1. hæc Regula in caſu neceſſitatis, qua laboret Eccleſia, debitis, puta, nimis gravata, vel ſi agatur de redemptione captivorum, vel alia egentium neceſſitate ſublevanda; tunc enim licet confringere calices, aliaqua vaſa ſacra, & ſic quaſi execrata, ea laicis vendere ad profanos uſus, c. *Ea enim* 2. §. *Præterea* cauſſ. 10. q. 2. & can. *Aurum* 20. cauſ. 12. q. 2.

Fallit 2. in Servo, qui inſcio domino ſuo promoveatur ad ſacros Ordines. Hic enim licet per ordinationem Deo dicatus, tamen domino ſuo ad profanos labores eſt reſtituendus Can. *Ex antiquis* 9.

Regula 52. *Non præſtat impedimentum quod de iure non ſortitur effectum*. Senſus huius Regulæ eſt, quod *quidquid de iure nullum ſeu invalidum eſt, omni iuris caret effectu, nullum omnino cauſſat impedimentum, nempe minime impedit quin alius actus valide, & licite fieri valeat*. Quia, ut ex Regula 64. inter alias iuris in 6., *quæ contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi*. Hinc Sponſalia priora nulliter contracta cum perſona impedita, puta cum minore ſeptennio, non impediunt quominus contrahens poſtea cum matre prioris ſponſæ matrimonium inire valeat, niſi forſan prior ſponſa completo ſeptennio in priora ſponſalia

lia conſenſerit c. *Literas* 4. *de deſponſ. impuber.* ubi ratio ſola additur: *cum deſponſationes huiuſmodi nullæ ſint*; & ſic in aliis huiuſcemodi caſibus.

Fallit hæc Regula 1. in Matrimonio rato. Hoc ſiquidem tametſi invalidum ſit (dummodo tamen tale non ſit ex defectu conſenſus) parit impedimentum publicæ honeſtatis ex iure antiquo, quod non correxit ius novum in Tridentino, ſicut correxit reſpectu Sponſalium.

Fallit 2. in legato. Hoc ſiquidem alicui rite facto cenſetur tacite revocatum, ſi idem poſtea alio leget teſtator, etiamſi poſterior legatarius huiuſmodi legati ſit incapax; nam reſpectu illius eſt invalidum illius legatum L. *Plane* 34. pr. ff. *de legat.*

Fallit 3. in iudice delegato. Hic enim ſi ſententiam de iure nullam profert, non poteſt eam revocare, & aliam proferre, ſed alius iudex deputandus eſt L. *ſi* (*ut proponis*) 4. cap. *Quomodo & quando iud.*

Fallit 4. in Commiſſario ſcienter vel ignoranter eligente indignum; quia etſi nulliter hic elegerit, alium tamen non amplius eligere poteſt, ſed eligendi poteſtas devolvitur ad eligentes cap. *Si compromiſſar.* 37. *Si vero de electio. in 6.*

Regula 53. *Cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus*. Hæc Regula intelligi poteſt tam affirmative quam negative; ita ut ſicut verum eſt in ſenſu affirmativo, *cui licet plus, licet etiam minus*, ſic e contra in ſenſu negativo verum pariter eſt *cui non licet quod eſt minus, utique non licet quod eſt maius*. Senſus huiuſce Regulæ eſt, quod *cui licet quod eſt plus ſeu maius, licet etiam quod eſt minus in maiori contentum, tamquam pars in toto vel ſpecies in genere, aut quando utrumque tam maius quam minus eſt eiuſdem ordinis, ac eadem in utroque reperitur ratio*. Hæc Regula nota eſt lumine ipſo rationis.

Fallit hæc Regula 1. quando forma mandati aliud requirit: Hæc enim exacte eſt obſervanda. Quare ſi alicui Papa iubet provideri de integra Præbenda, ipſo etiam volente & conſentiente dimidia conferri nequit cap. *Cui de non* 27. *de Præbend. in 6.*

Fallit 2. quando quis expreſſe prohibetur minori ex cauſſa, ut ſi quis privetur minori ob utilitatem aliorum, vel aliam ob cauſſam.

Fallit 3. in Sacerdote Miſſam celebrante, cui cum liceat ſumere Euchariſtiam ſub utraque ſpecie quod plus eſt, eidem tamen non licet eamdem ſumere ſub una tantum ſpecie c. *Comperimus* 12. diſt. 2. *de conſecrat.*

Fallit 4. in Tutore, cui tametſi conceſſum ſit a Prætore quod maius eſt, nempe vendere rem pupillarem, ei tamen non licet quod minus eſt, nempe eam oppignorare L. *Si pupillor.* 7. & § 3. ff. *de rebus eorum*.

Regula 54. *Qui prior eſt in tempore, potior eſt in iure*. Congruit hæc Regula cum Regula 99. Iuris civilis. Hæc Regula intelligenda eſt cæteris paribus, ac proinde locum habet in iis tantum, in quibus per omnia par cauſſa eſt, excepto tempore. Quocirca ex duobus emptoribus, & donatariis ille præfertur, cui prius res vendita vel donata eſt. L. *Quoties* 15. c. *de re vindicata*.

Senſus igitur Regulæ eſt, quod *ubi par eſt cauſſa a voluntate duorum dependens, inter certantes de iuris prælatione, cæteris paribus ille præfertur, qui anterius ſeu antiquius ius habet*. Ratio eſt, quia *cuiuſque rei potiſſima pars principium* L. 1. ff. *de regulis iuris*.

Fallit 1. hæc Regula in pignore & hypoteca, cum in his ordinarie præferendus ſit cui res prius ſive generaliter, ſive ſpecialiter, ſive tacite, ſive expreſſe oppignorata eſt L. *Potior* 11. pr. ff. *Qui potior in pignore*.

Fallit 2. in privilegiis, cum privilegiatus præferatur non privilegiato in ſolvendo ac repetendo.

Regula 55. *Qui ſentit onus, debet ſentire & commodum, & e contra*. Hæc Regula bimembris eſt, ideſt duas in ſe Regulas continet, ut ex verbis *& e contra* patet. Per *onus*, & *commodum* intelligit Regula non quævis, ſed illa præcipue onera, & commoda, quæ vel ex natura rei, vel ex diſpoſitione legis proveniunt, eique ſunt annexa. Senſus Regulæ eſt quoad primum & principale membrum affirmativum, quod *quicumque ſuffert aut ſentit onus ſeu incommoda, & damna alicuius rei, vel actui ex natura rei vel diſpoſitione iuris annexa, aut inde provenientia, debet etiam percipere, & ſentire commoda, ac emolumenta pariter annexa, indeque provenientia*. Et ratio Regulæ eſt, quia iuxta Regulam 10. ff. *de Regulis iuris* ipſa natura dictat, ut qui propter rem aliquam ſubit onera & incommoda, commoda quoque, & emolumenta inde provenientia percipiat. Unde ſicuti emptor poſt emptionem, traditione nondum facta, ſubit

pe-

periculum omne rei emptæ, ita & lucrum, ſi v. g. acceſſit aliquid per alluvionem; & uſufructuario cedunt arbores demortuæ, eo quod loco earum alias ſubſtituere tenetur. Ita ex oppoſito diſcurrendum in poſteriori parte Regulæ *& e contra*, ſeu *qui ſentit commodum, ſentire debet & onus*, quod ex ipſa naturali ratione æque patet. Hinc Clericus, ſicuti Beneficii eccleſiaſtici fructus percipit, ita & ad Eccleſiæ ſuæ refectionem ad officium peragendum tenetur.

Regula 56. *In re communi potior conditio eſt prohibentis*. Regula hæc concordat cum L. *Sabinus ait ff. de communi dividendo*. Per verba *in re communi* intelligit Regula talem rem, quæ indiviſa pertinet ad duos vel plures, ut ſingulos, non ut univerſos, ſed prout collegium aut commune faciunt. Ita communiter DD. Per verbum autem *prohibentis* intelligit Regula, & comprehendit contradictionem, diſſenſum, & oppoſitionem. Senſus Regulæ igitur eſt, quod *ſi res ad plures pertineat, non poteſt unius tantum voluntate ſine aliorum conſenſu mutari, ſed illorum prævalere debet prohibitio*. Ratio autem Regulæ eſt, quia iniquum eſt alieno facto aliquem lædi, aut ius ſuum diminui. L. *Non debet alteri*.

Fallit 1. hæc Regula univerſaliter, quando non intereſt ſocii prohibentis, cum quivis merito pati debeat id quod ſibi non nocet, & alteri prodeſt L. 1. §. 11. ff. *de Aqua, & aqua pluviali arcenda*.

Fallit 2. rurſus univerſaliter, quando prohibente, & invito uno, alter re communi fruitur ad talem uſum, ad quem parata ſeu deſtinata eſt, ut conſtat de fundo, ſeu loco pluribus communi pro ſepultura, in quo licet extraneus etiam unico contradicente ſepeliri nequeat, tamen quia locus pro ſepultura dominorum deſtinatus eſt, quivis illorum etiam altero prohibente ibi tumulari valet L. *Si plures* 41. ff. *de religioſis & ſumptib. funer.*

Fallit 3. quando pro conſervanda re communi reparatio, vel quid aliud fieri debet: tunc enim id ab uno fieri poteſt, etiam altero reclamante. Immo ſi ſocius ad hoc contribuere detrectet, ademptione dominii, quod in re habet, puniri poteſt L. *Si (ut proponis)* 4. cap. *de ædificiis privat.*

Fallit 4. pro favore obtinendæ libertatis. 5. In concurſu plurium patronorum ad idem Beneficium. 6. Quando Princeps vel Fiſcus rem cum aliis communem habet.

Regula 57. *Contra eum qui legem dicere potuit, apertius eſt interpretatio facienda*. per verbum *legem* hic intelliguntur pacta præcipue, conditiones, vel obligationes, quæ contractibus apponi ſolent L. 10. cap. *de Pactis*. Quare hic eſt ſenſus Regulæ: *Quando in contractibus, & aliis actibus pacta, conditiones, vel aliæ obligationes quaſi leges ad alterum obligandum per verba obſcura, dubia vel ambigua apponuntur, interpretatio facienda eſt contra eum, qui eiuſmodi leges appoſuit*. Et ratio eſt, tum quia iuxta Regulam 30. iuris in 6. *in obſcuris minimum, ideſt minus gravans & obligans eſt ſequendum*; tum quia qui aſſerit alterum ſibi eſſe obligatum, ſe ab obligatione eſſe liberatum probare debet. L. 2. ff. *de Prob.*

Unde Regula hæc non ſolum locum habet in contractibus ſtricti iuris, ſed etiam bonæ fidei ex L. *Vetrib.* ff. *de Pactis*. Item Regula hæc non tantum nocet proferenti, ſed etiam ei in cuius gratiam eſt prolatum ex L. *Cum manu ſata ff. de contrahend. empt.* puta ſi Notarius verbum obſcurum poſuiſſet in alterius favorem, contra hunc fieret interpretatio.

Fallit hæc Regula 1. quando mens legem ſeu conditionem obſcure ponentis, aliunde certo aut veroſimilius conſtat: quia quando de mente illius certa & veroſimilior habetur notitia, ſecundum eam procedendum eſt, iuxta Regulam 45. iuris in 6. *Inſpicimus in obſcuris quod veroſimilius eſt* &c.

Fallit 2. ſi ex facta contra obſcure proferentem interpretatione, tota diſpoſitio irrita, & omni carens effectu evaderet; quia univerſaliter interpretatio ſic facienda eſt, ut verba aliquid operentur, & diſpoſitio potius valeat quam pereat L. *Item veniunt* 20. §. 6. ff. *de hæred. petit.*

Fallit 3. In donationibus, quando de eis vere factis non conſtet, vel ſi conſtat, dubium tamen manet, an plus vel minus donatum ſit. Item ſi his derogaretur iuri iam quæſito tertii.

Fallit 4. in votis, utpote in quibus ſtante dubio vel ambiguitate, ideſt ſi dubitet vovens an vere voverit, pro vovente interpretatio ſit facienda; quia tunc vovens ad votum non tenetur, ut communiter DD. iuxta regulam iuris *in obſcuris minimum eſt ſequendum*.

Regula 58. *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum*. Regula per verba *contra bonos mores* ſignificare ac dicere vult, *contra legem naturalem, divinam, & humanam ſub gravi vel levi culpa obligantem*; Nam quidquid contra hæc iura agi-

agitur, eſt offenſa Dei, idcirco malum. Unde ſenſus huiuſce Regulæ eſt: *Qui iurat aliquid facturum vel omiſſurum quod adverſatur iuri ſeu legi naturali, divinæ vel humanæ ſub gravi culpa vel levi obliganti, idcirco contra bonos mores, & quod licite ſervari nequit, nullatenus iuramentum ſervare tenetur, immo potius illud non obſervare, eoque non obſtante legi obedire*: Tum quia iuramentum non eſt ſervandum, quod vergit in diſpendium æternæ ſalutis, vel alterius damnum cap. ultim. *de Pactis*; tum quia *iuramentum non eſt inſtitutum ut ſit vinculum iniquitatis*, ait Gloſſa: Rebus enim uti debemus eo modo, ad quem ſunt inſtitutæ.

Ubi vero agitur de moribus civilibus, puta de non alienanda dote, non mutando teſtamento, & ſimilibus, quæ lege tantum civili vetantur, iuxta communem Canoniſtarum & Theologorum iuramenta hiſce legibus civilibus repugnantia, modo intrinſece non ſint res mala, ac proinde non vergant in diſpendium æternæ ſalutis, nec in præiudicium tertii, ſervanda ſunt; quia probabile eſt, huiuſcemodi leges non obligare in conſcientia, ut Suarezius.

Regula 59. *Dolo facit qui petit quod reſtituere oportet eidem*. Concordat cum Regula 134. iuris civilis. Regula ita eſt intelligenda, quod ille doloſe ac malitioſe fraudandi animo agere præſumitur, qui rem ad ſe non pertinentem petit ab aliquo, quam poſtea acceptam, eidem a quo eam petiit, ſic exigente iuſtitia, ſtatim iterum reſtituere debeat; unde nullam iuſtam videtur habere cauſſam petendi, conſequenter ex dolo, & malitia, animoque fraudandi petere, iuſte præſumitur. Unde

Senſus Regulæ eſt: *Quilibet facere ex dolo, & animo fraudandi de iure præſumitur, qui rem aliquam ad ſe non pertinentem ab altero petit, quam etiam obtentam, eidem a quo petiit, exigente iuſtitia, ſtatim reſtituere tenetur*. Dicitur notanter *quam eidem a quo petiit, iterum reſtituere tenetur*; quia Regula non eſt intelligenda de eo, qui ab altero rem aliquam petit, quam non eidem a quo petiit, ſed alicui alteri, ideſt domino ſuo reſtituere debet L. *Si ſocer* 44. §. 1. ff. *de ſolut. Matrim.* Quare cenſeri non debet reus doli commodatarius, qui rem ſibi commodatam, & poſtea a fure ablatam, ab eodem petit, quia eam non furi a quo petit, ſed alteri ſeu domino reſtituere debet. Sic etiam licet legatarius ſit proprietatius rei legatæ, nequit tamen ſibi eam arripere, & ſi hoc faciat, reſtituere debet hæredi, etſi hic paulo poſt debeat eidem legatario legatam reſtituere, ita legibus diſponentibus. Idem contingit in ſimilibus, quando ius habemus petendi, quæ non debito modo occupantur.

Regula 60. *Non eſt in mora qui poteſt exceptione legitima ſe tueri.* Regula hæc concordat Regulæ 113. iuris civilis. Exceptio legitima eſt iuxta Caniſium pacti de non petendo, doli mali, metus, iuriſiurandi, & ſimilium. Item ſi quis valetudine, tempeſtate, vi fluminis, vel alias iuſte impeditus fuerit L. 2. §. *cum ſæpe ff. Si quis cautionem*. Hæc enim a mora excuſant, & conſequenter etiam a pœna vel damno. D. L. & cap. penult. *circa finem extra de Pignor.*

Porro ſenſus Regulæ eſt, nempe *non eſſe in culpabili mora ſolvendi, faciendi, vel præſtandi, qui eo tempore, quo alias deberet, vel debere prætenditur, non ſolvit, facit, aut præſtat quod debet, aut debere prætenditur, & conſequenter nec pœnas moræ culpabilis incurrit, qui ſufficienter probare poteſt, quod ex rationabili cauſſa iuſta præfato tempore debitum ſolvere, aut præſtare omiſerit*. Et ratio eſt, quia mora, de qua iura loquuntur, ſupponitur eſſe inculpabilis, adeo ut ubi culpa non eſt, nec mora adeſſe cenſeatur.

Regula 61. *Quod in gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum*. Senſus Regulæ eſt: *Quod alicui conceditur ut gratia, & favor pro commodo, ac utilitate, non ita interpretandum eſt, ut ei ſit oneri, incommodo vel præiudicio*. Reſcripta enim recipiunt vires, & effectum ab intentione ſcribentis cap. *Ad aures* 8. *de Reſcript*. Et equidem ſi quod in gratiam conceſſum eſt, in diſpendium retorqueretur, iam non eſſet gratia, ſed onus, neque expeteretur, ſed fugeretur. Unde cum in favorem Minorum introductum ſit beneficium in integrum contra venditorem, ſi hoc uti nolit Minor, adverſarius non poteſt petere reciſionem contractus invito Minore, ne in eius læſionem vel damnum retorqueatur quod in favorem introductum eſt L. *Si iudex* 41. ff. *de minor*. Sic &c.

Fallit hæc Regula in gratiis, quæ non motu proprio, ſed in gratiam petentis ſunt conceſſæ. Gloſſa. Ratio fallentiæ fundatur in illo iuris principio, quod quid iuris in alterum quis ſtatuerit, ut ipſe eodem iure utatur, tot. tit. ff. *Quod quiſque iuris in alterum*.

Re-

Regula 62. *Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*. Concordat cum Regula 48. iuris civilis. Senſus huius Regulæ eſt, quod *qui alteri ſive petenti, ſive non petenti conſilium bona fide præbet, nullatenus tenetur ad reparanda damna, vel ſuſtinenda incommoda, quæ ex tali conſilio præter intentionem ſequuntur*. Et ratio eſt, quia licet ex unius conſilio alter efficaciter ad agendum vel omittendum moveatur, tamen ad id ſequendum minime obligatur l. 2. ff. *mandati* §. 6. Inſuper ſi talis eſſet conſulentis conditio, ut ex conſilio bona fide, ac prudenter dato, teneretur reſarcire damna præter intentionem, quæ ſæpe ſequi ſolent, & a commodis ex conſilio ſecutis excluderetur, nemo foret qui conſilium dare vellet.

Fallit hæc Regula in Aſſeſſoribus, Advocatis, Medicis, & aliis, quibus ex officio incumbit dare conſilium. Hi enim licet non ex dolo & fraude, ſed ex imperitia conſilium alteri nocivum etiam ex bona fide præbeant, ad reſarcitionem damni inde ſecuti tenentur l. 2. ff. *Quod quiſque iuris in alterum*.

Regula 63. *Exceptionem obiiciens non videtur de intentione adverſarii confiteri*. Regula ita intelligenda eſt, quod quando quis ab alio aliquid petit, ſive prætendit, & hic quidem expreſſe non negat, nec expreſſe factum confitetur, in quo intentio actoris ſeu petentis fundatur, ſed tamen excipit ſeu ponit aliquam petitionem contra huiuſmodi petitionem, non videtur confiteri intentionem ſui adverſarii aliquid ab eo petentis; puta: Accuſat aliquis quemdam in iudicio, quod ei domum, vel agrum vendiderit, & ille nondum ſolverit, ut ad ſolvendum compellatur; alter vero expreſſe non negat venditam ſibi eſſe domum, neque id expreſſe fatetur, excipit tamen, dicendo iampridem ſolviſſe, vel adeſſe pactum de non ſolvendo, vel &c. hic non cenſetur fateri intentionem adverſarii petentis; quia exceptio eſt actionis & intentionis excluſio; quia ille qui excipit, id quod ab eo petitur intendit improbare, & tacite ſaltem negare l. 2. ff. *de except.*

Senſus genuinus huius Regulæ eſt, nempe *quando reus contra intentionem actoris exceptionem apponit, adverſarii intentionem non cenſetur fateri, nec huic, ſed Actori adverſario incumbit onus probandi; dummodo factum, in quo intentio actoris fundatur, abſolute non fateatur*. Dicitur notanter *dummodo factum, in quo intentio Actoris fundatur, abſolute non fateatur*; quia ſi reus fateatur, tunc actor ſuam intentionem iam ſatis fundaſſe cenſetur, ut ſublevetur ab onere probandi, & reo incumbit onus probandi: v. g. ſi Carolus Actor dicens ſe domum vendidiſſe Ioanni pro ducentis ducatis, quos quia non ſolvit, dicat: *peto ut ad ſolvendum compellatur*: Ioannes vero reſpondeat & fateatur ſe domum a Carolo emiſſe, ſed amplius pretium non debere, quia loco illius aliud bonum immobile Carolo dederit; tunc Ioanni incumbit onus probandi ſuam exceptionem.

Regula 64. *Quæ contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi*. Regula hæc ſecundum communem Doctorum intelligenda eſt de iis ſolummodo, quæ contra ius, ſeu leges & canones irritantes, non item de iis quæ contra ſimpliciter prohibentes vel præcipientes fiunt, niſi per has præſcribatur forma actus; quæ ſententia fundatur principaliter in cap. *Ad Apoſtolic.* 16. *de Regular.* ubi ſic: *Multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*. Sic matrimonium cum ſimplici voto caſtitatis, ſicuti etiam contra interdictum Eccleſiæ, illicite quidem, ſed valide contrahitur.

Senſus itaque huiuſce Regulæ eſt hic: *Quidquid agitur contra ius ideſt contra canonem, aut legem, qua actus irritatur, vel nullus declaratur, aut illius forma ſubſtantialis præſcribitur, invalidum eſt, & pro infecto habetur*.

Regula 65. *In pari delicto & cauſſa potior eſt conditio poſſidentis*. Hæc Regula concordat Regulæ 171. Iuris civilis. Regula intelligenda eſt in hoc ſenſu, ſcilicet *quando duo* (& hic eſt etiam ſenſus Regulæ) *in eadem cauſſa rei ſunt delicti, puta ſi unus ex delicto dat, & alter ex delicto accipit, melior eſt conditio poſſidentis, ita ut reſtituere non amplius teneatur. Item ſi duo parem cauſſam abſque delicto habent, pariter melior eſt conditio poſſidentis, adeoque a poſſeſſione deiici non poteſt, donec adverſarius legitime probet, ſe meliori gaudere iure*. Et ratio huius Regulæ quoad utramque partem eſt, quia in pari delicto vel cauſſa poſſeſſor duos habet titulos, unum dubium, eumdemque quem habet adverſarius, videlicet num rei proprietas ad ſe pertineat, necne; alterum certum & indubitatum, nempe poſſeſſionem, quo titulo quia adverſarius caret, merito iura magis favent poſſidenti, præſertim quia duo vincula magis ligant quam unum arg. cap. 1. *de Tregua & Pace*; & alias in iudicio petitorio poſſeſſor perſonam Rei agit:

reus autem ordinarie gaudet favore maiori, quam Actor, iuxta Regulam 11. de R. S. in 6. Hinc datum iudici, ut iniuſtam ferat ſententiam, meretricii pro meretricio non, amplius repeti poteſt, ut ex §. *Retinendæ* 4. *Inſtit. de interdict.* & ex l. 4. pr. ff. *eodem* & alibi. Sic pro altera parte Regulæ *in pari cauſſa ſine delicto*, ſi duo eamdem rem a duobus non dominis bona fide emant, ille cui res etiam eſt tradita, prævalet, quia in pari cauſſa melior conditio eſt poſſidentis l. *Sine autem* 9. §. *ſi duobus* 4. ff. *de Public. in rem action.*

Procedit hæc Regula 1. ſive poſſeſſor ſit Actor, ſive Reus, non obſtante Regula 168. Iuris civilis *favorabiliores eſſe Rei partes*. 2. Etiam contra cauſſam piam & favorabilem. 3. Iuxta Pellizzar. in *Manuali Regular.* ſive quæſtio ſit iuris, ſive facti.

Fallit 1. hæc Regula in Simonia reali, quia etſi par ſit in dante, & recipiente delictum, qui tamen recepit, reſtituere tenetur. 2. Quando uxor lenocinio viri adulteratur, in quo caſu, mortua uxore, nequit maritus dotem retinere, ſed iis, ad quos ſpectat, reſtituere debet.

Regula 66. *Cum non ſtat per eum, ad quem pertinet, quomodo conditio impleatur, haberi debet perinde ac ſi impleta fuiſſet.* Concordat hæc Regula Regulæ 122. Iuris civilis. Hæc Regula intelligenda eſt in ſenſu ſequenti, qui eſt verus ſenſus Regulæ: *Quando in lege, contractu, teſtamento vel alia diſpoſitione aliquid in alicuius favorem ordinatur ſub certa quadam conditione, & is cui opponitur conditio, facit quantum eſt in ſe, nihilque prætermittit eorum, quæ ad conditionem implendam ſpectant, & tamen implere non poteſt, eo quod ab illo, cuius intereſt conditionem non impleri, impediatur, perinde haberi, & favore frui, ac ſi conditionem reipſa implevisſet.* Regula non ſolum a culpa eximit illum qui appoſitam conditionem non adimplet, dum impeditur, ſed vult inſuper quod conditio habeatur etiam pro adimpleta, ſi quis impeditur a tali, cuius intereſt conditionem non impleri; ad differentiam Regulæ 41. vi cuius excuſatur quidem a culpa, ſi non facit quod facere non potuit, nullum tamen præterea conſequitur fructum, ſeu effectum, uti contingit quando quis impeditur a conditionibus ad valorem & uſum Sacramentorum neceſſariis, ubi licet quis careat culpa, effectum tamen Sacramenti non conſequitur. Ratio autem Regulæ eſt, quia nemo poteſt ad impoſſibile obligari, iuxta Regulam 6. de R. S. in 6. Legislatores enim, ac aliarum diſpoſitionum auctores non cenſentur (ſaltem in ordine ad illos, quorum intereſt non impleri conditionem, quam iniuſte impediunt) conditiones aliter apponere, quam ſi eas implere poſſibile ſit, nec velle favere illis, qui malitioſe impediant, nec lucro & favore deſignato privare eos, qui nihil eorum omiſerunt, quæ ad præſcriptam conditionem implendam ſpectant. Et inter alia clariſſimum exemplum eſt illud Abrahæ Geneſ. 22. volentis occidere filium, qui idem præmium retulit, ac ſi illum immolaſſet.

Regula 67. *Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.* In duplici ſenſu hæc Regula procedere, & intelligi poteſt: 1. quod alicui ſuo nomine in propria perſona facere non licet, nec alieno, ideſt nec per alium ſeu ſubſtitutum eidem licebit. In ſecundo ita; quod quis ſuo nomine, ſcilicet per ſe ipſum licite facere non poteſt, id neque alieno nomine, ideſt nec pro alio poterit. Procedit hæc Regula præſertim de maleficiis & delictis, non tantum iure divino, & naturali, ſed etiam humano vetitis. Sic quia non licet nomine meo, & in propria perſona innocentem occidere, vel furtum, & uſuram committere, ita neque alieno nomine, ideſt nec per alium pro me, nec pro alio committere licebit. Unde

Senſus huius Regulæ eſt: *quod quis, prohibente iure divino, naturali, aut humano licite facere non poteſt ſuo nomine, id nec alterius nomine, ideſt nec alium per alium pro ſe, nec in propria perſona pro alio licite facere poterit*: Tum quia cum quis regulariter in quovis negotio ad agendum pro ſe, & ad ſe aliquo modo pertinentibus facilius admittatur, quam pro aliis arg. can. *Prohibentur* 14. cauſſ. 2. q. 1. conſequens eſt, quod ſi quis ſuo nomine quid agere prohibetur, multo magis id alieno nomine agere prohibitus eſſe cenſeatur: Tum quia ſi quod non licet proprio nomine, alieno liceret, admitteretur aliquod una via, quod alia prohibetur, contra Regulam 84. de R. S. in 6. ubi ſic: *Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia via non debet admitti*. Sicuti enim Clerico non licet nomine ſuo exercere fœnus, ſic idem ei non licet nomine alieno ean. *Sicut non ſuo* 10. diſt. 46.

Fallit hæc Regula univerſaliter, quando ratio prohibitionis, quæ eſt in cauſſa mea, ceſſat, ſeu non reperitur in alia, eique non obſtat. Ita DD. communiter. Sic licet mihi non liceat contrahere Matrimonium cum mea conſanguinea c. *Non debet* 8. *de con-*

*conſanguin. & affin.* poſſum tamen ut procurator nomine alterius, cum quo non eſt conſanguinea.

Regula 68. *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum*. Regula hæc id dicere vult, quod cum in commercio humano plurimæ ſint cauſæ, actus, & negotia, quæ quis ipſemet peragere in perſona, aut tractare, vel impeditus non poteſt, vel ex quacumque cauſa non vult, poſſit alterius ad hoc apti, ac debite qualificati opera & auxilio uti, & per eum tam in iudicio, quam extra, facere, quod ipſemet licite ac legitime facere poteſt. Hinc

Senſus Regulæ huiuſce eſt, quod *qui aliquid, puta contractum, actum, negotium, cauſſam &c. per ſe ipſum valde ac licite facere, vel tractare poteſt, valet idipſum etiam per alium ad hoc idoneum, & debite qualificatum, valde & licite facere*. Et ratio Regulæ eſt, quia cum humana negotia plurima & varia ſint, quæ licet ad ipſum ſpectantia, quiſque per ſeipſum ſæpe peragere nequit, utpote vel negotiis ab aliis, vel ab infirmitate, aut alia ratione impeditus, idcirco aliorum opera aliqua ſaltem urgentiora perficit.

Fallit 1. hæc Regula, quando ad negotium aliquod, vel cauſſam expediendam ſpecialiter electa eſt induſtria, & fides certæ perſonæ: hæc enim nonniſi per ſe ipſam, minime vero per aliam negotium expedire poteſt cap. *Fin. §. Is autem de offic. judic. delegat*.

Fallit 2. quando alicui ex ſpeciali diſpoſitione iuris committitur certum miniſterium, & in reſidentia, cuiuſmodi ſunt Epiſcopi, Parochi, & Canonici c. *Quia nonnulli* 3. *de Cleric. non reſident.*

Fallit 3. quando alicui nudum miniſterium ſeu executio ſine iuriſdictione ſpecialiter committitur, v. g. iniunctio pœnitentiæ, diſpenſatio in irregularitate, excommunicatio, vel abſolutio ab eadem, &c. Hæc ſiquidem delegatus niſi per ſeipſum, minime per alium præſtare poteſt c. *finali* §. *cæterum de offic. delegat.*

Fallit 4. quando inter partes ſpecialiter conventum eſt, ut non per alium, ſed per ſe ipſum res fiat, ſicut & in caſibus, ubi ex ſpeciali loci conſuetudine, aut ſtatuto, vel teſtatoris voluntate ſpecialiter perſonale Miniſterium requiritur.

Regula 69. *In malis promiſſis fidem non expedit obſervare*. Ut ſenſus Regulæ facilius deprehendatur, notandum cum Gloſſa verba Regulæ *in malis promiſſis* dupliciter intelligi poſſe, uno modo videlicet quatenus ſignificat rem malam, turpem &c., quæ promittitur, v. g. homicidium, furtum &c., quorum ſiquidem promiſſionis nec expedit, nec licet fidem ſervare. Altero modo prout indicant male promiſſa ſeu male concepta, ita ut malitia ſe habeat non ex parte promittentis, nec ex parte rei promiſſæ, ſed promiſſarii tantum, qualia cenſentur promiſſa illa, quæ ex dolo, metu iniuſte incuſſo a promittente extorquentur, vel alias contra iuris præſcriptum obtinentur.

De quo loquatur Regula non conveniunt DD. Alii enim pro primo, alii pro ſecundo ſtant, ſed ſecundum Gloſſam, & permultos DD. Regula eſt intelligenda de malis promiſſis utroque modo. Quare verus huius Regulæ ſenſus eſt: *In promiſſis malis, quæ contra bonos mores, aut de re mala ſeu peccaminoſa fiunt, non tantum nulla eſt obligatio ſervandi fidem, ſed nec licet eam ſervare. In iis vero malis ſeu male promiſſis, quæ non contra bonos mores, ex parte tamen promiſſarii male, dolo v. g., metu iniuſte incuſſo extorta, vel malitioſe obtenta ſunt, quamvis fidem ſervare liceat, & valeat, tamen non expedit & conducit ea obſervare*. Et quoad primam partem Regulæ, ideſt de promiſſis contra bonos mores, iam patet. Quoad ſecundam vero partem, ſeu de malis promiſſis, quod tametſi in his fidem ſervare liceat, & valeat, non tamen expediat & conducat; ratio eſt, quia in his etiam fidem ſervare tam promittenti, quam promiſſario, & Reipublicæ præiudiciale eſt, idcirco non expediens: Non promittenti, quia fidem ſervando in rebus ſuis iacturam patitur; non promiſſario, quia accipiendo, & retinendo promiſſa dolo, vel iniuſto metu extorta, ſuam lædit conſcientiam; non Reipublicæ, quia huius intereſt, ne fraudes & malitiæ hominum foveantur, ne ex his innocens præiudicium & damnum, iniquus vero lucrum reportet contra Regulam iuris: *Fraus, & dolus nemini patrocinari debeant*.

Regula 70. *In alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri*. Nota 1. Regulam duas partes habere. Prima eſt, quod in alternativis ſit debitoris electio. Secunda, quod in alternativis ſufficiat unum impleri. Nota 2. cum Doctoribus *Alternativa* idem eſſe & ſignificare ac *disiunctiva*: Unde ſenſus Regulæ hic eſt: *Quando in contractibus ultimis voluntatibus; vel aliis diſpoſitionibus plura alternative ſeu disiunctive adimplenda ſeu præſtanda continentur regulariter in libero arbitrio debitoris, ſeu illius eſt, qui adim-*

*plere, & præſtare debet, quid ex illis præſtare velit, & ſufficit ſi unum ex illis faciat, aut præſtet*. Prima pars patet ex l. *Plerumque* l. *ſi ita*: Et ratio Regulæ eſt, quia alternativa diſpoſitio ex mente diſponentis in favorem debitoris eſt, ut in uno, in eo ſcilicet quod ſolvere, facere, &c., debet, gravatus, in alio ſubleveтur, nempe quod ſaltem ex alternativis præſtandis minus gravans, ſi velit, aut quod lubet, eligere valeat iuxta Regulam de R. S. *Semper in obſcuris quod minimum eſt*, (ſeu minus gravans) *ſequimur*.

Alterius partis ratio eſt, quia ſi ex alternativis unum præſtatur, ſufficienter verificatur propoſitio, & ſatisfit diſponenti. L, *ſi qui ita*.

Fallit hæc Regula 1. in alternativis ſeu diſiunctivis remediorum ſive actionum iudicialium. Nam in his electio Actori, non debitori competit.

Fallit 2. in alternativis pœnarum a iure pro delictis impoſitarum, quia circa hæc non ad delinquentem tamquam debitorem, ſed ad iudicem ſpectat.

Fallit 3. in Gratiis, & beneficiis, ac favoribus Principum alternative ſeu diſiunctive conceſſis, aut promiſſis: in his ſiquidem, non Principis tamquam debitoris, ſed recipientis, vel promiſſarii ſeu creditoris eſt electio, iuxta communem Doctorum.

Fallit 4. in alternativis locorum, ut ſi quis promittat ſe Romæ, aut Viennæ ſoluturum, nam penes creditorem eligere eſt locum, in quo ſolvatur.

Fallit 5. in legatis, quando teſtator verba ad ipſum legatarium, & non ad hæredem dirigat.

Regula 71. *Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multo magis admittendus*. Concordat hæc Regula Regulæ 199. Iuris civilis. Procedit hæc Regula, quando ſolummodo de eodem, & ad idem agitur, ac excipitur, ut advertit Gloſſa communiter recepta: ſicuti etiam quando non adeſt ſpecialis ratio exceptionem magis quam actionem repellens.

Senſus in Regula intelligendus hic eſt: *Quando alicui de iure competit actio pro re aliqua acquirenda, eidem etiam, & multo magis, competit exceptio pro eadem, ſi habeat retinenda, ad excludendam actionem, qua m alius pro eadem inſtituit*. Et ratio eſt, quia *cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus* ex Reg. 53. de R. S. in 6. Plus enim eſt agere quam excipere, cum non raro cui denegatur actio, concedatur exceptio c. *Cum inter 5. de except*. Tum quia exceptio tendit ad rei retentionem, quæ facilius conceditur, quam rei acquiſitio, qualem intendit actio l. *Per retention*. 4. c. *de uſuris*. Idcirco cui competit actio pro re aliqua acquirenda, multo magis ei competit exceptio pro ea retinenda.

Fallit hæc Regula 1. quis vi ſpolietur poſſeſſione, & agendo reſtitutionem petit; non enim competit ſpoliatori exceptio dominii, dicendo ſe eſſe rei dominum, & alterum iniuſtum poſſeſſorem, licet facta reſtitutione poſſit contra ſpoliatum agere c. 1. & cap. *in litteris*.

Fallit 2. in caſu electionis iam confirmatæ, in quo non datur exceptio contra miſſionem Prælati in poſſeſſionem, etſi contra eumdem in poſſeſſionem iam miſſum detur actio c. *Conſtit. 46. de Appell.* &c.

Fallit 3. in caſu ſolutionis uſurarum, quas ſolvere debitor iureiurando promiſit: in tali enim caſu licet poſt ſolutionem iam factam competat actio ad obtinendam reſtitutionem uſurarum ſolutarum, eidem tamen non competit exceptio contra ſolutionem præſtandam c. *Debitores 6. de iureiurando*.

Fallit 4. in caſu depoſiti; nam licet depoſitarius habeat actionem contra deponentem, ſi ei debeat, exceptione tamen uti non poteſt titulo compenſationis, ſi deponens repetat depoſitum c. *final.* v. *Sane de depoſito*.

Regula 72. *Qui facit per alium eſt perinde ac ſi faciat per ſeipſum*. Tametſi hæc Regula conſona videatur Regulæ 68. *Poteſt quis per alium* &c., tamen ab ea differt; & quia dicta Regula loquitur de poteſtate faciendi per alium, præſens vero de vi, & effectu actus per alium iam facti; & quia Regula iſta loquitur generaliter, ut etiam comprehendat maleficia, quatenus non ſolum ille, qui bona, ſed etiam qui mala & iniqua per alium facit, furatur nempe, aut occidit &c., perinde eſt ac ſi ipſe furatus eſſet, aut occidiſſet l. *Is damnum* 169. ff. de R. S. *Is damnum dat qui iubet dare*. Hinc

Senſus Regulæ eſt: *Quod quis per alium, ſive bene, ſive male facit, quoad iuris effectum pro eodem habetur ac ſi faceret per ſe ipſum*. Ille enim, qui mandat, delegat, ſubſtituit, &c. ut quid per alium fiat, eſt principalis cauſſa, & origo facti ſecuti, hoc ipſo quod factum non eſſet, niſi ipſe mandaſſet; idcirco merito tale factum ei imputatur, ac ſi ipſe feciſſet.

Re-

Regula 73. *Factum legitime retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, a quo non potuit inchoari*. Hæc Regula concordat cum Regula 86. Iuris civilis; & ita intelligenda eſt, quando nempe aliquid legitime, ideſt iuxta præſcriptum legum valide fit, valorem non amittit, nec retractari, nec annullari poteſt, aut debet, tametſi poſtea ſuperveniat mors, aut circumſtantiæ, quæ ſi prius, & antequam actus ſit factus, extitiſſent, inchoari ac fieri non potuiſſet. Sic contracto Matrimonio ſi alteruter cognoſcit conſanguineam perſonam coniugis, ideo contrahit cum coniuge affinitatem; Matrimonium tamen ex hoc non diſſolvitur, licet perveniat ad eum ſtatum, in quo non valuiſſet. Ita ſi quis poſt contractum Matrimonium fit furioſus, Matrimonium ex hoc eventu non diſſolvitur, licet ad eum ſtatum pervenerit, in quo non potuiſſet contrahi; & ſic dicendum in aliis huiuſcemodi caſibus. Igitur

Senſus Regulæ hic eſt: *Quidquid aliquando legitime factum, & in ſuo genere eſſentialiter perfectum ſeu completum eſt, nec a facientibus, nec ab aliis retractari vel aliunde invalidari poteſt, nec invalidum evadit, etiamſi caſus & circumſtantiæ ſuperveniant, quæ ſi prius extitiſſent, inchoationi, & valori eiuſdem obſtitiſſent*. Et ratio Regulæ eſt, quia bonum Reipublicæ pateretur, & in gravem confuſionem, litiumque copiam incideret, ſi actus, contractus, ſententiæ, & alia negotia legitime geſta, completa, & abſoluta reciſioni adhuc ſubiacerent, vel ex ſe invalida evaderent, caſu quo cauſæ & circumſtantiæ emergant, quibus ante initium actus exiſtentibus actus inchoari non potuiſſet.

Regula 74. *Quod alicui gratioſe conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum*. Regula hæc loquitur, & intelligenda eſt de iis favoribus, gratiis &c. quæ a Papa vel alio ſupremo Principe alicui in ſpecie, & ex ſpeciali ratione vel beneplacito conceduntur, contra vel ultra ius commune; & vult, ne hæc in exemplum vel conſequentiam, etiam ob paritatem rationis ab aliis trahantur. Hinc

Verus ſenſus Regulæ eſt: *Quod alicui in ſingulari ex ſpeciali favore, & gratia a Papa, vel ab alio ſupremo Principe contra vel ultra ius conceditur, ab aliis trahi non debet in exemplum vel conſequentiam, ut exiſtiment id ſibi quoque in ſimili caſu, & concurrente eadem ratione licitum*. Et ratio Regulæ eſt, quia favores, & gratiæ ſpeciales contra ius, vim ſuam præciſe recipiunt ab intentione & voluntate concedentis. Plurima habentur exempla in iure, & praxi, quæ brevitatis gratia omittere cenſeo.

Regula 75. *Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem a ſe præſtitam ſervare recuſat*. Senſus Regulæ eſt, quod *is qui fidem in contractu, vel quacumque conventione alteri datam non ſervat, ideſt non præſtat quod promiſit, non poteſt ab altero prætendere, ut ſibi datam circa idem factum fidem ſervet, ſeu quod reciproce promiſit, præſtet*. Et ratio in promptu eſt, quia in omni contractu hæc clauſula, & conditio tacite imbibitur, *ſervabo fidem, modo tu etiam ſerves; nolo enim eſſe deterioris conditionis*. Procedit Regula tametſi fidem violans velit per aliquid æquivalens ſatisfacere, quia *aliud pro alio, invito creditori ſolvi non poteſt*, ut habetur in l. 2. §. 1. ff. *de rebus credit. ſi cert. pet.*

Regula 76. *Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare*. Nota, nomine *perſonæ* intelligi in hac Regula non ſolum Prælatos Eccleſiarum tam ſæculares, quam Regulares, ſed etiam omnes illos ſive ſæculares laicos, ſive clericos, qui Eccleſiæ vel Monaſterio ſerviunt, eiuſque res, atque iura adminiſtrant, vel membra ſunt Eccleſiæ vel Monaſterii. De his Regula dicit, quod eorum qualiacumque delicta, ſive furtum, ſive homicidium committant, damnificent, aut iniuria afficiant &c. in detrimentum Eccleſiæ redundare non debeat, conſequenter Eccleſia ad reparationem damni illati, vel pœnam delicto impoſitam non obligetur, nec ipſamet in bonis ſuis damnum pati debeat. Quare

Senſus Regulæ hic eſt: *Si perſonæ, quæ Eccleſiæ ſive ſæculari, ſive Regulari deſerviunt, eiuſque res aut iura adminiſtrant, vel ſunt illius membra, cuiuſmodi ſunt Prælati, privati Clerici, aut Religioſi, Officiales ſive ſæculares ſive Regulares, puta Granarii, Cellarii, Œconomi, Procuratores, &c. delictum committunt, non debet illud in detrimentum Eccleſiæ redundare, nec ei quomodolibet præiudicare*: conſequenter non tenetur Eccleſia damna exinde aliis illata reſarcire, aut pœnam aliquam ſubire, nec damnum ſibi illatum ſuſtinere; quia delicta ſuos debent tenere auctores cap. *Quæſivit 2. de iis quæ a maiori parte Capituli*. Præfatæ enim perſonæ, ſi delinquant, non nomine Eccleſiæ delinquunt; idcirco delicta illis ſolis, non Eccleſiæ nocere debent. Tum quia Eccleſia gaudet favore, & iure Mi-

Minoris c. 1. *de integr. reſtitut.* Unde ſi Epiſcopus ob grave delictum deponatur, bona Eccleſiæ non confiſcantur.

Fallit hæc Regula 1. in delictis commiſſis a Prælato, vel aliis perſonis factis; hæc ſiquidem etiam Eccleſiæ præiudicant arg. can. *Placuit* 15. cauſ. 16 q. 3.

Fallit 2. quando Prælatus delinquit cum conſenſu Capituli, & communicato conſilio cap. *Cum dilectus* 2. *de ordin. cognit.*

Fallit 3. in Interdicto cap. *Cum dilect.* ubi propter delictum Prælati Monaſterium interdicitur.

Fallit 4. quando ex delicto Prælati vel alterius aliquid pervenit ad Eccleſiam, & hæc inde facta eſt ditior.

Regula 77. *Rationi congruit ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.* Hæc Regula quomodo ſit intelligenda indicabit eius ſenſus, qui hic ſequitur: *Quicumque alicui ſuccedit in dignitate, vel alio munere honorifico, aut prærogativa quadam, eidem etiam ſuccedit in onere ſeu in obligationibus tali dignitati vel muneri honorifico annexis, eaſque uti anteceſſor adimplere & præſtare debet.* Regula iſta innititur naturali rationi, & æquitati, ut demonſtrat Regula ipſa per illa verba *Rationi congruit.* Succeſſor enim ſtat quaſi pro hærede anteceſſoris: Unde ſicuti hæres inſtitutus, ita etiam ſubſtitutus, una cum honore ſuccedit in onere, puta ſolvendi legata, aliaque debita præſtandi; quia relicta ab inſtituente videntur legis poteſtate tacite repetita ab inſtituto, l. *Licet Imperator* 74. ff. *de legatis.* Sic filius qui ſuccedit in iure hæreditario, iuſpatronatus, indeque honorem & commoda reportat, puta honoratiorem locum in proceſſione, in capiendo modeſto ſubſidio, ſi ad inopiam vergat c. *Nobis* 25. *de iure patronatus.*

Regula 78. *In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.* Regula hæc eſt intelligenda in ſequenti ſenſu, qui eſt genuinus eiuſdem Regulæ: *Id quod intuitu urgentis alicuius gravis neceſſitatis ſubinde conceditur, aut permittitur, ab aliis ſumi non debet pro argumento, quaſi & illis in huiuſmodi caſu permiſſum eſſet, aut conceſſum.* Et ratio Regulæ eſt, quia cum huiuſmodi conceſſiones a iure exorbitent, in conſequentiam non ſunt trahendæ iuxta Regulam 28. immo in ipſo quoque cui ſunt conceſſæ, ceſſante neceſſitate tamquam cauſſa conceſſionis, ceſſare debent can. *Quod pro* 41. cauſ. 1. q. 1. Unde etſi in neceſſitate ob inopiam Sacerdotum beneficia ſæcularia & Parochiæ etiam Religioſis conferri valeant, id tamen ceſſante tali inopia, vel alia vera neceſſitate practicari non debet, iuxta tritum effatum: *ſæcularia ſæcularibus, Regularia Regularibus conferenda ſunt.*

Regula 79. *Nemo poteſt plus iuris transferre in alium, quam ſibi ipſi competere dignoſcatur.* Cum Regula hæc nitatur vulgari & naturali lumine noto principio *nemo dat quod non habet*, ita clare ipſius ſenſus patet, ut ſupervacaneum ſit eum explicare, ac exemplis declarare ac confirmare.

Regula 80. *In toto partem non eſt dubium contineri.* Hoc idem dicit Regula 114. Iuris civilis: *In toto & pars continetur.* Illa quoque Regula ita naturæ lumine nota videtur, ut nulla indigeat expoſitione, declaratione, aut confirmatione: Nam ſi pars in toto non contineretur, iam hoc ipſo pars illius non eſſet.

Regula 81. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter in ſpecie conceſſurus.* Regula hæc ita intelligi debet, quod licet ex claris Regulis iuris habeatur, *Semper ſpecialia generalibus inſunt* l. *Semper* 147. ff. *de Regul. Iur.* idcirco ſpecialia ſub generalibus comprehendantur, & *in toto* (iuxta Regulam paulo ante allatam) *partem non eſt dubium contineri*; iſta tamen, & concordantes iuris Regulæ non adeo univerſaliter, & abſolute procedunt, ut non patiantur ſuas limitationes, & quidem vi præſentis Regulæ.

Senſus igitur huiuſce Regulæ eſt, quod *quando aliqua in genere conceduntur, non intelliguntur conceſſa etiam illa, quæ quidem tamquam ſpecies ſub tali genere alias comprehenduntur, talia tamen ſunt, de quibus veriſimile eſt quod ea in ſpecie concedere nullatenus intenderit generaliter concedens.* Et ratio Regulæ eſt manifeſta; quia veriſimile non eſt, ea, quæ ſpeciali nota digna ſunt, ſub generali conceſſione comprehendi, niſi exprimantur, cuiuſmodi ſunt prorſus extraordinaria, inſolita, & de quibus in genere nequidem cogitatum eſt. Sic in generali conceſſione adminiſtrationis bonorum, non cenſetur venire donationis poteſtas cap. *fin. de offic. Vic. in* 6. Sic generalis commiſſio facta Legato Sedis Apoſtolicæ ſe non extendit ad cauſſas Fidei arg. can. *Frater noſter*; nec ad translationem Epiſcoporum c. *Niſi ſpecialis.* Et ſic dicito in aliis huiuſcemodi caſibus.

Regula 82. *Qui contra ius mercatur, bonam fidem præſumitur non habere.* Contra-

ius

ius mercari iuxta Regulam cenſetur omnis ille, qui aliquid emit contra prohibitionem legis, ſive divinæ, ſive humanæ, canonicæ ſeu civilis, ſive ſtatutorum Municipalium; & ita emens præſumitur cum mala fide emere. Quare

Senſus Regulæ huiuſce eſt: *Quicumque contra publicam, claram, & notoriam prohibitionem iuris, vel legis cuiuſcumque aliquid emit, id mala fide, atque cum dolo, & peccato facere præſumitur, ac propterea ſemper malæ fidei poſſeſſor, qui præſcribere non poteſt; eſſe cenſetur*. Rationem iſtius Regulæ allegat Dynus hic: Vel enim ſcivit emptor prohibitionem Iuris, & tunc manifeſtum eſt extra omne dubium, quod mala fides, dolus & malitia in illo reperiatur, cum quilibet teneatur in actibus ſuis ſe conformare legibus & ſtatutis c. 1. *de Conſtitut. Canonum ſtatuta cuſtodiantur ab omnibus*, & l. *Leges* 3. c. *de legibus*: vel neſcivit, & ex præſumptione iuris pro malæ fidei emptore, & poſſeſſore habetur, cum ſcire & debere ſcire facileque poſſe (prout res ſe habet quoad claras, & notorias legum prohibitiones) æquivaleant arg. l. Reg.4.§. 3. ff. *de iur. & facti ignorant.*

Regula 83. *Bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterum exigatur*. Concordat hæc Regula cum Regula 58 Iuris civilis. Regula eſt intelligenda iuxta illius proprium ſenſum, qui ſequitur: *Creditor, qui ſolutionem debiti iam ſemel petiit, & illam obtinuit, eam ulterius petere ſeu exigere bona fide, ſeu bona conſcientia non poteſt*. Ratio eſt clara, quia vera ſolutione debiti tollitur omnis eiuſdem obligatio.

Fallit Regula 1. univerſaliter, quando una exactione, & præſtatione debiti non extinguatur ulterius eiuſdem obligatio, ut ut patet in exactione debiti coniugalis, tributorum, vectigalium &c.

Fallit 2. in cauſſa dotis: hanc enim ſemel exactam, etiam acceptam, ſecundo nubens filia denuo exigere poteſt, ſi prima vice vi facti patri reddita ſit.

Regula 84. *Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti*. Pro faciliori Regulæ intelligentia notandum, aliquid dupliciter prohiberi poſſe, abſolute ac ſimpliciter, & principaliter ratione ſui, ita ut prohibitio non viam, aut modum aliquid obtinendi vel agendi, ſed rem, ſive actum ipſum reſpiciat cauſſa prohibitionis ſemper durante: huiuſmodi vetita ratione ſui ſunt adulteria, furta, periuria &c. vel alio modo prohiberi poſſunt non abſolute & ſimpliciter, & ratione ſui, ſed dumtaxat quoad viam electionis, non vero quoad viam poſtulationis c. fin *de Poſtul. Præl.* Regula loquitur, & intelligitur in primo ſenſu. Idcirco

Verus ſenſus Regulæ eſt ſequens: *Quando aliquid ſimpliciter ac principaliter ratione ſui, ſuave naturæ prohibitum alicui habetur una via vel modo, ad id alia via vel modo admittendus non eſt*. Et ratio Regulæ eſt, ne fraus legi fiat, ex l. *fin*. cap. *Si Mancipium ita venierit*.

Fallit hæc Regula, quando aliquid vetitum eſt non ſimpliciter & principaliter ratione ſui, ſed quoad certam viam dumtaxat, vel modum.

Regula 85. *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur*. Regulæ huic concordat Regula 24. Iuris civilis. Per verbum *legem* intelligit Regula *formam, naturam*, & *obligationem* contractus, & dicere vult, qualiter & quomodo obliget contractus, dependere a contrahentium voluntate.

Senſus Regulæ hic eſt qui ſequitur: *Qualiter, quomodo, quo tempore, quo loco, quibus ſub conditionibus contractus aliquis obliget, dependet ex ſpeciali contrahentium pacto ſeu conventione, qua legem mutuo obligantem ſibi imponunt*: Nam quivis rei moderator eſt, & arbiter.

Fallit 1. hæc Regula, quando contrahentium conventio fit contra formam ſubſtantialem ſeu eſſentialem contractus.

Fallit 2. ſi conventio contrahentium eſt turpis, vel de re turpi, inhoneſta, impoſſibili de iure, vel de facto cap. *fin. de Pactis in fine*.

Regula 86. *Damnum quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputare*. Regula deducta eſt ex Regula 104. Iuris civilis. Per verba *ſua culpa* intelligitur non tantum quævis culpa theologica vel civilis, ſed inſuper quævis cauſa, quam quiſque ipſemet, etiam abſque dolo, & ullo delicto libere præbet ad damnum incurrendum. Sic qui bona fide compromittit in arbitros, horum ſententiæ, etiam minus iuſtæ, & ſibi non leviter damnoſæ ſtare debet, ac ſibi, & non aliis imputare damnum inde ſecutum, quia ad illud ipſemet cauſſam dedit ſponte compromittendo in arbitros l. *diem proferre* 27. §. 2. ff. *de Receptis qui arbitrium*. Nota inſuper, quod nomine *damni*, non tantum poſitivum, ſed etiam negativum, ſeu lucri carentia intelligitur. Quapropter

Senſus huius Regulæ hic eſt: *Damnum vel*

*vel jacturam lucri, quam quis ſentit ex ſua culpa, vel cauſſa, quam ipſemet libere præbuit, ſibi & non aliis imputare debet*. Et ratio Regulæ eſt, tum *quia non debet aliquis alterius odio pergravari* cap. *Non debet*; tum *quia culpa ſuos, non alienos tangit auctores* l. *Sancimus* 22. cap. *de Pœnis*.

Regula 87. *Infamibus portæ non pateant dignitatum*. Pro clariori Regulæ intelligentia, nota, infames alios eſſe infamia *iuris*, ſeu de iure, alios infamia *facti*, ſeu ex facto, prout nempe infamia eſt qua laborant. Infamia iuris ea eſt, quæ ex ipſius iuris diſpoſitione contrahitur ob certa delicta, idque vel ſtatim ipſo facto, vel poſt ſententiam iudicis. Infamia facti ea eſt, quæ contrahitur non quidem ex diſpoſitione iuris, ſed ex talibus factis, & delictis. Quapropter bona opinio & exiſtimatio apud probos ac honeſtos viros gravatur.

Regula intelligenda eſt iuxta ſuum ſenſum, qui hic ſequitur: *Quicumque ſive iuris, ſive facti infamia laborat, ad dignitates, & munera honorifica aſſumi, & admitti non debet*, ut ex ff. *de iis qui notantur infamia*, & c. *ex quibus cauſſis irrogatur infamia* can. *omnes* 2. cauſ. 6. q. 1. c. penult. & ult. *de ſecundis Nuptiis*. Et ratio Regulæ eſt, quia ad dignitates illi promovendi ſunt, qui integritate vitæ & morum probati, & iis ſunt, quibus præſunt, verbo, & exemplo efficaciter prodeſſe valent cap. *Cum in cunctis* 7. *de elect.* quod plane præſtare non poſſunt infames; tum quia dignitas, & honor ſunt præmium virtutis; conſequenter virtute fulgentibus, non criminoſis conferri debent.

Notandum, quod infamia ſolius facti, & quæ publica conſtanti emendatione aboletur, etiam ab obtinendis dignitatibus non impedit: Sylveſt. v. *infamia*, n. 11. Molina: Nam infamia facti facto adhæret; conſequenter & hoc per conſtantem emendationem emendato ceſſare debet cap. *Cum ceſſante* 60. *de Appellat.*

Regula 88. *Certum eſt quod is committit in legem, qui legis verbum complectens contra legis nititur voluntatem*. Senſus Regulæ hic eſt, & in hoc ſenſu eſt intelligenda: *Contra legem delinquit, veruſque legis tranſgreſſor habetur, qui voluntatem, mentem, ſeu intentionem legis, ſive potius legislatoris ſufficienter perſpectam habens, contra eiuſdem mentem fraudulenter interpretatur, & obſervat legem*. Siquidem, ut obſervat Gloſſa can. *Plerique* 3. cauſ. 14. q. 3. v. *Præcepta*, nolunt quidem facere contra legem, ſed faciunt fraudem legi. Ille autem facit fraudem legi, qui nuda verba obſervans, veram ſententiam, & mentem ipſius circumvenit l. *contra legem* 29. ff. *de legibus*, *Senatuſque Conſult.* &c.

Et hæc fraus iuxta Gloſſ. l. cit. fieri poteſt de re ad rem, de perſona ad perſonam, de contractu ad contractum. Per rem ad rem fit fraus legi, quando loco unius rei in lege expreſſæ datur vel ſubſtituitur alia res, ſed contra intentionem legis. Sic quia l. *Item ſi* 7. §. 3. ff. *de Senatus Conſult. Macedon.* vetitum eſt dare filiofamilias mutuo pecuniam, ne occaſione illius delinquat, in fraudem huius legis facit, qui pro pecunia dat oleum, vinum &c., ut horum diſtractione faciat pecuniam ex cit. leg. *Item*.

De perſona in perſonam fraus legi fit, quando quis miniſterio alterius facit quod ipſe facere licite non poteſt, quia *quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit*, ut ex Regula 67. *de Regul. Iuris* in 6.

De contractu de contractum alium fraus legi fit, ſi loco unius contractus a lege prohibiti, alius contra legis mentem aſſumitur; ut ſi maritus prohibitus donare uxori, loco donationis adhibet contractum venditionis, & id quod uxori donare non potuit, eidem vili pretio vendit, cum alias vendere nullatenus intenderit. l. *Si ſponſus* 5. §. 5.

De contractu ad contractum eumdem, ſed alio modo fraus legi fit in caſu, quo, puta, mulier quæ fideiubere prohibetur ut ex tot. Tit. 22. ff. ad S. C. *Valleian.* in ſe ſuſcipit principalem obligationem, ac ſeipſam conſtituit debitricem, cum nihilominus intercedere, & reipſa fideiubere cenſeatur. Gloſſ. arg. l. *Quamvis* 8. ff. ad dict. S. C. *Valleian.*

Cæterum ratio Regulæ eſt, cunctorumque dictorum; quia univerſaliter in legibus non nuda verba, ſed intentio & voluntas legislatoris reſpicienda eſt. Can. *Humanæ aures* 11. cauſ. 22. q. 5. Hinc illud vulgatum, *Ratio legis eſt anima legis*, prout deſumitur ex can. *Conſuetud.* 5. diſt. 1. Quamobrem ſi contra notam intentionem, mentem, & rationem legislatoris legem quis interpretatur, & ſervat, vi huius Regulæ pro tranſgreſſore legis merito reputatur, cum *fraus, & dolus nemini patrocinari debeant*.

TRA-

Digitized by Google

# TRACTATUS ULTIMUS

## DE USU IURIS CANONICI, ET CIVILIS

### IN CASUUM MORALIUM RESOLUTIONIBUS.

DAta occaſione explicandi Regulas Iuris Canonici in 6. Decretalium, optimum mihi viſum fuit addere ſummariam utriuſque Iuris expoſitionem, ac eorumdem uſum in Moralium caſuum reſolutionibus, necnon eorumdem citationes explanare, quæ hinc inde in rerum moralium tractationibus inveniuntur.

### CAPUT I.

*Quid ſit corpus iuris Canonici.*

COrpus iuris Canonici eſt collectio eorum Canonum, ideſt regularum, quibus Chriſtiani diriguntur. Corpus vero iuris Canonici aliud eſt antiquum, aliud novum, aliud noviſſimum: & illud dividitur in commune omnibus Chriſtianis, & alicui Nationi particulari. Corpus iuris Canonici antiquum eſt illud, in quo per varios auctores collecti ſunt Canones, quibus Eccleſia, prioribus ſæculis, per octingentos annos uſa eſt. Si eam collectionem legere quis vult, eam habet in Bibliotheca Iuſtelli duobus tomis comprehenſa, impreſſam Pariſiis apud Billaine anno 1561. Eo opere nihil utilius ei, qui ius Eccleſiaſticum antiquum addiſcere cupit.

Corpus iuris Canonici novum eſt illud, quo hodie in ſcholis & foro utimur. Eam habes Collectionem in volumine, quod vulgo *Corpus Canonicum* nuncupatur. Hoc autem Corpus Canonicum conſtat decreto Gratiani, V. libris Decretalium Gregorii IX. Sexto decretalium Bonifacii VIII. Clementinis, Extravagantibus Ioannis XXII. & Extravagantibus communibus.

Corpus tandem iuris Canonici noviſſimum illud eſt, quod coaleſcit ex decretis Conciliorum recentiorum, v. g. Conſtantienſis, Baſileenſis, Florentini, Tridentini; ex Conſtitutionibus poſt Extravagantes communes editis, & in Bullario contentis, & ex regulis Cancellariæ Romanæ. Corpus iuris Canonici noviſſimum, aliud eſt commune, ut ſupra diximus, ſingulis Chriſtianis, aliud eſt aliquibus Nationibus peculiare. Corpus iuris Canonici noviſſimum commune ſingulis Chriſtianis eſt illud, quod coaleſcit ex prædictis Conſtitutionibus, & regulis apud omnes Chriſtianos receptis. Corpus Canonicum noviſſimum peculiare eſt illud, quod conſtat ex Pragmaticis Sanctionibus, & Concordatis regalibus: tale eſt Ius Canonicum Gallorum, Germanorum, Hiſpanorum &c.

*Quot ſint partes iuris Canonici veteris, & quomodo citari ſoleant.*

Ius Canonicum antiquum poteſt conſiderari ſecundum triplicem collectionem, primam, ſecundam, & tertiam. Prima dici poteſt Stephani Epheſini Epiſcopi. Secunda dici poteſt Dionyſii Exigui. Tertia Orientalium.

Collectio prima, quam dicimus Stephani, continet ſolum canones ſeptem Conciliorum: duorum univerſalium, ſcilicet Nicæni & Conſtantinopolitani, & quinque Provincialium, ſcilicet Ancirani, Neocæſareenſis, Gangrenſis, Antiochæni, & Laodicæni. Prima hæc collectio fuit approbata a Concilio Chalcedonenſi, & fuit in Latinum tranſlata ab auctore nobis incognito.

Collectio ſecunda ea eſt, quam dicimus Dionyſii Exigui Abbatis. Hæc collectio eſt paulo amplior alia; ultra enim prædictos Canones continet adhuc canones Conciliorum Chalcedonenſis, Epheſini, & Sardicenſis, & quinquaginta canones Apoſtolorum, & aliquot Canones Africanos: immo continet Decretales Summorum Pontificum a Siricio uſque ad Anaſtaſium; tres inſuper Epiſtolas Canonicas Baſilii ad Amphilochium complectitur. Abbas Dionyſius Græcas Epiſtolas Baſilii in latinum tranſtulit, eiuſque translatio latina eſt longe accuratior ea, quam ediderat auctor, qui priorem collectionem latinam fecerat. Collectionem Dionyſii in Galliam detulit Carolus Magnus an-

anno 787. eamque Galli cæteris collectionibus præferunt.

Collectio tertia, quam dicimus Orientalium, eſt prima & ſecunda collectione paulo latior: ultra enim utriuſque binæ collectionis decreta, addit triginta quinque Canones quinquaginta prioribus Apoſtolorum, & ita adnumerat octoginta quinque Canones Apoſtolicos: complectitur inſuper Canones Trullanos, & Canones in Concilio Nicæno ſecundo habitos.

Ius Canonicum antiquum non aliter citari ſolet, quam citantur Concilia, aut Patres, e quibus extractum eſt. Sic v. g. ſi velim oſtendere, ex iure antiquo Diaconos non conſueviſſe ordinari Sacerdotes, niſi trigeſimum annum attigiſſent, ut docet Concilium Neocæſareenſe, & Siricius Papa, ſic loca illa cito: Concil. Neocæſ. can. 2. Siric. Epiſt. 1. ideſt, ea diſciplina exprimitur in Concilio Neocæſareenſi Canone ſecundo, & in Decretali Siricii Epiſtola prima. Quæ duo reperies in collectione Dionyſii Exigui.

### *Quot ſint partes iuris Canonici novi, & quomodo citari ſoleant.*

Ius Canonicum novum, quale explicatur in Scholis, quinque libris continetur, qui vulgo dicuntur, *Decretum*, *Decretales*, *Sextus*, *Clementinæ*, *Extravagantes*.

*Decretum* Gratiani in tres partes dividitur. Prima pars continet diſtinctiones numero centum & unam, & quælibet diſtinctio ſuos habet Canones. Secunda pars continet triginta ſex cauſſas, & cauſſa quælibet ſuas habet quæſtiones, & quælibet quæſtio ſuos habet Canones: & cauſſa trigeſima tertia de pœnitentia, utpote diffuſior, continet ſeptem diſtinctiones. Tertia pars continet quinque diſtinctiones *de Conſecratione*: quæ omnia his carminibus exprimunt Iuris Canonici Doctores.

*Decretum centum diſtinctiones dat, & unam:*
*Triginta cauſſas & ſex addit tibi mixtas:*
*Diſtinguit ſeptem pœnitentia: Conſecra quinque.*

*Decretales* continent quinque libros; quilibet liber continet certos titulos, & quilibet titulus certa quædam capitula.

*Sextus* liber additus quinque libris Decretalium continet etiam quinque libros, quilibet liber continet certos titulos, & quilibet titulus certa capita.

*Clementinæ* continent pariter quinque libros, & quilibet liber certos titulos, & quilibet titulus certa capitula.

*Extravagantes* continent pariter quinque libros, liber quilibet certos titulos, & quilibet titulus certa capita. Extravagantes autem ſunt duplicis generis. Aliæ ſunt Ioannis XXII. quia ab illo fuerunt vel editæ, vel collectæ: aliæ ſunt communes; quia fuerunt ex aliorum Pontificum Decretalibus collectæ.

Ut autem ſcias, quomodo citationes iuris Canonici cognoſcere valeas, debes iſthæc advertere. Quoties in libro, quem legis, reperis hæc ſigna, *Can.* vel *Cap. diſt.* tali, v. g. 5. primam partem Gratiani debes adire, quæ diſtinctiones centum & unam complectitur.

Quoties reperis, *Can.* vel *cap.* 12. *cauſ.* q. 3. ſecundam partem Gratiani debes adire, quæ cauſſas triginta ſex complectitur; & ſi reperias *diſt. de pœnitentia*, trigeſimam cauſſam debes adire, ubi ſunt diſtinctiones ſeptem *de pœnitentia*. Quoties reperis hæc ſigna *Can.* vel *cap. diſtin. de conſecrat.* tertiam partem Gratiani debes conſulere, in qua ſunt quinque diſtinctiones *de conſecratione*.

Si vero reperias hæc ſigna, *Can.* vel *Cap.* de tali materia, v. g. *de feriis*, *de ſimonia*, tunc Decretales debes adire, quæ continent quinque libros, & liber quilibet certos titulos, & titulus quilibet certa capita.

Si vero reperias eadem ſigna, ſcilicet, *Cap.* vel *Can.* de tali materia, v. g. *de feriis*, & inſuper hanc notam *in* 6. tunc Sextum debes conſulere, quia liber ille vocatur *Sextus*, eo quod additus ſit quinque libris Decretalium.

Si vero reperias eadem ſigna, ſcilicet, *Cap.* vel *Can.* cum iſto addito *Clement.* tunc Clementinas debes adire.

Si vero eadem ſigna reperias, v. g. *Cap.* vel *Can.* de tali materia, v. g. *de feriis*, cum iſto addito *Extravag.* 22. tunc Extravagantes Ioannis XXII. debes adire: ſi vero reperias *Extravag. comm.* tunc Extravagantes communes debes conſulere.

Scias adhuc, quod ne nimio labore fatigeris in quærendis citationibus in iure Canonico contentis, initio vel fine Gratiani appoſitus eſt index alphabeticus primæ vocis Canonum, qui in Gratiano continentur, & cum additione vel diſtinctionis, vel cauſſæ, vel diſtinctionis *de conſecratione*; immo notatur pagina, in qua prædictus Canon reperiatur, ut ſic facili negotio Canonem



Digitized by Google

quem quæris, poſſis invenire. Idem habes initio Decretalium, initiu libri Sexti, initio Clementinarum, & Extravagantium: v. g. ut Canoniſtæ ptubent, Clericum, vel Beneficiatum, vel eum qui eſt in ſacris, teneri ad recitandum Horas canonicas, ſic procedunt: hoc habetur, inquiunt, Can. *Presbyter* 2. diſt. 91. & *extra.* cap. *Dolentes* 9. *de celebr. Miſſæ*. Quære ergo in illo indice alphabetico vocem *Presbyter*, & reperies paginam, in qua Canon ille reperiatur: & ſi error interveniſſet in deſignanda pagina, incuria Typographorum, quære in prima parte Gratiani diſtinctionem ſecundam & Canonem nonageſimum primum. Item quære in indice alphabeticu Decretalium vocem illam *Dolentes*, & reperies in qua pagina ſit illud caput: quod ſi forte error contigiſſet in deſignanda pagina, quære titulum *de celebratione Miſſæ*, & caput nonum, & tunc caput *Dolentes* reperies. Cæterum iſtud magis exercitio quam ſtudio addiſcitur. Sed ne deterrearis variis abbreviationibus, quibus utuntur Auctores in citando iure Canonico, hæc addidiſſe nun erit forte inutile iis, qui ſunt minus exercitati in legendo iure Canonico.

*Explicantur breviatæ Iuris Canonici citationes.*

Can. 1. Diſtin. 31. Ideſt canone primo diſtinctione trigeſima prima primæ partis.

Can. *Sciendum* diſt. 31. Ideſt canone, qui ſic incipit, *ſciendum*, qui reperitur diſtinctione trigeſima prima primæ partis.

Can. *Clericum* 74. XI. q. 1. Ideſt canone, qui ſic incipit, *Clericum*, qui canun eſt ſeptuageſimus quartus, & qui reperitur cauſſa undecima, quæſtione prima ſecundæ partis.

Can. *Reperiuntur* 2. diſtinct. *de pœnit.* Ideſt canone, qui ſic incipit *Reperiuntur*, qui repetitur in ſecunda diſtinctione *de pœnitentia*, quæ diſtinctio repetitur in cauſſa trigeſima tertia ſecundæ partis.

Can. 82. diſt. 2. *de conſecrat.* Ideſt canone ;octuageſimo ſecundo, qui reperitur in ſecunda diſtinctione tertiæ partis.

Cap. Novit Extra *de iudiciis*. Ideſt capite, cuius initium eſt vox iſta, *novit*, quod reperitur extra Gratianum, ſcilicet in Decretalibus libro ſecundo, in quo eſt titulus *de iudiciis*, & in quo titulu de iudiciis eſt caput, cuius initium eſt vox iſta, *novit*. Si forte citatio fiat hoc modo, cap. *Fin. de iudiciis*, tunc ſignum eſt, caput, de quo eſt quæſtio, eſſe ultimum. Si forte ponatur *apud Gregor.*, ſignum eſt, id reperiri in Decretalibus, quarum auctor cenſetur Gregorius IX.

Cap. *cum ſingula. De præben. & dignit.* in VI. vel in 6. Ideſt capite, cuius initium eſt hæc gemina vox, *cum ſingula*, quod caput reperitur in titulo *de præbendis & dignitatibus*, qui titulus reperitur in libro tertiu Sexti, qui additus fuit quinque libris Decretalium.

Cap. 1. *de Iure Patron. Clem.* Ideſt capite primo tituli decimi ſecundi, qui eſt *de Iure patronatus*, qui titulus reperitur in libru tertio Clementinarum.

Clement. *Si furioſus. De homic. volunt. vel caſ.* Ideſt, Clementina, cuius initium eſt gemina iſta vox, *ſi furioſus*, in titulo *de homicidio voluntario, vel cauſali*, qui titulus reperitur in libro quinto Clementinarum.

Cap *Execrabilis de Præben. & dignit. extravag.* 20. Ideſt capite I, ;cuius initium eſt iſta vux, *execrabilis*, quod caput reperitur in titulo *de præbendis & dignitatibus* in libro Extravagantium Ioannis XXII.

Cap. *Sancta Romana. De elect. extravag. comm* Ideſt capite, cuius initium eſt duplex iſta vox, *de electione*, in titulu *de electione*, qui titulus reperitur in Extravagantibus communibns. Illæ autem Decretales vocantur *Extravagantes*, eo quod vagentur extra collectionem *Decretalium & Clementinarum*.

*De Iure Canonico noviſſimo, & quomodo citari ſoleat.*

Ius Canonicum noviſſimum eſt illud, quod coaleſcit ex variis legibus Eccleſiaſticis, quæ inſtituræ ſunt a tempore Iuannis XXII. qui Exrravagantes collegit. Hæ autem leges continentur vel in Conciliis, in quibus ſtatutæ ſunt, vel in Bullario continente omnes Conſtitutiones Summorum Puntificum. Ius autem noviſſimum non aliter citari ſolet, quam cicentur Concilia, vel Bullæ Pontificum. Sic v. g. cum citatur Concilium Baſileenſe, Conſtantienſe, Florentinum, Tridentinum, ea Concilia quærenda ſunt in ſumma Conciliurum: & cum citatur aliqua Conſtitutiu ſummi Pontificis, ea Conſtitutio quærenda eſt in Bullario.

*Quomodo utendum ſit Iure Canonico in reſolvendis caſibus conſcientiæ.*

Ius Canonicum coaleſcit ex variis Scripturæ textibus ex variis ſanctorum Patrum au-

auctoritatibus, & ex variis Conciliorum canonibus, & ſummorum Pontificum decretis, torumque ſuum robur mutuatur ex locis, quibus componitur. Qui ergo iure Canonico utitur ad deciſionem caſuum, videat quid ex iure canonico extrahat, an textum Scripturæ, an auctoritatem Patrum, an canones Conciliorum, an Pontificum decreta. Si Scripturam ex iure canonico mutuetur, eas ſervet regulas, quas circa Scripturam adhibendas ſtatuimus. Si vero canones extrahat, eas obſervet leges, quas circa Concilia obſervandas eſſe cenſuimus. Si vero vel auctoritatem alicuius Patris, vel decretum alicuius Papæ ex iure Canonico educat, eas ſibi præſcribat regulas, quas ſtatuimus circa verum uſum Patrum, & decretorum Pontificum.

## CAPUT II.

### *Quid ſit Ius Civile.*

Ius Civile eſt collectio earum legum, quibus homines diriguntur in bonum Reipublicæ. Totuplex poteſt eſſe Ius civile, quotuplex eſt Reſpublica: ſed Ius Romanum cæteris longe præfertur; ideo de eo ſolo agimus. Ius civile Romanum duplex eſt, antiquum, & novum. Antiquum eſt illud, quod conſtat ex codice Hermogeniano, Gregoriano, & Theodoſiano. Novum eſt illud, quod conſtat ex iis libris, qui in ſcholis explicari ſolent, & integrum corpus Iuris civilis conſtituunt.

Corpus autem civile ſic ordinatur. 1. Occurrunt quatuor libri Inſtitutionum: quilibet ſuos habet titulos, & titulus quilibet ſuos paragraphos. 2. Occurrunt Pandectæ, ſeu libri quinquaginta Digeſtorum: quilibet liber ſuos habet titulos, & quilibet titulus ſuas leges. 3. Occurrunt duodecim libri Codicis: quilibet liber ſuos habet titulos, & quilibet titulus ſuas leges. 4. Occurrunt Novellæ diverſorum Imperatorum. 5. Feudorum Conſtitutiones. 6. Extravagantes. Quæ ſingula vix explicari poſſunt, niſi oculis intuentium, libros evolvendo, oſtendantur.

### *Quomodo citari ſoleat Ius civile.*

Ut ſcias, quomodo citari ſoleat Ius Civile, oportet, ut probe noris notas librorum, quæ ſunt huiuſmodi. I. Ideſt Inſtitutiones. D. vel ff. Ideſt Digeſta, ſeu Pandectæ. C. ideſt Codex. N. ideſt Novellæ. E. ideſt Edicta Iuſtiniani Imperatoris. N. I. ideſt Novellæ Iuſtini. C. T. ideſt Conſtitutiones Tiberii. C. II. ideſt Conſtitutiones Iuſtiniani Iuſtini. L. ideſt Leonis Novellæ. C. I. ideſt Conſtitutiones Imperiales. F ideſt Feudorum conſuetudines. Ex. Ideſt Extravagantes.

Sic ergo citantur varii libri Iuris civilis: Inſt. lib. 3. T. 16. §. 2. *de verb. oblig.* Ideſt Inſtitutionum libro tertio, titulo decimo ſexto, paragrapho ſecundo de verborum obligationibus. L. 42. ff. *de verb. obl.* Ideſt, lege quadrageſima ſecunda, ff. ideſt digeſtorum, ſeu Pandectarum, titulo de verborum obligationibus, ideque quærendum in quo libro ſit ille titulus. L. 4. c. *de obl. & act.* Ideſt lege quarta, c. ideſt Codicis, de obligationibus & actionibus, & quærendum eſt, in quo libro ſit ille titulus. Nov. 7. c. 3. §. 2. Ideſt Novella ſeptima, capite tertio, paragrapho ſecundo. §. *fin.* & in tit. *in quib. mod. feud. amit.* Ideſt paragrapho finali, & titulo, in quibus modis feudum amittatur.

Sicuti diximus, quod in Iure Canonico ponitur index alphabeticus primæ vocis Canonum, qui apud Gratianum reperiuntur, vel Capitulorum, quæ reperiuntur extra Gratianum; ita in Iure Civili ponitur index alphabeticus primæ vocis cuiuſcumque legis, quæ vel in Digeſtis, vel in Codice, vel in aliis libris reperitur: & ſicut diximus, quod in illo indice Iuris Canonicis deſignatur pagina, in qua reperitur vel Canon, vel Capitulum; ita in Iure civili deſignatur liber, & titulus, in quo reperitur lex, cuius citatur initium. Qui ergo voluerit ſibi comparare promptam facilitatem quaſcumque inveniendi Iuris civilis citationes, legat illum indicem, & in quærendis illis legibus ſeipſum exerceat.

### *De vero uſu Caſuiſtarum.*

Circa uſum Caſuiſtarum duæ ſunt ſententiæ omnino oppoſitæ: alii nullos Caſuiſtas legendos putant: alii vero omnes indiſcriminatim & legendos & ſuſcipiendos arbitrantur. Utrumque extremum vituperandum videtur: periculoſum enim eſt nullis credere Caſuiſtis, ſed ſingulis credere periculoſius. Quæ ergo cautio, inquies, adhibenda eſt in re tam lubrica? Quid circa hoc ſentiat quidam Recentior accipe.

Primo, D. Thomam, D. Bonaventuram, D. Raymundum, & D. Antoninum potes legere intrepide, & inoffenſo pede, ut D. Hieronymus loquitur de S. Hilario: ſancti illi Doctores nimis ſunt toto Orbe Chriſtiano

no

Digitized by Google

no celebres, quam ut noſtra commendatione egeant. Secundo, alios inferioris notæ Caſuiſtas non leges, niſi prius attente pervolveris & diu meditatus fueris Cenſuram a Clero Gallicano editam anno 1700., ut hac ſaluberrima antidoto & laxiores & rigidiores Caſuiſtas emendes, & quid in utriſque fugiendum ſit, repetita eiuſdem Cenſuræ lectione prænoveris ... Ea enim Cenſura maximam apud omnes Chriſtianos, præcipue apud Gallos, debet habere auctoritatem, tum propter dignitatem & eruditionem eorum, qui huic operi concinnando incubuerunt, tum maxime quia nihil aliud præſtitiſſe videntur Gallicani Præſules, quam ſolemniter intimare eas, quas ſummi Pontifices cenſuras ediderant contra vel rigidiores, vel laxiores caſuum arbitros; adeo ut poſt tam ſolemne tum Romanæ, tum Gallicanæ Eccleſiæ iudicium, de ea Cenſura dici quodammodo poſſit, quod de Synodis univerſalibus dicit Senonenſe Concilium, anno 1529. *Quod ſi ubi duo vel tres in nomine Domini congregantur, licet ſibi ipſis relicti falli poſſint, continuo tamen in medio eorum eſt Dominus; quanto magis ubi ſummus Pontifex cæterique primores Eccleſiaſtici conveniunt, ut hæreſibus pullulantibus occurrant, & Dominicum agrum ſubortis expurgent zizaniis.* Quæ duo in huius cenſuræ concinnatione intervenerunt, cum ex una parte præceſſerit Eccleſiæ Romanæ iudicium, ex alia vero Gallicani Patres latam a Romanis Pontificibus ſententiam & ſuſceperint, & ſolemniter promulgaverint. *Sicut ergo* loquitur idem Senonenſe, *Sancta & inviolabilis eſt Conciliorum univerſalium auctoritas, cui quiſquis refragatur, hoſtis fidei iure optimo cenſeri debet*; ita, ſed inferiori quidem modo, *ſancta & inviolabilis*, Chriſtianis omnibus debet eſſe Cleri Gallicani Conventus auctoritas, cui refragari nefas eſſet, cui vero acquieſcere nemini poteſt eſſe inglorium.

AP.

Digitized by Google

# APPENDIX
## DE DAMNATIS PROPOSITIONIBUS.

*Propoſitiones ab Eccleſia damnatas ſubiicimus, in quibus recenſendis ordinem Chronologicum ſervandum duximus, a* S. Innocentio Papa *huiuſce nominis* Primo *incipientes, qui annis* 411., *&* 416. *reſpondens Conciliis Carthaginenſi, & Milevitano, ſequentes Pelagii, ac Cœleſtii damnavit. Primæ tres ſpectant ad Concilium Carthaginenſe, aliæ ad Milevitanum,*

1. NAturaliter poteſt implere legem qui vult, & Deus legem ad adiutorium dedit.

2. Ad perficiendam iuſtitiam, & Dei mandata complenda, ſola humana ſufficere poteſt natura.

3. Parvuli propter ſalutem, quæ per Salvatorem Chriſtum datur, baptizandi non ſunt.

4. Poteſt homo in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem iuſtitiæ, ſine adiutorio gratiæ Salvatoris, per ſolum liberæ voluntatis arbitrium pervenire, ut etiam non ſit neceſſarium dicere: *Dimitte nobis debita noſtra.*

5. Illud, *& ne nos inferas in tentationem* non ita intelligendum, tamquam divinum adiutorium poſcere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, quoniam hoc in noſtra poſitum eſt poteſtate, & ad hoc implendum ſola ſufficit hominis voluntas.

6. Non eſt orandus Deus ut contra peccati malum & ad operandam iuſtitiam ſit noſter adiutor.

7. Non opitulatur Parvulis ad conſequendam vitam æternam Chriſtianæ gratiæ Sacramentum,

*In Concilio Lateranenſi anno* 1215. *damnata eſt ſequens propoſitio Abbatis Ioachim de unione Divinæ Trinitatis in natura, quæ ſic habet.*

Unitas divinarum Perſonarum in Natura non eſt vera, & propria, ſed quaſi collectiva, & ſimilitudinaria, quemadmodum dicuntur multi homines unus Populus, & multi Fideles una Eccleſia.

Nota. *Hæc propoſitio Trinitatis myſterium evertens, & naturas cum divinis Perſonis dividens atque diſiungens, non ſolum naturæ in tribus Perſonis unitatem tollit, ſed & præterea Dei unitatem negat, pluresque Deos conſtituit, contra naturæ lumen, & manifeſtam revelationem.*

*Anno* 1276. *a* Ioanne XXII. *contra doctrinas* D. Io. *de Poliaco Doctoris Pariſienſis, in Extravaganti* cum inter nonnullos de verb. ſignific.

1. COnfeſſi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confeſſionem, tenentur eadem peccata, quæ confeſſi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti.

2. Stante *omnis utriuſque ſexus* edicto in Concilio Generali, Romanus Pontifex non poteſt facere, quod parochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteri ( quem dicit eſſe parochianum curatum ). Immo nec Deus poſſet hoc facere, quia ( ut dicebat ) implicat contradictionem.

3. Papa non poteſt dare poteſtatem generalem audiendi confeſſiones, immo nec Deus, quin confeſſus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti, quem dicit eſſe ( ut præmittitur ) proprium curatum.

*Ab eodem Pontifice in Concilio Lugdunenſi damnata eſt ut hæretica hæc propoſitio*: Chriſtus, & eius diſcipuli nihil habuerunt, & in his quæ habuerunt, nullum ius eis fuit.

*Anno* 1311. *in Concilio Generali Viennenſi ſub* Clemente *Pontifice Max. huius nominis V. proſcripti ſunt, qui ſequuntur, errores Mulierculàrum quarundam, quæ* Beguinæ *vocabantur.*

1. HOmo in vita præſenti tantum & talem perfectionis gradum poteſt acquirere, quod reddatur pœnitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit. Nam ( ut dicitur ) ſi quis poteſt ſemper proficere, poſſet aliquis Chriſti perfectior inveniri.

2. Ieiunare non oportet hominem, nec orare, poſtquam gradus perfectionis huiuſmodi fuerit aſſecutus, quia tunc ſenſualitas eſt ita ſpiritui, & rationi ſubiecta, quod ho-

homo poteſt libere corpori concedere quidquid placet.

3. Illi qui ſunt in prædicto gradu perfectionis, & ſpiritu libertatis, non ſunt humanæ ſubiecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Eccleſiæ obligantur. Quia (ut aſſerunt) *ubi Spiritus Domini, ibi libertas*.

4. Homo poteſt ita finalem beatitudinem ſecundum omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi, ſicut eam obtinebit in vita beata.

5. Quælibet intellectualis creatura in ſe ipſa naturaliter eſt beata, & anima non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum.

6. Se in actibus exercere virtutum eſt hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat a ſe virtutes.

7. Mulieris oſculum (cum ad hoc natura non inclinet) eſt peccatum mortale, actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non eſt, maxime cum tentatur exercens.

8. In elevatione Corporis Chriſti non debent aſſurgere, nec eidem reverentiam exhibere, aſſerentes, quod eſſet imperfectionis eiſdem ſi a puritate, & altitudine ſuæ contemplationis tantum deſcenderent, quod circa Myſterium, ſeu Sacramentum Euchariſtiæ, aut circa paſſionem humanitatis Chriſti aliqua cogitarent.

9. *In hoc Concilio damnata pariter fuit tam quam hæretica iſta propoſitio ſub eodem Pontifice:* exercere uſuras non eſt peccatum.

10. *Damnata fuit inſuper ut hæretica hæc propoſitio:* anima rationalis non eſt vere, & proprie forma corporis humani.

*Anno* 1418. *in Concilio Conſtantienſi Œcumenico ſub* Ioanne *XXIV. tempore ſchiſmatis ante creationem Martini V. qui deinde propoſitionis eiuſdem damnationem de Tyrannorum occiſione approbavit.*

1. QUilibet Tyrannus poteſt, & debet licite & meritorie occidi per quemcumque vaſſalum ſuum, vel ſubditum, etiam per clanculares inſidias, & ſubtiles blanditias, vel adulationes, non obſtante quocumque præſtito iuramento, ſeu confederatione factis cum eo, non expectata ſententia vel mandato Iudicis cuiuſcumque.

*Anno* 1418. *ſub Ioanne XXIV. ante creationem Martini V. in Concilio Conſtantienſi ſeſſione* 45. *contra Ioannem Wicleffum.*

1. SUbſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis remanent in Sacramento Altaris.

2. Accidentia panis non manent ſine ſubiecto in eodem Sacramento.

Nota: *Caveas, ne hic accidentium nomine Peripateticorum entitatulas intelligas; non enim hæc fuit Synodi mens, inquit Cardinalis Petrus Allicienſis, quæ definire unice voluit, non manere in Sacramento altaris ſubſtantiam panis cum corpore Chriſti, ſed accidentia tantum, ſive hæ nudæ ſint apparentiæ, ſive ſpecies, ut antea Lateranenſe, deinde Tridentinum Concilium dixit, ſive denique quidpiam aliud, quod ſine panis ſubſtantia, panis in nobis ſenſum excitet; quod non Theologo, & Conciliis, ſed Philoſopho inveſtigandum eſt, ratione tamen divina revelatione informata ne philoſophia Theologiæ, & Religioni obſit.*

3. Chriſtus non eſt in eodem Sacramento identice, & realiter propria præſentia corporali.

4. Si Epiſcopus, vel Sacerdos exiſtant in peccato mortali, non ordinat, non conſecrat, non conficit, non baptizat.

5. Non eſt fundatum in Evangelio, quod Chriſtus Miſſam ordinaverit.

6. Deus debet obedire Diabolo.

7. Si homo fuerit debite contritus, omnis Confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua, & inutilis.

8. Si Papa ſit præſcitus, & malus, & per conſequens membrum Diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles ſibi ab aliquo datam, niſi forte a Cæſare.

9. Poſt Urbanum VI. non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſed vivendum eſt more Græcorum ſub legibus propriis.

10. Contra Scripturam Sacram eſt, quod viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones.

11. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat eum excommunicatum a Deo, & qui ſic excommunicat, fit ex hoc hæreticus, vel excommunicatus.

12. Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel Concilium Regni, eo ipſo traditor eſt Regis, & Regni.

13. Illi qui dimittunt prædicare, ſive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in Dei iudicio traditores Chriſti habebuntur.

14. Licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare verbum Dei abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ſive Epiſcopi Catholici.

15. Nullus eſt Dominus Civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.

16. Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſia, poſſeſſionatis habitualiter delinquentibus, ideſt ex habitu, non ſolum actu delinquentibus.

17. Populares poſſunt ad ſuum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.

18. Decimæ ſunt puræ Eleemoſynæ, & poſſunt Parochiani propter peccata ſuorum Prælatorum ad libitum ſuum eas auferre.

19. Speciales rationes applicatæ uni perſonæ per Prælatos, vel Religioſos, non plus proſunt eidem, quam generales ceteris paribus.

20. Conferens eleemoſynam Fratribus eſt excommunicatus eo facto.

21. Si aliquis ingreditur religionem privatam qualemcumque, tam poſſeſſionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad obſervationem mandatorum Dei.

22. Sancti inſtituentes Religiones privatas, ſic inſtituendo peccaverunt.

23. Religioſi viventes in Religionibus privatis non ſunt de Religione Chriſtiana.

24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.

25. Omnes ſunt ſimoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis eis in temporalibus ſubvenientibus.

26. Oratio præſciti nulli valet.

27. Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt.

28. Confirmatio Iuvenum, Clericorum Ordinatio, locorum conſecratio, reſervantur Papæ, & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris.

29. Univerſitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magiſteria in eiſdem ſunt vana gentilitate introducta, tantum proſunt Eccleſiæ ſicut Diabolus.

30. Excommunicatio Papæ, vel cuiuſcumque Prælati non eſt timenda, quia eſt Cenſura Anti-Chriſti.

31. Peccant fundantes Clauſtra, & ingredientes ſunt viri Diabolici.

32. Ditare Clerum eſt contra regulam Chriſti.

33. Sylveſter Papa, & Conſtantinus Imperator errarunt Eccleſiam ditando.

34. Omnes de Ordine mendicantium ſunt hæretici, & dantes eis eleemoſynas ſunt excommunicati.

35. Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipſo inhabiles ſunt ad obſervanda divina præcepta, & per conſequens ad perveniendum ad Regnum cælorum, niſi apoſtataverint ab eiſdem.

36. Papa cum omnibus Clericis ſuis poſſeſſionem habentibus ſunt hæretici eo quod poſſeſſionem habent: & conſentientes eis, omnes videlicet Domini ſæculares, & ceteri Laici.

37. Eccleſia Romana eſt Synagoga Satanæ, nec Papa eſt proximus, & immediatus Vicarius Chriſti & Apoſtolorum.

38. Decretales Epiſtolæ ſunt apocriphæ, & ſeducunt a fide Chriſti, & Clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent eis.

39. Imperator, & Domini ſæculares ſunt ſeducti a Diabolo, ut Eccleſiam ditarent bonis temporalibus.

40. Electio Papæ a Cardinalibus, a Diabolo eſt introducta.

41. Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.

42. Fatuum eſt credere indulgentiis Papæ & Epiſcoporum.

43. Iuramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus, & commercia civilia.

44. Auguſtinus, Benedictus, & Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt, & intraverunt Religiones: & ſic a Papa uſque ad ultimum Religioſum omnes ſunt Hæretici.

45. Omnes Religiones indifferenter introductæ ſunt a Diabolo.

*Eodem Anno contra Ioannem Hus damnatæ ſunt ſequentes, veluti errores contra fidem.*

1. UNa eſt Sancta Univerſalis Eccleſia, quæ eſt Prædeſtinatorum univerſitas.

2. Paulus numquam fuit membrum Diaboli, licet fecerit quoſdam actus, actibus Eccleſiæ malignantium conſimiles.

3. Præſciti non ſunt partes Eccleſiæ, cum multa pars eius finaliter excidet ab ea, eo quod prædeſtinationis charitas, quæ ipſam ligat, non excidet.

4. Duæ

4. Duæ naturæ, Divinitas, & Humanitas ſunt unus Chriſtus.

5. Præſcitus, etſi aliquando eſt in gratia ſecundum præſentem iuſtitiam, tamen numquam eſt pars S. Eccleſiæ, & Prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ; licet aliquando excidat a gratia adventitia, ſed non a gratia prædeſtinationis.

6. Sumendo Eccleſiam pro convocatione prædeſtinatorum, ſive fuerint in gratia, ſive non, ſecundum præſentem iuſtitiam, iſto modo Eccleſia eſt Articulus Fidei.

7. Petrus non eſt, nec fuit caput Eccleſiæ Sanctæ Catholicæ.

8. Sacerdotes quomodolibet criminoſe viventes Sacerdotii polluunt poteſtatem, & ſic ut filii infideles ſentiunt infideliter de VII. Sacramentis Eccleſiæ, de clavibus, officiis, cenſuris, moribus, cæremoniis, & ſacris rebus Eccleſiæ, veneratione Reliquiarum, Indulgentiis, & Ordinibus.

9. Papalis dignitas a Cæſare inolevit, & Papæ perfectio, & inſtitutio a Cæſaris potentia emanavit.

10. Nullus ſine revelatione aſſereret rationabiliter de ſe, vel alio, quod eſſet caput Eccleſiæ particularis, nec Romanus Pontifex eſt caput Romanæ Eccleſiæ particularis.

11. Non oportet credere, quod iſte, quicumque eſt Romanus Pontifex, ſit caput cuiuſcumque particularis Eccleſiæ Sanctæ, niſi Deus eum prædeſtinaverit.

12. Nemo gerit vicem Chriſti, vel Petri, niſi ſequatur eum in moribus, cum nulla alia ſequela ſit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam poteſtatem, quia ad illud officium Vicariatus requiritur & morum conformitas, & inſtituentis auctoritas.

13. Papa non eſt verus, & manifeſtus ſucceſſor Apoſtolorum Principis Petri, ſi vivit moribus contrariis Petro, & ſi quærit avaritiam, tunc eſt Vicarius Iudæ Scarioth. Et pari evidentia Cardinales non ſunt veri, & manifeſti ſucceſſores Collegii aliorum Apoſtolorum Chriſti, niſi vixerint more Apoſtolorum, ſervantes mandata, & conſilia Domini noſtri Ieſu Chriſti.

14. Doctores ponentes, quod aliquis per Cenſuram Eccleſiaſticam emendandus, ſi corrigi noluerit, ſeculari iudicio eſt tradendus, pro certo ſequuntur in hoc Pontifices, Scribas, & Phariſæos, qui Chriſtum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes, *nobis non licet interficere quemquam*, ipſum ſeculari iudicio tradiderunt: & tales ſunt homicidæ graviores, quam Pilatus.

15. Obedientia Eccleſiaſtica eſt Obedientia ſecundum adinventionem Sacerdotum Eccleſiæ, propter expreſſam auctoritatem Scripturæ.

16. Diviſio immediata humanorum operum eſt, quod ſunt vel virtuoſa, vel vitioſa, quia ſi homo eſt vitioſus, & agit quidquam, tunc agit vitioſe, & ſi eſt virtuoſus, & agit quidpiam, tunc agit virtuoſe: quia ſicut vitium, quod crimen dicitur, ſeu mortale peccatum, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi, ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.

17. Sacerdotes Chriſti viventes ſecundum legem eius, & habentes Scripturæ notitiam, & affectum ad ædificandum populum, debent prædicare, non obſtante prætenſa excommunicatione. Quod ſi Papa, vel aliquis Prælatus mandat Sacerdoti ſic diſpoſito non prædicare, non debet ſubditus obedire.

18. Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit: & illud mandatum debet exequi prætenſa excommunicatione non obſtante.

19. Per cenſuras Eccleſiaſticas excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ad ſui exaltationem Clerus Populum laicalem ſibi ſuppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Anti-Chriſto. Signum autem evidens eſt, quod ab Anti-Chriſto tales procedunt cenſuræ, quas vocant in ſuis proceſſibus fulminationes, quibus Clerus principaliſſime procedit contra illos, qui denudant nequitiam Anti-Chriſti, qui Clerum pro ſe maxime uſurpabit.

20. Si Papa eſt malus, & præſertim ſi eſt præſcitus, tunc ut Iudas Apoſtolus eſt diabolus, fur, & filius perditionis, & non eſt caput S. Militantis Eccleſiæ, cum nec ſit membrum eius.

21. Gratia prædeſtinationis eſt vinculum, quo corpus Eccleſiæ, & quodlibet eius membrum iungitur Chriſto capiti inſolubiliter.

22. Papa, vel Prælatus malus & præſcitus eſt æquivoce Paſtor, & vere fur, & latro.

23. Papa non debet dici Sanctiſſimus, etiam ſecundum Officium, quia alias Rex deberet etiam dicit Sanctiſſimus ſecundum Officium, & tortores, & præcones dicerentur Sancti, immo etiam diabolus deberet dici Sanctus, cum ſit Officiarius Dei.

24. Si Papa vivat Chriſto contrarie, etiamſi aſcenderet per ritum, & legitimam ele-

electionem, ſecundum conſtitutionem humanam vulgatam; tamen aliunde aſcenderet, quam per Chriſtum, dato etiam, quod intraret per electionem a Deo principaliter factam: nam Iudas Scariothes rite, & legitime a Deo Chriſto Ieſu ad Epiſcopatum, & tamen aſcendit aliunde ad ovile ovium.

25. Condemnatio XLV. art. Ioannis Wicleff per Doctores facta eſt irrationabilis, & ficta eſt cauſa per eos allegata, videlicet ex eo, quod nullus eorum ſit Catholicus, ſed quilibet eorum, aut eſt hæreticus, aut erroneus, aut ſcandaloſus.

26. Non eo ipſo, quod Electores, vel maior pars eorum conſenſerit viva voce ſecundum ritus hominum in perſonam aliquam, eo ipſo illa perſona eſt legitime electa, vel eo ipſo eſt verus, & manifeſtus Succeſſor, vel Vicarius Petri Apoſtoli, vel alterius Apoſtoli in officio Eccleſiaſtico: unde ſive Electores bene, vel male elegerint, operibus electi debemus credere: nam eo ipſo, quo quis copioſius operatur meritorie ad profectum Eccleſiæ, habet a Deo ad hoc copioſius facultatem.

27. Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oporteat eſſe unum Caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum Eccleſia ipſa militante converſetur, & conſervetur.

28. Chriſtus ſine talibus monſtruoſis capitibus per ſuos veraces Diſcipulos ſparſos per orbem terrarum, melius ſuam Eccleſiam regularet.

29. Apoſtoli, & fideles Sacerdotes Domini ſtrenue in neceſſariis ad ſalutem regularunt Eccleſiam, antequam Papæ Officium foret introductum: ſic facerent, deficiente, per ſumme poſſibile, Papa uſque ad diem Iudicii.

30. Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali: *Poſt hanc damnationem, cum Ioannes Hus contumax perſeveraſſet in ſuis erroribus, una cum Hieronymo de Praga publico igne combuſtus eſt.*

*In Baſileenſi Concilio ſub* Eugenio IV., *antequam Concilium eſſet acephalum, anno* 1435. *ſequentes ex libro Auguſtini Romani Archiepiſcopi Nazareni decerptæ.*

1. ANima Chriſti videt Deum tam clare & intenſe, quantum clare & intenſe Deus videt ſe ipſum.

2. Ratio ſuppoſitalis determinans humanam naturam in Chriſto, non realiter diſtinguitur ab ipſa natura determinata.

3. Chriſtus quotidie peccat, & ex quo fuit Chriſtus, quotidie peccavit.

4. Non omnes iuſtificati ſunt membra Chriſti, ſed ſoli prædeſtinati.

5. Humana natura in Chriſto eſt perſona Verbi.

6. Humana natura aſſumpta a Verbo ex unione perſonali eſt veraciter Deus naturalis & proprius.

7. Chriſtus ſecundum voluntatem creatam diligit naturam humanam unitam perſonæ Verbi, quantum diligit naturam divinam.

8. Sicut duæ Perſonæ in Divinis ſunt æqualiter diligibiles; ita duæ Naturæ in Chriſto, humana, & divina ſunt æqualiter diligibiles propter Perſonam communem.

*In Congregatione Capitulenſi, ſequentes Magiſtri Oxomenſis, quarum damnationem auctoritate Apoſtolica confirmavit* Sixtus IV. *anno* 1489.

1. PEccata mortalia quantum ad culpam, & pœnam alterius ſæculi delentur per ſolam cordis contritionem ſine ordine ad Claves.

2. Confeſſio de peccatis in ſpecie fuit ex aliquo Statuto utilis Eccleſiæ, non de iure divino.

3. Pravæ cogitationes confiteri non debent, ſed ſola diſplicentia delentur ſine ordine ad Claves.

4. Confeſſio debet eſſe ſecreta, ideſt, de peccatis ſecretis, non de manifeſtis.

5. Non ſunt abſolvendi pœnitentes, niſi peracta prius pœnitentia eis iniuncta.

6. Papa non poteſt indulgere alicui viro pœnam Purgatorii.

7. Eccleſia Urbis Romæ errare poteſt.

8. Papa non poteſt diſpenſare in Statutis univerſalis Eccleſiæ.

9. Sacramentum Pœnitentiæ, quantum ad collationem gratiæ Sacramentalis, naturæ eſt, non alicuius inſtitutionis veteris, vel novi Teſtamenti.

*Damnatæ fuerunt hæ propoſitiones ut ſcandaloſæ, & hæreticæ, & coactus Magiſter Petrus Oxomenſis abiurare illas, quod Catholice implevit.*

An-

*Anno* 1513. *a* Leone X. *in Concilio Lateranenſi* Seſſ. 8. *damnatæ ſunt, quæ ſequuntur, circa Hominis animam rationalem.*

1. Anima intellectiva mortalis eſt, ſaltem ſecundum philoſophiam.

2. Anima intellectiva eſt unica in cunctis hominibus.

Duæ iſtæ propoſitiones damnatæ fuerunt ut hæreticæ, ac deinde ſuperaddita hæc univerſalis definitio quoad aſſertiones philoſophicas. „ Cum verum vero minime contradicat, omnem aſſertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falſam eſſe definimus, & ut utiliter dogmatizare non liceat, diſtrictius inhibemus. Omnes huiuſmodi erroneis aſſertionibus inhærentes, tanquam hæreticos vitandos, & puniendos fore decernimus.

„ Inſuper omnibus, & ſingulis philoſophis in Univerſitatibus ſtudiorum generalium, & alibi publice legentibus diſtricte præcipimus; ut cum philoſophorum principia, aut concluſiones, in quibus a recta fide deviare noſcuntur, auditoribus ſuis legerint, ſeu explicaverint ( quale hoc de immortalitate animæ, aut unitate, & mundi æternitate, ac alia huiuſmodi ) teneantur eiſdem veritatem religionis Chriſtianæ omni conatu manifeſtam facere, & perſuadendo ( pro poſſe ) docere, ac omni ſtudio huiuſmodi philoſophorum argumenta, ( cum omnia ſolubilia exiſtant ) pro viribus excludere, atque reſolvere.

*Anno* 1520. Leo X. *per Bullam* Exurge Domine *damnavit, quæ ſunt infra XLI. Martini Lutheri.*

1. Hæretica ſententia eſt, ſed uſitata, Sacramenta novæ legis iuſtificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

2. In puero poſt Baptiſmum negare remanens peccatum, eſt Paulum, & Chriſtum ſimul conculcare.

3. Fomes peccati, etiamſi nullum adſit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingreſſu Cœli.

4. Imperfecta Charitas morituri fert ſecum neceſſario magnum timorem, qui ſe ſolo ſatis eſt facere pœnam purgatorii, & impedit introitum regni.

5. Tres eſſe partes pœnitentiæ, Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, non eſt fundatum in S. Scriptura, nec in antiquis SS. Chriſtianis Doctoribus.

6. Contritio, quæ paratur per diſcuſſionem, collationem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem, hæc contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem.

7. Veriſſimum eſt proverbium, & omnium doctrina de Contritionibus hucuſque data præſtantius, de cætero non facere ſumma pœnitentia: optima pœnitentia nova vita.

8. Nullo modo præſumas confiteri peccata venialia, ſed nec omnia mortalia, quia impoſſibile eſt, ut omnia mortalia cognoſcas; unde in primitiva Eccleſia ſolum manifeſte mortalia confitebantur.

9. Dum volumus omnia pure confiteri nihil aliud facimus, quam quod miſericordiæ Dei nihil volumus relinquere agnoſcendum.

10. Peccata non ſunt ulli remiſſa, niſi remittente Sacerdote credat ſibi remitti: immo peccatum maneret, niſi remiſſum crederet, non enim ſufficit remiſſio peccati, & gratiæ donatio, ſed oportet etiam credere eſſe remiſſum.

11. Nullo modo confidas abſolvi propter tuam Contritionem, ſed propter verbum Chriſti, *Quodcumque ſolveris &c.* Hinc, inquam, confide, ſi Sacerdotis obtinueris abſolutionem, & crede fortiter te abſolutum, & abſolutus vere eris, quidquid ſit de contritione.

12. Si per impoſſibile confeſſus non eſſet contritus, aut Sacerdos non ſerio, ſed ioco abſolveret, ſi tamen credat ſe abſolutum, veriſſime eſt abſolutus.

13. In Sacramento pœnitentiæ, ac remiſſione culpæ, non plus facit Papa, aut Epiſcopus, quam infimus Sacerdos; immo ubi non eſt Sacerdos, æque tantum quilibet Chriſtianus, etiamſi mulier, aut puer eſſet.

14. Nullus debet Sacerdoti reſpondere ſe eſſe contritum; nec Sacerdos requirere.

15. Magnus eſt error eorum, qui ad Sacramenta Euchariſtiæ accedunt, huic innixi, quod ſint confeſſi, quod non ſint ſibi conſcii alicuius peccati mortalis, quod præmiſerint orationes ſuas, & præparatoria: omnes illi iudicium ſibi manducant, & bibunt; ſed ſi credant, & confidant ſe gratiam ibi conſecuturos, hæc ſola fides facit eos puros & dignos.

16. Conſultum videtur, quod Eccleſia in com-

communi Concilio ſtatueret laicos ſub utraque ſpecie communicandos, nec Bohemi ſub utraque ſpecie communicantes ſunt hæretici, ſed ſchiſmatici.

17. Theſauri Eccleſiæ, unde Papa dat Indulgentias, non ſunt merita Chriſti.

18. Indulgentiæ ſunt piæ fraudes fidelium, & remiſſiones bonorum operum: & ſunt de numero eorum, quæ licent, & non de numero eorum, quæ expediunt.

19. Indulgentiæ his, qui veraciter eas conſequentur, non valent ad remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud Divinam iuſtitiam.

20. Seducuntur credentes, Indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructum ſpiritus utiles.

21. Indulgentiæ neceſſariæ ſunt ſolum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris ſolummodo, & impatientibus.

22. Sex generibus hominum Indulgentiæ nec ſunt neceſſariæ, nec utiles: videlicet mortuis ſeu morituris, infirmis legitime impeditis, his qui non commiſerunt crimina, his qui crimina commiſerunt, ſed non publica, his qui meliora operantur.

23. Excommunicationes ſunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus ſpiritualibus Eccleſiæ orationibus.

24. Docendi ſunt Chriſtiani, plus diligere excommunicationem, quam timere.

25. Romanus Pontifex Petri Succeſſor, non eſt Chriſti Vicarius ſuper omnes totius mundi Eccleſias, ab ipſo Chriſto in B. Petro inſtitutus.

26. Verbum Chriſti ad Petrum, *quodcumque ſolveris ſuper terram &c.* extenditur dumtaxat ad ligata ab ipſo Petro.

27. Certum eſt in manu Papæ, aut Eccleſiæ prorſus non eſſe ſtatuere articulos fidei; immo nec leges morum, ſeu bonorum operum.

28. Si Papa cum magna parte Eccleſiæ ſic, vel ſic ſentiret, nec etiam erraret, adhuc non eſt peccatum, aut hæreſis contrarium ſentire; præſertim in re non neceſſaria ad ſalutem, donec fuerit per Concilium Univerſale, alterum reprobatum, alterum approbatum.

29. Via nobis facta eſt enervandi auctoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum geſtis, & iudicandi eorum Decreta, & confidenter confitendi quicquid verum videtur, ſive probatum fuerit, ſive reprobatum a quocumque Concilio.

30. Aliqui articuli Ioannis Hus condemnati in Concil. Conſtantienſi ſunt Chriſtianiſſimi, veriſſimi, & Evangelici, quos nec Univerſalis Eccleſia poſſet damnare.

31. In omni opere bono iuſtus peccat.

32. Opus bonum optime factum, eſt veniale peccatum.

33. Hæreticos comburi, eſt contra voluntatem Spiritus Sancti.

34. Præliari adverſus Turcas, eſt repugnare Deo viſitanti iniquitates noſtras per illos.

35. Nemo eſt certus, ſe non ſemper peccare mortaliter propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium.

36. Liberum arbitrium poſt peccatum eſt res de ſolo titulo; & dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter.

37. Purgatorium non poteſt probari ex Sacra Scriptura, quæ ſit in canone.

38. Animæ in Purgatorio non ſunt ſecuræ de eorum ſalute, ſaltem omnes, nec probatum eſt ullis, aut rationibus, aut Scripturis, ipſas eſſe extra ſtatum merendi, aut augendæ charitatis.

39. Animæ in Purgatorio peccant ſine intermiſſione quandiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

40. Animæ ex Purgatorio liberatæ ſuffragiis viventium minus beantur, quam ſi per ſe ſatisfeciſſent.

41. Prælati Eccleſiaſtici, & Principes ſæculares non male facerent, ſi omnes ſaccos mendicitatis delerent.

*Quæ ſequuntur novem, ac ſeptuaginta Michaelis Baii, olim a* Pio V., *&* Gregorio XIII. *dein ab* Urbano VIII. anno 1664. *in Bulla* In Eminenti *confixæ ſunt.*

I. NEc Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur Gratia.

2. Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium, ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis Angelis, & primo Homini, ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia.

4. Vita æterna Homini integro, & Angelo promiſſa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt.

5. In promiſſione facta Angelo, & primo Homini continetur naturalis iuſtitiæ conſtitutio, qua pro bonis operibus, ſine alio reſpectu, vita æterna iuſtis promittitur.

6. Na-

6. Naturali lege conſtitutum fuit homini, ut ſi in obedientia perſeveraret, ad eam vitam pertranſiret, in qua mori non poſſet.

7. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera; ſed iuxta modum loquendi Scripturæ Sacræ non recte vocantur gratia: quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

8. In redemptis per Gratiam Chriſti nullum inveniri poteſt bonum meritum, quod non ſit gratis indigno collatum.

9. Dona conceſſa homini integro, & Angelo, forſitan, non improbanda ratione, poſſunt dici gratia; ſed quia ſecundum uſum Sacræ Scripturæ nomine gratiæ, ea tantum munera intelliguntur, quæ per Ieſum Chriſtum male meritis, & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimiſſo ſæpe remanet, & corporis reſurrectio, proprie nonniſi meritis Chriſti adſcribenda eſt.

11. Quod pie & iuſte in hac vita mortali uſque in finem converſati vitam conſequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, ſed ordinationi naturali ſtatim initio creationis conſtitutæ iuſto Dei iudicio deputandum eſt; neque in hac retributione bonorum ad Chriſti meritum reſpicitur; ſed tantum ad primam inſtitutionem generis humani, in qua lege naturali conſtitutum eſt, ut iuſto Dei iudicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12. Pelagii ſententia eſt: Opus bonum citra gratiam adoptionis factum non eſt Regni cœleſtis meritorium.

13. Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per ſpiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, ſed tantum ex eo, quod ſunt conformia legi, quodque per ea præſtatur obedientia legi.

14. Opera bona iuſtorum non accipient in die iudicii extremi ampliorem mercedem, quam iuſto iudicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non conſiſtit in eo, quod qui bene operatur habet gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum, ſed in eo ſolum quod obedit divinæ legi.

16. Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine Charitate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt eſſe neceſſarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum Deificum.

18. Opera Catechumenorum, ut fides, & pœnitentia ante remiſſionem peccatorum facta, ſunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipſi non conſequentur, niſi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera iuſtitiæ, & temperantiæ, quæ Chriſtus fecit ex dignitate perſonæ operantis, non traxerunt maiorem valorem.

20. Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.

21. Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis: & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.

22. Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Romanos II. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

23. Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam ſupernaturali & gratuito, ſupra conditionem naturæ ſuæ fuiſſe exaltatum, ut Fide, Spe, & Charitate Deum ſupernaturaliter coleret.

24. A vanis & otioſis hominibus ſecundum inſipientiam Philoſophorum excogitata eſt ſententia, quæ ad Pelagianiſmum reiicienda eſt: Hominem ab initio ſic conſtitutum, ut per dona naturæ ſuperaddita, fuerit largitate Conditoris ſublimatus, & ad Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera Infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes, ſunt vitia.

26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis eius conditio.

27. Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adiutorio nonniſi ad peccandum valet.

28. Pelagianus eſt error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non ſoli fures ii ſunt, & latrones, qui Chriſtum, viam, & oſtium veritatis & vitæ negant; ſed etiam quicumque aliunde, quam per ipſum, in viam iuſtitiæ (hoc eſt ad aliquam iuſtitiam) conſcendi poſſe docent.

30. Aut tentationi ulli ſine gratiæ ipſius adiutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non inducatur, ut ab ea non ſuperetur.

Ff 4 31. Cha-

31. Charitas perſecta & ſincera, quæ eſt de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta; tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum,

32. Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper coniuncta cum remiſſione peccatorum.

33. Catechumenus iuſte, recte, & ſancte vivit, & mandata Dei obſervat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi lavacro demum percipitur.

34. Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana eſt & commentitia, & ad illudendum ſacris Litteris, & plurimis veterum teſtimoniis excogitata.

35. Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia, per elationem præſumptionis humanæ, cum iniuria Crucis Chriſti defenditur a nonnullis Doctoribus.

37. Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa, Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fit.

40. In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui eſt a neceſſitate, ſub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, ſed ſolum nomen libertatis a peccato.

42. Iuſtitia, qua iuſtificatur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum Iuſtitia, non autem in gratia aliqua animæ infuſa, qua adoptatur homo in filium Dei, & ſecundum interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ conſors efficitur, ut ſic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire poſſit.

43. In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum abſolutionis, & in Catechumenis ante Baptiſmum eſt vera iuſtificatio; ſeparata tamen a remiſſione peccatorum.

44. Operibus pleriſque, quæ a fidelibus fiunt, ſolum ut Dei mandatis pareant, cuiuſmodi ſunt, obedire parentibus, depoſitum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abſtinere, iuſtificantur quidem homines, quia ſunt legis obedientia, & vera legis iuſtitia; non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Miſſæ non alia ratione eſt Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut ſancta ſocietate Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium; nec definitionis quæſtio eſt, ſed cauſæ & originis, utrum omne peccatum debeat eſſe voluntarium.

47. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati ſine ulla relatione, ac reſpectu ad voluntatem, a qua originem habuit.

48. Peccatum originis eſt habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens ſine regenerationis Sacramento, quando uſum rationis conſecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blaſphemet, & legi Dei repugnet.

50. Prava deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto: *Non concupiſces*.

51. Concupiſcentia, ſive lex membrorum, & prava eius deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.

52. Omne ſcelus eſt eius conditionis, ut ſuum auctorem, & omnes poſt eos eo modo inficere poſſit, quo infecit prima tranſgreſſio.

53. Quantum eſt ex vi tranſgreſſionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt, qui cum minoribus naſcuntur vitiis, quam qui cum maioribus.

54. Diffinitiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falſo tribuitur Auguſtino, cum Pelagii ſit.

55. Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.

56. In peccato duo ſunt, actus, & reatus: tranſeunte autem actu, nihil manet, niſi reatus, ſive obligatio ad pœnam.

57. Unde in Sacramento Baptiſmi, aut Sacerdotis abſolutione, proprie reatus peccati duntaxat tollitur: & miniſterium Sacerdotum ſolum liberat a reatu.

58. Peccator pœnitens non vivificatur miniſterio Sacerdotis abſolventis, ſed a ſo-

ſo Deo, qui pœnitentiam ſuggerens & inſpirans vivificat eum, & reſuſcitat; miniſterio autem Sacerdotis ſolum reatus tollitur.

59. Quando per eleemoſynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo ſatisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis noſtris offerimus, ſicut quidam errantes autumant, (nam alioqui eſſemus ſaltem aliqua ex parte redemptores) ſed aliquid facimus, cuius intuitu Chriſti ſatisfactio nobis applicatur, & communicatur.

60. Per paſſiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur noſtra delicta; ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impertiuntur, & ut digni ſimus, qui pretio Sanguinis Chriſti a pœnis pro peccatis debitis liberemur.

61. Celebris illa Doctorum diſtinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri; altero modo quantum ad præceptorum operum ſubſtantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet, ſecundum quem valeant operantem perducere ad regnum (hoc eſt, ad modum meritorum) commentitia eſt, & explodenda.

62. Illa quoque diſtinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex obiecto, & omnibus circumſtantiis rectum eſt, & bonum, (quod moraliter bonum appellare conſueverunt) vel quia eſt meritorium Regni æterni, eo quod ſit a vivo Chriſti membro per ſpiritum charitatis, reiicienda eſt.

63. Sed & illa diſtinctio duplicis iuſtitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inſpiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua divinæ Legis iuſtificatio impleatur, ſimiliter reiicitur.

64. Item & illa diſtinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentiæ, & vitæ novæ propoſitum, & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur, alterius, qua vivificatur, qui vere iuſtificatur, & palmes vivus in vite Chriſto efficitur, pariter commentitia eſt; & Scripturis minime congruens.

65. Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi arbitrii bonus, ſive non malus, & gratiæ Chriſti iniuriam facit, qui ita ſentit & docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod neceſſario facit.

68. Infidelitas pure negativa in his, in quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.

69. Iuſtificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis; non autem per occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ, quæ per eam iuſtificatos faciat implere legem.

70. Homo exiſtens in peccato mortali, ſive in reatu æternæ damnationis, poteſt habere veram charitatem; & charitas, etiam perfecta, poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum coniunctam, non remittitur crimen, extra caſum neceſſitatis, aut Martyrii, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.

72. Omnes omnino Iuſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum; unde & Iob, & Martyres, quæ paſſi ſunt, propter peccata ſua paſſi ſunt.

73. Nemo, præter Chriſtum, eſt abſque peccato originali: hinc B. Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum, omneſque eius afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum Iuſtorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiſcentia in renatis relapſis in peccatum mortale, in quibus iam dominatur, peccatum eſt, ſicut & alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiſcentiæ ſunt, pro ſtatu hominis vitiati, prohibiti præcepto, *Non concupiſces*: Unde homo eos ſentiens, & non conſentiens, tranſgreditur præceptum *Non concupiſces*; quamvis tranſgreſſio in peccatum non deputetur.

76. Quandiu aliud concupiſcentiæ carnalis in diligente eſt, non facit præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo*.

77. Satisfactiones laborioſæ Iuſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.

78. Immortalitas primi Hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.

79. Falſa eſt Doctorum ſententia, primum Hominem potuiſſe a Deo creari, & inſtitui, ſine Iuſtitia naturali.

Nota. Pii V. Conſt. ita abſolvitur. *Quas quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore & proprio*

ver-

Digitized by Google

*verborum ſenſu ab aſſertoribus intento hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, & in pias aures offenſionem immittentes, reſpective &c. damnamus &c.*

En autem Baii retractatio. *Ego Michael de Baii Cancellarius Univerſitatis Lovanienſis agnoſco, & profiteor, me ex variis colloquiis, & communicationibus habitis cum R. P. D. D. Franciſco Toleto Concionatore Suæ Sanctitatis, & ad hanc rem ſpecialiter miſſo ſuper diverſis ſententiis, & propoſitionibus iam & olim a* SS. D. N. Pio V. fel. record. *ſub data Kal. Oct. an.* 1579., *& nuper a Gregorio XIII. iterato damnatis, & prohibitis, ita motum & eo perductum eſſe, ut plane mihi habeam perſuaſum, earum omnium ſententiarum damnationem, atque prohibitionem, iure meritoque, ac nonniſi maturo iudicio, & diligentiſſima diſcuſſione præmiſſis, factam, atque decretam eſſe: Fateor inſuper, plurimas ex iiſdem ſententiis in nonnullis libris a me olim, & ante emanatam Sedis Apoſtolicæ ſuper iis cenſuram conſcriptis, & in lucem editis contineri, & defendi etiam in eo ſenſu, in quo reprobantur. Denique declaro me in præſentiarum, ab iis omnibus recedere, & damnationi a S. Sede factæ acquieſcere, nec poſthac ullas docere, aſſerere, ac defendere velle.* Actum 24. Maii &c.

*Decretum SS. D. N.* Alexandri *VII. Feria V. die* 30. *Ianuar.* 1659.

*IN Congregatione Generali S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo Domino noſtro Domino Alexandro divina Providentia Papa VII., ac Eminen. & Reverendiſ. S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus in univerſa republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.*

*Cum nuper a Regularibus mendicantibus diœceſis Andegaven., Iudicio Sedis Apoſtolicæ (ad quam dumtaxat controverſias Fidei, ac morum univerſalis Eccleſiæ pertinet definire) infra inſertæ propoſitiones fuerint ablatæ, de mandato SS. Domini Noſtri Domini Alexandri divina Providentia Papæ VII plurium Theologorum, & Canoniſtarum a Sanctitate Sua ad id ſpecialiter deputatorum examini ſunt commiſſæ, quo peracto, & relata Sanctitati ſuæ unanimi eorumdem Theologorum, atque Canoniſtarum cenſura: Idem Sanctiſſimus auditis votis Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium Generalium Inquiſitorum, eaſdem propoſitiones, prout infra qualificatas, auctoritate Apoſtolica declaravit, declaratas decrevit, & tales ab omnibus haberi præcepit.*

1. Concil. Trident. non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Epiſcopis, ut Secularium confeſſiones audire poſſint, neque ex illius Concilii auctoritate privilegia Regularium reſtringi poſſunt, cum in Gallia receptum non ſit, præterquam in deciſionibus Fidei, nec etiam Bulla Pii IV. pro confirmatione illius Concilii promulgata.

2. Ubi Concilium Tridentinum eſt receptum, non poſſunt Epiſcopi reſtringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confeſſiones audiendas, neque illas ulla ex cauſa revocare. Quinimmo Ordinum mendicantium Religioſi ad eas approbationes obtinendas non tenentur; etſi ab Epiſcopis Religioſi non probentur, reiectio illa tantumdem valet, ac ſi approbatio conceſſa fuiſſet.

3. Regulares Ordinum mendicantium ſemel approbati ab uno Epiſcopo ad confeſſiones audiendas in ſua diœceſi, habentur pro approbatis in aliis diœceſibus, nec nova Epiſcoporum indigent approbatione. Regulares habent poteſtatem abſolvendi a peccatis Epiſcopo reſervatis, etiamſi ab Epiſcopo auctoritas ipſis indulta non fuerit.

4. Nullus in foro conſcientiæ Parochiæ ſuæ intereſſe tenetur, nec ad annuam Confeſſionem, nec ad miſſas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, Fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in Catecheſibus annunciantur, & docentur.

5. Talem legem in hac materia nec Epiſcopi, nec Concilia Provinciarum, vel Nationum ſancire, nec delinquentes aliquibus pœnis, aut Eccleſiaſticis cenſuris mulctare poſſunt.

6. Regulares mendicantes petere poſſunt licite a Iudicibus Secularibus, ut iniungant Epiſcopis, quatenus ipſis mandata concedant ad prædicandum in Adventu, & Quadrageſima: Quod ſi renuant facere Epiſcopi, decretum Iudicum Secularium tantumdem valet, ac ſi permiſſio dictis Religioſis conceſſa fuiſſet.

*Decretum alterum eiuſdem Pontificis die* 24 *Septembris* 1665.

*SAnctiſſimus D. N. audivit non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & Animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum ſuſcitari, partim noviter prodere, ſum-*

*ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis exceſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu verius perverti contigeret, idem Sanctiſſimus D. N. ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via pro paſtorali ſollicitudine in rectam ſemitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſerio commiſit: Qui tantum negotium ſtrenue aggreſſi, et ſedulo incumbentes, & mature diſcuſſis uſque ad hanc diem infraſcriptis propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſingillatim expoſuerunt.*

1. Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 28. Iulii in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.

4. Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſeculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

5. Quamvis evidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.

6. Confeſſarius, qui in Sacramentali confeſſione tribuit Pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi.

8. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.

9. Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.

10. Non eſt contra iuſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: Neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam iuramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.

12. Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo iniuſte reprobato.

14. Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui Beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni publice & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.

18 Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Iudicem, a quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.

19. Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Uxorem in adulterio deprehenſam.

20. Reſtitutio a Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus horas non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Iudicis, eo quod ſit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.

22. Non

22. Non eſt contra iuſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens ieiunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult ſe ſubiicere præcepto.

24. Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto, dicens: Commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem; non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber ſit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet, reiectam eſſe a Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamſi abſque nulla cauſa non recipiat legem a Principe promulgatam.

*Quibus peractis, dum ſimilium propoſitionum examini cura, & ſtudium impenditur, interea idem Sanctiſſimus, re mature conſiderata, ſtatuit & decrevit, prædictas propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimum tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas: ſicut eas damnat, ac prohibet; ita ut quicumque illas aut coniunctim, aut diviſim docuerit, & defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præter quam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.*

*Inſuper diſtricte in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Iudicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cuiuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiamſi ſpeciali, ac ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.*

*Decretum tertium eiuſdem* Alexandri *VII. die 18. Martii 1666.*

*SAnctiſſimus D. N. poſt latum Decretum die 24. Septembris proxime elapſi, quo viginti octo propoſitiones damnatæ fuerunt, examinatis ſedulo, & accurate uſque ad hanc diem infraſcriptis aliis, quadrageſimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos, & Reverendiſſimos DD. Cardinales adverſus hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſingillatim ſuper unaquaque ipſarum audivit.*

*Propoſitio* 29. In die Ieiunii, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit Ieiunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione ieiunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum ieiunio.

31. Excuſantur abſolute á præcepto ieiunii illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.

32. Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.

33. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea Beneficiatus de fructibus ſui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paſchale ſatisfacit præcepto.

35. Unico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, pro die præſenti, & craſtino.

36. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſſe revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum.

39. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

40. Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.

41. Non

41. Non eſt obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgo *Regalo*, dum deficiente illo, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & aliæ famulæ nimis difficile invenirentur.

42. Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obligat ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat pluſquam per decem annos.

44. Quoad forum conſcientiæ, reo correcto, eiuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.

45. Libri prohibiti donec expurgentur, poſſunt retineri, uſquedum adhibita diligentia corrigantur.

*Quibus mature penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decrevit, prædictas Propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimum tamquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas: ſicut eas damnat ac probibet; Itaut quicumque illas aut coniunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.*

*Inſuper diſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Iudicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cuiuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.*

### *Decretum SS. D. N.* Innocentii XI. *die 2. Martii 1679.*

*SAnctiſſimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus, ovium ſibi a Deo creditarum ſaluti ſedulo incumbens, & ſalubre opus in ſegregandis noxiis doctrinarum paſcuis ab innoxiis, a fel. record. Alexandro VII. Prædeceſſore ſuo inchoatum proſequi volens, plurimas Propoſitiones, partim ex diverſis vel libris, vel theſibus ſeu ſcriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſubiecit. Quibus propoſitionibus ſedulo, & accurate ſæpius diſcuſſis, eorumdem Eminentiſſimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis: Idem SS. D. N. re poſtea mature conſiderata, ſtatuit & decrevit pro nunc ſequentes propoſitiones, unamquamque ipſarum, ſicuti iacent, ut minimum tamquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas, eſſe damnandas, & probibendas, ſicuti eas damnat & probibet, Non intendens tamen Sanctitas Sua per Decretum alias propoſitiones in ipſo non expreſſas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare.*

1. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

2. Probabiliter exiſtimo, Iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excuſabitur Infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc ſolum obligat, quando tenemur iuſtificari, & non habemus aliam viam, qua iuſtificari poſſimus.

8. Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini, quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

9. Opus coniugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

12. Vix in ſecularibus invenies, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.

15. Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis a ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.

16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.

17. Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.

18. Si a poteſtate publica quis interrogetur fidem ingenue conſiteri, ut Deo, & Fidei glorioſum, conſulo tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.

19. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quam meratur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

20. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.

21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis; immo cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.

22. Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta ex teſtimonio Creaturarum, ſimilive motivo ad iuſtificationem ſufficit.

24. Vocare Deum in teſtem mendacii levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

25. Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.

26. Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine, iuret ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec eſt periurus.

27. Cauſa iuſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quod de mandato Regis a ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis eſt cauſa iuſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

31. Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.

32. Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

33. Licitum eſt tam hæredi, quam legatario contra iniuſte impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere; ſicut & ius habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem iniuſte impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur; ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36 Permiſſum eſt furari, non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

39. Qui alium movet, aut Inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus eſt etiam reſpectu eiuſdem Perſonæ, & cum contra-

ctu re-

ctu retroventitionis præviæ inito, cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non maioris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.

42. Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur tanquam ex iuſtitia debitum.

43. Exinde non niſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere.

44. Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam iuſtitiam, & honorem defendat. Et ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; immo etiam ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis.

47. Cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi iudicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc, *digniores*, non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo: vel ſecundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem loquitur tertio, quando ſit concurſus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur.

49. Mollities iure naturæ prohibita non eſt: Unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.

50. Copula cum coniugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; adeoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.

51. Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adiuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id facit metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, & ſi abſit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, immo quatuor ſimul, a diverſis Celebrantibus audit.

54. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad ſe minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.

57. Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam.

58. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicuius conſuetudinem.

59. Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſum, ratione magni concurſus Pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicuius feſtivitatis, aut indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio; dummodo ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.

61. Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere: quinimmo directe, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

62. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.

63. Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.

64. Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

65. Suf-

Digitized by Google

65. Sufficit illa Myſteria ſemel credidiſſe.

*Quicumque autem cuiuſvis conditionis, ſtatus, & dignitatis illas, vel illarum aliquam coniunctim, vel diviſim defenderit, vel ediderit; vel de eis diſputative, publice, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.*

*Inſuper diſtricte in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Iudicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cuiuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.*

*Tandem, ut ab iniurioſis contentionibus Doctores, ſeu ſcholaſtici, aut alii quicumque in poſterum ſe abſtineant, & ut paci & charitati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute ſanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quam in Theſibus, Diſputationibus, ac Prædicationibus, caveant ab omni cenſura, & nota, necnon a quibuſcumque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognitæ ſint, & ſuper iiſdem propoſitionibus iudicium proferatur.*

*Propoſitiones duæ de omnipotentia donata, & ſubiecta creaturæ, quæ die 23. Novembris anno 1679. ab Innocentio XI. damnatæ ſunt ut temerariæ ad minimum, & novæ.*

1. Deus donat nobis omnipotentiam ſuam, ut ea utamur, ſicut aliquis donat alteri villam, aut librum.

2. Deus ſubiicit nobis ſuam Omnipotentiam.

*Propoſitiones duæ de Confeſſione diverſis temporibus proſcriptæ.*

1. Scientia ex confeſſione acquiſita uti licet, modo fiat ſine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, niſi aliud multo maius ex non uſu ſequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur.

2. Licet per litteras ſeu internuncium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere.

*Hæc propoſitio die 20. Iunii anno 1602. damnata eſt a* Clemente *VIII. Bulla* 87. ad minus uti falſa, temeraria, & ſcandaloſa: *Vetatque idem Papa ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, & ſibi reſervatæ*, ne deinceps iſta propoſitio publicis, privatiſque lectionibus, concionibus, & congreſſibus doceatur, neve unquam tamquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur.

*Propoſitio unica ab Innocentio X. damnata anno 1647. in Congregatione Generali Supremæ, & Univerſalis Inquiſitionis.*

Sanctus Petrus & S. Paulus ſunt duo Eccleſiæ Principes, unicum efficiunt, vel ſunt duo Eccleſiæ Catholicæ Coriphæi ac ſupremi Duces, ſumma inter ſe unitate coniuncti; vel ſunt geminus univerſalis Eccleſiæ vertex, qui in unum diviniſſime coaluerunt; vel ſunt duo Eccleſiæ Summi Paſtores ac Præſides, qui unicum caput conſtituunt.

*Propoſitiones duæ ab Alexandro VIII. damnatæ 24. Auguſti 1690.*

1. Bonitas obiectiva conſiſtit in convenientia obiecti cum natura rationali; formalis vero in conformitate actuum cum regula morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in ſuum finem ultimum interpretative, hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis.

2. Peccatum Philoſophicum, ſeu morale, eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero & morale eſt tranſgreſſio libera divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non offenſa Dei, neque peccatum mortale, diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

*Conſtitutione* Cæleſtis Paſtor *damnavit* Innocentius XI. *octo & ſexaginta Theſes, quæ prætextu Orationis quietis a Michaele de Molinos docebantur. Sunt autem infra.*

1. Oportet Hominem ſuas potentias annihilare. Et hæc eſt via interna.

2. Velle operari active, eſt Deum offendere, qui vult eſſe ipſe ſolus Agens; & ideo opus eſt, ſe ipſum in Deo totum, & totaliter

liter derelinquere, & poteſt permanere velut corpus exanime.

3. Vota de aliquo faciendo ſunt perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis eſt gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis ſine nobis.

5. Nihil operando anima ſe annihilat, & ad ipſum principium redit, & ad ſuam originem, quæ eſt eſſentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata, & Deus tunc in ſeipſo remanet: quia tunc non ſunt amplius duæ res unitæ, ſed una tantum: & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & anima ſeipſam annihilat in eſſe operativo.

6. Via interna eſt illa, qua non cognoſcitur nec lumen, nec amor, nec reſignatio; & non oportet Deum cognoſcere, & hoc modo recte proceditur.

7. Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiſo, nec de Inferno, nec de morte, nec de Æternitate.

8. Non debet velle ſcire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate reſignata maneat, nec ne; nec opus eſt ut velit cognoſcere ſuum ſtatum, nec proprium nihil, ſed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet anima reminiſci nec ſui, nec Dei, nec cuiuſcumque rei, & in via interna omnis reflexio eſt nociva, etiam reflexio ad ſuas humanas actiones, & ad proprios defectus.

10. Si proprii defectus alios ſcandalizent, non eſt neceſſarium reflectere, dummodo non adſit voluntas ſcandalizandi; & ad proprios defectus non poſſe reflectere, gratia Dei eſt.

11. Ad dubia, quæ occurrunt, an recte procedatur necne, non opus eſt reflectere.

12. Qui ſuum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiſo, nec debet deſiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ ſanctitatis, nec propriæ ſalutis, cuius ſpem expurgare debet.

13. Reſignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda eſt cogitatio, & cura de omni re noſtra; & relinquere, ut faciat in nobis ſine nobis ſuam divinam voluntatem.

14. Qui divinæ voluntati reſignatus eſt, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat, quia petere eſt imperfectio, cum ſit actus propriæ voluntatis & electionis; & eſt velle, quod divina voluntas noſtræ conformetur, & non quod noſtra divinæ. Et illud Evangelii, *petite, & accipietis*, non eſt dictum a Chriſto pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Immo huiuſmodi animæ eo perveniunt, ut non poſſint a Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque eſt actus propriæ voluntatis.

16. Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita; quia melius eſt divinæ iuſtitiæ ſatisfacere, quam divinam Miſericordiam quærere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & iſtud ab amore noſtri intereſſato, nec eſt res Deo grata, nec meritoria, quia eſt velle crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cogitatione animæ noſtræ, non eſt amplius habenda ratio tentationum; nec eis alia reſiſtentia fieri debet, niſi negativa, nulla adhibita induſtria; & ſi natura commovetur, oportet ſinere; ut commoveatur, quia eſt natura.

18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, ſpeciebus, & propriis conceptionibus, non adorat Deum in ſpiritu & veritate.

19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Aſſerere, quod in oratione opus eſt ſibi per diſcurſum auxilium ferre, & per cogitationes, quas Deus animam non alioquitur, ignorantia eſt. Deus nunquam loquitur, eius locutio eſt operatio; & ſemper in anima operatur, quando hæc ſuis diſcurſibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.

21. In Oratione opus eſt manere in fide obſcura, & univerſali, cum quiete & oblivione cuiuſcumque cogitationis particularis, ac diſtinctæ attributorum Dei, ac Trinitatis, & ſic in Dei præſentia manere ad illum adorandum & amandum, eique inſerviendum; ſed abſque productione actuum, quia in his Deus ſibi non complacet.

22. Cognitio hæc per fidem non eſt actus a creatura productus, ſed eſt cognitio a Deo creaturæ tradita, quam creatura ſe habere non cognoſcit, ſed poſtea cognoſcit illam ſe habuiſſe; & idem dicitur de amore.

23. Myſtici cum S. Bernardo in Scala Clau-

Clauſtralium, diſtinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Orationem, & Contemplationem infuſam. Qui ſemper in primo ſiſtit, nunquam ad ſecundum pertranſit; Qui ſemper in ſecundo perſiſtit, nunquam ad tertium pervenit, qui eſt noſtra contemplatio acquiſita, in qua per totam vitam perſiſtendum eſt, dummodo Deus animam non trahat, abſque eo quod ipſa id expectet, ad contemplationem infuſam; & hac ceſſante, anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipſo permanere, abſque eo quod amplius redeat ad ſecundum, aut primum.

24. Qualeſcumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, ſi voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, ſed cum indifferentia, & reſignatione tolerentur, non impediunt orationem Fidei: immo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinæ voluntati reſignata remanet.

25. Etiamſi ſuperveniat ſomnus & dormiatur, nihilominus fit Oratio & Contemplatio actualis; quia oratio, reſignatio, idem ſunt, & dum reſignatio perdurat, perdurat & oratio.

26. Tres illæ viæ, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva, ſunt abſurdum maximum, quod dictum fuerit in myſtica. Cum non ſit niſi unica via, ſcilicet via interna.

27. Qui deſiderat, & amplectitur devotionem ſenſibilem, non deſiderat, nec quærit Deum, ſed ſeipſum; & male agit, cum eam deſiderat, & eam habere conatur, quia per viam internam incedit, tam in locis ſacris, quam in diebus ſolemnibus.

28. Tædium rerum ſpiritualium bonum eſt; ſiquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna faſtidit diſcurſus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in ſe ipſa ſentiens fervorem, bonum ſignum eſt.

30. Totum ſenſibile, quod experimur in vita ſpirituali, eſt abominabile, ſpurcum, & immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a ſenſibus cognoſci. Opus eſt amittere virtutes.

32. Nec ante, nec poſt Communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro iſtis animabus internis) quam permanentia in ſolita reſignatione paſſiva, quia modo perfectiore ſupplet omnes actus virtutum, qui poſſunt, & fiunt in via ordinaria. Et ſi hac occaſione Communionis inſurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi ſunt, quoties non dignoſcatur, eos eſſe ex impulſu ſpeciali Dei; alias ſunt impulſus naturæ nondum mortuæ.

33. Male agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, ſi in diebus ſolemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in ſe devotum aliquem ſenſum; quoniam animæ internæ omnes dies ſunt æquales, omnes feſtivi. Et idem dicitur de locis ſacris, quia huiuſmodi animabus omnia loca æqualia ſunt.

34. Verbis, & lingua gratias agere Deo non eſt pro animabus internis, quæ in ſilentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis, & quo magis Deo ſe reſignant, experiuntur ſe non poſſe orationem Dominicam, ſeu *Pater noſter* recitare.

35. Non convenit animabus huius viæ internæ, quod faciant operationes, etiam virtuoſas ex propria electione, & activitate, alias non eſſent mortuæ: nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, aut Humanitatem Chriſti; quia cum iſta obiecta ſenſibilia ſint, talis eſt amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec B. Virgo, nec Sancti ſedere debent in noſtro corde, quia ſolus Deus vult illud occupare, & poſſidere.

37. In occaſione tentationum, etiam furioſarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppoſitarum, ſed debet in ſupradicto amore & reſignatione permanere.

38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave eſt, & infructuoſum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non ſufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæſionem.

40. B. Virgo nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus ſanctior. Igitur ad ſanctitatem perveniri poteſt abſque opere exteriori.

41. Deus permittit, & vult ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis Dæmon violentiam inferat earum corporibus, eaſque actos carnales committere faciat, etiam in vigilia, & ſine mentis offuſcatione, movendo phyſice illorum manus, & alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per ſe peccaminoſos, in quo

caſu

Digitized by Google

caſu non ſunt peccata, quia in his non adeſt conſenſus.

42. Poteſt dari caſus, quod huiuſmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum perſonarum, ſcilicet maris & fœminæ, & ex parte utriuſque ſequatur actus.

43. Deus præteritis ſæculis Sanctos efficiebat tyrannorum miniſterio, nunc vero eos efficit Sanctos miniſterio Dæmonum, qui cauſando in eis prædictas violentias, facit ut illi ſe ipſos magis deſpiciant, atque annihilent, & ſe Deo reſignent.

44. Iob blaſphemavit, & tamen non peccavit labiis ſuis, quia fuit ex Dæmonis violentia.

45. Sanctus Paulus huiuſmodi Dæmonis violentias in ſuo corpore paſſus eſt, unde ſcripſit: *Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod nolo malum, hoc facio.*

46. Huiuſmodi violentiæ ſunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & ad eam ad veram transformationem, & unionem perducendam, nec alia ſupereſt via: Et hæc eſt via facilior, & tutior.

47. Cum huiuſmodi violentiæ occurrunt, ſinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo induſtriam, nullumque proprium conatum, ſed permanere debet homo in ſuo nihilo; & etiamſi ſequantur pollutiones, & actus obſcœni propriis manibus, & etiam peiora, non opus eſt ſeipſum inquietari: ſed foras emittendi ſunt ſcrupuli, dubia, & timores; quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magiſque candida, & acquiritur ſancta libertas. Et præ omnibus, non opus eſt hæc confiteri; & ſanctiſſime fit, non confitendo, quia hoc pacto ſuperatur Dæmon, & acquiritur theſaurus pacis.

48. Satanas, qui huiuſmodi violentias infert, ſuadet deinde gravia eſſe delicta, ut anima ſe inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur; unde ad eius vires enervandas, melius eſt ea non confiteri, quia non ſunt peccata, nec etiam venialia.

49. Iob ex violentia Dæmonis ſe propriis manibus polluebat, eodem tempore quo mundas habebat ad Deum preces (ſic interpretando locum ex cap. XVI. Iob.)

50. David, Hieremias, & multi ex Sanctis Prophetis huiuſmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In Sacra Scriptura multa ſunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminoſos: uti illud de Sampſone, qui per violentiam ſeipſum occidit cum Philiſtæis, coniugium iniit cum alienigena, & cum Dalida meretrice fornicatus eſt, quæ alias erant prohibita, & peccata fuiſſent; De Iuditha, quæ Holopherni mentita fuit: De Eliſæo, qui pueris maledixit: de Elia, qui combuſſit Duces cum turmis Regis Acab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel Dæmonum miniſterio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cum huiuſmodi violentiæ etiam impuræ abſque mentis offuſcatione accidunt, tunc anima Deo poteſt uniri, & de facto ſemper magis unitur.

53. Ad cognoſcendum in praxi, an aliqua operatio in aliis perſonis fuerit violentia, regula, quam de hoc habeo, nedum ſunt proteſtationes animarum illarum, quæ proteſtantur ſe dictis violentiis non conſenſiſſe, aut iurare non poſſe, quod in iis conſenſerint, & videre quod ſint Animæ, quæ proficiunt in via interna; ſed regulam ſumo a lumine quodam actuali cognitione humana, ac Theologica ſuperiore, quod me certo cognoſcere facit cum interna certitudine, quod talis operatio eſt violentia, & certus ſum, quod hoc lumen a Deo procedit, qui ad me pervenit coniunctum cum certitudine, quod a Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium: eo modo quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipſe ſit, qui revelat, & anima in contrarium non poteſt dubitare.

54. Spirituales vitæ ordinariæ in hora mortis ſe deluſos invenient, & confuſos, & cum omnibus paſſionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam iterum pervenitur, etſi multa cum ſufferentia ad purgandas & extinguendas omnes paſſiones, ita quod nihil amplius ſentiant, nihil, nihil: nec ullam ſentiant inquietudinem, ſicut corpus mortuum, nec anima ſe amplius commoveri ſentit.

56. Duæ leges, & duæ cupiditates, animæ una, & amoris proprii altera, tandiu perdurant, quandiu perdurat amor proprius, unde quando hic purgatus eſt, & mortuus, ut fit per viam internam, non adſunt amplius illæ duæ leges, & duæ cupiditates, nec ulterius lapſus aliquis incurritur, nec aliquid ſentitur amplius, nequidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquiſitam perveni-

venitur ad ſtatum non faciendi amplius peccata nec mortalia nec venialia.

58. Ad huiuſmodi ſtatum pervenitur, non reflectendo amplius ad proprias operationes; quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna ſeiuncta eſt a Confeſſione, a Confeſſariis, & a caſibus conſcientiæ, a Theologia, & Philoſophia.

60. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eo etiam perveniunt, ut ſint mortuæ, Deus Confeſſionem aliquando efficit impoſſibilem, & ſupplet ipſe tanta gratia perſeverante, quantum in Sacramento reciperent; & ideo huiuſmodi animabus non eſt bonum in tali caſu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id eſt in illis impoſſibile.

61. Anima cum ad mortem myſticam pervenit, non poteſt amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abſtulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum ſtatum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem ſenſuum; quinimmo ſignum, quod quis in ſtatu nihilitatis maneat, ideſt mortis myſticæ, eſt, ſi ſenſus exteriores non repræſentent amplius res ſenſibiles, unde ſint, ac ſi non eſſent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus ſe ad eas applicet.

64. Theologus minorem diſpoſitionem habet, quam homo rudis ad ſtatum contemplativi: Primo quia non habet fidem adeo puram: Secundo quia non eſt adeo humilis: Tertio quia non adeo curat propriam ſalutem: Quarto, quia caput referatum habet phantaſmatibus, ſpeciebus, opinionibus, & ſpeculationibus, & non poteſt in illum ingredi verum lumen.

65. Præpoſitis obediendum eſt in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religioſorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter res ſe habet, quia ſolus Deus, & Director intrant.

66. Riſu digna eſt nova quædam doctrina in Eccleſia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Epiſcopo: quod ſi Epiſcopus non ſit capax, anima ipſum cum ſuo directore adeat. Novam dico doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores eam unquam tradiderunt, nec tradere poſſunt, quia Eccleſia non iudicat de occultis, & anima ius habet eligendi quemcumque ſibi bene viſum.

67. Dicere, quod internum manifeſtandum eſt exteriori tribunali Præpoſitorum, & quod peccatum ſit id non facere, eſt manifeſta deceptio: quia Eccleſia non iudicat de occultis, & propriis animabus præiudicant his deceptionibus, & ſimulationibus.

68. In mundo non eſt facultas, nec iuriſdictio ad præcipiendum, ut manifeſtentur Epiſtolæ Directoris quoad internum animæ, & ideo opus eſt animadvertere, quod hoc eſt inſultus Satanæ &c.

*Decreto* Sanctiſſimus *D. N. Alexander &c. infraſcripta damnavit anno* 1690.

1. IN ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.

2. Tamerſi detur ignorantia invincibilis iuris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali.

3. Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam.

4. Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis Electis, ſed pro omnibus, & ſolis Fidelibus.

5. Pagani, Iudæi, *Hæretici*, aliique huius generis nullum omnino accipiunt a Ieſu Chriſto influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti.

6. Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quam pernicioſa eſt, ſic ut proinde merito poſſimus petere: a gratia ſufficienti libera nos Domine.

7. Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel mundi; ſi Dei, charitas Patris eſt; ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt.

8. Neceſſe eſt Infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob eius turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura rationali, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu.

10. Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, mere ut Cæleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non eſt ex Fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit

omnis

Digitized by Google

omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamſi videatur credere, non eſt Fides Divina, ſed humana.

13. Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.

16. Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, natura rei id ipſum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt inverſus.

18. Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confeſſiones apud Religioſos factæ plerumque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

21. Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levis, & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione, ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.

22. Sacrilegi ſunt judicandi, qui ius ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi ſunt a Sacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templo, quæ fiebat a Beata Virgine Maria in die Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtatur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet, ſecundum verba legis.

25. Dei Patris ſedentis ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in templo collocare.

26. Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana eſt.

27. Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus; *In nomine Patris* &c. prætermiſſis illis, *Ego te baptizo*.

28. Valuit Baptiſmus collatus a miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit: *Non intendo facere, quod facit Eccleſia*.

29. Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Œcumenicum auctoritate, atque in Fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In Eminenti*, eſt ſubreptitia.

*Brevi* Cum alias &c. *tres & viginti infraſcriptas Theſes, quæ prætextu amoris erga Deum puriſſimi in Galliis docebantur,* Innocentius XII. *anno 1699. proſcripſit.*

1. Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt charitas pura, & ſine ulla mixtione motivi proprii intereſſe. Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando.

2. In ſtatu vitæ contemplativæ, ſeu unitivæ omittitur omne motivum intereſſatum timoris & ſpei.

3. Id, quod eſt eſſentiale in directione animæ, eſt, non aliud facere, quam ſequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, & ſubtilitate. Oportet ſe intra hos limites continere, ut ſinatur Deus agere, & nunquam ad purum amorem ducere, niſi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum eſt animabus adhuc ſibimet affixis, & adeo poteſt illas ſcandalizare, aut in perturbationem conjicere.

4. In ſtatu ſanctæ indifferentiæ anima non habet amplius deſideria voluntaria, & deliberata propter ſuum intereſſe; exceptis iis occaſionibus, in quibus toti ſuæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5. In eodem ſtatu ſanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut ſimus perfecti & beati propter intereſſe proprium, ſed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res iſtas impreſſione ſuæ gratiæ.

6. In hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu nolumus amplius ſalutem, ut ſalutem propriam, ut liberationem æternam, ut mer-

ce-

cedem noſtrorum meritorum, ut noſtrum intereſſe omnium maximum, ſed eam volumus voluntate plena, ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipſe vult, quam nos vult velle propter ipſum.

7. Derelictio non eſt niſi abnegatio, ſeu ſui ipſius renunciatio, quam Ieſus Chriſtus a nobis in Evangelio requirit, poſtquam externa omnia reliquerimus. Iſta noſtri ipſorum abnegatio non eſt, niſi quoad intereſſe proprium. Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, ſeu ſui ipſius derelictio exerceri debet, ſunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei oſtendendo perfugium, neque ullam ſpem quoad ſuum intereſſe proprium, etiam æternum.

8. Omnia ſacrificia, quæ fieri ſolent ab animabus quammaxime diſintereſſatis circa earum æternam beatitudinem, ſunt conditionalia. Sed hoc ſacrificium non poteſt eſſe abſolutum in ſtatu ordinario. In unoextremarum probationum caſu hoc ſacrificium fit aliquo modo abſolutum.

9. In extremis probationibus poteſt animæ invincibiliter perſuaſum eſſe perſuaſione reflexa, quæ non eſt intimus conſcientiæ fundus, ſe iuſte reprobatam eſſe a Deo.

10. Tunc anima diviſa a ſemetipſa expirat cum Chriſto in Cruce dicens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* In hac involuntaria impreſſione deſperationis conficit ſacrificium abſolutum ſui intereſſe proprii quoad æternitatem.

11. In hoc ſtatu anima amittit omnem ſpem ſui proprii intereſſe, ſed nunquam amittit in parte ſuperiori, ideſt in ſuis actibus directis, & intimis ſpem perfectam, quæ eſt deſiderium diſintereſſatum promiſſionum.

12. Director tunc poteſt huic animæ permitter[illegible] ut ſimpliciter acquieſcat iacturæ ſui pr[illegible] intereſſe, & iuſtæ condemnationi, [illegible] ſibi a Deo indictam credit.

13. Inferior Chriſti pars in Cruce non communicavit ſuperiori ſuas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam ſeparatio partis ſuperioris animæ ab inferiori. In iſta ſeparatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca & involuntaria perturbatione: Nam totum, quod eſt involuntarium, & intellectuale, eſt partis ſuperioris.

15. Meditatio conſtat diſcurſivis actibus, qui a ſe invicem facile diſtinguuntur. Iſta compoſitio actuum diſcurſivorum, & reflexorum eſt propria exercitatio amoris intereſſati.

16. Datur ſtatus contemplationis adeo ſublimis, adeoque perfectæ, ut fiat ſpiritualis, ita ut quoties anima actu orat, ſua oratio ſit contemplativa, non diſcurſiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, eiuſque actus methodicos.

17. Animæ contemplativæ privantur intuitu diſtincto, ſenſibili, & reflexo Ieſu Chriſti duobus temporibus diverſis; Primo in fervore naſcente earum contemplationis; Secundo anima amittit intuitum Ieſu Chriſti in extremis probationibus.

18. In ſtatu paſſivo exercentur omnes virtutes diſtinctæ, non cogitando, quod ſint virtutes, quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult, & amor zelotypus ſimul efficit, ne quis amplius ſibi virtutem velit, nec unquam ſit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non eſt.

19. Poteſt dici in hoc ſenſu, quod anima paſſiva, & diſintereſſata nec ipſum amorem vult amplius, quatenus eſt ſua perfectio, & ſua felicitas, ſed ſolum quatenus eſt id, quod Deus a nobis vult.

20. In confitendo debent animæ transformatæ ſua peccata deteſtari, & condemnare ſe, & deſiderare remiſſionem ſuorum peccatorum, non ut propriam purificationem, & liberationem; ſed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter ſuam gloriam.

21. Sancti myſtici excluſerunt a ſtatu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis hæc doctrina (de puro amore) eſſet pura & ſimplex perfectio Evangelica in univerſa traditione deſignata, antiqui Paſtores non proponebant paſſim multitudini iuſtorum, niſi exercitationem amoris intereſſati eorum gratiæ proportionatam.

23. Purus amor ipſe ſolus conſtituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, & meritorii ſunt.

*Quinque Ianſenii Propoſitiones cum Cenſura eiſdem affixa in Conſtitutione Innocentii X.* Cum occaſione.

1. IAnſenii propoſitio eſt: Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis

illis Gratia, qua poſſibilia fiant. Hæc declaratur temeraria, impia, blaſphema, & hæretica.

2. Interiori Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur. Hæc declaratur hæretica.

3. Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione. Hæc damnatur ut hæretica.

4. Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſit humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare. Hæc quoque declaratur hæretica.

5. Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe. Hæc falſa, temeraria, ſcandaloſa, & intellecta eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute tantum prædeſtinatorum mortuus ſit, impia quoque, blaſphema, contumelioſa, divinæ pietati derogans, & hæretica declaratur.

*Queſnellii propoſitiones damnatæ a Clemente XI. in Conſtitutione* Unigenitus.

1. QUid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum; & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?

2. Ieſu Chriſti gratia, principium efficax boni cujuſcumque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum: abſque illa non ſolum nihil fit, ſed nec fieri poteſt.

3. In vanum Domine præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis.

4. Ita, Domine, omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.

5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.

6. Diſcrimen inter Fœdus Iudaicum, & Chriſtianum eſt, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis a peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia; in iſto vero Deus peccatori dat, quod iubet, illum ſua gratia purificando.

7. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit eius propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ vero facilitas non eſt admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis.

8. Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

9. Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.

10. Gratia eſt operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.

11. Gratia non eſt aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei iubentis, & facientis quod iubet.

12. Quando Deus vult ſalvare animam, quocumque tempore, quocumque loco affectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.

13. Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.

14. Quantumcumque remotus a ſalute ſit peccator obſtinatus, quando Ieſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet, ut ſe dedat, accurrat, ſe ſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.

15. Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam æternam locutionem comitatur unctione ſui Spiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam quam petit.

16. Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.

17. Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Ieſum Chriſtum; quicumque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus eſt doctus a Patre.

18. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.

19. Dei gratia nihil aliud eſt, quam eius omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis.

20. Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi a nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.

21. Gratia Ieſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum.

22. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipſius voluntatis conſenſu, demonſtratur illico nobis in In-

in Incarnatione, veluti in fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio.

23. Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, quæ creaturas e nihilo producit, & mortuis reddit vitam.

24. Iuſta idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Ieſu Chriſti in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia ſuæ Gratiæ in ſanandis animabus a cupiditate.

25. Deus illuminat animam, & eam ſanat æque ac corpus ſola voluntate, iubet & ipſi obtemperatur.

26. Nullæ dantur gratiæ niſi per Fidem.

27. Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.

28. Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, eſt peccatorum remiſſio.

29. Extta Eccleſiam nulla conceditur gratia.

30. Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.

31. Deſideria Chtiſti ſemper habent ſuum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32. Ieſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pto ſemper ſuo ſanguine Primogenitos, ideſt Electos, de manu Angeli exterminatoris.

33. Proh quantum oportet bonis terrenis, & ſibimetipſis renunciaſſe, ad hoc, ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Ieſum, eius amorem, mortem, & myſteria, ut facit Sanctus Paulus dicens: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.*

34. Gratia Adami non producebat niſi merita humana.

35. Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ.

36. Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatus innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quod primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet; iſta vero non recipitur, niſi in perſona Ieſu Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus.

37. Gratia Adami, ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata; Gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Ieſu Chriſto, eſt omnipotens, & digna Filio Dei.

38. Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris.

39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet hominis, niſi ad aberrandum; Eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

40 Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.

41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire niſi a Deo, & ſine gratia non producit niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris

42 Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei, ſine hoc nihil, niſi impuritas, nihil niſi indignitas.

43. Primus effectus gratiæ baptiſmatis eſt facere, ut moriamur peccato: adeo ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

44. Non ſunt, niſi duo amotes, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur: Amur Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur: & Amor, quo nos ipſos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.

45. Amore Dei in corde Peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones eius corrumpat.

46. Cupiditas aut Charitas uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eſt Charitas. Quando Dei Amor eſt illius principium interius, & Dei glotia eius finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius; alioquin non eſt, niſi hypocriſis, aut falſa iuſtitia.

48. Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum ſine Fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine Charitate.

49. Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine Amore Dei.

50. Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi, ſi ſpiritus Charitatis non eſt ille, qui clamat.

51. Fides iuſtificat quando operatut, ſed ipſa nnn operatur, niſi per Charitatem.

52. Omnia alia ſalutis remedia continentur in fide, tanquam in ſuo germine, & ſemine; ſed hæc fides non eſt abſque amore, & fiducia.

53. Sola Chatitas chriſtiano modo facit (actiones Chriſtianas) per relationem ad Deum, & Ieſum Chriſtum.

54. So-

54 Sola Charitas eſt, quæ Deo loquitur, eam ſolam Deus audit.

55. Deus non coronat niſi Charitatem: qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat niſi Charitatem, quoniam Charitas ſola Deum honorat.

57. Totum deeſt Peccatori, quando ei deeſt ſpes; & non eſt ſpes in Deo, quando non eſt amor Dei.

58. Nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt Charitas.

59 Oratio impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos iudicium.

60. Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem.

61. Timor nonniſi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore iuſtitiæ non ducitur.

62. Qui a malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & iam eſt reus coram Deo.

63. Baptizatus adhuc eſt ſub lege ſicut Iudæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore.

64. Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur ſive faciendo malum, ſive illud nonniſi ob timorem evitando.

65. Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui ſunt, abſque eo quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint niſi mancipia per timorem.

66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem ſicuti beſtiæ, ſed per fidem, & per amorem ſicuti filii.

67. Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, iniuſtum, intractabilem.

68. Dei bonitas abbreviavit viam ſalutis claudendo totum in Fide, & precibus.

69. Fides, uſus, augmentum, & præmium Fidei totum eſt donum puræ liberalitatis Dei.

70. Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum Peccatorem.

71. Homo ob ſui conſervationem poteſt ſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

72. Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quod ſit Catholica: comprehendens & omnes Angelos Cœli, & omnes electos, & juſtos terræ, & omnium ſæculorum.

73. Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus filiorum Dei manentium in eius ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum eius ſanguine, viventium eius ſpiritu, agentium per eius gratiam, & expectantium gratiam futuri ſæculi.

74. Eccleſia, ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum habet ut Caput; omnes vero Sanctos ut membra.

75. Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt Caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona: Unus ſolus Chriſtus compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt Sanctificator.

76. Nihil ſpatioſius Eccleſia Dei, quia omnes Electi, & Iuſti omnium ſæculorum illam componunt.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Chriſti, ceſſat interius habere Deum pro patre, & Chriſtum pro capite.

78. Separatur quis a populo Electo, cuius figura fuit populus Iudaicus, & Caput eſt Ieſus Chriſtus, tam non vivendo ſecundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

79. Utile, & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi, ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, & Pietatem, & Myſteria Sacræ Scripturæ.

80. Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus.

81. Obſcuritas Sancti verbi Dei non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab eius lectione.

82. Dies Dominicus a Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sanctarum Scripturarum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.

83. Eſt illuſio ſibi perſuadere, quod notitia Myſteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione Sacrorum librorum. Non ex fœminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba virorum ſcientia ortus eſt Scripturarum abuſus & natæ ſunt hæreſes.

84. Abripere e Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.

85. Interdicere Chriſtianis lectionem Sacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur ſpeciem quamdam excommunicationis.

86. Eripere ſimplici populo hoc ſolatium iun-

iungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei.

87. Modus plenus ſapientia, lumine, & charitate eſt, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus ſatisfacere iuſtitiæ Dei, antequam reconcilientur.

88. Ignoramus quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem.

89. Quartus decimus gradus converſionis peccatoris eſt, quod, cum ſit iam reconciliatus, habet ius aſſiſtendi ſacrificio Eccleſiæ.

90. Eccleſia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu, ſaltem præſumpto, totius Corporis.

91. Excommunicationis iniuſtæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro. Nunquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulſi, quando Deo, Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per charitatem affixi ſumus.

92. Pati potius in pace excommunicationem, & anathema iniuſtum, quam prodere veritatem, eſt imitari Sanctum Paulum: tantum abeſt, ut ſit erigere ſe contra Auctoritatem, aut ſcindere unitatem.

93. Ieſus quandoque ſanat vulnera, quæ præceps Primorum Paſtorum feſtinatio infligit ſine ipſius mandato; Ieſus reſtituit, quod ipſi inconſiderato zelo reſcindunt.

94. Nihil peiorem de Eccleſia opinionem ingerit eius inimicis, quam videre illic dominatum exerceri ſupra fidem fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

95. Veritates eo devenerunt, ut ſint lingua peregrina quaſi pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum; adeo remotus eſt a ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium; Neque ſatis advertitur, quod hic effectus ſit unum ex ſignis maxime ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in filios ſuos.

96. Deus permittit, ut omnes Poteſtates ſint contrariæ Prædicationibus veritatis, ut eius victoria attribui non poſſit niſi Divinæ gratiæ.

97. Nimis ſæpe contingit, membra illa, quæ magis ſancte, ac magis ſtricte unita Eccleſiæ ſunt, reſpici atque tractari tanquam indigna, ut ſint in Eccleſia, vel tanquam ab ea ſaparata: ſed iuſtus vivit ex Fide, & non ex opinione hominum.

98. Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam Hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerumque probatio eſt, & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Ieſu Chriſto.

99. Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſua Eccleſia poſuit, ut in ea eſſet odor vitæ, v. g. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla &c.

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, eiuſque diſcipulos. Tempus hoc advenit ...... Haberi, & tractari a Religionis Miniſtris, tamquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtra quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, perſequendo flamma, ferroque viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus diabolo Dei ſervum.

101. Nihil ſpiritui Dei, & doctrinæ Ieſu Chriſti magis opponitur, quam communia facere iuramenta in Eccleſia; quia hoc eſt multiplicare occaſiones peierandi, laqueos tendere infirmis & idiotis, & efficere ut nomen & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio impiorum.

*Conſtitutione* Deteſtabilem &c. *anno* 1752. *4. Id. Novembris Benedictus XIV. has quinque, quæ ſequuntur, de duello damnavit.*

1. VIR militaris, qui niſi offerat, vel acceptet duellum, tanquam formidoloſus, abiectus, & ad officia militaria ineptus haberetur; indeque officio, quo ſe ſuoſque ſuſtentat, privaretur; vel promotionis, alias ſibi debitæ ac promeritæ, ſpe perpetuo carere deberet, culpa & pœna vacaret,

Digitized by Google

ret, ſive offerat ſive acceptet duellum.

2. Excuſari poſſunt etiam, honoris tuendi, vel humanæ vilipenſionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo ſciunt, pugnam non eſſe ſecuturam, utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit in Eccleſiaſticas pœnas ab Eccleſia contra duellantes latas, Dux, vel Officia Militiæ, acceptans duellum, ex gravi metu amiſſionis famæ & officii.

4. Licitum eſt, in ſtatu hominis naturali, acceptare, & offerre duellum, ad ſervandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum iactura propulſari nequit.

5. Aſſerta licentia pro ſtatu naturali, applicari etiam poteſt ſtatui Civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia Magiſtratus, iuſtitia aperte denegatur.

FINIS TOMI SEXTI, & ULTIMI.



Digitized by Google

# INDEX RERUM NOTABILIUM.

## A

Abbates non Regulares triplicis ſunt conditionis, nempe Alii qui præſunt Eccleſiis olim Regularium; Alii commendatarii; Alii qui dignitatem obtinent in Eccleſia collegiata, aut cathedrali. Tom. v. pag. 237.

Ablutio facienda in Baptiſmo. T. IV. 95. Ablutio quotuplex. *ib.*

Ablutio pedum cæremonia quæ fit fer. v. in Cœna Domini. T. IV. 84.

Abortum procurare. vid. Homicidium.

Abrogatio legis quid. v. Lex.

Abſolutio, quæ eſt forma Sacramenti pœnitentiæ. T. v. 84. Abſolutio triplici modo exprimi poteſt, nempe modo deprecativo; modo &c *ib.* Quænam ex his formis ex Chriſti inſtitutione adhibenda. 85. In forma abſolutionis, quæ neceſſaria ſint. *ib.* De ſenſu verborum *Ego te abſolvo*. 86. De abſolutione ſub conditione. 87. Abſolutio non innovanda ſuper eadem Confeſſione ſine novæ culpæ accuſatione. *ib.* Abſolutio quibus impartienda, quibus deneganda: 88. quibus differenda. 90. Quomodo Confeſſarius circa conſtitutos in occaſione proxima ſe gerere debeat quoad collationem abſolutionis. 92. Quomodo erga moribundum gravioribus criminibus irretitum reconciliari petentem; & de veteri Eccleſiæ diſciplina in hiſce caſibus. 94. Ætas requiſita ad Ordines ſuſcipiendos. 260.

Abſolutio a Cenſura eſt liberatio a vinculo proveniente a cenſura. T. VI. 97. Abſolutio a cenſura dividitur 1. in abſolutam & conditionatam. 2. in Abſolutionem ſimpliciter, & ad cautellam. 3. in eam quæ eſt ab homine, & in eam quæ eſt a iure. 4. in Abſolutionem ſimpliciter, & ad reincidentiam. 5. in Abſolutionem pro foro interno, & pro foro externo. Abſolutus in foro conſcientiæ ſe gerere debet ita externe, ac ſi non eſſet abſolutus. *ib* Excommunicatus ob iniuſtitiam vel ſcandalum, in neutro foro abſolvi nequit, niſi prius ſatisfecerit parti, aut ſcandalum ſuſtulerit, & ſi ſatisfacere nequeat, dare debet idoneam cautionem, ſe, quamprimum poterit, ſatisfacturum, ita ut, ſi quamprimum commode ſatisfacere potens non ſatisfaciat, iterum excommunicationem contrahat. *ib.* A cenſuris ſolus Sacerdos abſolvere poteſt in foro interno; in foro vero externo ſolus qui cenſuram intulit, aut eius ſucceſſor, vel delegatus, vel Superior, ut Metropolitanus in cauſſa appellationis. 98. In articulo mortis quilibet Sacerdos abſolvere poteſt ab excommunicatione. *ib.* Num ſi convaluerit denuo hanc cenſuram incurrat ſi non recurrat ad Superiorem, non conveniunt Doctores. *ib.* Extra articulum mortis quilibet Sacerdos approbatus ad Confeſſiones excipiendas abſolvere poteſt ab omni cenſura a iure non reſervata, nec ad forum contentioſum deducta ex recepta conſuetudine. *ib.* Hoc tamen locum non habet ſi Epiſcopus in ſuo ſtatuto ſibi reſervaverit cenſuram non reſervatam in iure communi. Item licet non reſervata deducta ſit ad forum contentioſum. *ib.* De iure novo Epiſcopus in duobus caſibus abſolvere poteſt a cenſura Papæ reſervata: 1. ſi ſit occulta: 2. ſi qui eam contraxit Papam adire nequeat. 99. Hoc tamen locum non habet ubi Concilium Tridentinum non fuit receptum. *ib.* Clerici percuſſio ſi levis ſit, excommunicatio abſolvi poteſt ab Epiſcopo. *ib.* Item clericorum collegialiter viventium in Seminario. Fœminæ ab eo abſolvi poſſunt, & impubes doli capaces. 100. Religioſi ſi invicem etiam graviter ſe percutiant, abſolvendi ſunt a Prælato proprio Monaſterii. *ib.* Epiſcopus abſolvere poteſt quemcumque percuſſorem Clerici ſuum ſubditum, quando delictum eſt occultum, nec deductum ad forum contentioſum. 101. Sacerdotes omnes approbati ad Confeſſiones, tempore Iubilei abſolvere poſſunt in foro pœnitentiæ a cenſuris Papæ reſervatis, quia ita exigunt Bullæ Iubileorum. *ib.* Tunc etiam Regularibus conceditur, ut eligere poſſint Confeſſarium ab Epiſcopo approbatum, cui extra Iubileum non poſſint confiteri. *ib.* Habens facultatem abſolvendi a peccatis Papæ reſervatis, poteſtatem habet abſolvendi etiam a Cenſuris eidem reſervatis. *ib.* Abſolutio in Iubileo, recte diſpoſito cum intentione lucrandi Iubileum, etiamſi poſtea ob cauſſam aliquam illud non lucretur, tollit cenſuram. *ib.* Abſolutus tempore Iubilei a caſibus omnibus etiam reſervatis, ſi poſt acceptum Iubileum iterum relabatur in caſum, aut cenſuram reſervatam intra dies Iubilei, iterum abſolvi poteſt. *ib.* Ex quo colligi poſſit, num cenſura ſit reſervata. 102. Cenſura, puta Suſpenſio, Interdictum, lata ad tempus, vel ſub aliqua conditione, adveniente termino ſeu completa conditione ceſſat. *ib.* Valida eſt,

eſt, licet illicita, abſolutio cenſuræ data ab eo, qui poteſtatem habet, indiſpoſito, invito, vel abſenti. *ib.* Pluribus cenſuris innodatus abſolvi poteſt ab una, aliis etiam ſimilibus remanentibus. *ib.* Confeſſus bona fide Confeſſario habenti facultatem abſolvendi a cenſuris, ſi obliviſcatur peccatum, cui annexa ſit cenſura, ſi abſolutio data ſit generaliter, ſecundum multos tollitur. *ib.* Invalida eſt abſolutio per vim, & metum extorta. *ib.* Abſolutio a cenſuris dari poteſt non data abſolutione a peccatis. *ib.* Pœnitens habens privilegium eligendi ſibi Confeſſarium approbatum, non poteſt eligere Confeſſarium approbatum ab Epiſcopo alterius Diœceſis. 103. Forma, ac ritus abſolutionis a cenſuris. *ib.* Abſolutio ut valida ſit requiritur, ut abſolvens iuriſdictionem habeat tum in ſubiectum, tum quoad cenſuram abſolvendam. *ib.* Ad validitatem abſolutionis a cenſura requiritur quod abſolvens iuriſdictionem habeat & in abſolvendo, & quoad cenſuram abſolvendam. 104. In abſolutione cenſuræ in foro interno ſatis eſt uti forma communi; aliter vero requiritur in foro externo. *ib.* Cenſura ſi iuſta ſit tolli nequit niſi per abſolutionem. 105.

Abſtinentia, virtus annexa Temperantiæ, quid? T. II. 310.

Acedia, unum ex peccatis capitalibus, quid? T. I. 350. Acediæ definitio. *ib.* Dupliciter accipitur, & pro omni tedio animi bona facere negligentis, & prout eſt triſtitia de bono divino. Filiæ acediæ, Malitia, Rancor, Puſillanimitas, Deſperatio, Torpor circa præcepta, & evagatio mentis circa ipſa. 351. Remedia Acediæ. *ib.*

Acceſſio ſit, & dicitur quando res unius alterius rei adiungitur per humanum laborem vel induſtriam. T. III. 49. Cui dominium ſpectet rei adiunctæ iure gentium. *ib.* Plura afferuntur exempla, ut ædificii facti ex propria materia in fundo alieno, poſitionis alienæ plantæ in proprio fundo, & ſtatuitur de dominio. *ib.*

Accidentia panis, & vini remanent poſt conſecrationem ſine proprio ſubiecto, ideſt ſine ſubſtantia panis, & vini. T. IV. 192.

Accuſatoris obligationes. T. II. 372.

Actus fidei quando eliciendi. v. Fides.

Actus humanus qui. T. I. 21. Principia, regulæ, ſpecies, fines actuum humanorum. *ib.* Actus humani ſub reſpectu boni & mali, dicuntur morales. 22. In actibus humanis tria inſpicienda, voluntarium, liberum, & morale. *ib.* Actiones humanæ aliæ verſantur circa finem, aliæ circa media, & quæ. 23. Principia actuum humanorum interna, & externa. Interna alia congenita, alia acquiſita. *ib.* Congenita intellectus, voluntas, libertas. *ib.* Intellectus quid? Voluntas quid? *ib.* Voluntas includit ſpontaneitatem, & libertatem. 24. Actus voluntatis alii interni, & eliciti; alii externi, & imperati. *ib.* Actuum humanorum duplex ordo, intentionis, & executionis. *ib.* Actus humani liberi eſſe debent ut ſint laudabiles, & meritorii præmii; & vituperabiles, ac digni pœna. 41. Actuum humanorum bonitas, & malitia. 50. Actuum humanorum principia extrinſeca, ideſt eorum obiectum, finis, & circumſtantiæ. 51. Ab his deſumunt moralem bonitatem, & malitiam. 52. Bonitas moralis obiectiva actuum humanorum penſatur ſola honeſtate. 53. Actus humanus ut ſit moraliter bonus oportet ut tendat ſaltem confuſe in obiectum bonum; *ib.* idcirco requiritur talis obiecti intentio, & in ipſum attentio. *ib.* Actus humani primariam eſſentialem bonitatem, & malitiam deſſumunt ab obiecto. 54. An actus externus augere poſſit malitiam actui interno. *ib.* Actus humanus quomodo bonus, vel malus ex circumſtantiis. 59. Ad hoc ut circumſtantiæ actum humanum bonum reddant vel malum, debent eſſe præviſæ. *ib.* Quomodo finis extrinſecus ſit prima cauſſa actuum humanorum. 61. Quomodo bonitas & malitia actuum humanorum repetatur a fine. *ib.* Actus humani deſſumunt ſuam ſpecificam moralitatem, ideſt bonitatem, & malitiam eſſentialem a fine. 67. Finis aliquando in actibus humanis habet rationem ſpecialis motivi, ideſt gerit vicem obiecti. 69. Num detur actus humanus indifferens in individuo. 95. Agere intuitu mercedis honeſtum eſt. 84.

Adiuratio quid. T. II. 105. Quotuplex. *ib.* Quid requiritur ut ſit licita. *ib.*

Admittere ad Novitiatum qui legitime poſſint. T. VI. 238. Admiſſio ad Novitiatum facta a Capitulo non eſt permiſſio ut admiſſus Religionem ingrediatur; ſed promiſſio ſub ſtante conditione de eius idoneitate dandi ei habitum Religionis; &, ſi percurrat Novitiatum cum debitis conditionibus, eius profeſſionem recipiendi.

Adoratio ut cultus Deo debitus, Beatæ Mariæ Virgini, & Sanctis. T. II. 25. Motivum adorationis, excellentia adorati quæ duplex eſt; creata, & increata. *ib.* Diviſio cultus, ſeu adorationis, Latriæ debitæ ſoli Deo; Duliæ Sanctis omnibus; Hyperduliæ

Beatæ Mariæ Virgini. *ib.* Adorationis diviſio in internam, & externam; abſolutam, & relativam. 26. Chriſtus Dominus adorandus cultu Latriæ, ac ideo etiam hoſtia conſecrata. *ib.* Crux, aliaque inſtrumenta inanimata paſſionis Chriſti adoranda cultu Latriæ reſpectivo. 27. Beata Virgo cultu Hyperduliæ; Angeli, & Sancti Duliæ. *ib.* Et ſic cultu reſpectivo adorandæ ſunt reliquiæ Sanctorum. *ib.* Quis cultus deferri poſſit fœminis & viris, qui cum odore ſanctitatis deceſſerunt ex hac vita, & nondum beatificati ſunt & canonizati. 28.

Advenæ & Peregrini an legibus locorum teneantur. v. Lex.

Adventus qui præcedit ſolemnitatem Natalis Domini antiquæ eſt inſtitutionis. T. III. 416. Olim incipiebat poſt diem S. Martini. *ib.*

Advertentia quid, & quotuplex. T. I. 253. Quæ advertentia ſeu cognitio ad peccatum requiratur. *ib.*

Adulatio quid. T. III. 387. habet rationem mendacii. *ib.* Tripliciter opponitur charitati. *ib.*

Adulterium quid. T. I. 326. Eſt graviſſimum Luxuriæ peccatum a cæteris ſpecifice diſtinctum. *ib.* Pœnæ contra adulteros. *ib.*

Advocati obligationes. T. II. 377.

Æquivocatio. v. Amphibologica locutio.

Affabilitas, virtus annexa iuſtitiæ, quid? T. II. 316.

Agapæ quid, & quando fiebant. T. IV. 319.

Alluvio quid, & quotuplex. T. III. 48. Et eſt unus ex modis, quo ex iure Gentium rei alterius per alluvionem additæ propriæ dominium acquiritur. Verum in utraque alluvione attendendæ ſunt locorum conſuetudines. *ib.*

Altare ſemper requiritur quocumque loco celebretur. T. IV. 298. Unde nomen Altaris. *ib.* Altaria legis veteris, & novæ. 299 Altare duplex, fixum, & portatile. *ib.* Altare debet eſſe conſecratum. 300. Quomodo Altare amittat conſecrationem. *ib.* In Altari, in quo celebravit Epiſcopus, nemini licet eodem die celebrare. *ib.* Ritus eſt antiquiſſimus non celebrandi in Altari ubi ſervatur Sacra Euchariſtia. *ib.* De numero Altarium num præfixus in Eccleſiaſticis Conſtitutionibus. 301. De reliquiis Sanctorum reponendis in Altaris conſecratione. 300. De ornamentis in Altare requiſitis ad Miſſæ celebrationem. 301. Circa privilegium Altaris, quando currat, vel non, varia notanda, unde multæ ſolvuntur difficultates, quæ occurrere poſſunt. T. VI. 53.

Ambitio filia ſuperbiæ quid? v. Superbia.

Amicicia, virtus annexa iuſtitiæ, quid? T. II. 316.

Amor Dei. v. Charitas erga Deum.

Amor proximi. v. Charitas erga proximum.

Amplexus, oſcula. v. Luxuria.

Animalia natura manſueta, ut oves, boves &c. non fiunt primo occupantis. T. III. 21. Quid de animalibus ſylveſtribus manſuefactis. 22. Quid de his, qui ſuam libertatem recuperarunt. 23.

Animalium contractus. v. Societas animalium.

Antidoralis donatio. v. donatio.

Apoſtaſia quid? ut vitium fidei Chriſtianæ oppoſitum. Præter hanc datur alia Apoſtaſia, quæ triplex eſt, nempe ab obedientia proprii Superioris; ab Ordine Clericali; a Religione. T. I 409.

Apoſtatæ, & fugitivi. T. VI. 270. Non omnis fugitivus eſt Apoſtata. *ib.* Differentia inter Apoſtatas, & fugitivos. *ib.* Quid de Religioſo diſcedente a Conventu, ut adeat Superiores, ſine licentia ſui Prælati? *ib.* Quid de Religioſo iuſſu Superioris detento in carcere, ſi fugiat? Apoſtata, & fugitivus privantur privilegiis Religionis. 271. Pœnæ contra horum fautores. *ib.* Superiores tenentur eoſdem inquirere. *ib.*

Apparitoris obligationes. T. II. 380.

Appellatio excuſat a cenſura. T. VI. 95. Quid appellatio? *ib.* Quotuplex? *ib.* & 301. *& ſeq.*

Approbatio ab Epiſcopo loci requiſita in Confeſſario ſive Sæculari, ſive Regulari. T. V. 10?. *& ſeq.* Approbatio debet eſſe actualis, non præſumpta, vel interpretativa. 104. Quando hæc valere poſſit. *ib.* Approbatio probabilis ſatis non eſt ad licite, immo ſi non extat, nec ad valide extra neceſſitatis caſum abſolvendum. *ib.* Quid de approbatione facta ab Epiſcopo Sacerdoti non idoneo, vel cognito ut non idoneo. 105. Ad validitatem approbationia præcedere debet examen iuxta Tridentinum. Approbatio requiſita etiam in graduatis Doctoribus &c. *ib.* De approbatione quoad poſſidentem beneficium Parochiale, num hiſce neceſſaria? *ib.* Approbatio requiritur etiam in Confeſſariis Regularibus facta ab Epiſcopo ubi recipere debeant Confeſſiones. 107. Approbatio limitari poteſt, & revocari ab Epiſcopo Confeſſario tam Sæculari, quam Regulari. *ib.* De multiplici modo quo fieri

poteſt

poteſt hæc limitatio. *ib.* Revocatio fieri non poteſt in Regularibus ex Decreto Sac. Congregat. ſimul, & ſemel integri Conventus. 108. Regularis approbatus ab Epiſcopo ad ſæcularium Confeſſiones excipiendas, num a ſuo Superiore prohiberi poſſit, ut non excipiat? 109. Quid de Prælato Regulari generaliter approbato ab Epiſcopo circa curam animarum in Eccleſia Monaſterio incorporata, mortuo illius Vicario amovibili, donec alius Vicarius præſentetur? *ib.* Approbatus in una Diœceſi, num poſſit ibi abſolvere ſubditos alterius Diœceſis? *ib.* Approbatus pro uno tantum loco, tempore Iubilei a quocumque eligi poteſt in Confeſſarium. 106.

Aquæ naturalis adhibendæ in Baptiſmo nomen quid importet. T. IV. 91. Benedicta requiritur ex præcepto Eccleſiæ, ac ideo ſolum ut licite etiam baptizetur. 93.

Archipresbyter quid hoc nomen importet? T. V. 218. Archipresbyteri alii urbani, alii rurales. 219.

Artifices non præſtantes debitam integramque operam dum integram mercedem recipiunt a Domino, peccant, & tenentur ad reſtitutionem. T. III. 381.

Artificum obligationes. T. II. 383.

Aſſecuratio. T. III. 263. Eius definitio. *ib.* Conditiones requiſitæ ad contractum aſſecurationis. *ib.*

De Aſſiſtentibus Generalibus, ſeu Conſultoribus, ac de Definitoribus. T. VI. 375.

Aſtrologia. v. Divinatio.

Atheiſmus quid? T. I. 397. Atheiſmus eſt ſcelerum omnium graviſſimum. *ib.*

Attentio in Officii recitatione quæ? T. II. 15.

Attritionis nomine quid ſignificetur. T. V. 21. Attritionis definitio. *ib.* Differentia eſſentialis Attritionis conceptæ ex timore gehennæ, vel ex deſiderio Beatitudinis a Contritione perfecta. 22. Accidentalis eſt tantum ſi Attritio procedat etiam ex inchoato amore Charitatis. *ib.* Num talis inchoatus amor Charitatis requiratur in Attritione, ut ſufficienter diſponat pœnitentem ad remiſſionem ſuorum peccatorum per Sacramentum pœnitentiæ? *ib.* Errores excogitati ab Etherodoxis contra Attritionem. 24. De bonitate, ac validitate contritionis imperfectæ conceptæ ex timore pœnæ tantum. *ib.* De debito Contritionis formalis, vel virtualis in confeſſione venialium, etiam in iuſtis. 29.

Avaritia ipſiuſque definitio. T. I. 317. Filiæ avaritiæ, nempe obduratio cordis, inquietudo, violentia, dolus, perfidia, proditio. *ib.* Remedia avaritiæ. 318.

Auditor Epiſcopi quis? Unde Officium hoc ortum habuerit. T. V. 214.

Aves venaticæ, ubi venatio eſt reſervata, capi non poſſunt ſi ſint in loco proprio domini, qui venationem ibi ſibi reſervavit. T. III. 24.

Aureola Beatorum quid, & quibus conveniat. T. I. 79.

Avus, Proavus paterni veniunt nomine patris, unde eadem ratio filiorum currit circa illos, ac circa patrem. T. III. 327.

B

BAlſamum num materia Confirmationis. v. Confirmatio.

Banna ſeu proclamationes. v. ſolemnitates Matrimonii.

Baptiſmi nomen quid importet? T. IV. 84. Multiplex eius acceptio. *ib. & ſeq.* Variæ Baptiſmi figuræ in divina Scriptura. 85. Baptiſmi diviſio, Sanguinis, Flaminis &c. *ib.* Singuli explicantur. 86. Definitio Baptiſmi Fluminis. *ib.* De tempore, quo Chriſtus Dominus hoc Sacramentum inſtituit. 87. Differentia Baptiſmi Chriſti a Baptiſmo Ioannis. 89. Quando cœperit Baptiſma obligare. 90. Baptiſmi materia. 91. Materia Baptiſmi ad licitam ipſius adminiſtrationem. 93. Materiæ Baptiſmi diviſio. 94. Modi quibus ablutio fieri poteſt. 95. Variatio ritus in conferendo Baptiſmo. 97. Forma Sacramenti Baptiſmi. 98. Voces formæ neceſſario exprimendæ ad valorem Baptiſmi. 101. Quæ variatio verborum formæ invalidare poſſit Baptiſmum. 102. Sacramenti Baptiſmi Miniſter. 103. Aliud eſt baptizare valide, aliud licite. *ib.* De ſolemni Baptiſmi miniſtro ordinario. 104. Quis Miniſter extraordinarii Baptiſmi? 105. Ordo ſervandus inter Baptizantes in neceſſitate. 106. Subiectum Baptiſmi. 107. De fide eſt parvulos capaces eſſe Baptiſmi. 108. De iure baptizandi filios Infidelium, Hebræorum &c. 110. Varia infidelium genera. *ib.* Filii Infidelium, qui fidem Chriſti aliquando profeſſi ſunt, ac ingreſſum habuerunt in Eccleſia Catholica, ut ſunt Hæretici, & Schiſmatici, etiam invitis parentibus baptizari poſſunt; minime vero filii aliorum Infidelium, qui fidem Chriſti nunquam profeſſi ſunt, ut ſunt Iudæi, Gentiles &c. niſi imminente periculo mortis. *ib.* Controvertunt Theologi circa filios Infidelium, qui catholicis ſubiiciuntur Principibus, num invitis parentibus baptizari queant. 111. Monſtra quando Baptiſmi ſint ſubiectum capax. 112. De Baptiſmo

mortuorum, & Campanarum. *ib.* Baptiſmi neceſſitas poſt Evangelii promulgationem. 116. Baptiſma neceſſarium etiam filiis fidelium. 118. Baptiſmus præponendus eſt aliis Sacramentis neceſſario. 119. Baptiſmi dilatio quæ olim fiebat. 121. De debito parentum procurandi, ut brevi eorum filii baptizentur. 122. Quando Adulti teneantur ſuſcipere Baptiſmum. *ib.* Baptiſmus ſanguinis, & flaminis, an ſuppleant Baptiſmum fluminis. 123. De Martyrio. v. Martyrium. Baptiſmi effectus. 128. De Baptiſmi Charactere, & Baptiſmo non reiterando. 129. De diſpoſitionibus requiſitis ad Baptiſmum ſuſcipiendum. 131. Cathecumeni nomen quid? *ib.* De diſpoſitionibus in adultis ad licite ſuſcipiendum Baptiſma. 132. De loco & tempore, quo olim conferebatur Baptiſma. 133. Quæ Eccleſiæ Baptiſmales. 134. De ritu baptizandi per immerſionem. *ib.* De tempore quo olim conferebatur Baptiſma. 135. Miraculoſa fontium impletio, quæ olim fiebat, quando facienda erat eorum benedictio. *ib.* De hora, qua fiebat Baptiſmi collatio. *ib.* Baptiſmi cæremoniæ. 136. Quæ Baptiſmum præcedebant. *ib.* Quæ comitabantur. 137. quæ ſubſequebantur. 138. Uſus Patrinorum, ſeu Sponſorum in Baptiſmo, *ib.* Olim ſtatim poſt Baptiſmum conferebatur Confirmatio, & Euchariſtia etiam infantibus. 139. De ſupplendis cæremoniis prætermiſſis in Baptiſmo. 141.

Baptizatorum obligationes. T. IV. 136.

Beatitudo objectiva quotuplici modo ſpectari poſſit. T. I. 70. Beatitudo quid, & quotuplex? 72. Beatitudo formalis in quo conſiſtat. 73. & *ſeq.* Beatitudinis affectiones. 75. Beatitudo corporis. 77. Beatitudinis perpetuitas. 78 Beatitudinis Sanctorum inæqualitas. *ib.* Beatorum aureola. 79. Beatitudo ſupernaturalis in hac vita. 81. Beatitudinis conditio circa eius collationem pro meritis. 84

Bellum quid? T. I. 460 Bellum aliquando licitum eſt ſi fiat debitis circumſtantiis, & conditionibus, quæ recenſentur. *ib.* Quæ ante Bellum, & in Bello ſint obſervanda, ac facienda ut ſit licitum. 461. & *ſeq.*

Beneficiarius quibus dotibus ornatus eſſe debeat ut canonice promoveatur ad Beneficium. T. II. 245. Beneficiariorum obligationes. 246. De Horis canonicis ab illis recitandis. 247. Tenue Beneficium eos ab hoc onere non excuſat. *ib.* De debito reſtitutionis ob omiſſionem horarum canonicarum. 248. Varii caſus reſolvuntur circa huiuſmodi debitum. *ib.* De obligationibus Beneficiariorum, qui ratione præbendæ choro ſunt addicti. 251. De reſidentia Beneficiariorum explicatur Eccleſiæ diſciplina. 252. Reſidere quid? *ib.* De diſpenſatione reſidentiæ beneficiarii non Curati ad tres menſes. *ib.* Abuſivum eſt Statutum quorumdam Capitulorum, ut quis lucretur totius diei diſtributiones, modo aliquibus interſit horis; Capitulum enim Canonicorum non poteſt derogare legibus Tridentini Concilii. 253. Item irritum eſt Statutum, quo quædam Capitula iubilatos declarant Canonicos, qui per triginta annos poſſident Canonicatum eadem ratione, qua ſupra. *ib.* Falſum, præceptum aſſiſtendi Choro eſſe pœnale, ac non obligare in conſcientia. *ib.* De Epiſcoporum, & Parochorum debita reſidentia. 254. & *ſeq.* Cauſſæ excuſantes Epiſcopos, ac Parochos a reſidentia. 256. Parochus nequit abeſſe ex iuſta cauſſa ad bimeſtre conceſſum a Tridentino, etiam relicto Vicario, ſine Epiſcopi licentia. 257. & *ſeq.* Pœnæ contra Parochos non reſidentes. 259. De debito Beneficiariorum expendendi in pios uſus, quæ ex beneficii redditibus ſuæ ſuſtentationi ſuperſunt. 268. & *ſeq.* Bona Eccleſiaſtica, præcipue de eorum dominio in hiſce bonis. *ib.* De aliis obligationibus Beneficiariorum. 284. ut de fidei profeſſione, de Eccleſiæ inſtauratione, &c. *ut in ſeqq.*

Beneficiorum Eccleſiaſticorum origo, & natura exponuntur T. II. 176. Oblationes, ac Eccleſiarum dotationes factæ ſunt in obſequium Dei, ut ſacri Miniſtri alantur; idcirco ſpectant ad Religionem. *ib.* Mos perpetuus ſuſtentandi Dei Miniſtros ex piis oblationibus. *ib.* Diſciplina primitivæ Eccleſiæ quoad oblationum diſtributiones, in Eccleſias ſcilicet, Miniſtros Eccleſiæ, & pauperes. *ib.* Adminiſtratio earumdem tunc temporis erat pœnes Epiſcopum: 177. Quando, & cur ſingulæ Eccleſiæ cœperint intra proprios limites ſibi vindicare ius proventus percipiendi independenter ab Epiſcopo pro ſui Presbyteri ſuſtentatione, *ib.* Epiſcopi diſtributiones exequebantur per Archidiaconum. *ib.* Licet bona Eccleſiæ dicantur ſpiritualia, Oppida tamen, & Civitates iuriſdictionem temporalem habentes, donatæ a Principibus Eccleſiis ac Monaſteriis, dici poſſunt temporalia. *ib.* Beneficii Eccleſiaſtici definitio. 178. Beneficiorum Eccleſiaſticorum diviſio in Sæcularia, & Regularia. 179. Regularia Beneficia diverſi ſunt generis. 180. Explicatur axioma *Sæcularia Sæcularibus, Regularia Regularibus*. 181. Aliæ Beneficiorum diviſiones. 182. & *ſeq.* De eccleſiaſticis

ris dignitatibus tam ſæcularibus, quam regularibus adnexis eccleſiaſticis Beneficiis. v. Dignitates &c. De modo acquirendi Beneficium Eccleſiaſticum. 214. De libera collatione Beneficiorum facienda ab Epiſcopo. 215. Quid de proviſione ad Papæ commendationem? 217. Quid de expectativis, & reſervativis? ib. De collationis natura eiuſque diviſione. 219. De devolutione Beneficiorum. ib. De Electione, Poſtulatione, & Confirmatione 220. Electio differt a præſentatione. 221. & a petitione. ib. & a collatione. ib. Quid ad collationem canonicam. ib. Electionis forma triplex, ſcrutinii, compromiſſi, inſpirationis. 222. Poſtulatio quid, quid confirmatio? 161. De præſentatione. 223. De iure Patronatus v. Iuſpatronatus. De Beneficiis canonice conferendis. 230. De forma conferendi beneficia. 231. De requiſitis ad formam proviſionis Eccleſiarum curatarum. ib. De requiſitis quoad formam collationis beneficiorum ſimplicium. 234. De his, quibus beneficia Eccleſiaſtica conferenda ſunt. ib. Quædam prænotantur circa digniorem, cui conferenda ſunt Beneficia. 235. Beneficia curata etiam iuris patronatus digniori conferenda. 239. De proviſione Beneficiorum ſimplicium. 241. De debito reſtitutionis ob prælationem minus digni digniori. 243. De pluralitate beneficiorum, num licita. 260. Eius origo. ib. Talis abuſus cuicumque iuri opponitur. 261. Beneficia incompatibilia. 262. De uſu, ac diſtributione bonorum eccleſiaſticorum. v. Bona Eccleſiaſtica. De Penſionibus. 206.

Beſtialitas quid? T. I. 334. Graviſſimum eſt ſcelus. ib. Pœnæ ſtatutæ contra reos huius criminis. ib. Hoc crimen non variat ſpeciem ex quo committatur cum brutis ſpecie diverſis. ib. Beſtialitas concubitus cum Dæmone. ib.

Blaſphemia quid? T. II. 129. Late ſumitur, & ſtricte. ib. Blaſphemiæ definitio. ib. Eius diviſiones. 130. Maledicere Creaturas quando Blaſphemia. 131. Blaſphemia peccatum eſt graviſſimum. Ad Blaſphemiam non requiritur intentio formalis inhonorandi Deum, ſed ſufficit virtualis, & interpretativa. 132. Quid de eo qui conſuetudinem habet blaſphemandi? ib. Qui de prolatione nominis Dei, Ieſu, vel Sanctorum per modum loquendi, num licet non blaſphemet, peccet ſaltem venialiter contra religionem? ib. Quid de aſſidua Dæmonis invocatione? ib. De blaſphemia, & peccato in Spiritum Sanctum: quid nomine huius peccati? ib. Peccatum in Spiritum Sanctum non confunditur cum Blaſphemia in Spiritum Sanctum? 133. Sex aſſignantur a D. Thoma ſpecies peccati in Spiritum Sanctum. ib. Quomodo peccatum in Spiritum Sanctum dicatur irremiſſibile. ib.

Bona Clericorum præter Eccleſiaſtica ſunt etiam patrimonialia, quæ ut laici poſſidere poſſunt; & quaſi patrimonialia, quæ ex induſtria, aut aliquo civili officio communi etiam laicis acquirere poſſunt, ut docendo, ſcribendo, &c. De patrimonialibus, & quaſi patrimonialibus plenum tenent dominium, & diſpoſitionem: De eccleſiaſticis vero diſponere nequeunt niſi ad honeſtam ſui ſuſtentationem. T. II. 268.

Bona derelicta, & vacantia. Derelicta quæ? T. III. 31. Quid circa hæc? num fieri poſſint, & quando primo occupantis? ib.

Bona Eccleſiaſtica quæ? T. II. 266. Eorum initium. ib. Eorum diſtributio prioribus ſæculis. ib. Epiſcopus præerat tali diſtributioni. ib. Talis diſtributio eſt prima partitio bonorum, ſeu proventuum Eccleſiaſticorum. ib. Incertum eſt quando hæc partitio inducta; certe quidem ante tempora Simplicii, & Gelaſii. ib. Non obſtante quacumque eorumdem bonorum partitione, etiam immobilium, natura eorumdem remanſit invariabilis, nempe, ut ſint vota fidelium &c. Diſciplina partitionis Eccleſiarum redituum, & proventuum Epiſcopo, Clericis, fabricæ Eccleſiæ & pauperibus perduravit ad ſæculum XII. 167. Ab eo tempore partitio bonorum immobilium Eccleſiarum erecta fuit in beneficia. ib. Num in tali partitione aſſignata ſit ſua portio etiam pauperibus per erectionem ac dotationem Hoſpitalium, Xenodochiorum? 168. Per talem partitionem non amiſerunt Bona Eccleſiaſtica ſuam priorem naturam. ib. Redditus eccleſiaſtici conſiderari poſſunt, & ſecundum partem neceſſariam Clericorum ſuſtentationi, & ſecundum partem, quæ eis ſuperſit. ib. Hanc poſtremam erogare tenentur in pios uſus. ib. & ſeq. & ad hoc tenentur iure divino, & naturali 270., & ſeq. Num Beneficiarii ex reditibus Beneficii poſſint Conſanguineis opem ferre? 272. Num in redditus ſuperfluos beneficii habeant Clerici beneficiati dominium? 274. Contrarium ſtatuitur. 275. & ſeq. Quædam ſophiſmata convelluntur. 277. Sententia rationibus firmatur. 279. Solvuntur obiecta. 281. Donationes factæ a beneficiatis ex bonis Eccleſiæ invalidæ ſunt. 282. Sic & Teſtamentariæ de iiſdem diſpoſitiones. 283. Laici,

quibus

quibus talia bona donata ſunt, vel legata per teſtamentum, retinere non poſſunt in conſcientia. *ib.* Num proviſi de ſufficienti patrimonio, unde vivere poſſint, uti valeant redditibus Eccleſiaſticis ad ſui ſuſtentationem 291. *& ſeq.*

Bona inventa quæ? T. III. 29 ſpectare non poſſunt ad inventorem. *ib.* Quid de illis poſt diligentem domini inquiſitionem. *ib.*

Bona Matrimonii v. Matrimonium.

Bona temporalia Monaſterii, non ſecus ac alia a pietate fidelium legata Eccleſiis, aliiſque piis locis, alienari, ac deſtrui nequeunt ab iis qui ea miniſtrant, ſive immobilia, ſive mobilia pretioſa ſint. T. VI. 342. Quid nomine bonorum Eccleſiæ, ſeu Monaſterii, alteriuſque pii loci? *ib.* Quomodo alienatio ſumatur iure Civili, & canonico. 343. Verbum alienationis continet conditionem, donationem, venditionem &c. *ib.* Requiſita ad alienationem. *ib.* Alienatio Bonorum Eccleſiaſticorum vetita in Canone, præcipue in Extravaganti *Ambitioſa* edita ſub Paulo II. *ib.* Et quoad Regulares talis alienatio vetita fuit a Sac. Congregatione ſub Urbano VIII., ſine licentia S. Sedis ex iuſta cauſſa. *ib.* Item eadem ſine talibus requiſitis permutare non poſſunt, ut conſtat ex pluribus Decretis Sac. Congregat. 344. Alienare nequeunt ſine beneplacito Apoſtolico cenſus, loca montium, nec fructus eorum imminuere. *ib.* Renuntiare nequeunt ſine iuſta cauſſa hæreditatibus, legatis, donationibus ſine S. Sedis placito. 345. Item non alienare ea quæ ita ſunt relicta in teſtamento, donata Eccleſiæ, vel Monaſterio, ut poſſint ſine ſolemnitatibus alienari. *ib.* Item ſine dicto beneplacito vendere poſſunt etiam immobilia pro ſolvendis debitis Monaſterii. 346. Sine ſolemnitatibus vendi poſſunt Terrulæ aliave ſimilia exigui valoris. *ib.* Item bona immobilia relicta Monaſterio incapaci poſſidendi. *ib.* Nequeunt tamen Regulares ſine dicto placito alienare bona immobilia Monaſterii, aut pecuniam retractam ex redemptione cenſus. *ib.* Quid de Dotibus Monialium? 347. Nequeunt Regulares alienare ſine placito S. Sedis pecuniam relictam Monaſterio, vel deputatam pro emendo bono immobili, ſive etiam mobili pretioſo. *ib.* Regulares facere poſſunt ſine ſolemnitatibus locationes ad triennium. *ib.* Item dare immobilia in Feudum, & emphiteuſim, quæ ſemper ita dari conſueverunt. *ib.* Non tamen dari poſſunt ſine Apoſtolico beneplacito precario, nec precarie. *ib.* Item nec facere hypotecas, & pignora. 348. Quid circa tradentes fundum laicis pro ædificatione ſepulturæ? *ib.* Mobilia quæ ſine Papæ beneplacito Regulares alienare nequeunt, ſunt mobilia pretioſa, & quæ ſervando ſervari poſſunt. *ib.* Quæ ſint mobilia pretioſa? 349. Vetuſta & inutilia ſine ſolemnitatibus poſſunt in alia commutari. *ib.* Inter præcipua Monaſterii bona recenſentur arbores, ſylvæ, idcirco hæc ſubiacent Bullæ Paulinæ. *ib.* Hinc Prælatus Regularis, & beneficiatus, ſine Papæ beneplacito cædere arbores non cæduas, ac fructiferas non poteſt. 350. Quid de pecuniis relative ad Bullam Paulinam? *ib.* Explicatur diverſa pecuniæ ratio ſeu natura. *ib.*

Bona vacantia, ſeu incerta quæ, & quibus applicanda? T. III. 32.

Bonitas, ac malitia actus humani conſiſtit in convenientia, vel diſconvenientia cum regulis morum. T. I. 50. Actionis humanæ moraliter bonæ definitio. *ib.*

Bonitas ac Malitia obiecti actuum humanorum penſatur non delectatione & utilitate, ſed ſola honeſtate. T. I. 53.

C

CÆremoniæ adhibendæ in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ. T. V. 150. Hæ quæ adhibendæ ſunt in adminiſtratione extremæ unctionis. 170.

Cæremoniæ Sacramentorum quæ? T. IV. 75. Quid hoc nomine ſignificetur? *ib.* Cæremoniarum definitio & diviſio. *ib.* Eccleſiæ poteſtas inſtituendi cæremonias. 76. Sacræ cæremoniæ num inculpate omitti queant? 77. De iis quæ in ritibus ſolemnioribus Eccleſiæ ſolent adhiberi. *ib.* De initio uſus Organorum: 78. De cantu. *ib.* De uſu Luminum. 79. De uſu thuris in Divinis Officiis celebrandis. *ib.*

Calumnia eſt ſpecies detractionis. T. III. 394. Hæc ſuperaddit detractioni mendacium, cum conſiſtat in falſi criminis, vel defectus imputatione. *ib.*

Cambium. Unde hoc nomen? T. III. 242. Quid importet? *ib.* Cambium duplex, reale, & ſiccum, ſeu fictum. *ib.* Cambium verum duplex, manuale, & locale. 243. Conditiones, ut Cambium ſit licitum. *ib.*

Canonici: quid hoc nomen? T. II. 203.

Canonicorum gradus & a quo nomen Canonici derivetur. T. V. 215. Canonici unde ortum habuerunt, nempe primo in Cathedralibus, poſtea in Collegiatis. *ib.* Prioribus ſæculis vivebant in communi ſimul cum Epiſcopo. *ib.* Hæc diſciplina inſtaurata fuit in ſua Cathedrali a S. Auguſtino, & ſæculo octavo ineunte a Crodogango Metenſi Epiſcopo

ſcopo. *ib.* Unde diverſa nomenclatura Canonicorum Regularium, & ſæcularium? 216. Titulus canonicalis eſt ius ſpirituale. *ib.* In Canonicorum cœtu habentur quidam gradus Clericali dignitate inſigniti. *ib.* Canonicorum obligationes quæ? *ib.*

Canoniſſæ Belgii & Germaniæ quæ? T. VI. 197.

Canonizatio, ſeu apotheoſis Sanctorum quid, & quare fiat? T. II. 27. Cultus canonizatorum, & beatificatorum licet non pertineat ad fidem, utpote a Deo non ſit hoc articulum revelatum, ac proinde illud negare non eſſet hæreſis, eſſet tamen temerarium, impium, ſcandaloſum, hæreſim ſapiens. *ib.* De cultu qui tribui poſſit ante beatificationem his, qui magno odore ſanctitatis ex hac vita deceſſere. 28.

De Capitulis Generalibus Regularium. T. VI. 381. In Capitulo generali ſuprema reſidet facultas circa omnia, quæ reſpiciunt reſpectivam religionem. *ib.* Eſſentia ac potentia Capituli Generalis. *ib.* A quo hoc nomen deſumptum? *ib.* Finis præcipuum Capitulorum Generalium eſt morum correctio, ideſt conſervatio, & reformatio regularis diſciplinæ. *ib.* Electio vero Superiorum eſt medium ad intentum finem. 382. Deplorant Lezana aliive hodiernum abuſum, dum Capitulares toti intenti ſunt ad electionem Prælatorum, aliorum Officialium, & vix unum verbum habetur de Monaſtica diſciplina inſtauranda. *ib.* De abſolutione vocalium facienda a Præſide antequam initietur Capitulum. 382. Papa eſt cauſſa efficiens Capituli Generalis. *ib.* A Papa Capitulum Generale facultatem habet condendi leges. *ib.* Capitulum Generale nequit ſupplere voces abſentium. 383. Ad Capitulum admitti nequit qui non habeat requiſita ad intereſſendum, nec a toto Capitulo diſpenſari poteſt. *ib.* Si admittatur inhabilis, non ideo ſtatim electio nulla cenſenda eſt, niſi illius votum eſſet deciſivum. *ib.* Quid in dubio de defectu qualitatis vocalis? *ib.* Num ſit neceſſe convocare Capitulum per ſonum Campanulæ? *ib.* Quid ſi Præſes renueret ſine iuſta cauſſa convocare Capitulum? *ib.* Vocati non venientes cenſendi ſunt extranei, & alieni. *ib.* Adveniente die inchoationis Capituli, præſentes, licet minor pars, ex iure Canonico ius habent eligendi. *ib.* Quid circa diem ſi feſtus ſit, & locum convocationis Capituli? *ib.* Quid ſi locus conſuetus eſſet interdictus? *ib.* Poteſtas Capituli Generalis reſidet in maiori parte. *ib.* Capitulum Generale poteſt condere leges perpetuas obligantes totam Religionem. 384. Capitulum Generale nequit aliquid præcipere contrarium iuri canonico. Hinc nequit Capitulum Generale obligare ſubditum manifeſtare Prælato, & multo minus Capitulo, propria crimina gravia occulta. *ib.* Capitulum Generale facere poteſt præceptum etiam de re minima obligans ſub mortali, ſi adnexam habeat circumſtantiam gravem, non ſecus. *ib.*

Cardinalis nomen quid importet? T. V. 237. Cardinalatus inter clericales gradus hodie eſt maximi momenti. *ib.* Sunt aſſeſſores, & conſiliarii Summi Pontificis in Eccleſiæ regimine. *ib.*

Caſtitas, virtus ſubiecta temperantiæ, quid? T. II. 310.

De Caſtitatis Religioſæ voto. T. VI 304. Quid hoc voto promittatur. *ib* Prima regula quæ prodiit cum explicita mentione Caſtitatis, & paupertatis, eſt S. Franciſci. *ib.* Num in profeſſione Monachali votum hoc implicite emittatur? *ib.* Votum Caſtitatis duplex; unum in ſuſceptione Sac. Ordinis; alterum in profeſſione religioſa: utrumque convenit in effectibus. 305.

Caſuum reſervatio quid? T. V. 111. Error Novatorum circa caſuum reſervationem. *ib.* Caſuum reſervatio dividitur a Theologis in pœnalem, medicinalem, & mixtam. *ib.* Diſciplina reſervandi quoſdnam caſus iudicio, & abſolutioni Superioris ſemper viguit in Eccleſia. 112. A ſæculo undecimo, & duodecimo cœperunt reſervari varii caſus ſummo Pontifici, & quare. *ib.* De veteri reſervatione quoad actus mere internos in ordine ad publicam pœnitentiam. 113. Requiſita ad caſuum reſervationem. *ib.* De reſervatione circa peccata dubia. 114. Antiqua diſciplina circa reſervationem quoad peccata dubia. 115. De iis qui abſolvere poſſunt a reſervatis. *ib* Quilibet Sacerdos abſolvere poteſt in articulo mortis a reſervatis. 116. Quid agere debeat abſolvens in articulo mortis a reſervatis in Bulla Cœnæ. 117. Quando Epiſcopus abſolvere queat a caſibus Papæ reſervatis. *ib.* Quid de Prælati facultate, ut abſolvatur a reſervatis, facultatem propriam ſuo confeſſario vel alteri delegando. 118. Quid de Regularibus facultatem habentibus abſolvendi a reſervatis Papæ, circa reſervatos Epiſcopo. *ib.* Num Confeſſarius non habens facultatem ſuper reſervatis, poſſit in aliquo caſu extra mortis articulum ab his indirecte abſolvere? 119. Varii circa hoc exponuntur caſus etiam reſpectu temporis Iubilei. 120. Num Regulares tempore Iubi-

Iubi-

Iubilei, ut a reſervatis abſolvantur, confiteri debeant Confeſſario ab Epiſcopo approbato. 121. De contractione reſervationis, etiam ab eam ignorante. 122. De eo qui licentiam habet a Superiore abſolvendi a reſervatis, an uti ea poſſit pro ſe ipſo? 123.

Cauſæ excuſantes a cenſura multæ ac variæ ſunt, nempe ignorantia, metus, neceſſitas, impotentia, conſenſus læſæ partis, legitima appellatio, nullitas, cenſuræ, innocentia cenſurati. T. vi. 90. Quæ ignorantia excuſet a cenſura explicatur. *ib.* Erronea conſcientia non inducit cenſuram.

Cauſæ excuſantes a Reſtitutione. v. Reſtitutio.

Cautio virtus adnexa Prudentiæ. T. ii. 304.

Cenſuræ nomen quintupliciter uſurpetur? T. vi. 58. Unde cenſuræ nomen derivetur? *ib.* Cenſuræ definitio. 59. Cenſuræ diviſio præcipue in tres ſpecies, ſcilicet in Excommunicationem, Suſpenſionem, & Interdictum. 61. Quæ ſit iniuſta cenſura, & tamen Valida, ac proinde timenda. 64. Quid de eo, contra quem iniuſta cenſura lata eſt, quomodo ſe gerere debeat. *ib.* Cauſſa efficiens cenſuræ, ideſt de auctore, & cauſſa miniſteriali ferente cenſuras. *ib.* Datur in Eccleſia poteſtas inſtituendi, & ferendi cenſuras. 65. Qui cenſuras fere poſſint? 67. De conditionibus requiſitis ad ferendas cenſuras. 70. De cauſſis ob quas ferri poſſunt cenſuræ. 72. De ſubiecto cenſuræ. 76. & *ſeq.* Subditus ligari nequit cenſura a Superiore. niſi prout ſubeſt eius iuriſdictioni. 77. Num cenſura incurri poſſit extra Diœceſim Epiſcopi, qui in re tali præcipienda tranſgreſſoribus indixit. *ib.* Quando extraneus delinquens in alieno territorio incurrere poſſit cenſuram. 79. Num Epiſcopus exiſtens extra proprium territorium poſſit ligare ſubditum cenſura lata per ſententiam. *ib.* Subditus cenſura feriendus debet eſſe baptizatus, & rationis capax. 80. Perſona cenſura ferienda debet eſſe determinata. *ib.* Quid ſi Pontifex, aut alius Superior ferat excommunicationem contra Communitatem ſine præcedenti examine? 81. Homo ſimul incurrere poteſt plures cenſuras, tum eiuſdem, tum alterius ſpeciei. *ib.* Non tamen pluries incurrit cenſuram, qui actum pluries facit, contra quem comminata eſt cenſura. *ib.* Monitio cenſuris præmittenda eſt. 82. Aliquæ difficultates circa hoc exponuntur. 83. De modo, quo monitio facienda eſt. 85. De comitantibus cenſuram. 86. De Cenſuræ publicatione. 88. Finis, & effectus cenſuræ. 89.

Cenſuræ opinionum, ſeu propoſitionum, nempe hæreticæ, ſcandaloſæ, blaſphemæ, piarum aurium offenſivæ, temerariæ, ſeditioſæ, ſuſpectæ. T. i. 17. explicantur ſigillatim. *ib.* & *in ſeq.*

Cenſus quid? T. iii. 245. eius definitio. *ib.* Cenſus diviſio. *ib.* Diviſio cenſus conſignativi. 246. Cenſus realis naturali iure licitus. *ib* Cenſus irredimibilis naturali iure licitus. 247. redimibilis ad placitum cenſuarii licitus eſt. *ib.* Cenſus perſonalis. *ib.*

Certitudo quid & quotuplex? T. i. 11.

Ceſſatio a divinis. v. depoſitio.

Ceſſatio legis per Privilegium. T. i. 233.

Character, ſecundus, ſeu alter effectus Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis Sacri. T. iv. 69.

Charitas virtus Theologica. T. i. 427. Primum de charitate, ſeu amore erga Deum. *ib.* Natura Charitatis variaque huiuſce nominis acceptio. *ib.* Charitatis definitio. *ib.* Obiectum Charitatis primarium eſt Deus. 428. Charitas generatim ſpectata eſt amor benevolentiæ, quo Deum ſuper omnia propter ſe, & nos ipſos, ac proximos, ſicut nos, propter Deum amamus. *ib.* Diviſio Charitatis in habitualem, & actualem. 429. Præceptum charitatis erga Deum. *ib.* De tempore quo præceptum Charitatis obligat ad actum amoris erga Deum. 430. De neceſſitate Charitatis ad merendum. 433. Vitia oppoſita charitati erga Deum, nempe odium Dei, & inordinatus affectus Creaturarum. *ib.* Charitatis præceptum erga proximum, ſeu obligatio diligendi proximum. 434. Præceptum hoc reſpicit creaturas omnes rationales. *ib.* Præceptum hoc, ut affirmativum, obligat amare proximum propter Deum. 435. Tria præſcribuntur ad veram proximi dilectionem, nempe, ut ſit iuſta, vera, & ſancta. Præceptum hoc obligat ut ſæpe in vita eliciamus actum internum amoris ſupernaturalis erga proximum. *ib*, Amor proximi duplex, benevolus, & effectivus. *ib.* Obligatio ex vi præcepti charitatis diligendi inimicos. 436. Obligatio ut non odio habeamus proximum inimicum oritur ex præcepto negativo charitatis. 437. Ex præcepto Charitatis quiſque tenetur ſub gravi remittere proximo offenſam remiſſione poſitiva, quoties tentationem patitur odii contra proximum inimicum. *ib.* Ex tali præcepto, ut affirmativo, tenemur ſincero corde inimicum diligere. 438. Quia proximum etiam inimicum debemus diligere, tenemur exercere erga ipſum officia omnia tum ſpiritualia, tum temporalia, quæ præſtare debemus aliis eiuſdem ſtatus. *ib.* De modo te-

tenendi in ineunda reconciliatione cum inimico. 439. De ordine in charitate ſervando. 441. De ordine ſervando erga proximos inter ſe. 443. De operibus charitatis, ſcilicet eleemoſyna. v. Eleemoſyna. Peccata charitati erga proximum oppoſita, cuiuſmodi ſunt odium. 457. Acedia, Invidia, Diſcordia, Contentio, Schiſma, Rixa, Seditio, Bellum. 458.

Chirographa an minori emi poſſint pretio? T. III. 195.

Choreæ, ſeu ſaltationes non ſunt de ſe malæ, idcirco non illicitæ, ſi cum perſonis eiuſdem ſexus ſint, bene quidem ſi cum perſonis diverſi ſexus. T. I. 342.

Chorepiſcopi nomen quid importet, & Definitio Chorepiſcopatus. T. v. 236. Origo Chorepiſcoporum. *ib.* Officia Chorepiſcoporum. 237. Eorumdem abrogatio. *ib.*

Chirurgorum obligationes. T. II. 381.

Chriſma materia partialis Confirmationis. v. Confirmatio.

Circumciſio quid, & quando inſtituta? T. IV. 15. Circumciſionis effectus, ideſt deletio originalis peccati. 16.

Circumſpectio virtus integrans prudentiæ. T. II. 314.

Clementia virtus ſubiecta, & integrans Temperantiæ. T. II. 312.

Circumſtantiæ morales quid & quot. T. I. 58. Quare ita vocentur. *ib.*

Clauſuræ nomen a quo deſſumptum. T. VI. 329. Quomodo hic accipiatur. *ib.* Obligatio quam habent Religioſi colendi ſolitudinem in cella, ac Monaſterio, ac non diſcurrendi facile per Civitatem, & locum. *ib.* Hinc S. Benedictus, ut omnem tolleret occaſionem Monachis divagandi extra Monaſterium, præſcripſit in ſua Regula, ut intra clauſtra quantum fieri poſſet omnia providerentur. 330. Et hoc communiter tenetur, ſcilicet tollere Religioſis divagationem extra clauſtrum, ita ut omnes Regulæ Religioſorum ad exemplum Benedictinæ, quæ eſt mater Regularum, inculcant Religioſis ſolitudinem; & decretis Eccleſiæ præcepta eſt tamquam præcipuum medium ad perfectionem adipiſcendam. *ib.* Inſuper in Regula Benedictina, & in pleriſque conſtitutionibus Mendicantium, & præcipue Eremitarum S. Auguſtini ſæpe inculcatur, ut extra Monaſterium in Civitatibus nec manducent, nec bibant. *ib.* Et Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 4 *de Regul.* ne quis ſub quovis prætextu exeat e Monaſterio ſine licentia ſui Superioris. *ib.* Licet etiam antiquitus tenerentur Religioſi ad Clauſuram, ut habetur in duobus canonibus non tamen præcepta erat cum tanto rigore, ſicuti recentioribus temporibus Pii V. & Gregorii XIII. 331. Diſcutitur materia Clauſuræ reſpectu perſonarum, quibus vetitum eſt ingredi Monaſteria. *ib.* Quid nomine Monaſterii, ſeu Conventus, cuius Clauſura præcipitur? *ib.* Licet etiam antiquitus talis clauſura eſſet præcepta, ut ex duobus Canonibus, non tamen cum tanto rigore, ſicuti poſterioribus temporibus ex duabus Conſtitutionibus Pii V. & Greg. XIII.; & poſtrema Bened. XIV. qua mulieribus interdicitur ingreſſus Monaſterii Virorum, etiam ob pietatis motiva, qui in duabus ſuperioribus concedebatur. 333. Et hoc vetitum eſt ſub gravibus pœnis. *ib.* Quæ ſint pœnæ Religioſorum introducentium fœminas in ſua Monaſteria. *ib.* Quid nomine fœminarum hic intelligatur, ideſt num ſub hoc nomine intelligantur etiam Duciſſæ, Marchionæ, Comitiſſæ &c. 334. Quid de Puellis parvulis? *ib.* Quæ circa illas nunc ſit praxis, ac de Ducibus ſupremi dominii, de Fundatricibus. *ib.* Quid de Imperatricibus, & Reginis. *ib.* Quid de mulieribus de domo fundatorum, & inſignium benefactorum monaſterii. *ib.* Conditiones pro iis dum Monaſteria ingrediuntur obſervandæ. *ib.* Clauſura cum ſit de iure poſitivo non ligat quando locum habet ius naturale. 335. Quid de viris ſæcularibus & etiam Clericis quoad ingreſſum Monaſteriorum Religioſorum, ac eos recipientium. *ib.* De iis ad quos ſpectat deſignare clauſuram, ac de duplici conditione clauſuræ; nempe neceſſariæ, & arbitrariæ. *ib.* Quæ neceſſaria? quæ arbitraria? Neceſſaria eſt invariabilis a Superiorum Regularium arbitrio, quia pendet a iure communi. *ib.* Quid de Sacriſtia, num ſubiaceat legi clauſuræ? 336. Quid de Hortis, num ſubiecti ſint clauſuræ? *ib.* Quid de Granciis, & domibus ruralibus? 337. Num diruto muro clauſuræ licite ingredi poſſit? *ib.* Quid de Regularium Eccleſiis quoad clauſuram? *ib.* Num, dum nullus adeſt Religioſus in Monaſterio, ingredi poſſint mulieres? 338. De clauſura Monaſteriorum Monialium, quæ ingredi nequeunt neque ad malum, neque ad bonum finem ſine legitima Superiorum facultate ſalva neceſſitate ex Can. Bonifacii VIII. & Concil. Trident. ac ex antea citatis Conſtitut. Pii V. Gregorii XIII. ſub excommunicationis pœna Papæ reſervatæ. 339. & ſeq. Hæc pœna cum aliis imponitur etiam Superioribus Monaſteriorum ſi audeant aliquam mulierem quoque introducere, cuiuſcumque ſit ætatis, & conditionis non exemptæ, ut

ſunt,

ſunt Imperatrices, Imperatores &c. Quid de Benefactoribus, & benefactricibus? 339. Mulieres obtento beneplacito Apoſtolico ingrediendi Monaſterium Monialium, ingredi nequeunt niſi accedat conſenſus Capituli Monialium. *ib.* Quæ Moniales intelligantur introducere in clauſuram perſonas non habentes legitimam facultatem. *ib.* Cardinales, & Epiſcopi ingredi nequeunt Monaſteria Monialium ſibi non ſubiecta, & in ſibi ſubiecta niſi in caſu neceſſitatis. *ib.* Et ita res ſe habet quoad Prælatos Regulares. 340. Quid de Opificibus neceſſariis? *ib.* De Superiore ad quem ſpectat licentiam dare ingrediendi Monaſteria Monialium. 341. De culpa accedentium ad Monaſteria Monialium alloquendi & viſitandi gratia ſine iuſta cauſſa & Superioris licentia. *ib.* Quid de Regularibus, num, & quomodo alloqui poſſint Moniales etiam ſibi coniunctas? *ib.* Decreta interdicentia allocutionem cum Monialibus. 342. Superiores & Confeſſarii Monialium non egent licentia illas alloquendi. *ib.*

Clerici nomen quid importet? T. v. 178. Quid græce? *ib.* Clerici ſuccedunt Levitis Synagogæ. *ib.* Nomen Clerici commune eſt omnibus ſacris Eccleſiæ Miniſtris. 179. Clerici a quo Epiſcopo ordinandi. 249. Clerici ius retinent in ſua bona patrimonialia, & quaſi patrimonialia. 245. Clericorum officia in Eccleſia græca. 214. Clericorum obligationes, qui maioribus Ordinibus ſunt initiati, nempe cælibatus, & recitationis horarum Canonicarum. 297. Diſciplina primitivæ Eccleſiæ quoad Cælibatum. 298. Cælibatus ſemper viguit in utraque Eccleſia quoad Epiſcopos. *ib.* Quoad Presbyteros hæc lex vigebat, ne contraherent poſt ordinationem Presbyteratus; non erat tamen irritum matrimonium, ſed deponebantur. *ib.* Diaconi etiam poſt contrahere poterant ſi in ordinatione proteſtarentur ſe non poſſe continentiam ſervare. *ib.* Primævis temporibus Sacerdotes Græci ſe abſtinebant ab uxore quam duxerant ante ordinationem. *ib.* Concilio Quiniſexto ſtatutum fuit, ut Epiſcopi non retinerent uxorem, quam antea duxerant; pro Presbyteris vero quod licite retinere poſſint. *ib.* Diſciplina continentiæ in Eccleſia latina quoad Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos. 299. Subdiaconi non ſemper continentiæ obſtricti fuere. 300. Lex continentiæ ſæculo XI. & XII. dura viſa eſt Germanis & Anglis; contra eam obmurmurarunt Novatores. *ib.* Quo iure Clerici maiores teneantur ad cælibatum. 301. De obligatione altera horarum Canonicarum. 302. Clericorum titulus qualis erat in primitiva Eccleſia. 263. Quando præſens titulus invaluerit. 264. Patrimonii titulus quid? 266. Quid de hoc titulo circa Regulares olim & nunc? 267. De pœna contra eos, qui ſine titulo ordinantur. 268. De titulo non alienando. *ib.*

Clericorum obligationes. T. 11. 325. Quid nomen Clerici? *ib.* Dupliciter accipitur, generaliter, & late; particulariter, & ſtricte. *ib.* Qui veniant ſub tali nomine. *ib.* Clerici alii ſimplices, alii beneficiarii. 326. Dotes requiſitæ in Clericis initiandis. *ib.* Vocatio in his requiritur ad talem ſtatum. *ib.* Quid ſit vocatio? 327. Huius neceſſitas in initiando oſtenditur. Vocationis ſigna. *ib.* Innocentia vitæ in clericis requiſita. 228. De ſcientia, quæ in clericis requiritur. 229 Quænam præcipue ſcire debeant. 230. De iis quæ fugienda ſunt a Clericis. 232. ut geſtatio armorum. *ib.* Venatio. *ib.* Quænam venatio ipſis licita. 232. Militiæ exercitium vetitum eſt Clericis. *ib.* Negotiatio, aliaque ſimilia officia. *ib.* Quando negotiatio licita eſſe poſſit Clericis. 233. De aliis exercitiis, quæ Clericis ſunt interdicta, ut Procuratoris, Advocati, Medici &c. De ludis Clericis vetitis. 335. Cohabitatio, & familiaritas cum mulieribus præcipue ſuſpectis eſt interdicta. 336. Item popinarum, tabernarum ingreſſus, convivia, & crapula. 337. *& ſeq.* Luxus & elegantia veſtium Clericis vitanda. 338. Abſtinere ſe debent a Choreis, Larvis, & Comœdiis aliiſque profanis ſpectaculis. *ib.* De iis quæ a Clericis præſtanda ſunt. 340. Clerici præcipue in ſacris conſtituti, vel beneficium aliquod poſſidentes, deferre tenentur Tonſuram, & habitum clericalem. *ib.* Quinam dicendus habitus clericalis? 341. De præſtandis Eccleſiæ, cui adſcribuntur. *ib.* Nempe intereſſe divinis officiis; cum clerici nunc in Eccleſia ſe habeant loco Levitarum. *ib. & ſeq.* Scire debent, ut ſua munia in Eccleſiæ ſervitio exerceant, ſacras cæremonias. 342. Clerici in ſacris conſtituti, & beneficiarii tenentur recitare quotidie horas canonicas. *ib.* Vetus diſciplina circa talem recitationem. *ib.* Clerici in ſacris conſtituti manere debent cælibes. 343. Vetus diſciplina circa cælibatum. *ib. & ſeq.* De obligationibus Beneficiariorum; nempe deferendi habitum, & tonſuram Clericalem, recitandi quotidie horas canonicas ſub pœna peccati mortalis, & reſtitutionis fructuum beneficii, eos in eleemoſynas erogando: intereſſendi Choro ſi beneficium ferat tale onus. Et ad talem recita-



Digitized by Google

tationem tenentur etiam commendatarii perpetui, non vero coadiutores, licet inſtituti cum futura ſucceſſione. 345. Tenentur ad publicam fidei profeſſionem. *ib.* Item ad reſidentiam ſi beneficium ita exigat. *ib. & ſeq.* Cauſſæ excuſantes Epiſcopos a reſidentia. 340. Cauſſæ excuſantes a reſidentia Canonicos, alioſve huiuſce generis beneficiarios. *ib.*

Coadiutoria quid? T. II. 300. Duplex eſt, alia revocabilis, ſeu ſine iure in beneficio; alia irrevocabilis, ſeu cum iure ſuccedendi in Beneficio poſt mortem coadiuti. *ib.* Coadiutoria revocabilis concedi poteſt a proprio Epiſcopo. *ib.* Coadiutoria datur ob varias cauſſas. *ib.* Coadiutor debet habere eaſdem qualitates, quæ a iure pro tali munere exiguntur, ſcientiam nempe, & prudentiam, & ſi detur Epiſcopo, debet eſſe Ordinatus Epiſcopus. Coadiutor exercere nequit niſi id, ad quod incapax ſit Epiſcopus. 301. Coadiutori debetur congrua portio ad ſui ſuſtentationem, dummodo reditus beneficii utrique ſufficiant. *ib.* Coadiutor Epiſcopi celebrans non ſedet niſi in faldiſtorio, neque habet Diaconos aſſiſtentes, neque Canonicos, neque utitur baculo, niſi in Ordinationibus. *ib.* Dum celebrat debet habere Diaconum, & Subdiaconum aſſiſtentem, nec non Canonicum pro libro. *ib.* Licet Coadiutor non adhibeatur a Coadiuto ad ullam functionem, non poteſt tamen diſcedere ſine eius licentia. Idem dicito de aliis Coadiutoribus. *ib.*

Codicillus quid? T. III. 294. Clauſula codicillaris expreſſa, vel tacita. 295.

Cogitatio venerea moroſa ſi non reprimatur, & ſit periculum conſenſus, ideſt ſit cum plena advertentia, eſt lethale peccatum; veniale vero ſi advertentia ſit imperfecta, & ſemiplena. T. I. 335.

Collatio beneficii. v. Beneficium.

Collatiuncula die ieiunii quid? T. III. 446.

Commenda: quid hoc nomen importet? T. II. 208.

Commodatum quid? T. III. 260. Eius definitio. *ib.* Obligationes commodantis. *ib.* Obligationes commodatarii. 261.

Communicatio fidelis cum infideli, & præcipue cum hæreticis vetita. T. I. 405. Communicatio inter homines duplex; Religioſa, & Civilis. *ib.* Quæ cum Iudæis? *ib.*

Communio quando facienda. v. Communionis præceptum. v. Euchariſtia.

Communio ſub utraque ſpecie. v. Euchariſtia.

Commutatio voti quid? T. II. 55.

Compenſatio occulta contra debitorem. T. III. 375. Famulorum, Operariorum, Artificum. 381.

Concilia quid? T. I. 8. Alia generalia; alia particularia. *ib.* Quæ generalia. *ib.* Quot Concilia Generalia hactenus celebrata. *ib.*

Concupiſcentia: quid hoc nomen importet? T. I. 31. quot modis accipi poteſt. 32. Quotuplex ſit, ideſt alia antecedens, alia concomitans, alia ſubſequens. *ib.* Auget, & minuit voluntarium ſub diverſo reſpectu. *ib.* Motus concupiſcentiæ alii primo primi, & ſine advertentia, ac ideo involuntarii, non ſunt peccata; alii ſecundo primi, qui procedunt cum Semiplena advertentia, & ſunt Venialia; alii cum plena advertentia, & deliberatione, & ſunt mortalia. 33. Concupiſcentia, ſive antecedens, ſive conſequens auget voluntarium. *ib.*

Conductio v. Locatio.

Confeſſarii obligationes. T. V. 129. De ſcientia, probitate, prudentia, & fidelitate requiſitis in Confeſſario. *ib. & ſeq.* De interrogatione, ſeu examine faciendo a Confeſſario. 131. De debito Confeſſarii admonendi pœnitentem de eius erroribus, ipſumque edocendi. 134. Quomodo ſe gerere debeat cum eo, qui ſequitur opinionem probabilem. *ib.* Confeſſarii obligatio propter defectum a ſe commiſſum in Sacramento pœnitentiæ adminiſtrando. 135. De obligatione Confeſſarii circa reſtitutionem, quæ propter eius defectum impleta non ſit a pœnitente. *ib.* Obligatio ſimplicis Sacerdotis, approbati, & idonei audiendi Confeſſiones. *ib.*

Confeſſarius ſollicitans eſt ſuſpectus de hæreſi. T. I. 412. Varia contra hoc facinus Decreta. *ib.* Quid ſit ſollicitare. *ib.* Sollicitatio per tertiam perſonam. 413. Verba, actiones turpes, ac venereæ quæ vetantur in Decretis tamquam provocantia ad carnalia. *ib.* Denunciandi ſunt tales Confeſſarii. *ib.* Caſus comprehenſi in Bulla Greg. XV. de ſollicitantibus. 414. De iis qui tenentur denunciare Confeſſarium ſollicitantem. 415. Quæ perſonæ eximi, vel non eximi poſſint ab obligatione denunciandi talem Confeſſarium. *ib.* Denunciatio quando facienda a pœnitente. 416. Peccat mortaliter quicumque pœnitentes a S. Inquiſitione punitos manifeſtet. *ib.*

Confeſſio & communio præcipiuntur ab Eccleſia tempore Paſchatis. T. III. 460. De debito Confeſſionis hoc tempore quando non habeat fidelis niſi venialia. *ib.* Quid de ſacrilega confeſſione, & communione pro im-

implendo præcepto. *ib.* Communio Paſchalis in propria Parochia præcipitur a Concilio Lateranenſi IV. fidelibus omnibus qui ad annos diſcretionis pervenerint ſub pœna anathematis. 463. Qui cenſendi ſint anni diſcretionis ad communionem. *ib.* Quid de vagis circa Paſchalem communionem? 464. Quid de morantibus infra annum in duplici Parochia? *ib.* Quid de Laicis commorantibus in Monaſteriis? *ib.* De pœnis contra omittentes communionem Paſchalem. 466.

Confeſſionis Sacramentalis, quæ eſt materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, nomen quid importet, & quotupliciter in Scriptura adhibeatur, & præcipue prout eſt accuſatio Sacramentalis peccatorum, & in hoc ſenſu hic accipitur. T. v. 30. Definitio Confeſſionis Sacramentalis. 31. Dotes huius Confeſſionis exponuntur. *ib.* Confeſſio Sacramentalis apud Græcos idem ſignificat ac Exomologeſis. 32. Confeſſionis diviſio in publicam, & privatam, generalem &c. *ib.* Nulla lege ſtatutum eſt ut peccata occulta publice fateantur. 33. In veteri diſciplina vetitum quædam ſcelera ſubmitti pœnitentiæ publicæ ob gravia incommoda quæ ſequi poterant. *ib.* Etiam in imponenda pœnitentia publica adhibebatur confeſſio ſecreta. *ib.* Præter confeſſionem factam certis anni temporibus, de qua infra, mos fuit antiquitus facere generalem Confeſſionem peccatorum omnium anteactæ vitæ. *ib.* Utilitas confeſſionis Sacramentalis. 34. Divinum præceptum confeſſionis ſecretæ: huius neceſſitas. *ib.* Errores Eterodoxorum contra Confeſſionem Sacramentalem. 35. De iis qui tenentur, & quo tempore ad Confeſſionem Sacramentalem ex iure divino. 38. Obligatio divini præcepti confitendi ſpeciem, numerum, circumſtantias peccatorum mortalium. 40. Actus externus explicandus in Confeſſione. 43. Obligatio ex divino præcepto manifeſtandi in confeſſione mala ex actu externo ſecuta. 44. Quid de manifeſtatione complicis in confeſſione? *ib.* Debitum declarandi in confeſſione peccata dubia. 46. De confeſſione mortalium quocumque modo omiſſorum in confeſſione. 47. De integritate confeſſionis requiſita ad valorem, & effectum Sacramenti. 48. Integritas confeſſionis duplex, materialis, & formalis. *ib.* Formalis integritas ſufficere poteſt in certis caſibus. *ib. & ſeq.* Confeſſio non dividenda partim uni, partim alteri, ne quidem in eo qui habet caſus reſervatos. 49. Cauſſæ excuſantes ab integritate materiali Confeſſionis. 50. Confeſſioni diligens examen præmittendum. 52. De Confeſſione iteranda. 53. Confeſſio informis num valida eſſe poſſit? 55. Veritas confeſſionis quæ? 57. Quid de Confeſſionis ſufficientia ad valorem Sacramenti factæ generaliter ſine expreſſione particularis peccati. *ib.* De ſufficientia Confeſſionis mortalium, vel venialium alias confeſſorum, ut in confeſſione ſint materia, licet non neceſſaria, pro Sacramentali abſolutione. 58. De confeſſione facienda oretenus, vel nutu; non per internuncium, aut per litteras. *ib.* De Confeſſione per interpretem quid? 59. De præcepto Eccleſiaſtico Confeſſionis. 60. De Confeſſione invalida & ſacrilega, num per illam ſatisfieri poſſit præcepto annuæ confeſſionis? 61. Qui toto anno confeſſus non eſt, tenetur quanto citius fieri poteſt confiteri. 62. Qui pluribus annis confeſſus non eſt, non tenetur tot facere confeſſiones, quot eas omiſit. *ib.* Quis proprius Sacerdos, cui ex præcepto Lateranenſis Concilii facienda eſt annua confeſſio. 63. De requiſito approbationis in confeſſario non habente beneficium, cui commiſſa ſit cura animarum. v. Approbatio. Quid de confeſſione facta complici poſt Bullam Benedicti XIV. 128. De validitate Confeſſionis factæ tempore mortis apud complicem ab ignorante Papæ Decretum. 129.

Confirmationis notio, & varia ipſius nomina. T. iv. 141. Confirmationis definitio. *ib.* Vera ac propria huius Sacramenti natura. 142. Errores contra Confirmationem. *ib.* Cæremonia Confirmationis eſt verum Sacramentum. *ib.* De tempore & modo, quo Chriſtus Dominus hoc Sacramentum inſtituit. 144. Materia remota Confirmationis. *ib.* Manus impoſitio materia partialis confirmationis. 145. Chriſma, alia partialis materia huius Sacramenti. 146. Neceſſitas unionis olei, & Balſami, ac utriuſque partialis Epiſcopi benedictionis. 148. Materia proxima Confirmationis quæ? 149. Forma Confirmationis. 152. De Miniſtro: errores circa talem miniſtrum. *ib.* Epiſcopus eſt Miniſter ordinarius Confirmationis. *ib.* Simplex Sacerdos extraordinarius. 153. Quis ſubiectum Confirmationis? 154. Perpetuo amentes confirmari poſſunt. 155. Morituris conferenda Confirmatio. *ib.* De diſpoſitionibus in ſuſcepturo hoc Sacramentum. *ib.* Diſpoſitiones adultorum. 156. Effectus huius Sacramenti. *ib.* Neceſſitas huius Sacramenti. 158. Neceſſitas præcepti divini in adultis. 160. Unde Confirmationem negligens non eximitur a mortali. *ib.* Confirma-

ma-

matio neceſſaria etiam ex præcepto Eccleſiaſtico. *ib.* Cæremoniæ Confirmationis. 161. *& ſeq.* Patrini in Confirmatione adhibentur. *ib.*

Confuſio, ſeu comixtio, qua ex iure Gentium acquiri poteſt dominium in aliena re, eſt quando res unius, rei alterius ita coniungitur, ut pars unius a parte alterius diſcerni nequeat. T. III. 50. Differentia inter confuſionem, & comixtionem. *ib.* Statuitur circa dominium cui ſpectet. *ib.*

Coniugum mutuæ obligationes, ſeu officia T. III. 335. De mutuo eorum amore. *ib.* Quæ a viro coniugi præſtanda. *ib.* Culpa uxoris in defectu obſequii erga maritum. 336. Coniuges mutuum ſibi debent obſequium. *ib.*

Conſcientia regula interna actuum humanorum. T. I. 100. Conſcientiæ notio. *ib.* Conſcientiæ definitio. *ib.* Conſcientiæ diviſio. 101. Conſcientia recta ſequenda. 103. De conſcientia erronea, & quænam circa hanc obligatio. *ib.* Conſcientia erronea deponenda. 108. Quomodo Conſcientia erronea deponenda. *109.* Conſcientia perplexa quid? 110. Conſcientia certa quæ? 111. Conſcientia dubia quæ? 112. Diviſio Conſcientiæ dubiæ. *ib.* Regula pro Conſcientia formanda in ſuis dubitationibus. 113. Conſcientia probabilis quæ? 116. Definitio Conſcientiæ probabilis. *ib.* Diviſio probabilitatis. 117. Opinio probabilior ſequenda in concurſu minus probabilis. 120. *& ſeq.* Sequi nequit opinio probabilis in concurſu cum æque probabili. 137. *& ſeq.* Probabilior ſequenda in concurſu tutioris. 142. Non licet Theologo conſulere ſecundum opinionem quam iudicat minus probabilem. 147. Non licet ignaris curſitare ad conſulendos varios caſuiſtas, ut benigniorem inveniant. *ib.* Confeſſarius non poteſt abſolvere ſtantem pro opinione minus probabili, qui nolit eam deponere. 148. Conſcientia ſcrupuloſa quæ? 150. Cauſæ ſcrupulorum. *ib.* Remedia ſcrupulorum. *ib.*

Conſenſus mutuus neceſſarius ut cauſſa efficiens ad contrahendum Matrimonium T. V. 313. Conſenſus debet eſſe plenus, deliberatus, liber in ſe non tantum in cauſſa, utriuſque ſimul moraliter non revocatus. 314. Num neceſſarius conſenſus in copulam ad Matrimonii validitatem. *ib.* De conſenſu conditionato. *ib.*

Conſuetudo proprie accepta eſt *Ius quodam ex ſimilium actuum liberorum frequentia conſtitutum.* T. I. 242. Dicitur etiam lex non ſcripta. Conſuetudinis diviſio. 243. Requiſita ad conſuetudinem ut habeat vim legis. *ib.*

Contentio quid? T. I. 460. Quando ſit mortale peccatum. *ib.*

Contractus initi ex metu qui validi, qui irritandi, qui irriti. T. I. 36.

Contractus late ſumptus coincidit cum pacto. T. III. 139. Contractus in genere dupliciter accipitur, late, & improprie; & ſic idem cum pacto ſtricte, & proprie, ex quo in utraque parte oritur obligatio, ut in venditione, &c. *ib.* Contractus ſimulatus tenet in foro externo. *ib.* Diviſio contractus in formalem, ſeu expreſſum; & virtualem, ſeu implicitum. *ib.* Quis contractus formalis; quis virtualis? *ib.* Item dividitur in contractum nominatum, ut venditio, locatio; & innominatum, & quadruplicis eſt ſpeciei; *Do ut des*, &c. 140. Item in contractum bonæ fidei, & ſtricti iuris. *ib.* In contractum nudum, & veſtitum, gratuitum, & onerosum. In contractum, qui perficitur traditione, & in eum, qui perficitur ſolo conſenſu, ut emptio &c. 141. In purum ſine conditione, & in non purum, cui accidens adiicitur. *ib.* Contractus quatuor modis perfici poteſt, re, verbis, litteris, & ſolo conſenſu. *ib.* De requiſitis ad naturam, & valorem contractus. *ib.* De his, qui valide contrahere poſſunt. *ib. & ſeq.* ubi ſingillatim ſucceſſive recenſentur qui apti non ſunt ad valide contrahendum. De cauſſis contractuum, tum materiali, ideſt de rebus quibus contrahi poteſt; & de formali, nempe de conſenſu ad contrahendum. 146. Materia contractus ſunt bona omnia, quorum quis dominium habet, & liberam adminiſtrationem. *ib.* Cauſſa formalis eſt conſenſus contrahentium, non quivis conſenſus indiſcriminatim, ſed internus & mutuus, cum fictus & mere externus non ſufficiat. *ib.* Voluntas alia formalis, alia virtualis. *ib.* Ad quid teneatur ficte contrahens. *ib.* Quid de obligatione intendentis promittere. 147 Quid de promiſſione facta animo ſe obligandi. *ib.* De ſufficientia conſenſus eliciti ex errore, vel dolo ad contrahendum. *ib.* Error antecedens & concomitans. 148. Motivum contractus aliud intrinſecum, & ſubſtantiale; aliud extrinſecum contractui, & cauſſa tantum impulſiva. *ib.* Num error, & dolus circa accidentalia dantes contractui cauſſam, contractum invalident. *149. & ſeq.* De validitate contractus initi ex metu. 151. *& ſeq.* Triplex actio contrahentis per dolum, aut metum, nempe redhibitoria, quanto maioris, quod intereſt oe-

cepti non decipi. 155. Obligatio quam parere habet contractus. *ib.* Obligatio contractus alia antidoralis, alia fundata in neceſſitate. *ib.* Obligatio contractus ratione principii quadruplex; ideſt ex contractu, aut quaſi contractu, ex maleficio, aut quaſi maleficio. *ib.* De contractu ſolubili. *ib.* Pactum validum affert obligationem in conſcientia. 156. Quid de illo qui habuit animum contrahendi cum expreſſa voluntate ſe non obligandi. *ib.* Quid de contractu ſine ſolemnitatibus a iure requiſitis quoad forum conſcientiæ. 157. Contractus contra legem poſitivam non ſemper invalidus. 158. In contractibus obſervandæ ſunt locorum conſuetudines. *ib.* De firmitate contractus invalidi iure naturali, & poſitivo ex iuramento, & de eius obligatione ex iuſtitia. 161. *& ſeq.* Contractus non puri, & quaſi conditionati qui? 162. Obligatio contractus conditionalis. 164. Contractus in ſpecie. 167. Contractus in ſpecie alii oneroſi, alii gratuiti. Oneroſi, alii transferunt dominium, alii uſum tantum, vel uſumfructum conferunt. Dominium per contractus oneroſos tripliciter transferri poteſt, nempe dando rem pro re, & hic contractus dicitur permutatio; dando pecuniam pro pecunia, ut aurum pro argento, vel monetam Venetam pro Hyſpana, & hic dicitur Cambium, aut mutuum, aut rem dando pro pecunia, & dicitur venditio, vel pecuniam pro re, & eſt emptio. *ib.* De ſingulis habetur ſuo loco.

Contractus trium contractuum. T. III. 236. exponitur qualis ſit. *ib.* Variæ ſententiæ circa rem hanc. 237. Conditiones, ut talis contractus fiat licitus. 240.

Contumelia quid? T. III. 392. Contumelia quomodo fiat; convitio ſcilicet, ſuſurratione, vel libello famoſo. *ib.*

Convitium & contumelia ſæpe pro eodem ſumuntur. T. III. 392.

Cooperantes damno tenentur ad reſtitutionem. T. III. 81. *& ſeq.* Quo ordine. 103.

Correctio fraterna ſecundus effectus charitatis eſt eleemoſyna ſpiritualis. T. I. 453. Correctio alia fraterna, alia iudicialis. *ib.* Correctionis præceptum obligat omnes indiſcriminatim. 454. De his, qui corrigere debent, & corrigi. 455. Quando hoc præceptum obliget, & fideles a tali onere excuſentur. 456. De ordine in correctione fraterna a Chriſto Domino præſcripto *inter te, & ipſum ſolum*. 457.

Credita an emi poſſint minoris? T. III. 196.

Creditorum ordo in reſtitutione ſervandus a debitore. T. III. 104. Triplex ordo creditorum. 107.

Culpa ex qua oritur obligatio Reſtitutionis. T. III. 65.

Cultus triplex; Latriæ, qui tribuitur Deo; Hyperduliæ B. Virgini; Duliæ Angelis, & Sanctis. Cultus alius abſolutus, qui tribuitur perſonæ; alter reſpectivus, qui tribuitur eorum reliquiis, & imaginibus. T. II. 26. *& ſeq.*

Curatorum obligationes. T. II. 365.

## D.

DAmnum emergens, num iuſtus titulus in mutuo aliquid accipiendi ſupra ſortem. T. III. 216.

Debitum denunciandi Confeſſarium ſollicitantem in Confeſſione ad turpia. T. V. 124. Caſus pertinentes ad ſollicitationem. *ib.* Modus faciendi denunciationem & de eius uſu. 125. Num in dubia ſollicitatione Confeſſarius denunciandus ſit. 126. Non eximit a debito denunciandi ſollicitantem Confeſſarium debitum gratitudinis. 127.

Debitum legale unum eſt ex requiſitis in iuſtitia. T. III. 2. Eſt debitum ſtricte tale afferens obligationem reſtitutionis ad æqualitatem, idcirco ordinem dicit ad iuſtitiam commutativam, cuius eſt obiectum. 56. De debito reſtitutionis pro actione poſita, ex qua damnum alteri ſecutum ſit. 79.

Decalogi præcepta. T. III. 314. Quid Decalogi nomen, & a quo derivetur? *ib.* Decalogi definitio. *ib.* Leges, ſeu præcepta Decalogi obligant in conſcientia. 315. Præcepta Decalogi ſunt numero decem. *ib.* Diviſio eorumdem præceptorum in affirmativa, & negativa. 316. Omnia obligant ſub mortali. 317. Differentia inter præcepta affirmativa, & negativa quoad eorumdem obligationem. *ib.* Omnia naturæ præcepta, ut principia, vel concluſiones pertinent ad præcepta Decalogi, ad quæ reducuntur. *ib. & ſeq.* De iis quæ ſpectant ad primum Decalogi præceptum. 318. Duo in hoc præcepto continentur; unum præcipiens Dei cultum, & amorem, & ex hoc capite eſt affirmativum; alterum vetans, quo oppoſita interdicuntur. *ib., & in ſeq.* Cultus exhibitus Angelis, & Sanctis non repugnat huic præcepto. 320. De iis quæ pertinent ad ſecundum Decalogi præceptum. *ib.* Hoc præcepto, ut negativo, prohibetur, ne Sanctum Dei nomen quavis irreverentia prophanetur. Ut affirmativo, ut illud ſanctum Nomen

men honoretur. 321. Multipliciter Dei nomen honoratur, & prophanatur. *ib.* Ut negativum prohibet item Sanctum Dei nomen in vanum aſſumere in iuramento imprudenti, & falſo, in violatione voti, in blaſphemia. *ib.* Quod dicitur de Dei nomine, intelligitur etiam de nomine B. Mariæ Virg. & Sanctorum. *ib.* De his, quæ ſpectant ad tertium Decalogi præceptum. 322. Hoc eſt ultimum mandatum primæ Tabulæ. *ib.* In hoc exponitur cultus quem Deo tribuere debemus die Sabbati. *ib.* Præceptum hoc partim eſt legis naturalis, partim poſitivæ. *ib.* Hoc pariter, ſicut duo priora, affirmativum eſt, prout præcipit, ut fideles diebus feſtis in ſanctis operibus ſe exerceant; & negativum, quatenus hiſce diebus vetat opera ſervilia. v. de Feſtis. De quarto Decalogi præcepto. 323. v. Parentum, & Filiorum mutuæ obligationes. De quinto Decalogi præcepto Homicidium prohibente. v. Homicidium. De his quæ pertinent ad ſextum Decalogi præceptum. 367 De iis quæ pertinent ad ſeptimum Decalogi præceptum. 368. De Furti natura. v. Furtum. Octavum Decalogi præceptum. 385. ut negativum vetat, ne ſive in iudicio, ſive extra falſum dicamus; ut affirmativum iubet, ut dicta noſtra & facta ſincera ſint. *ib.* De Mendacio. v. Mendacium. De proximi diffamatione, quæ eſt inter vetita in hoc octavo præcepto. v. Diffamatio, proximi. De iis, quæ ſpectant ad nonum Decalogi præceptum, nempe prohibitio deſiderandi alterius uxorem, & per hoc vetitum intelligitur peccatum omne quod cogitatione patratur; cuiuſmodi eſt conſenſus internus, delectatio moroſa, deſiderium mali, diſplicentia boni. 409. Concupiſcentia generaliter ſumpta quid ſit. *ib.* Duplex carnalis affectus. *ib.* Internus conſenſus quando peccaminoſus. *ib.* Differentia deſiderii a delectatione moroſa. 410 De ſpectantibus ad decimum Decalogi præceptum; nempe de deſiderio rei alienæ poſſidendæ cum eius damno. 411. De deſiderio mali, & diſplicentia boni proximi. 412.

Decimæ Eccleſiæ ſolvendæ. T. III. 467. Inſtitutio decimarum unde. *ib.* Eccleſia etiam ante pacem bona mobilia poſſidebat. *ib.* Bona Eccleſiæ initio erant communia, & in quatuor partes diſtribuebantur. *ib.* Initium decimarum Sæculo VI. & VII. &c. 468. Decimæ non idem ſunt ac primitiæ. *ib.* Decimæ quid. *ib.* Multiplex decimarum genus. 469. De decimis ex fructibus animalium. *ib.* De eo cui ſolvendæ ſunt Decimæ. 470. Principaliter & immediate dicuntur pertinere ad Eccleſias Parochiales non ſimpliciter ad Parochum. 471. Quando decimæ parochiales conceſſæ ſunt Monachis. *ib.* Decimæ cuiuſcumque generis ſemper adiudicandæ ſunt Parocho. 472. Decimæ perſonales cui ſpectent. *ib.* Decimæ debitæ ſunt clericis titulo Religionis & iuſtitiæ. *ib.* Nec diſpenſat ab earum ſolutione quod aliunde redditibus abundent. *ib.* Nec quod ab ipſis impendantur in malos uſus. 473. De rebus ex quibus decimæ ſunt ſolvendæ. *ib* Quid de Novalibus circa ſolutionem decimarum. 474. Quid de ſolutione decimarum in culturæ agri mutatione, puta ex frumentario in ſylvam. 475. Unuſquiſque ius habet culturam ſui agri immutandi. *ib.* Cui ſolvendæ decimæ Lanæ. 476. De iis qui ad decimas tenentur. *ib.* De immunitate conceſſa Regularibus non ſolvendi decimas. 477. De tempore, & modo quo decimæ præſtandæ ſunt. 478. Circa decimas pecudum ſervanda locorum conſuetudo. *ib.* Decimæ prædiales debentur ante expenſarum deductionem. *ib.* De præſcriptione decimali. 479. De paſſiva decimarum præſcriptione. 380. De Decimis infeudatis. 481. De iudice rerum decimalium. 482.

Defectus mercis, alteriuſque rei vendibilis manifeſtandus emptori. T. III. 185.

Definitorum nomen quid? T. VI. 375.

Defloratio. v. Stuprum.

Delectatio moroſa: quid hoc nomen importet; eius definitio. T. I. 335. Delectatio moroſa triplex. *ib.* Quælibet delectatio venerea etiam minima, quæ quæſita ſit vel admiſſa extra coniugium eſt mortale peccatum, nec poteſt eſſe veniale ob levitatem materiæ. *ib.* Qui poſt ſufficientem advertentiam negative ſe habet in delectatione venerea, id eſt eam nec approbando, nec improbando mortaliter peccat. *ib.* Media cohibendi motus venereos. 336. Delectatio pertinet ad ſpeciem actus luxuriæ, de quo habetur delectatio. *ib.*

Denunciatio Confeſſarii ſolicitantis. v. Confeſſarius.

Denunciatio, ſeu publicatio cenſuræ. v. Cenſura.

Depoſitio, & degradatio, ac ceſſatio a divinis quid? T. VI. 135.

Depoſitio habitus religioſi ſine iuſta cauſſa gravis eſt culpa. T. VI. 277. Habitus religioſus ſignum eſt religionis quam quiſque profitetur. *ib.* Habitus religioſus habet in ſe myſticam ſignificationem. *ib.* Exponitur ac demonſtratur obligatio ferendi talem habi-

tum ut fundata in iure canonico. *ib.* Pœnæ contra Religioſos habitum deponentes ſine iuſta cauſſa. *ib.* De habitus religioſi depoſitione ad induendam larvam. *ib.* Num contraria conſuetudo alicubi excuſet.

Depoſitum ſumptum pro contractu. T. III. 259. Depoſiti definitio. *ib.* Quis poſſit eſſe depoſitarius. *ib.* De eius obligationibus. *ib.*

Derogatio legis eſt imminutio obligationis legis. T. I. 232.

Deſperatio vitium, ſeu peccatum contra virtutem ſpei. T. I. 425.

Detractio quid. T. III. 392. eius definitio. *ib.* Varii modi detrahendi. 393. Diviſio detractionis in contumeliam, ſuſſurrationem, & diffamationem. Contumelia. v. Contumelia. Quid de manifeſtatione defectuum naturalium quando graviter culpabilis. *ib.* Detractiones ſunt omnes eiuſdem ſpeciei. *ib.* Omnis detractio eſt mortalis ex genere ſuo. 395. Unde gravitas vel levitas detractionis dignoſci poſſit. *ib.* Manifeſtatio defectus venialis, ut plurimum venialis. *ib.* Quid de Hiſtoricis narrantibus vitia Principum notoria. 396. Quid de manifeſtatione criminum veterum. *ib.* Quid de revelante crimen occultum. 397. Quid detrahere de altero apud unicam perſonam per ſecretum. *ib.* Quid de culpa audientium detractionem. *ib.* Quid de eo qui non promovet detractionem, ſed tantummodo de ea gaudeat, & ſe complaceat. 398. Ad quid teneatur auditor, præcipue ſi detractio ſit calumnia. *ib.* Illicitum eſt legere librum narrantem alicuius crimina occulta. 399 Quid de narrante audita ſine cauſſa. *ib.* De manifeſtatione criminis notorii publice. *ib.* Quid de revelante crimen notorietate facti tantum notorium. 401. Quando liceat crimina alterius revelare. *ib.* Iniuria detractionis, & calumniæ non alia detractione, & calumnia repellenda. 403. De naturali ſecreto non revelando. v. Secretum.

Devotio quid. T. II. 2.

Diaconi in Sacrificio Miſſæ. v. Miſſa. Diaconus eſt Miniſter extraordinarius Baptiſmi. v. Baptiſmus; & diſpenſandæ Euchariſtiæ. v. Euchariſtia.

Diaconiſſæ nomen quid importet. T. v. 203. Duplex eius acceptio. *ib.* Diaconiſſarum inſtitutio a tempore Apoſtolorum derivatur. *ib.* In earum inſtitutione aliqua concurrebat cæremonia. *ib.* Diaconiſſarum officia. 204 Quando delierunt. *ib.*

Diffamatio proximi quid. T. III. 393. Duplici modo proximus diffamatur; interne ſiniſtre de eo cogitando; externe ſiniſtre de eo loquendo. *ib.* Et hæc eſt vetita in octavo Decalogi Præcepto. Diffamatio interna fit per dubium, ſuſpicionem, opinionem, & iudicium temerarium. Singula ſuo loco explanantur. Diffamatio externa fit detractione, contumelia, calumnia &c. Hæc quoque ſuis locis exponuntur.

Dignior quis? v. Beneficia Eccleſiaſtica.

Dignitates Eccleſiaſticæ annexæ Beneficiis Eccleſiaſticis. T. II. 483. Quid Dignitas. *ib.* Dignitates non ſecus ac Beneficia duplicis generis, Sæculares, & Regulares. 184. Prima dignitas in Eccleſia eſt Papatus, & eſt omnium ſuprema, cui aliæ ſubduntur. *ib.* Papa vocatur Chriſti Vicarius & eſt Patriarcha totius Occidentis. 185. A priſcis etiam temporibus dicitur *Dominus noſter*, *Sanctiſſimus*, *&* *Beatiſſimus*. *ib.* Non poteſt a dignitate ſua amoveri. *ib.* Nonnulla adnotantur de eius poteſtate. *ib.* *&* *ſeq.* De ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus. Quid nomen Cardinalis importet. 186. Nunc uſitatum in Eccleſia modo diverſo ac antiquitus. *ib.* *&* *ſeq.* Cardinalium gradus. 188. Cardinalium munera & privilegia. *ib.* Quid circa numerum Cardinalium. 189. Sequitur Epiſcoporum dignitas. *ib.* Quid Epiſcopi nomen. *ib* Eorum gradus, & poteſtas, & officia. 190. De Archiepiſcopis, Primatibus, & Patriarchis. 192. Patriarchæ nomen quid. 193. Qui primi Patriarchæ. *ib.* De electione Epiſcopi. *ib.* De Ornamentis, ſeu inſignibus Epiſcopalibus. 195. De Pallio Archiepiſcopali. 196. De Chorepiſcopis, & Archipresbyteris. 198. De dignitatibus Cathedralium Eccleſiarum, & primum de Archidiacono. 199. De Archipresbytero Cathedralium. 200. De Primicerio. *ib.* De Præpoſito. 201. De Decano. *ib.* De Cantore. *ib.* De Theſaurario. 202. De Scholaſtico. *ib.* De Pœnitentiario. 203. De Canonicis Cathedralium, & Collegiatarum. *ib.* Num Canonicatus ſit dignitas. *ib.* Olim, ideſt in Eccleſiæ primordiis, incognitum fuit hoc nomen Canonici. Canonicorum diſtinctio Sæcularium, & Regularium unde deducta nunc, & olim. 204. De Parochis, ſeu animarum Paſtoribus. 205. Parochiarum origo. *ib.* Commendarum origo. 206. Quid olim Paſtores primitivi. 207. Perſonatuum origo. *ib.* Statutum circa Parochiarum adminiſtrationem. *ib.* De Abbatibus Commendatariis. 208. Quare Eccleſia induxit Commendas. *ib.* Pius uſus Commendarum converſus in abuſum. 209. Contra Commendarum abuſum ſæpe conclamatum fuit.

fuit. 210., & *ſeq.* Commendatarii onera & obligationes. 213.

Dignitates in cœtu Canonicorum. v. Gradus Canonicorum.

Dilectio Dei, & proximi. v. Amor Dei, ideſt Charitas erga Deum.

Dilectio inimicorum. v. Amor proximi, ideſt Charitas erga proximum.

Diſcipulorum obligationes. T. II. 366.

Diſpenſatio legis quid. T. I. 220. Diviſio diſpenſationis in totalem, & partialem. *ib.* Diſpenſatio item alia legis, alia hominis, alia mixta. 221. Item alia iuſtitiæ, alia gratiæ, alia mixta. *ib.* Item alia excuſabilis, alia laudabilis, alia damnabilis. *ib.* Ad diſpenſationem tacitam non ſufficit ratihabitio de futuro. *ib.* Poteſtas diſpenſandi eſt iuriſdictionis. *ib.* In præceptis naturalibus diſpenſare nequit Papa 222. Quis in legibus humanis diſpenſare poſſit. *ib.* & *ſeq.* Cauſſa talis non requiritur diſpenſandi, ut Superior teneatur diſpenſare. 224. Cauſſa iuſta diſpenſandi in iure canonico triplex. *ib.* Uti non licet diſpenſatione invalida. *ib.* Cauſſa diſpenſandi alia finalis, alia impulſiva. 225. Ceſſante cauſſa finali diſpenſatio ante eius uſum ceſſat. *ib.* Quid de errore in Reſcripto. 226. & *ſeq.* De requiſitis quoad mandata Sacræ Pœnitentiariæ. 228.

Diſpenſatio in impedimentis Matrimonii. T. V. 413. Quis diſpenſare poſſit. *ib.*

Diſpoſitiones quibus addiſcenda eſt Theologia. T. I. 4.

Diſputatio de rebus fidei multipliciter inſtitui poteſt; formaliter ad ſe defendendum, aut ad perſuadendum alteri non credenti; materialiter quæ fit inter duos qui idem credunt. T. I. 406. Non licet præcipue laico diſputare de rebus fidei, quia vetitum eſt iure canonico. *ib.* Licitum eſt aliquando diſputare cum Infideli, etiam Hæretico, ſi ſerventur requiſitæ conditiones. *ib.*

Diſtributiones quotidianæ Cathedralium, & Collegiatarum ordinatæ ſunt ab Eccleſia in Tridentino pro præbendatis Choro intereſſentibus. T. II. 19. Has abſentes ſine legitima cauſſa percipere nequeunt. *ib.* Quæ legitimæ cauſſæ excuſantes. v. Horæ Canonicæ.

Divinatio, ſecunda ſpecies ſuperſtitionis, quid. v. Superſtitio.

Diviſio rerum inducta iure Gentium. T. III. 19.

Divortium, ſeu diſſolutio Matrimonii quoad thorum, & habitationem. T. V. 330. Variæ cauſſæ ob quas licite fieri poteſt inter Chriſtianos divortium. 331. Aliæ cauſſæ divortii præter fornicationem. 332. De debito coniugum alterum dimittendi ſi fidem violet Matrimonii per fornicationem. 335.

Docilitas, virtus integrans Prudentiæ, quid. T. II. 304.

Dominium quid; eius definitio, & diviſio in genere. T. III. 10. Dominii proprietatis definitio & diviſio. 11. Subiectum, ideſt quinam capaces ſint dominii. *ib.* Infantes, & amentes capaces ſunt, ut ius habeant dominium. 12. Religioſi in communi ſunt capaces dominii, non in particulari. *ib.* Quid de dominio Epiſcopi aſſumpti ex religioſo ordine. *ib.* Clerici ſæculares ſunt capaces dominii. *ib.* Quale dominium habere poſſunt Filii familias. 13. Quale Uxores & in quibus bonis. 16. De dominio ſervorum ſeu mancipiorum. 18. Dominii obiectum. *ib.* Nullus privatus, nec Princeps dominium habet plenum, & directum quoad vitam, & membra, tum ſui ipſius, tum alterius hominis. *ib.* Homo dominium habet propriæ famæ. 19. Dominium ſuper homines quatuor modis acquiritur; Iure belli, Nativitate, Iuſta condemnatione, Emptione. *ib.* Origo dominiorum. *ib.* Dominium variis modis acquiritur: primo ſcilicet occupatione, ut ferarum. 21. gemmarum, venarum auri, & argenti &c. 25. Secundo per inventionem. 27. & *ſeq.* Tertio uſucapione, ſeu præſcriptione. 33. Quarto iure Gentium per alluvionem, ſpecificationem, acceſſionem &c. 48. & *ſeq.* Species aliæ acquirendi dominii ſunt uſus, uſufructus, habitatio &c. 51. & *ſeq.*

Dona Spiritus Sancti quid. T. II. 317. Eorum differentia ab habitibus virtutum. *ib.* Eorum diſtinctio a virtutibus. 318. Dona Spiritus Sancti ſunt ſeptem: Sapientia, Intellectus &c. *ib.* Quomodo virtutibus correſpondeant. 319. Diſtinguuntur a fructibus, & a beatitudinibus. 320. Fructus ſunt duodecim; nempe Charitas, Gaudium &c. *ib* Beatitudines ſunt octo, ut Matthæi. v. 321. Quomodo conveniant cuilibet dono. *ib.*

Donatio quid. T. III. 274. Eius definitio. *ib.* Donationis diviſio. *ib.* Conditiones requiſitæ ad donationem. 275. Inter alias conditiones eſt illa ex parte donantis, ut poteſtas ſeu facultas habeat donandi, qua carent filii familias, Religioſi, & alii. *ib.* Invalida eſt donatio inter coniuges in vita. 276. Dantur tamen caſus aliqui in quibus donatio inter Coniuges in vita eſt valida. 277. Quid de arrhis quæ dantur inter Sponſos ante Matrimonium. 278. Pater donare nequit filio non emancipato. *ib.* Valide quidem donat Mater filio non emancipato.



Digitized by Google

pato. 279. Donatio bonorum omnium inter vivos invalida eſt. 280. Solemnitates requiſitæ ad validitatem donationis. *ib.* Quid inſinuatio. *ib.* Quando valida donatio ſine ſolemnitatibus. 281. Donatio etiam ſolum verbalis acceptata obligat. *ib.* Quæ donationes invalidæ. *ib.* Revocabilitas donationis acceptatæ. *ib.* De irritatione donationis factæ ad certum finem. 282. De irritatione donationis gratuitæ ob errorem, & dolum circa cauſſam finalem. 283.

Dubia de fama, ſeu honore proximi quid. T. III. 288. Quando temeraria. 290.

Dubium ideſt conſcientia dubia quid, & quotuplex. T. I. 112.

Dubium ſuperveniens Emptori bonæ fidei, num res quam emit ſit furata, obligat eum ad diligenter veritatem inquirendam. T. III. 76.

Dubius in fide quando hæreſim incurrat. Dupliciter mens de re aliqua dubitare poteſt poſitive, & negative. T. I. 403.

Ducum militiæ obligationes T. II. 380.

Duliæ cultus cui reddendus. T. II. 27.

E

EBrietas v. Gula.

Eccleſia quando polluta. T. IV. 295.

Eccleſia quid hoc nomen importet. v. Fides.

Eccleſiæ Baptiſmales olim quæ? T. IV. 134.

Eccleſiæ violatio. v. Violatio Eccleſiæ.

Electio canonica Superiorum Regularium: T. VI. 385. Quid electio generatim ſumpta. *ib.* Forma electionis triplex; Scrutinii, Compromiſſi, & Inſpirationis. *ib.* Electio per ſortes eſt nulla. *ib.* Quæ ſit electio per ſcrutinium. *ib.* Quid electio per compromiſſum. Quid electio per inſpirationem. 386. Electio fieri poteſt etiam per calculos. *ib.* Conditiones electionis ad Regularium prælaturas requiſitæ a ſacris canonibus. *ib.* Ante electionem omnes vocales coniuncti tractare poſſunt ſupra qualitates eligendorum, non in cameris inter aliquos amicos ex potentioribus Ordinis. *ib.* Poſſunt tamen fieri tractatus inter ſaniores quando periculum ſit, ut in examinandis qualitatibus eligendorum fama alicuius lædatur. 387. Quare talis diſcuſſio ſemper fieri nequit inter omnes in Capitulo congregatos. *ib.* Ommiſſa tali conſultatione electio erit caſualis. *ib.* Hinc electio non debet eſſe arctata, nec directe, nec indirecte ad certum numerum perſonarum, & multo minus ad unum. *ib.* Idcirco libera eſſe debet ſuffragiorum collatio, alias irrita, ac nulla eſt electio. *ib.* Tollitur libertas etiam per ſubornationem factam electoribus. *ib.* Quis dicatur ſubornator. *ib.* Quid de Præſide terrente vocales ſibi contrarios. *ib.* Subornatio irritat electionem. *ib.* Pœnæ ſubornantium. *ib.* Digniores ſunt eligendi. *ib.* Qui ſint digniores. *ib.* Quid de electione digni prætermiſſo digniori.

Electio, & ordinatio ſacrorum Miniſtrorum non pendet ab electione laica. T. V. 228.

Eleemoſyna quid hoc nomen importet. T. I. 445. De præcepto eleemoſynæ. *ib.* Quando & in quibus circumſtantiis hoc præceptum obliget. 446. De modo ſatisfaciendi huic præcepto per mutuum, venditionem, alterumve oneroſum contractum. 449. De quibus bonis facienda ſit eleemoſyna. *ib.* Quibus elargienda ſit eleemoſyna. 452.

De quæſtoribus eleemoſynarum, & de Religioſis mendicantibus. T. I. 452.

Emphyteuſis a quo hoc nomen. Emphyteuſis definitio. T. III. 248. Ipſius diviſio. 249. Quid, quando in emphyteuſi laicali nulla facta ſit temporis expreſſio. *ib.* Quid emphyteuſis Eccleſiaſtica, quæ dari conſuevit in emphyteuſim elapſo tempore vel deficientibus ſucceſſoribus legitimis. *ib.* Emphyteuta eſſe poteſt, quicumque poteſt contrahere. *ib.* Emphyteuta libere uti poteſt & frui re emphyteutica, & ei competit actio contra quemcumque. 250. Finita Emphyteuſi repetere poteſt melioramenta etiam non conventa. *ib.* Poteſt rem emphyteuticam melioratam donare, &c. extraneo. Obligationes emphyteutæ. *ib.*

Emptio. T. III. 167. Origo emptionis. *ib.* Quid emptio definitione explicatur. *ib.* Obligationes emptoris. 168. De iis, qui poſſunt emere. v. Venditio. De emptione crediti, aut chirographi, & annui cenſus minori pretio. 195.

Enſalmi. v. Superſtitio.

Epikeia ſeu interpretatio quid. T. I. 219. Triplex, authentica, uſualis, doctrinalis. *ib.* Regulæ pro interpretatione doctrinali.

Epiſcopatus ordo: Vocabulum Epiſcopus a quo deductum. T. V. 220. Definitio Epiſcopatus. 221 Epiſcopi duplex poteſtas, Ordinis, & Iuriſdictionis. *ib.* Error Novatorum de confuſione Epiſcopatus cum Presbyteratu. *ib.* Differentia Epiſcopatus a Presbyteratu. Epiſcopi poteſtas. 222. De Epiſcopi iuriſdictione, & iure quo eam habent ſuper Clerum, & populum. 225. Epiſcopatus eſt ordo, ac proinde Sacramentum novæ legis. 226. Miniſter Ordinis Epiſcopatus. 227.

Ma-

Materia, & forma Ordinis Epiſcoparus. 229. Epiſcoporum electio, confirmatio, & ordinatio. 230. Epiſcopi officia: Epiſcopatus diverſi gradus, nempe Patriarchæ, Primatis &c. 233. Primates & Metropolitani qui. 234. Inſtitutio Primatum. *ib.* Iura Primatum. 235.

Epiſcopis, & Parochis eſt ius baptizandi ſolemniter, ut miniſtri ordinarii. T. IV. 104. Epiſcopus ſolus miniſter Ordinarius Confirmationis. 152.

Epiſcoporum obligationes. T. II. 383.

Eſculenta, & poculenta furando famuli ad proprium uſum num peccent. T. III. 381.

Evictio quid? T. III. 186.

Euchariſtiæ nomen, & natura. T. IV. 165. Quid nomine Eulogiarum. 166. Euchariſtia plura habet nomina. *ib.* Quid nomine Agapæ. 167. Triplex communionis ſpecies invenitur apud veteres. *ib.* Viaticum dicitur Euchariſtia ab eius effectibus. *ib.* Figuræ in Scripturis variæ huius Sacramenti. 168. Tria in Euchariſtia conſideranda, Sacramentum, res Sacramenti & ſimul Sacramentum, & res tantum ſeu effectus Sacramenti. *ib.* In Euchariſtia, in quo ratio Sacramenti conſiſtat. 169. Dupliciter Euchariſtia ſpectari poteſt, in fieri, & facto eſſe. 170. Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in re permanenti. 171. Error Novatorum. *ib.* Materia Sacramenti Euchariſtiæ remota, panis nempe, & vinum. 172. Quid materia proxima huius Sacramenti. 173. De qualitate panis, & vini in Euchariſtia, ac de eius quantitate, ac præſentia. 174 *& ſeq.* De modo agendi in conſecratione. 176. De qualitate panis conſecrandi, nempe quod non ſit corruptus &c. 177. Diligentia priorum temporum in præparando pane pro ſacra Euchariſtia. *ib.* Num ſacra Euchariſtia conficienda ſit in azimo, aut fermentato. 178. Uſus azimi vetuſtiſſimus in Eccleſia. 179. De vino altera materia in Euchariſtiæ confectione adhibenda, nempe quale eſſe debeat, & num alter liquor in eius defectu ſubrogari queat. 180. Quid de Muſto recenter expreſſo. 181. Modica aqua vino miſcenda in calicis conſecratione. *ib.* Num aqua in vinum convertatur ante conſecrationem. 182. Valida ſed illicita eſt unius ſpeciei conſecratio ſine altera *ib.* Forma ſeu verba conſecrationis Euchariſtiæ. 183. Errores circa Etherodoxorum cum Catholicis controverſiam, circa verba conſecrationis Euchariſtiæ, num ſcilicet ſint quæ communiter forma creduntur, *Hoc eſt corpus meum,* aut alia. 184. Quid ſi pronomen hoc in aliud mutaretur. 185. De vera ac reali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia. 186. Errores Etherodoxorum. *ib.* Sententia catholica. 187. De modo, & actione quo Chriſtus præſens ſit in Euchariſtia, num per impanationem, conſubſtantiationem, aut tranſubſtantiationem. 188. *& ſeq.* De quantiate corporis Chriſti in Euchariſtia. 190. Quæ ſint in Euchariſtia vi verborum: Quid per concomitantiam. 191. De communione ideſt natura ſpecierum ſacramentalium Corporis, & Sanguinis Chriſti. 192. De iis quæ ſubſequuntur ex converſione panis, & vini in Chriſti Corpus & Sanguinem. 193. S. Euchariſtia cultu latriæ adoranda. *ib.* Mos perpetuus in Eccleſia ſervandi S. Euchariſtiam pro infirmis. 194. Effectus S. Euchariſtiæ. 195. Gratiam auget. *ib.* Spiritum nutrit, aliaque confert beneficia. 196. Sumens S. Euchariſtiam ex opere operantis poteſt aliis prodeſſe. 197. Quid de corporis ſanctificatione per S. Euchariſtiam. *ib.* Quando ſuos effectus producat S. Euchariſtia. *ib.* Qui obices fructum Euchariſtiæ impediant. 198. Miniſter S. Euchariſtiæ qui. 199. Errores Etherodoxorum circa talem miniſtrum. *ib.* Diaconus miniſter eſt extraordinarius ad diſpenſationem S. Euchariſtiæ. 200. Quid de ſimplici Sacerdote quoad miniſtrationem Euchariſtiæ. 201. Quoties Parochus ſuo gregi Euchariſtiam miniſtrare debeat. *ib.* Subiectum Euchariſtiæ. 202. Tres modi ſumendi Euchariſtiam, nempe Sacramentaliter &c. *ib.* Quando Euchariſtia deneganda peccatoribus. 203. Mos olim miniſtrandi Euchariſtiam pueris. 204. Quid de Energumenis, ſurdis, & mutis a nativitate, num ſint capaces Euchariſtiæ 205. Num adminiſtranda mortis ſupplicio damnatis. 206. Num ſceleſtibus hominibus, qui tempore mortis ſe pœnitentes præſeferunt. *ib.* Mos fuit aliquando dandi Euchariſtiam mortuis, ut cum ipſa ſepellirentur. 207. De neceſſitate communioni Euchariſticæ v. Communio. De Euchariſtia prout Sacrificium v. Sacrificium.

Eulogiæ quid? T. IV. 319. Quando diſtribuebantur. *ib.* Quid eorum loco die ieiunii. *ib.*

Eutropelia virtus ſubiecta Temperantiæ. T. II. 314.

Examen præmittendum approbationi ad confeſſiones recipiendas. v. Approbatio; & ad ordines ſuſcipiendos. v. Ordo. Ius novi Epiſcopi vocandi ad examen Confeſſarios tam Sæculares, quam Regulares. T. V. 107.

Excommunicationis vocabulum quid antiquitus? T. vi. 104. Quid excommunicatio ſecundum præſentem diſciplinam. 105. Qua poteſtate inducta ſit hæc cenſura. ib. De differentia excommunicationis & anathemæ. ib. Tribus bonorum generibus privat excommunicatio. 106. Diviſio excommunicationis in maiorem, & minorem. ib. Quid excommunicatio minor, & quomodo hæc contrahitur. ib. Excommunicatio ſimpliciter lata, ſive a iure ſive ab homine, ſemper intelligitur de maiori. ib. Dividitur 2. Excommunicatio in excommunicationem latæ ſententiæ, & ferendæ: quid utraque. ib. Dividitur 3. in excommunicationem a iure, & ab homine: quid utraque. 107. Dividitur 4. in excommunicationem reſervatam, & non reſervatam: utraque quid. ib. Qui excommunicati vitandi, qui non vitandi. ib. De cauſſis, & ſubiecto excommunicationis. 108. Peccata propter quæ ferenda eſt excommunicatio. ib. Effectus excommunicationis. 109. Excommunicatio contra Clericorum percuſſores dicitur Canonis, & quare. 120. Qui veniant nomine Clericorum ut hoc privilegio gaudeant. ib. Cauſe excuſſantes ab excommunicatione incurrenda. 122. Clerici percuſſio duplex, gravis, & levis: quæ utraque. 123. Gravis eſt Papæ reſervata, altera Epiſcopo. ib. Prælati vero Religionum poſſunt abſolvere ſuos ſubditos ſi ad invicem ſe percuſſerint, ſecus vero ſi Religioſus Clericum ſæcularem percutiat, tunc enim abſolvi debet ab Epiſcopo. ib. Novitii pariter abſolvi poſſunt a Superiore Monaſterii Novitiatus cum onere ſi egrediantur ante profeſſionem reincidendi in eamdem ſententiam. ib. Alii caſus recenſentur in quibus excommunicatio Papæ reſervata abſolvi poteſt ab Epiſcopo. ib. De excommunicatione quæ incurritur ex monitione ad finem revelationis. 124. De excommunicatione minori. 126. Quibus hæc privet. ib. & ſeq.

Executor Teſtamenti, vulgo *Commiſſario* qui. T. iii. 311. Alii legitimi, alii illegitimi. Legitimi qui. ib.

Exemptiones Regularium ab Ordinariis. T. vi. 397.

Exhæredatio. T. iii. 303. Teſtator ex iuſta cauſſa exhæredare poteſt hæredes neceſſarios. ib. Exhæredationis iuſtæ cauſſæ. ib.

Expenſæ quæ compenſandæ in caſu reſtitutionis cum re etiam eiuſdem fructus T. iii. 74. Tria expenſarum genera. ib.

Expulſio Religioſorum incorrigibilium. T. vi. 276. Limitem poſuit huic expulſioni cum ſua Decretali Gregorius IX. ib. Annuatim tamen eiecti iuxta cit. Decretalem inquirendi ſunt. ib. Decretum Sac. Congregat. circa Expulſos, & Apoſtatas, quo ſtatuitur nullum Religioſum profeſſum, niſi vere incorrigibilis ſit, eiciendum. ib. Moderna diſciplina non ita facile admittit expulſionem. 276. Expulſus rediens ad Religionem non tenetur innovare Novitiatum. 277. Expulſus non eximitur a voto Caſtitatis profeſſæ, nec ei in tali ſtatu ullum competere poteſt dominium. ib. Hinc res quas habet ad uſum, donare nequit, nec per teſtamentum diſponere: unde ſolam habet liberam adminiſtrationem. ib. Expulſi non tenentur ad alia vota præter tria, & Regulas ad obtinendam perfectionem. ib. Expulſus tenetur depravatos mores corrigere, ut per ſe ipſum non ſtet, ut denuo ad Religionem admittatur, & ſi aliter ſe gerat, eſt in mala fide. ib. Tenetur redire ad Religionem quandocumque ei placuerit, ut admittatur. ib.

Extremæ Unctionis Sacramenti natura. T. v. 151. Exiſtentia, ac veritas huius Sacramenti. 152. De Auctore immediato, & de tempore inſtitutionis huius Sacramenti. 154. Materia remota huius Sacramenti. 156. Neceſſitas benedictionis olei infirmorum. ib. Materia proxima Extremæ Unctionis. 158. Partes infirmi inungendæ. ib. Forma Sacramenti Extremæ Unctionis. 159. Miniſter Extremæ Unctionis. 160. Quis Sacerdos miniſtrare poſſit hoc Sacramentum. 162. Quot Miniſtri requirantur ad Sacramentum hoc miniſtrandum. ib. De iis quibus Sacramentum hoc miniſtrandum. 163. Extremæ Unctionis Sacramentum quibus infirmis miniſtrandum. 164. Errores Novatorum. ib. Diſpoſitiones ad digne Sacramentum hoc ſuſcipiendum. 165. De iteratione huius Sacramenti. 166. Effectus huius Sacramenti. 167. Neceſſitas huius Sacramenti. 169. Cæremoniæ ſeu ritus adminiſtrandi hoc Sacramentum. 170.

Exultatio in rebus proximo adverſis; Invidiæ filia. v. Invidia.

F

Falcidia lex quæ. T. iii. 291. eius differentia a Trebellianica. 302.

Falſum teſtimonium: quid hoc nomine intelligunt Doctores prohiberi in octavo Decalogi præcepto. T. iii. 385.

Fama ſi læſa ſit proximo, læſor tenetur ad reſtitutionem. T. iii. 130.

Faſcinatio v. Superſtitio.

Feſta obſervanda. T. iii. 413. Dierum feſtorum inſtitutio. ib. Dies feſti Legis Moſay-

ſaycæ. 414. De feſtivitatibus præcipuis quæ in Eccleſia catholica obſervantur. 415. Dies Dominicus obſervatur loco Sabbati. *ib.* In quibus ſe exercebant primitivi fideles die Dominico. *ib.* In quatuor partes annum divìdit Eccleſia. *ib.* De Adventu. v. Adventus. De feſtivitate Natalis Domini. 416. Quando olim celebrabatur a Græcis hæc ſolemnitas. *ib.* De trium Miſſarum celebratione hac die. *ib.* In aliis etiam ſolemnitatibus plures Miſſæ celebrabantur. *ib.* De Feſto Circumciſionis Domini quando inſtitutum ſit. 417. Feſtum Epiphaniæ Domini creditur inſtitutum ab Apoſtolis. *ib.* Quot myſteria hac die colantur. *ib.* Septuageſimæ &c. celebratio antecedenter ad Quadrageſimam, quæ Paſchatem præcedit. *ib.* v. Septuageſima. Quadrageſimam obſervat Eccleſia quæ Paſchatem præcedit. *ib.* Quid de hac obſervantia. v. Quadrageſima. Solemnitas Paſchatis initium habuit a primordiis Eccleſiæ. 418. Olim celebrabatur per totam Octavam. *ib.* Paſchatis celebratio inſtituta eſt a Concilio I. Nicæno die Dominico poſt Lunam 14. Martii. *ib.* De Solemnitatibus Litaniarum, quæ celebrantur tempore paſchali a quibus inſtitutæ. *ib.* Aliæ dicuntur Litaniæ maiores, & aliæ minores. *ib.* De Feſto Aſcenſionis Domini a quo inſtitutum. 419. Pentecoſtes ſolemnitas præcipua inter ſolemnitates. *ib.* Feſtum Pentecoſtes inſtitutum ab Apoſtolis. *ib.* Sequentia quæ recitatur in Miſſa non eſt ita antiqua, ſicuti illa quæ recitatur in Paſchate. *ib.* De ſolemnitate SS. Trinitatis in Eccleſia Romana non multum antiqua. 420. Feſtum Corporis Chriſti, quod celebrabatur ab aliqua Eccleſia anno 1246. extenſum fuit ab Urbano IV. ad Eccleſiam univerſalem. 420. Quare quinque ſolemnitates, Paſchatis &c. dicantur mobiles. *ib.* De Feſtis in honorem Deiparæ Virginis quando inſtituta. *ib.*, *& ſeq.* De Feſtis Sanctorum. 422. De ſolemnitate omnium Sanctorum. 423. De Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum. *ib.* De Feſto dedicationis Eccleſiæ. *ib.* De iis qui feſta inſtituere poſſunt. *ib.* De Feſtorum obſervantia. 425. Quomodo feſti dies ſanctificantur. *ib.* Opera noſtra alia corporalia, alia mentis. *ib.* Non opera omnia interdicuntur diebus feſtis. *ib.* Quid de venatione, piſcatione die feſto. *ib.* Exercitationes militares vetitæ die feſto. 426. Quæ opera non ſervilia vetita die feſto. *ib.* Opera ſervilia die feſto vetita. *ib.* Quæ Forenſibus licita die feſto. 427. De his, qui frequentant die feſto ſaltationes, choreas &c. *ib.* Quid de Superioribus non impedientibus contraria diei feſto. *ib.* Quæ itineratio vetita die feſto. *ib.* Cauſſæ excuſantes opera Servilia, Forenſia, Mercatoria fieri in feſto. 428. Neceſſitas quando excuſet a Feſtorum obſervantia. *ib.* Quæ conſuetudo tolerata circa ſervilia die feſto. 429. Excuſat diſpenſatio Superioris. *ib.* De violatione, quæ fieri poſſit die feſto per mortalia peccata. 430. De Miſſa audienda diebus feſtis. v. Miſſa.

Feudum. T. III. 257. De feudi origine. *ib.* Feudi definitio. *ib.* In quo differt ab Emphiteuſi. *ib.* Feudi diviſiones variæ.

Fidei commiſſum a quo dicitur. T. III. 301. Definitio Fidei commiſſi. *ib.* Fidei commiſſi a quo origo. *ib.* Diviſio Fidei commiſſi. *ib.* Fidei commiſſum vendi, & hipothecari nequit regulariter loquendo. 309. Cum Fidei commiſſaria hæreditate transferuntur omnia iura. *ib.*

Fidei variæ acceptiones. T. I. 353. Fidei definitio. 354. Objectum formale fidei quod. *ib.* Diſcretio fidei ab opinione, æſtimatione, & ſcientia. *ib.* Controvertitur cum Novatoribus ad quem pertineat publica Fidei propoſitio. 355. Fides ſive formata, ſive informis una eſt ſpecie. 356. Fides Theologica non invenitur in Hæreticis, in Beatis, neque in damnatis. *ib.* Principia ſeu fundamenta quibus fides innititur, quæ ſunt verbum Dei. 357. De libris ſacris in quibus verbum Dei continetur. 358. Diviſio librorum ſacrorum in Legales, Hiſtoricos &c. *ib.* De verſionibus divinæ Scripturæ, *ib.* De interpretatione Sacræ Scripturæ. 360. De variis Scripturæ ſenſibus. 361. De Traditione. 362. Eccleſia, Fidei alterum fundamentum. 363. Quid nomine Eccleſiæ. *ib.* Eccleſiæ infallibilitas. 364. Notæ veræ Eccleſiæ. 365. Concilia, alterum Fidei fundamentum. 368. Quid nomen Concilii. *ib.* Conciliorum origo. *ib.* Conciliorum quatuor genera; nempe Generalium, Nationalium, Provincialium, Diœceſanorum. 369. Singula explicantur. *ib.* Cauſſæ ob quas Concilia celebrantur. *ib.* Cuius ſit Concilia congregare illiſque præeſſe. *ib.* De Conciliis habitis tempore Apoſtolorum. 370. Concilia Generalia habita poſt ætatem Apoſtolorum recenſentur. *ib.*, *& ſeq.* De deficientia ſalutis extra veram Eccleſiam. 374. De reſolutione totius fidei, & de evidentia motivorum credibilitatis. *ib.* Fides a tempore Apoſtolorum non crevit quoad ſubſtantiam. 377. Diviſio Fidei. *ib.* Neceſſitas fidei ad ſalutem. 378. De interno actu fidei. 379. De neceſſitate actus interni Fidei explicitæ ad ſalutem. 381. Quæ credenda neceſſitate medii. *ib.*,

quæ neceſſitate præcepti. 383. Quando fideles teneantur elicere actum internum Fidei. 385. Symbolum quid ſignificet. *ib.* Tria Symbola Fidei præcipua; Apoſtolicum, Conſtantinopolitanum, Nicænum. 387. Aliud recenſetur ſub nomine S. Athanaſii. *ib.* De externa fidei profeſſione. 389. quando obliget. *ib.* Num licita Fidei diſſimulatio. 391. De fuga capta a Chriſtiano tempore perſecutionis num licita. 393. De præcepto Eccleſiaſtico externæ profeſſionis Fidei. *ib.* De vitiis Fidei oppoſitis. 395. Vitia illa recenſentur, nempe Infidelitas, quæ aliorum genos eſt. *ib.* Species infidelitatis ſunt Paganiſmus, Idololatria, Mahumetiſmus, Atheiſmus, Iudaiſmus, Hæreſis, & Apoſtaſia. *ib.* Num liceat cogere Infideles ad fidem. 407.

Fides non neceſſaria in Miniſtro Sacramenti. T. IV. 46.

Fideiuſſio quid. T. III. 263. Eius definitio. *ib.* Variæ Fideiuſſionis conditiones. *ib.* Præcipua Fideiuſſoris iura. *ib.*

Filii ſub patria poteſtate quoad dominiom. Filii familias legitimi qui intelligantur. T. III. 143. Filii familias quando ex contractu ſint obligationi obnoxii, quando non. *ib.*

Filii ſurripientes bona Patris num peccent & teneantur ad reſtitutionem. T. III. 234. & 337.

Filiorum erga parentes obligationes. T. II. 382.

Filiorum illegitimorum diviſio. Alii naturales; alii ſpurii. Spurii alii ex damnato concubitu, alii non ex damnato concubitu. Quando illegitimi ſuccedant parentibus ab inteſtato, vel ex teſtamento. T. III. 305.

Finis Matrimonii procreatio prolis. T. V. 339.

Finis ut circumſtantia externa actuum humanorum. T. I. 60. Varia finis acceptio, ideſt proprie, & improprie. *ib.* Duplex modus quo finis proprie dictus accipi poteſt. 61. Finis definitio. 62. Finis eſt prima omnium cauſſa. *ib.* Effectus finis. 63. *& ſeq.* Finis diviſio. 66. Qui agant propter finem. *ib.* Diverſi modi quibus ſpectari poteſt finis ultimus. 70. Propoſitum de ordinandis actibus omnibus in ultimum finem. *ib.* Finis ultimus qui. 71.

Fœnus. v. Uſura.

Fontes, ſeu loca Ethicæ Chriſtianæ. T. I. 2. Quid eorum nomine intelligatur. *ib.* Numerus eorum. *ib.* Hæc loca alia interna, alia externa. *ib.* Interna quæ. *ib.* Quæ externa. *ib.* Locus internus duplex, neceſſarius, & non neceſſarius; locus internus neceſſarius triplex; Locus internus non neceſſarius quadruplex. *ib.* Primus locus Divina Scriptura; quid hæc ſit, & quotuplex eius ſenſus. 3. Eius diviſio in vetus & novum Teſtamentum. *ib.* Qui, & quot libri utriuſque; quomodo ipſa utendum in caſuum moralium reſolutionibus. 6. Secundus locus divina Traditio. 7. Quid Traditio, & quotuplex. *ib.* Tertius locus Concilia. Quid Concilium, & quotuplex. 8. Canones Conciliorum reducuntur ad fidem, mores, & diſciplinam. 9. Quartus locus iudicium Summorum Pontificum. 11. Quintus locus iudicium Conciliorum particularium. 12. Sextus Epiſcoporum iudicium. 13. Septimus Patrum auctoritas. *ib.* Octavus auctoritas Theologorum. 14. Nonus naturalis ratio. 15. Modi, ſeu regulæ utendi hiſce principiis. 16.

Fontium benedicendorum pro Baptiſmo miraculoſa impletio. T. IV. 254.

Formæ Sacramentorum num a Chriſto Domino inſtitutæ ſint. v. Sacramentum. Earum diviſio. *ib.* Earum mutatio. v. *ib.* & materia. *ib.*

Fornicatio a quo dicitur. T. I. 321. Fornicationis definitio ipſiuſque diviſio. *ib.* Fornicatio vetita iure divino & naturali. *ib.* De fornicatione inter diſpenſatos, & cum infideli. 322. Quid de Viduæ fornicatione. 323. Fornicatio quando poſſit eſſe ſine peccato. *ib.*

Fortitudo virtus quid. T. II. 305. Ipſius obiectum. 306. ipſius ſubiectum. *ib.* Fortitudinis diviſio in domeſticam, & bellicam. *ib.* Duos habet actus, aggredi, & ſuſtinere. *ib.* Vitia Fortitudini oppoſita per exceſſum, & defectum. *ib.* Virtutes fortitudini adnexæ, & ſunt veluti eius partes ſeu potentiales. *ib.* Vitia quæ ipſis opponuntur per exceſſum, & defectum. *ib. & ſeq.* Gravius eſt recedere a virtute per defectum quam per exceſſum. 307.

Fortunæ luſus. v. Luſus.

Fratrum, & ſororum mutuæ obligationes. T. III. 337. Hæ tamen intelliguntur de fratribus & ſororibus ex eodem Patre, & Matre genitis. *ib.* Vel etiam ex eodem Patre. *ib.* Circa Uterinos, ideſt genitos ex eadem Matre, hi quoque in alterius defectu tenentur ad eadem officia invicem præſtanda. *ib.* Quid de Clerico Beneficiato erga ſororem pauperem. *ib.*

Fructuum triplex genus. Naturales, induſtriales, mixti. T. III. 72. Item alii percipiendi & pendentes, alii percepti. Percepti alii conſumpti, & non amplius extantes, alii non conſumpti, & extantes. *ib.*

Fruitio finis quid. T. I. 65.



Digitized by Google

Funerum de exactiones factæ a Clericis apud hæredes Defunctorum vetitæ in utroque iure. T. III. 501. Proviſio circa rem hanc Imperatorum Conſtantinop. *ibidem*. Tales exactiones ſemper habitæ fuere ut Simoniacæ: oblationes vero dari poſſunt, & a Clericis accipi in funeribus. 502. Quæ ſint oblationes in funeribus: ſicuti vetitum fuit Clericis ne occaſione funeris, alteriuſve huiuſmodi operis paciſcantur cum laicis; ita quoque inculcatum fuit laicis, ne pias conſuetudines prætermittant. *ib.* Funerales ritus ſepulturæ, & exequiarum. 508. Gentiles quoque exercuerunt hæc officia pietatis. *ib.* De more deferendi cadavera Defunctorum expoſita. *ib.* Mos olim fuit ponendi Euchariſtiam ſupra pectus Defuncti 509. Sæviente perſecutione noctu deferebantur corpora Defunctorum ad ſepulchrum. Ceſſante perſecutione mos invaluit eos deferendi clara die. *ib.* Pſalmi & Hymni olim decantati in funeribus. *ib* Planctu immoderato utebantur Gentiles in funeribus. *ib.* Vertit Eccleſia in ſigna lætitiæ Gentilium planctus. *ib.* Clericis præſertim prohibuit immoderatum luctum in morte ſuorum parentum. *ib.* Sicuti etiam fere veſtes lugubres. 510. Officium pro Defunctis recitabatur etiam nocturno tempore; unde ortæ vigiliæ. *ib.* Hodiernum Defunctorum officium correſpondet his vigiliis. *ib.* Quando Officium Defunctorum compoſitum ſit incertum eſt. Mos celebrandi Miſſam pro Defunctis eſt perantiquus. *ib.* Ritus antiqui multum cum hodierno conveniunt. *ib.* Quæ hodie fieri ſolent pro Defuncto in die ſuæ Sepulturæ dicuntur exequiæ. 511. De uſu Orationum funebrium. *ib.*

Furtum quid. T. III. 368. Sub nomine furti interdicitur non ſolum furtum, ſed quæcumque rei alienæ contrectatio, & damnificatio. *ib.* Furti nomen a quo derivatum. *ib.* Furti definitio. *ib.* Ad naturam furti debent tria concurrere. 369. Variæ furti ſpecies pro rerum diverſitate, quæ inſciis, & invitis dominis furantur. *ib.* De gravitate peccati furti. 370. Primitiva Eccleſia ſubmittebat fures publicæ pœnitentiæ. 371. Quanta materia requiratur ut furtum ſit mortale. *ib.* De culpa in furtis levioribus. 372. Furta levia, quæ ad notabilem quantitatem aliquando perveniunt. *ib.* Quid de minutis furtis liberorum. 373. De dominio furis in re furata. 374. De occulta rei propriæ acceptione apud alium inventæ. 375. De occulta compenſatione contra Debitorem. *ib.* Neceſſitas, quæ licitum reddit aliena ſurripere. 376. De furtis filiorum familias quid. 377. Non omnia domeſtica reſpectu filiorum ſunt eiuſdem rationis. 378. Ipſi quoque aliquando dominium habent. *ib.* Exponuntur diverſa bonorum genera reſpectu filiorum. *ib.* Quid de filio ſurripiente quod illi opus ſit. 379. Quid de parentibus ſurripientibus bona filiorum. *ib.* Quid circa Uxores ſurripientes de bonis domeſticis. *ib. & ſeq.* Quid de Marito qui dilapidet bona Uxoris, immo & communia. 380. Quid de furtis famulorum, operariorum, artificum, ac de occulta eorum compenſatione. 381. De furtis Religioſorum. 382. De aliis perſonis quæ furtum committunt, ut extorquentes eleemoſynas ſub ſimulata paupertate, non reſtituentes res alienas inventas. *ib.* Rapina quid. v. Rapina.

Gemmæ, Lapilli, Venæ auri, Coralia, aliaque, quæ in promontoriis inveniuntur, iure naturæ ſunt primo occupantis, ſeu inventoris. T. III. 25.

G

GRadus varii Presbyterorum, nempe Vicarii Generalis, & Officialis Epiſcopi, Canonici, Parochi &c. T. V. 213.

Gratia prima num conferri poſſit per Sacramenta vivorum, & ſecunda per Sacramenta mortuorum. T. IV. 59. De gratiæ menſura collatæ in Sacramentis, ideſt num Sacramenta ſemper conferant æqualem gratiam. 64.

Gratitudo virtus adnexa iuſtitiæ. T. II. 315.

Gula. T. I. 318. Gulæ definitio. *ib.* Peccatum gulæ quando mortale. 319. Gulæ diviſio in commeſtionem, & ebrietatem. *ib.* Ebrietas quid. *ib.* Nihil excuſat ab ebrietate. *ib.* Quid ut Ebrietas ſit peccatum mortale. *ib.* Remedia Gulæ. 320.

H

HAbitatio ius eſt habitandi in alienis ædibus ſalva eorum ſubſtantia. T. III. 53. Domus in iure diſtinguitur ab uſu domus. *ib.* Habitatio non multum diſſimilis ab uſufructu. *ib.*

Habitus Religioſi depoſitio ſeu dimiſſio. T. VI. 277. Dimittens habitum ſine Papæ diſpenſatione quam graviter peccet. 278. Habitus, utpote ſignum Ordinis profeſſi graviſſime obligat, ut continuo deferatur. *ib.* Imo in Can. Cap. 2. Ne Cleric. vel Monachi in 6. cap. Vidu. 20. q. 1. hoc onus Religioſis iniungitur. Immo ſi Religioſus temere ideſt ſine iuſta cauſſa habitum ſui Ordinis deponat incurrit in pœnam Excommunicationis ipſo facto, ut ex cap. 2. *Ut periculo-*

*ſa*

*ſa de Religioſis domib. ib.* Gravitas culpæ habitum dimittentis menſuranda eſt non a ſcandalo, ſed a graviſſima transgreſſione legis canonicæ. 279. Res elucidatur, & aliquæ exponuntur circa illam difficultates. *ib. & ſeq.* Occultatio habitus idem eſt ac depoſitio. 280. De circumſtantiis, quæ excuſare poſſunt a cenſura deponentem vel occultantem habitum. 281. Inexcuſabilis depoſitio habitus aſſumendæ cauſſa larvæ. *ib.* Solvuntur obiecta tum exempli Clericorum Sæcularium, tum contrariæ conſuetudinis quæ Canonem abrogare potuerit. 282.

Hæres. Quatuor genera hæredum. Alii neceſſarii, alii naturales &c. T. III. 302. Hæres ab inteſtato. 304. Filii naturales non ſuccedunt patri ab inteſtato. 305. Hæredes ex teſtamento qui. *ib.* Hæres eſſe poteſt quilibet cui iure non prohibetur. 307. Hæreditatis renunciatio, ſeu ceſſio. 312.

Hæreſis quid; & in quo differat ab aliis ſpeciebus infidelitatis. T. I. 399. Hæreſes fuerunt tempore etiam legis naturæ. *ib.* Item tempore legis Moſaycæ nempe in Populo Iſraelitico. 400. Hæreſis tamen ſecundum omnem ſuam rationem, & ampliſſime graſſavit tempore Religionis Chriſtianæ. *ib.* Hæreſis quid importet ſecundum Etymologiam nominis. 401. Hæreſis definitio. *ib.* Quid ad incurrendam hæreſim formaliter. *ib.* Diviſio Hæreſis in materialem, & formalem. 403. Pœnæ latæ contra Hæreticos. 404. Abſolutio ab Hæreſi. 409 Delicta Hæreſis ſuſpecta quæ. 411. Suſpicio quæ, & quotuplex. *ib.* Controvertitur circa frangentes ſigillum Confeſſionis num ſit tale delictum. Beſtialitas, & Sodomia ſunt ſcelera ſuſpecta de hæreſi; Sollicitatio ad turpia in confeſſione Sacramentali, Magia &c. 412.

Hæreticus quis formaliter. T. I. 402. *& ſeq.* De dubio in fide. 403. Hæreticus reſipiſcens quomodo recipiendus. 409. Obligatio denuntiandi Hæreticos. 410. Qui excuſentur a debito denuntiationis. *ib.*

Heri, & famuli mutuæ obligationes; quid nempe utrique reſpectu utriuſque incumbat. T. II. 365.

Hierarchia Eccleſiaſtica. T. V. 270. Hierarchiæ notio. 271. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ definitio. *ib.* Iuriſdictio requiſita ad conſtituendam Hierarchiam. 272. Iuriſdictio duplex; ordinaria, & delegata. *ib.* Actus Hierarchici ſunt purgare, illuminare, perficere. *ib.* Hierarchiæ exiſtentia. 273. Tria Hierarchiam conſtituunt, Sacer Ordo, poteſtas divinitus tradita, chariſmata & actio. *ib.* Hierarchia Eccleſiaſtica tribus conſtat ordinibus, nempe Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris. 274. Num nomine miniſtri Diaconus etiam intelligatur controvertitur inter Doctores. *ib.* Verior ſententia eſt alios ordines Diaconatui inferiores, Subdiaconatus ſcilicet &c. non eſſe ordines Hierarchicos. *ib.* Inter Epiſcopos primum locum tenet in Eccleſiaſtica Hierarchia Romanus Pontifex. *ib.* De divino primatu Romani Pontificis in univerſali Eccleſia. *ib.* Quadruplex principatus Romani Pontificis, videlicet ut eſt Epiſcopus, ut Metropolita unius Provinciæ, ut Patriarcha totius occidentis, ut eſt caput totius Eccleſiæ. 277. Gradus, & locus quem tenent Epiſcopi in Eccleſiaſtica Hierarchia. 278. Num Parochi locum teneant, & gradum in Eccleſiaſtica Hierarchia. 279. De loco Monacorum & Religioſorum in Eccleſiaſtica Hierarchia. 281. De ſcientia, aliiſque chariſmatibus requiſitis in Eccleſiaſtica Hierarchia. 284. De gradu perfectionis quem Hierarcha ſcire tenetur. 286. Quis gradus ſanctitatis requiratur in Hierarcha. *ib.* Actus Hierarchici. 287.

Homicidium quid? T. III. 238. Quid nomine proximi. *ib.* Quomodo proximus diligitur. *ib.* Quid veniat nomine homicidii. 339. Homicidii definitio. *ib.* Homicidium ſtricte eſt graviſſimum crimen *ib.* Homicidii patrandi varii modi. *ib.* Homicidii late ſumpti varia genera. 340. De homicidio ex publica auctoritate. *ib.* Error Vualdenſium circa hoc. *ib.* Iudex non poteſt damnare malefactorem niſi ſervato iuris ordine. 341. De Eccleſiaſticis circa punitionem malefactorum pœna ſanguinis. *ib.* Conditiones ad iuſtitiam Belli, 342. Quid de legibus permittentibus patri, marito occidere filiam, uxorem ſi inveniantur turpiter agentes, & de occiſione proſcriptorum a Republica. 344. De innocentis occiſione. *ib.* Num Iudex poſſit mulctare pœna mortis quem cognoſcit innocentem. 344. De abortu, qui nullo modo directe procurari poteſt. *ib.* Procurans abortum fœti animati eſt vere homicida. 345. De pœnis contra procurantes abortum. 346. Qui incurrant cenſuras in procurando abortu. 347. De homicidio facto privata auctoritate. *ib.* Homicidium ſimpliciter caſuale excuſatur a culpa. *ib.* Homicidii mixti rei. 348. Homicidium aliud ſimplex, aliud qualificatum. *ib.* De occiſione Tyranni privata auctoritate. *ib.* Quis Tyrannus cenſetur. *ib.* De occiſione Principis legitimi facti Tyranni. *ib.* Error Ioannis Hus damnatus a Concil. Conſtant. *ib.* Quid ſi Tyrannus ſit extraneus. 349. De occiſione Concubi-

cubinæ ſacta a fœmina, Principe, aut nobili. *ib.* De ſuicidio. *ib.* De ſuicidio indirecto. 350. Quid de ſunambulis ob periculum vitæ. 352. De illicita ſui mutilatione. *ib.* De agentibus, conſulentibus, permittentibus caſtrationem. 341. De occiſione invaſoris propriæ vitæ, & bonorum. *ib. & ſeq.* Nequit invaſus ſe defendere ab invaſore cum periculo innocentis. 356. De occiſione in defenſionem bonorum fortunæ. *ibidem.* Quid de occiſione invaſoris in defenſionem famæ, honoris, & pudicitiæ. 357. Quid de occiſione Iudicis, Advocati, Accuſatoris, falſi Teſtis iniuſte vitam oppugnantium. 359. Num licitum Satellitibus occidere maleſactorem. 360. Quid de Patribus verberantibus filios, Dominis ſervos, & de alios incarcerantibus. 361. De Duello. 362. Duelli definitio. 363. Duellum a quo initium cœperit. *ib.* Diviſio Duelli. 364. Utrumque vetitum. *ib.* Quid de Duello inito publica auctoritate num intrinſece malum. 365. De pœnis contra duellantes. *ib.* Qui nomine ſpectatorum duelli intelligantur. 366. Qui homicidæ gaudeant Eccleſiaſtica immunitate. *ibid*

Honeſtas, virtus ſubiecta Temperantiæ, quid? T. II. 314.

Honor in quo differat a bona fama. T. III. 392.

Honoraria pro Miſſæ celebratione. v. Miſſa, & Sacrificium.

Horæ Canonicæ, ſeu divinum officium, in quo conſiſtant. T. II. 5. Quare dicantur divinum officium, quare eccleſiaſticum, quare canonicum, quare Breviarium. v. Divinum Officium. Ad horas canonicas olim conveniebant etiam laici. 7. Qui teneantur ad horas canonicas. 8. Regularium obligatio quoad horas canonicas in Choro perſolvendas. *ib* Eorum obligatio quoad recitationem privatam. 9. Horas canonicas ii, qui ad eas tenentur, quotidie recitare debent. *ib.* Quid circa Religioſos profeſſos ante initiationem Subdiaconatus quoad privatam recitationem, & quid quoad Moniales circa eandem. *ib.* Obligatio Beneficiatorum. 10. Num ſi tenue habeant Beneficium, vel fructus Beneficii non percipiant adhuc teneantur. *ib.* Num teneantur Penſionarii, Commendatarii, & Coadiutores. 11. Requiſita ad debitam horarum canonicarum recitationem. *ib.* Clerici beneficiati cuius Diœceſiis officium recitare debeant. *ib.* Quale Director Monialium, & Epiſcopus Regularis. 12. Tempus quo recitandæ ſunt horæ canonicæ. *ib.* Locus. 13. Canonici, aliique huius generis beneficiarii tenentur eas recitare in choro cum aliis, nec ad implendum penſum ſufficit ſola eorum præſentia. *ib.* Et contraria conſuetudo non tenet. 14. Canonici aliique huiuſce generis Beneficiarii ſine iuſta cauſſa abeſſe nequeunt a Choro. *ib.* Ordo ſervandus in recitatione horarum Canonicarum. *ib.* Intentio, & attentio in earum recitatione requiſita. 15. Non ſufficit habitualis ad implendum debitum recitationis, nec ſola externa ad verba, ſed requiritur interna ſaltem virtualis. *ib.* Quid de voluntarie diſtractis per notabilem officii partem, & quid ſi involuntarie quoad repetitionem horæ. 16. Cauſſæ excuſantes a recitatione horarum quæ. 17. Privilegia circa horam quorumdam Regularium. 18. Cauſſæ excuſantes Præbendatum a Choro ut in ſua abſentia lucretur diſtributiones. 20. *& ſeq.* De privilegio trium menſium non interveniendi Choro conceſſo a Trid. 24. Num conſuetudines Eccleſiæ & ſtatuta poſſint excuſare a Choro cum diſtributionum participatione. 25. Pœnæ quibus ſubduntur Canonici Choro non intereſſentes. *ib.*

Hyperduliæ cultus quis, & cui dandus. T. II. 27.

Hypocriſis quid? T. III. 386. Inter mendacia recenſetur. *ib.* Quando gravis culpa. *ib.*

Hypotheca. T. III. 264. Hypotecæ definitio. *ib.* Eius diviſio. *ib.*

Humilitas, virtus ſubiecta temperantiæ, quid. T. II. 313.

## I

IActantia. v. Superbia.

Iactantia quid? T. III. 387. Eſt ſpecies mendacii. *ib.*

Idololatria quid? v. Paganiſmus, ubi etiam hiſtoria de Idololatriæ initio, & progreſſu. T. I. 395. Diviſio Idololatriæ in internam, & mentalem, & externam. 397.

Ieiunium quid ſpecialiter, & ſtricte ſumptum. T. III. 441. Ieiunium eccleſiaſticum eſt actus virtutis. & valde meritorius. *ib.* Præceptum eccleſiaſticum de ieiunio eſt affirmativum, & negativum. *ib.* Ad ieiunium eccleſiaſticum tria requiruntur, abſtinentia ciborum certi generis, plurium refectionum; certa refectionis hora. *ib.* Carnium nomine, quæ interdicantur in ieiunii abſtinentia. 342. Quæ parvitas ſit materiæ circa carnes Coqui, Pincernæ, qui cum ſunt ad curam infirmorum, ex neceſſitate ſervitii guſtare poſſunt tempore ieiunii cibos vetitos. *ib.* Quando

liceat

liceat comedere carnes die ieiunii. 443. Quid de diſpenſatione circa carnes. *ib.* De diſpenſatione ab unica comeſtione. 444. De abſtinentia a lacticiniis. *ib.* De unica refectione. 445. Quid de eo qui in hac comeſtione nimis implet ventrem. *ib.* Unica hæc refectio debet eſſe continuata. *ib.* ubi varii circa hoc reſſolvuntur caſus. Olim unica tantum fiebat comeſtio die Ieiunii. 446. Unde inductus uſus cœnulæ. *ib.* De quantitate, & qualitate ciborum in cœnula. 447. De fractione ieiunii aliquid ſumendo extra comeſtionem, & cœnulam. 448. De hora refectionis ieiunii. 449. De præcipuis Eccleſiæ ieiuniis. 450. De ieiunio Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, & Rogationum. *ib. & ſeq.* De aliis ieiuniis particularium Eccleſiarum, quorum aliqua aut ex præcepto, aut ex conſuetudine facta ſunt univerſalia toti Eccleſiæ. 451. De tempore quo ſola præcipitur abſtinentia a carnibus. 452. De hora qua incipit, & completur ieiunii obligatio. 453. De iis qui ad ieiunium tenentur. 454. Quæ cauſſæ excuſent a ieiunio. *ib.* Quid de gravidis, & lactantibus. *ib.* Quid de coniugatis. *ib.* Quid de pauperibus, pueris ante vigeſimum primum annum, & quid de ſenibus. 456. Quid de Notariis, Scribis, Pictoribus, Lectoribus, ac Cathedraticis. *ib.* Quid de itinerantibus, de Militibus, de his qui ſunt occupati in operibus pietatis. 457. Quid de Prædicatoribus num excuſentur hi omnes, & quando a ieiunio. 458. Quid de ponente impedimenta ieiunio. 459. De diſpenſatione a præcepto ieiunii. *ib.*

Ignorantia, ac Inadvertentia quid? T. I. 38. ex vario capite ſumi poteſt. *ib.* Ignorantiæ diviſio; iuris, & facti; vincibilis, & invincibilis. *ib.* Antecedentis, concomitantis; & conſequentis. 39. Quæ ſit cauſſa actionis, quæ non. *ib. & in ſeq.* Num dari poſſit iuris naturalis. 40.

Immunitas Eccleſiaſtica. T. VI. 139. Quid immunitatis vocabulum *ib.* Immunitatis Eccleſiaſticæ diviſio in realem, perſonalem, & localem. *ib.* Explicatur quid ſingulæ ſint; Immunitas realis, & perſonalis ſecundum multos eſt de iure divino. *ib.* Immunitas localis in duobus conſiſtit; ut actus profani, ac ſæculares in Eccleſiaſticis locis non exerceantur, & ut ad talia loca confugientes iure gaudeant aſyli. 140. Quæ in Eccleſiis, ipſarumque cœmeteriis exerceri nequeant, ut iudicia ſæcularia, contractus &c. *ib.* Eccleſia non convertenda in ſæcularium habitaculum. *ib.* aut uſum ſæcularium; & eo minus fieri poſſunt in Eccleſia, aliiſque ſacris locis ludi theatrales, comœdiæ profanæ cum larvis aliiſve ſimilibus inhoneſtis rebus, quæ ſanctitatem loci maxime dedecent. *ib.* Concil. Trid. ſtatuit ut Epiſcopi removeant ab Eccleſiis Organa, cantuſve laſcivos. *ib.* Immunitas localis prout dicit ius aſyli, ſeu privilegium conceſſum a jure locis ſacris, eſt ut Rei ad illa confugientes tuti ſint, nec inde poſſint per vim aut dolum expelli, aut extrahi, & extracti in vita puniri nequeant; ſiquidem a iure tum Canonico tum Civili hoc ad maiorem reverentiam ſacris locis conceſſum eſt. 141. Immunitas aſyli in Eccleſiis non eſt iuris naturalis, nec divini. *ib.* Quid nomine Eccleſiæ, ac loci ſacri, qui gaudet immunitate. 142. Quæ perſonæ gaudeant immunitate Eccleſiæ ſeu aſyli. 145. Hoc privilegio gaudent fideles omnes quantumvis graviſſimo crimine rei, ſalvo in caſibus a iure expreſſis. *ib.* Num infideles gaudere poſſint iure aſyli in ſacris locis probabilius ſuſtineant quamplurimi DD. quando ſincero corde parati ſint ad converſionem. 146. Quæ crimina non gaudeant immunitate Eccleſiaſtica; ſingula recenſentur. 147. De iis quæ concernunt privilegia circa extractionem, & reſtitutionem confugientium ad loca ſacra, & pœnas violantium ius aſyli. 148. Varia aſylorum privilegia, beneficia, & commoda ad Eccleſiam confugientium. 150. Confugientes ad Eccleſiam recipi debent, nec ullatenus excludi poſſunt; idcirco Regulares ſub pœnis in Gregoriana Bulla contentis non ſolum recuſare nequeunt ad Eccleſias ſuas, & Monaſteria confugientes; immo eis etiam miniſtrare ſi non habeant neceſſaria ad victum; alias idem eſſet ac ſi eos expellerent. *ib.* Confugientes ad loca ſacra, vi, vel dolo extrahi nequeunt, & ſi extrahantur, in loco ſacro reſtituendi ſunt. Alia beneficia explicantur. *ib.* Pœnæ violantium aſylum ſacrorum locorum ſunt graviſſima culpa ſacrilegii, & innodatio excommunicationis maioris indictæ a Gregorio XIV. in ſua Conſtitutione. 152. In caſibus etiam exceptis iudex laicus extrahere nequit reum ſine licentia Epiſcopi. *ib.*

Impanatio. v. Euchariſtia.

Impedimenta Matrimonii. T. V. 374. Duplicis ſunt generis: alia dicuntur dirimentia; alia ſimplicia, & impedientia. *ib.* Impedimenta ſimplicia quæ. 377. Numerus impedimentorum dirimentium. 379. Primum impedimentum quod eſt erroris, qui reducitur ad ſubſtantiam, & qualitatem, nempe ad errorem perſonæ & ipſius qualitatis. 380.

Se-

Secundum impedimentum eſt conditio, ideſt ſtatus liber, aut ſervilis. 381. Duo ſunt genera ſervorum. *ib.* Tertium impedimentum eſt votum ſolemne. 382. Quartum cognatio, quæ triplex eſt, ſpiritualis, legalis, & naturalis. 383. De cognatione legali. 385. De cognatione naturali, ſeu conſanguinitate. 386. Cognatio diſtinguitur per lineas, & gradus. 387. Regulæ pro faciliori graduum computatione. *ib.* Gradus conſanguinitatis, in quibus locum habet impedimentum. 388. *& ſeq.* Quintum impedimentum eſt crimen; quale crimen intelligatur hic. 391. *& ſeq.* Sextum impedimentum eſt diſparitas cultus, ſeu diverſæ Religionis profeſſio. 396. Septimum vis, ſeu coactio. 398. Octavum eſt Ordo Sacer. 400. Nonum eſt ligamen, nempe Matrimonium cum alia iam contractum. 401. Decimum eſt publica honeſtas. 403. Undecimum amentia, vel furor. 404. Duodecimum affinitas. 405. Decimum tertium Clandeſtinitas. 407. Decimum quartum impotentia. 409. Decimum quintum raptus. 411. De diſpenſationibus impedimentorum Matrimonii. 413. Qui poſſunt diſpenſare ſuper impedimenta Matrimonii. 414. Requiſita ad dictam diſpenſationem petendam. 416.

Impedimenta, quæ impediunt aliquem ad Religionem admittere. T. vi. 235. Et præſcindendo a particularibus Ordinum ſtatutis, iure naturæ inhabiles ſunt ſenes, omneſque nimis infirmi, vel viribus deſtituti, ut onus Religioſæ obſervantiæ ferre nequeant, amentes, furioſi, & præcipue ſi tales ſint, ut omnino mente careant. *ib.* Nulla eſt ſi admittantur eorum admiſſio, ita ut ſi ad ſenſum redeant, iterum ſunt admittendi, & Novitiatum inchoare. 236. Ad mentis defectum ſpectat etiam illiteratura, & ignorantia. *ib.* Alii recenſentur qui iure naturæ admitti nequeunt. *ib. & ſeq.* Vitia quoque corporis quædam, admiſſionem ad Religionem alia invalidam, alia illicitam reddunt, & hæc recenſentur. *ib.* Iure pariter naturæ inhabiles ſunt ad Religionem ingrediendam Coniugati poſt Matrimonii conſummationem invita altera parte, ſeu Coniuge. *ib.* Item ſaltem licite debitis gravati. *ib.* Filii ſimiliter illicite, quamvis valide, ſi eorum Parentes indigeant eorumdem ſubſidio. *ib.* Ex iure item poſitivo dantur quædam impedimenta pro admiſſione ad Religionem, & recenſentur. 237.

Impoſitio manuum in Confirmatione. v. Confirmatio.

Impoſitio pœnitentiæ publicæ fieri non debet ex Rituali Romano pro peccatis occultis quamtumvis gravibus. T. v. 67. Non eſt imponenda medicinalis pœnitentia ex qua oriri poſſit ſuſpicio, aut etiam notitia peccati pœnitentis. *ib.*

Inadvertentia quid? T. I. 41.

Inceſtus Luxuriæ peccatum quid? T. I. 326 Graviſſimum eſt peccatum ſuperaddens luxuriæ ſpecialem malitiam, & adeo graviorem quo gradus conſanguinitatis, & affinitatis inter parentes eſt propinquior. 327.

Indifferentia quid? T. I. 45. quotuplex. *ib.* Quæ indifferentia contradictionis. *ib.* Quæ contrarietatis. 47. Actus indifferens datur quidem in ſpecie, non in individuo. 95.

Indigentia proximi, ſeu neceſſitas triplex; extrema, gravis, communis. T. I. 446.

Indulgentiæ nomen a quo deſſumatur. T. vi. 1. Hoc vocabulum uſurpatur pro relaxatione pœnæ temporalis, quæ poſt remiſſionem peccatorum, & pœnæ æternæ luenda remanet extra Sacramentum, per applicationem nempe theſauri Eccleſiæ ab eo, qui ex Chriſti conceſſione facultatem habet tale theſaurum diſpenſandi. Unde quando dicitur in conceſſiune Indulgentiæ concedi per illam remiſſionem peccatorum, intelligitur de pœnis pro peccatis debitis. *ib.* Venit nomine theſauri, bonorum ſpiritualium complexio, quæ eccleſiæ contulit Chriſtus Dominus fidelibus diſpenſanda. *ib.* Diſcutitur 1. num detur in Eccleſia theſaurus conſtans meritis Chriſti, & Sanctorum, & quomodo merita Sanctorum ad theſaurum iſtum concurrant. 2. De poteſtate, & uſu perpetuo concedendi Indulgentias. 3. Ab impugnatione Indulgentiarum cœpit Lutheri deſertio a catholica Eccleſia. De fide eſt dari in Eccleſia poteſtatem a Domino ipſi conceſſam conferendi Indulgentias. *ib.* De iis a quibus conferri poſſunt Indulgentiæ. 4. Pontifex, & Epiſcopi conferendi indulgentias poteſtatem habent. *ib. & ſeq.* Poteſtas conferendi indulgentias delegari poteſt etiam Clericis. 5. Epiſcopi, ut coadiutores nequeunt concedere Indulgentias. *ibidem.* Abbates, aliique Epiſcopi inferiores licet poteſtatem habentes quaſi Epiſcopalem, uti ſunt Superiores Religioſorum ordinum, dare nequeunt iure ordinario Indulgentias. 6. Indulgentiæ concedi poſſunt ſolum baptizatis, ratione utentibus, & temporalium pœnarum debitoribus. *ib.* Concedi poſſunt a Summo Pontifice etiam animabus in Purgatorio degentibus per modum ſuffragii, non vero abſolutionis.

7. Num

7. Num Indulgentiæ proſint his pro quibus in particulari offeruntur, an omnibus in communi defunctis purgatorii, non conveniunt DD. 8. Communis tamen eſt Doctorum, iuxta Bellarminum, tam ſuffragia, quam Indulgentias prodeſſe omnibus Defunctis quoad gaudium accidentale quo Charitas omnia communia facit. *ib.* Quoad ſatiſfactionem tamen, & liberationem a Purgatorio ſuffragia Eccleſiæ communia, communiter particularia pro certis animabus oblata non proſunt niſi illis quibus ex intentione fidelium applicantur. *ib.* Hinc merito docent quamplurimi Theologi Indulgentias recte defunctis conceſſas, & acquiſitas, ſecundum ordinariam Dei providentiam, certo & infallibiliter prodeſſe illis determinatis animabus, quibus ex intentione Summi Pontificis applicantur. 9. Unde non valet dicere Deum non ſemper acceptare Indulgentias pro iis quibus applicantur, ſed pro iis qui ex Sæculo deceſſerunt magis digni hac gratia. *ib.* Nec obeſt huic ſententiæ mos ſæpe offerendi pro eadem anima in eodem Altari privilegiato, ac Indulgentiam plenariam applicari; quia multæ ſunt rationes, quæ inducunt ad ita agendum. *ib.* Conditiones requiſitæ ad acquirendas Indulgentias pro Defunctis. 10. Indulgentiæ conceſſæ pro vivis, nequeunt applicari defunctis. *ib.* De diſpoſitionibus neceſſariis ad acquirendas Indulgentias. 11. Num conſcius nullius peccati mortalis teneatur confiteri ad lucrandam Indulgentiam. *ib.* Irregulares, ſuſpenſi, & interdicti capaces ſunt Indulgentiæ, ſi eos culparum ſuarum pœniteat. 13. Ad fructum Indulgentiæ integre ſuſcipiendum neceſſaria eſt remotio affectus cuiuſvis peccati mortalis, & venialis. 15. De Cauſis Indulgentiarum. *ib.* Cauſſa principalis efficiens eſt Chriſtus Dominus, Miniſterialis Papa, & Epiſcopi. *ib.* De cauſſa formali ad valorem Indulgentiarum. *ib.* De cauſſa finali Indulgentiarum, ſeu de cauſſa motiva ad earum valorem. *ib.* Ultra poteſtatem requiritur etiam rationabilis cauſſa concedendi Indulgentiam. *ib.* Num ſatis ſit quævis cauſſa ad cauſſam iuſtam, & rationabilem. 16. De effectibus Indulgentiarum, qui ſunt remiſſio pœnæ temporalis pro peccatis iam remiſſis quoad culpam & pœnam æternam. 17. De valore Indulgentiarum. 19. De multiplici lucratione Indulgentiæ eodem die ſæpius Eccleſiam viſitando. 20. Indulgentiæ recenter conceſſæ a Benedicto XIII. non poſſunt applicari pro Defunctis. 21. Indulgentiarum diviſio in varias ſpecies, nempe in eas quæ *Vivis* conceduntur, & in eas quæ *Defunctis*; in *temporales*, & *perpetuas*; in *plenarias* & *partiales*. *ib.* Plenariæ in *plenam*, *plenariam*, & *pleniſſimam*. *ib.* Duplicis igitur ſunt generis Indulgentiæ plenariæ. *ib.* De Iubileo. v. Iubileum. Indulgentiæ variæ fidelibus conceſſæ, & de Indulgentiis Baſilicarum urbis. 36. De Indulgentia in articulo mortis. 37. Indulgentiæ Nummiſmatum, Roſariorum &c. benedictorum a Papa. 38. Omnes Chriſtifideles etiam non adſcripti Confraternitati Roſarii, ipſum recitantes lucrantur Indulgentias conceſſas a Benedicto XIII. 39. De Indulgentiis in Feſtis Sanctorum. 40. De Clauſula quæ a Sac. Congregat. apponi ſolet in conceſſione Indulgentiarum, nempe, *nullæ ſunt, quas concedit, ſi aliæ eodem die in eadem Eccleſia ſint conceſſæ*. 41. De Indulgentiis Stationum ſeptem Eccleſiarum urbis, & ſeptem Altarium. 42. Formulæ quibus concedi ſolent Indulgentiæ ſeptem Eccleſiarum Urbis, & pro Feriis ſextis in Quadrageſima. *ib.* De Indulgentia Scalæ Sanctæ. 45. De Indulgentiis in Dedicatione Eccleſiæ. *ib.* De Indulgentiis in Feſto Corporis Chriſti, & per eius octavam. *ib.* De Indulgentia Viæ Crucis. *ib.* De Indulgentia portiunculæ in Eccleſia S Mariæ Angelorum Seraphici Ordinis Aſſiſii. 47. De Indulgentiis conceſſis Ordinibus Regularium. 49. De communicatione Indulgentiarum inter Regulares. 50. De Indulgentiis Confraternitatum. 52. De Altari privilegiato. v. Altare privilegiatum. De Indulgentiis quotidianis pro Peregrinis. 55. Indulgentiæ revocatæ & apocriphæ recenſentur. *ib.* De loco quem habet probabilitas in materia Indulgentiarum. 57.

Infantes, & impubes qui his nominibus intelligantur. T. III. 43.

Infantes in utero Matris num poſſint baptizari? T. IV. 109.

Infantes olim poſt Baptiſmum ſtatim confirmabantur, & communicabantur. T. IV. 139. *& ſeq.*

Inferiorum, & ſuperiorum mutuæ obligationes. T. II. 364.

Infideles tenentur legibus Principum quibus ſubiiciuntur dum comprehenduntur ſub nomine ſubditi. T. I. 198. Tenentur legi naturali, & Evangelicæ. 199.

Infidelis. v. Infidelitas.

Infidelitas quid? T. I. 394. Tripliciter diſtinguitur, in negativam nempe, privativam, & poſitivam. *ib.* Singulæ explicantur. *ib. & ſeq.* Variæ ſpecies Infidelitatis recenſentur, nempe Paganiſmus, Idololatria,

tria, Mahumetiſmus, Hæreſis, & Apoſtaſia. *ib.*

Informatio capienda admittendorum ad Religionem, ac ad Novitiatum ſuper quali tatibus eorumdem, nec alias præcipitanter quis admittendus, ſed præmittenda ſedula perquiſitio. T. vi. 232.

Ingenium Sacerdotale, ſeu ſpiritus Clericalis quid. T. v. 292. Ingenium Sacerdotale abſolute neceſſarium in promovendis ad Sacros Ordines. *ib.* In quo conſiſtat ingenium Sacerdotale. *ib.*

Inimici diligendi. v. Charitas.

Iniuria, ſeu iniuſtitia, quæ idem ſonant, late & ſtricte accipiuntur. T. iii. 55. Quid iniuſtitia, ut habitus. *ib.* Iniuſtitia reſpectu eius cui infertur eſt iniuria, reſpectu inferentis eſt iniuſtitia. *ib* Iniuria, ſeu iniuſtitia fieri nequit volenti & conſentienti. *ib.* Quando iniuſtitia ſit iniuria conſentienti. 56. Obiectum iniuſtitiæ quid? *ib.* Definitio iniuſtitiæ, nempe iuris alterius violatio, & iuſtitiæ opponitur. *ib.* De iniuſtitia contra iuſtitiam diſtributivam quæ fit ex acceptione perſonarum, & de variis modis quibus committitur. *ib.* & *ſeq.*

Inſula de novo nata ad quem eius dominium ſpectet. T. iii. 51.

Intelligentia virtus integrans Prudentiæ quid? T. ii. 304.

Intentio in obiectum bonum requiſita ad bonitatem humanorum actuum quotuplex. T. i. 53. Intentio alia interpretativa, alia habitualis, alia actualis, alia virtualis, & quæ requiratur ad legis obſervantiam. *ib.*

Intentio in Officii Divini recitatione quæ. T. ii. 15.

Intentio Miniſtri in Sacramentis conficiendis quæ, & quotuplex. T. iv. 32. v. Sacramentum.

Intentio ſuſcipientis Sacramenta, requiſita ut valide ſuſcipiat, quæ. T. iv. 55.

Interdictum. T. vi. 130. Quid Interdicti nomen in ſenſu Eccleſiaſtico. *ib.* Putant aliqui cenſuram hanc incognitam fuiſſe ſæculo 15. quæ præceſſit Alexandrum III. *ib.* Natura Interdicti Eccleſiaſtici. *ib.* Diviſio Interdicti in locale, perſonale, & mixtum. *ib.* Locale, & perſonale dividuntur in generale, & particulare. *ib.* Interdicto populo unius Provinciæ, vel Civitatis, interdicti ſunt omnes illius Provinciæ & Civitatis. 131. Sub Interdicto generali Cleri non intelliguntur interdicti Religioſi. *ib.* Interdicta Civitate, vel Diœceſi cenſetur interdicta Eccleſia cathedralis. *ib.* Interdictum locale comprehendit illum quoque, qui illud intulit eiuſque Superiorem, & æqualem, & incurrunt pœnas iuris ſi illud violent celebrando in loco interdicto; ſecus vero ſi Interdictum ſit perſonale. *ib.* Interdicta alia ſunt a iure, alia ab homine. *ib.* De cauſſis Interdicti. 132. Ad Interdictum perſonale requiritur culpa gravis propria; ad locale culpa Principis aut Magiſtratus. 132. Effectus Interdicti tres; privatio celebrationis, & auditionis divinorum officiorum; privatio Sacramentorum, & eccleſiaſticæ ſepulturæ. *ib.* Quid nomine divinorum officiorum. *ib.* De his, quæ fieri poſſunt, & ſunt conceſſa tempore Interdicti. *ib.* Tempore Interdicti vetitum eſt miniſtrare quædam tantum Sacramenta, cum Baptiſmus, Confirmatio, ex iure novo etiam Pœnitentia, nec non Matrimonium conferri poſſint. 133. Quid de Regularibus tempore Interdicti. *ib.* Quid de Clericis tempore Interdicti quoad eccleſiaſticam ſepulturam. *ib.* Pœnæ violantium Interdictum. 134. Epiſcopi ut delegati Sedis Apoſtolicæ ſubiicere poſſunt Interdicto Eccleſias exemptorum, & Regularium, & contra ipſos procedere per Interdictum, aliaſque cenſuras propter inobedientiam & contumaciam in caſibus illis, in quibus datur eis talis facultas. *ib.* De abſolutione, ſeu relaxatione ab Interdicto, quarum pro omni Interdicto non eſt eadem regula. 135.



Interpretatio Legis v. Epikeia.

Interruptio moralis temporis quæ ad diſtinctionem numericam peccatorum requiritur. T. i. 303.

Interſtitia ſervanda in ſacrorum Ordinum ſuſceptione. T. v. 261.

Invidia capitale peccatum quid. T. i. 349. Invidiæ definitio. *ib.* Invidia eſt peccatum ex genere ſuo mortale. Filiæ Invidiæ, nempe ſuſſuratio, detractio, exultatio, triſtitia, & odium. 350. Remedia contra Invidiam. *ib.*

Involuntarium quid, & quotuplex, & de cauſſis involuntarii, quæ ſunt vis, concupiſcentia, metus, & ignorantia. T. i. 30. Iuramenta metu extorta ſunt valida. 36. Peti poteſt eorumdem relaxatio, & reſtitutio eorum quæ vi iuramenti ita extorti tributa ſunt.

Ira unum ex peccatis capitalibus. T. i. 348. Iræ definitio. *ib.* In Ira duæ occurrunt deordinationes conſiderandæ; una ex parte modi; alia ex parte obiecti. *ib.* Filiæ Iræ, Indignatio, Tumor mentis, Clamor, Contumelia, Blaſphemia, Rixæ, Indignatio. *ib.* Remedia Iræ. *ib.*

Ironia ſpecies eſt ſimulationis prout hic

ſumitur, & naturam habet mendacii. T. III. 387.

Irregularitatis nomen quid. T. VI. 153. Irregularitatis definitio. *ib* Irregularitatis diviſio, & ſecundum aliquos. 1. in eam quæ eſt iuris divini, & eccleſiaſtici: 2. in totalem & partialem: 3. in Irregularitatem ex delicto, & ex defectu, & ſingulæ explicantur. 154. Irregularitas ex delicto non contrahitur niſi ex actu externo conſummato. *ib.* Cauſſæ Irregularitatis. *ib.* Cauſſa formalis eſt vel defectus ſine culpa, vel delictum. 155. Irregularitates ex delicto oriuntur ex variis capitibus, ideſt ex Homicidio, iteratione Baptiſmi, ex mala Ordinum ſuſceptione, ex pravo eorumdem uſu, ex Hæreſi, ex cenſurarum violatione. Irregularitas ex defectu contrahitur 1. ex parte natalium illegitimitatis, quæ illegitimitas duplex eſt, naturalis, & canonica. *ib.* 2. ex defectu animi, rationis, ſcientiæ, fidei confirmatæ. 3. ex defectu corporis vitiati ita ut abſolute peragere nequeant miniſteria Ordinis, & ſi aliquo modo poſſunt, non tamen ſine aliorum horrore. *ib.* Quid ſi defectus corporis ſuperveniat poſt ſuſceptos Ordines. *ib.* 4. Ex defectu legitimæ ætatis. 158. 5. Ex defectu libertatis, ut contingit in ſervis. *ib.* 6. Ex deficientia bonæ famæ. 159. Infamia alia eſt iuris, alia facti. *ib.* Irregularitas ex infamia ſine culpa, de qua in præſenti, ea eſt, quæ contrahitur ex exercitio alicuius artis, vel officii ex iure infamis: vel alio modo ſine culpa, ut Hiſtriones, Mimi, Comœdi, Filii publicæ Meretricis licet coniugatæ, omnes in ſcena ludentes. *ib.* Variæ examinantur conditiones, num ex illis irregularitas contrahatur. *ib.* 7. Irregularitas contrahitur ex defectu Matrimonii, nempe ex bigamia. *ib.* Quid Bigamia. *ib.* Bigamia triplex, realis, interpretativa, & ſimilitudinaria: ſingulæ explicantur. *ib.* 8. Ex defectu lenitatis. 160. Qui ex hoc defectu ſint irregulares, recenſentur. *ib.* Recenſentur & ſingulæ explicantur Irregularitates ex defectu. *ib.* *& ſeq.* Exponitur Irregularitas ex defectu Baptiſmi, & a quibus contrahatur. 169. Exponitur Irregularitas ex mala Ordinum ſuſceptione. *ib.* Irregularitas ex malo Ordinum uſu explicatur. 171. De Irregularitate ex hæreſi. 173. De diſpenſatione in Irregularitate. *ib.*

Irreligioſitas quid, & quotupliciter accipiatur. T. II. 127.

Iubileus, ſeu Iubileum quid ſignificabat apud Hebræos. T. VI. 23. Unde hoc nomen acceptum. *ib.* Nomen Iubilei Eccleſiaſtici a quo derivetur. 24. Iubileum triplex, Romanum, Compoſtellanum, & extraordinarium. *ib.* De inſtitutione anni Iubilei in Eccleſia, qui Sanctus dicitur. *ib.* Annus Sanctus publicatur anno antecedenti in die Aſcenſionis Domini, & incipit in Vigilia Nativitatis Domini. *ib.* Cæremoniæ quibus aperitur annus Sanctus ideſt Iubilei. *ib.* Variæ Eccleſiæ viſitandæ ad acquirendum Iubileum. *ib.* Dantur aliæ Indulgentiæ, quæ dicuntur Iubileum. 25. Differentia Iubilei ab Indulgentia Plenaria. *ib.* Privilegia Iubilei. *ib.* Conditiones requiſitæ ad effectum Indulgentiarum multo magis elucent in Iubileo. *ib.* Durante Anno Sancto, quæ Indulgentiæ ſuſpenduntur, & quæ remanent. *ib.* *& ſeq.* De indulgentia ad inſtar Iubilei, ſeu de Iubileo extraordinario. 26. De facultate eligendi Confeſſarium a Regularibus utriuſque ſexus tempore Iubilei. *ib.* De electione Confeſſarii quoad Moniales tempore Iubilei. 27. Facultates quæ conceduntur Confeſſariis tempore Iubilei. 28. Num abſolutus a peccatis, quorum meminit tempore Iubilei, ſi ex oblivione omiſit aliquod peccatum reſſervatum, vel cenſuratum, tranſacto Iubileo abſolvi queat a ſimplici Confeſſatio. 29. Num tollatur reſervatio per Confeſſionem ſacrilegam. *ib.* Confeſſarius iuſta de cauſſa differens alicui Iubileum, poteſt tranſacto Iubileo abſolvere talem pœnitentem a peccatis omnibus ante tranſactum Iubileum confeſſis. *ib.* De facultate Confeſſarii tempore Iubilei commutandi vota. 30. De facultate Confeſſarii commutandi opera præſcripta tempore Iubilei. 31. De operibus quæ præſcribi ſolent in Iubileo pro ipſo lucrando. 32. Quid quoad proceſſionem. *ib.* De Confeſſione, & Communione pro lucrando Iubileo. 33. De Ieiunio pro Iubileo. 34. De tempore, quo opera implenda ſunt ad lucrandum Iubileum. 35.

Iudiciorum Regularium Ritus. v. Ritus iudicialis Regularium.

Iudicium Conciliorum, alter ex fontibus Ethicæ Chriſtianæ. T. I. 8.

Iudicium contra proximi famam quid. T. III. 388. Iudicium aliud de perſona, aliud de opere. 389. Iudicium temerarium. *ib.* Conditiones ut ſit Mortale. 390.

Iudicium Summorum Pontificum, alius fons Chriſtianæ moralis. T. I. 11.

Iudicum obligationes tam in ordine ad ſe, quam ad alios. T. II. 367. *& ſeq.*

Iuramentum eſt actus Religionis. T. II. 59. Eius natura, & eſſentia. *ib.* Differt ab Adiuratione. *ib.* Iuramentum dicitur a iure.

re. 60. Requiſita ad iuramentum quæ. *ib.* Eſſentia iuramenti ſtat in explicita vel tacita Dei invocatione. *ib.* Quænam ſit invocatio expreſſa, & quænam tacita. 61. Iuramentum idem eſt ſive ſolemne, ſive ſimplex. 62. Quid de utentibus certis formulis iuramenti. *ib.* ut *in fide mea* &c. Quid de eo qui modo communi loquendi utens ait *per Deum*, num iuret. 63. Iuramenti diviſio. *ib.* De uſu Iuramenti, & de circumſtantiis ut ſit licitum. 65. In iuramento duo ſpecialiter reſpicienda, unum ex parte Dei, alterum ex parte hominis iurantis. *ib.* Ad iuramentum requiritur rationis uſus. *ib.* Non licet iurare per falſos Deos. 67. De conditionibus ſcilicet veritate iudicio, & iuſtitia, ad iuramentum requiſitis. 69. Quid veritas ad iuramentum requiſita exigat. *ib.* Certitudo requiſita veritaris ad licite iurandum quænam. 70. In periurio ſemper lethalis culpa. *ib.* Altera conditio, ideſt iudicium reqniſitum ad licite iurandum explicatur. *ib.* Quid de iurantibus ex conſuetudine. 71. Iurare ſine neceſſitate vel magna urilitate non caret culpa veniali. *ib.* Explicatur altera condirio ad licitum iuramentnm, ideſt iuſtitia. *ib.* Iuramentum fieri poteſt menre, nutu, facto, verbo. 72. De iuramento aſſertorio. 73. Semper culpabile ſi in hoc deſit veritas. *ib.* Quid, ut rale iuramentum fiat cum veritate. *ib.* Pœnæ canonicæ contra periuros, *ib.* De iuramento promiſſorio, quoad defectum iuſtitiæ, & veritatis. 74. De obligatione iuramenti comminatorii. 75. De cauſſis, materia, & effectibus iuramenti, & præſertim de eius obligatione. 76. Quænam iuramenti materia. *ib.* Obligatio iuramenti ex parte materiæ. 77. Obligat de re bona, numquam de re mala, & illicita. *ib.* Vis iuramenri ad firmandos contractus iure poſitivo nullos. 79. De iuramenti obligatione non amplius ludendi. 81. De iuramenti validitate circa obiectum licitum, ſed minus bonum oppoſito. 82. De validitate iuramenri non mutuandi, commodandi, fideiubendi. *ib.* De iuramento dolo, aut vi extorto, num validum. 83. De obligatione iuramenti facti ſine intentione iurandi. 84. De ſubiecto obligationis iuramenri, quod eſt promiſſio facta alicui. *ib* Quædam particularia iuramenta expendunrur circa illorum obligationem, ut iuramentum ſervandi ſtatuta Reipublicæ, Collegii &c. 85. De iuramentis, quæ fiunt a Scribis, Procuraroribus &c. ſervandi raxam præſcriptam a Præſidibus, procurandi bonum publicum &c. 86 De iuramento præſtito a Medicis monendi infirmum ut confiteatur. 87. De iuramento hiperbolico, amphibologico, doloſo, ideſt cum æquivocatione, & reſtrictione mentali. 89. De petitione iuramenti ab eo, qui prævidetur peieraturus. 94. De petitione iuramenti execratorii, num licita. 95. De interpretatione iuramenti dubii. *ib.* De interpretatione iuramenti generaliter præſtiti bona fide ſine dolo. 96. De ceſſatione obligationis iuramenti. 97. De eadem ceſſatione ob irritationem voti factam a Superiore. 98. Vel remiſſionem ab eo cui factum fuit iuramentum. *ib.* Et quando votum cedat in honorem Dei & utilitatem hominis. 99. De ceſſatione iuramenti facti ſoli Deo, per diſpenſationem. 100. Cauſſæ diſpenſandi. *ib.* De iis qui diſpenſare queunt a iuramento. *ib.* De iuramenti commutatione. 102. De uſitatioribus modis, quibus male iurando graviter delinquitur. 103. De gravitate peccati periurii, & de pœnis contra periuros 104.

Ius Gentium alios modos acquirendi dominium dictat. v. Dominium.

Ius Gentium quid, & quomodo a naturali, & poſitivo diſtinguatur. T. I. 185.

Ius patronatus quid. T. II. 223. Eius diviſio, & cauſſæ. 224. Num ius patronatus Confraternitatum & Collegiorum ſit laicale, an eccleſiaſticum. *ib.* Ad acquirendum ius parronatus requiritur conſenſus Epiſcopi. 225. De modis quibus ad alios transferri poteſt. 226. Patronorum honores, & onera. *ib.* De præſentatione ex inre patronatus. 227. De tempore præſentationis præfixo. *ib. & ſeq.* Tempus præfixum non currit niſi a die notitiæ. 228. Differentia inter patronatum Laicum, & Eccleſiaſticum. *ib.* Quid ſir præſentatio patroni. 229. Quid quando plures ſunt patroni. *ib.* Quid ſi patroni diſſentiant. 230 Quid ſi inter ipſos lis movearur. *ib.*

Ius quid, & quotupliciter accipiatur. T. III. 7. Ipſius definitio. *ib.* Iuris, ſeu actionis diviſio in re, & ad rem. 8. Actio, ius nempe proſequendi in iudicio quod ſibi debetur, duplex, realis, ſeu vindicatio, & perſonalis. 9. Iuris variæ ſpecies, dominium ſcilicet, uſus &c. *ib. & ſeq.* Ubi ſingulæ explicantur.

Iuſtitia quid. T. III. 1. eius definitio. *ib.* Medium iuſtitiæ in quo conſiſtat. *ib.* Tria continet iuſtitia, nempe debitum legale, ad alterum, & æqualitatem. 2. Requiſita ad veram iuſtiriam. *ib.* Diviſio iuſtitiæ in generalem, & particularem. *ib.* Definitio iuſtitiæ legalis. *ib.* Eius diviſio. 3. Iuſtitia legalis ſpecie diſtinguitur ab aliis virtutibus. *ib.*

Eius obiectum. *ib.* Circa tributa Iuſtitia legalis verſatur circa debitum ſtricte tale, unde accedit ad rationem ſtrictæ iuſtitiæ. *ib.* Hinc defraudantes tributa graviter peccant cum onere reſtitutionis. *ib.* Iuſtitiæ particularis diviſio in commutativam, & diſtributivam. *ib.* Officia iuſtitiæ diſtributivæ. *ib.* Iuſtitia commutativa eſt ſtricta iuſtitia. 4. Quando in diſtributiva teneatur Superior ad reſtitutionem. *ib.* Utraque iuſtitia, commutativa, & diſtributiva dividitur in præmiativam, & punitivam, ſeu vindicativam. *ib.* Subiectum iuſtitiæ quod, & quotuplex. 5. Num iuſtitia ſaltem imperfecta detur inter Deum, & creaturas; in filio reſpectu patris &c. *ib.* Cauſſæ iuſtitiæ quæ. 6. Obiectum materiale & formale iuſtitiæ. *ib.* Iuſtitia violatur communiter tribus modis, idest 1. Ratione rei acceptæ; 2. Iniuſtæ ablationis, & detentionis; 3. Iniuſtæ damnificationis. *ib.*

Iuſtitia ut Cardinalis virtus quid. T. II. 315. Duplex eſt, univerſalis, & particularis. *ib.* Virtutes adnexæ iuſtitiæ, ſeu ipſius partes integrantes. *ib.* & *ſeq.* Vitia ipſis oppoſita. 316. Virtutes adnexæ ſunt Religio, Pietas, Obſervantia, Obedientia, Amicitia, Affabilitas, Veritas, Liberalitas, Gratitudo. *ib.*

L

LAmiæ quæ? v. Superſtitio.

Latriæ cultus quis. T. II. 26. Soli Deo reddendus. *ib.*

Lectio librorum, qui conſcripti ſunt ab Hæreticis continentque contraria fidei eſt vetita. T. I. 407. Vetita eſt in Bulla Cœnæ, & in indice ſub pœna excommunicationis: & culpam incurrit, & pœnam, etiam tantum legere audiens tales libros: ut legens ac retinens tales libros incurrat cenſuram ſcire debet id eſſe prohibitum. Retinens tales libros etiam ad ornatum ob antiquitatem, vel ut commodatum, vel in domo aliena, cenſuram incurrit. Sic tranſcribens tales libros. 408. Libri prohibiti vendi, aut donari non poſſunt, ſed tradendi ſunt Inquiſitoribus. *ib.* Bibliopola nequit emere, nec vendere libros prohibitos. *ib.* Tres in indice ſunt claſſes librorum prohibitorum. 409.

Legatum quid? T. III. 296. Quid de legatis non acceptata hæreditate. 297 Diviſio Legati in univerſale, & particulare. *ib.* Legatarius accipere debet legatum ab hærede. 298. In teſtamento invalido legata ad pias cauſſas ſunt valida. *ib.* Epiſcopus & Parochus curare debent, ut teſtamenta exequantur. 299. Legata conditionata quæ. *ib.* De ordine ſervando in ſolvendis legatis. 300. Quid circa legata, quando mens teſtatoris eſt dubia. *ib.*

Legiſlator quomodo legi teneatur. T. I. 199.

Legitima debetur filiis ſecundum iura in teſtamento. T. III. 303.

Lex ex variis ſuis effectibus varia habet nomina. T. I. 152. Legis triplex acceptio, latiſſime, & ſtricte prout eſt regula morum. 153. Definitio legis. 154. Differt lex a præcepto. 155. Cauſſæ legis. 156. Legis effectus & conditiones. 157. Diviſio legis. 158. Lex æterna quæ. 159. Lex naturalis quæ. 160. Eius definitio. *ib.* Cauſſa materialis legis naturalis quæ. 164. Virtutum opera, & modi operum virtuoſorum ſunt materia legis. 165. Lex naturalis implenda intentione, & attentione. 166. Subiectum legis naturalis. 167. De unitate, indelebilitate, & immutabilitate legis naturalis. *ib.* Quomodo lex naturalis immutari poſſit, ac de eius Epikeia; num lex naturalis diſpenſari poſſit, & a quo. 170. Lex poſitiva divina quæ, & eius diviſio. 172. Lex vetus ſeu Moſayca quæ. *ib.* Præcepta legis Moſaycæ triplicis generis; Moralia, Cæremonialia, Iudicialia. 173. Legis Moſaycæ imperfectio. 175. Euſdem abrogatio. 176. Lex nova ſeu Evangelica quæ. 178. Quando inſtituta. 179. Definitio legis novæ. *ib.* Cauſſæ legis novæ. 180. Differentia legis novæ a veteri. 181. & *ſeq.* Lex nova ut præceptiva numquam mutanda. 183. Præcepta divinæ legis novæ non ſubiiciunt diſpenſationi. 184. Lex nova ſubiicitur interpretationi. 185. Lex poſitiva humana. 187. Eius definitio, & diviſio in Eccleſiaſticam & Civilem. *ib.* Quæ conſtituunt ius Canonicum. *ib.* Variæ collectiones iuris canonici. 188. & *ſeq.* Ius Civile quid, eius origo, & partes. 189. & *ſeq.* Eccleſiæ poteſtas condendi leges. 191. Qui in Eccleſia poſſint condere leges. 192. Poteſtas Civilis condendi leges, & quibus competat. 193. De Legum promulgatione, & locis ubi promulgandæ. 195. An neceſſaria ſit populi acceptio. 196. Quid ſit obiectum, ſeu materia legis. *ib.* De legis ſubiecto. 198. Num exempti a iuriſdictione Legiſlatoris legi ſubiiciantur. 199. An Clerici ſubiiciantur legibus Principum. 200. De obligatione Peregrinorum, advenarum, vagorum circa leges proprii Territorii. *ib.* De eorumdem obligatione circa leges locorum ad quæ vadunt, & in quibus verſantur. 202. Num lex humana obliget in conſcientia. *ib.* De lege fundata in præſumptione. 204. De obligatione legis dubiæ. *ib.*

Digitized by Google

*ib.* Num lex humana obliget cum gravi incommodo, & nocumento. 205. Qui eximantur a legis obſervantia. 206. De obligatione tollendi impedimenta oppoſita obſervantiæ legis, & media ad ipſam ponendi. 207. Quæ lex pœnalis. 209. Num ignorantia excuſet a pœna incurrenda. 211. De lege irritante eiuſque effectibus. 212. Num lex irritans obliget in conſcientia. 213. Quomodo lex ſit obſervanda, nempe quoad intentionem, & attentionem. 214. v. Intentio. v. Attentio. Num plura præcepta eodem actu, & tempore impleri poſſint. 216. De ceſſatione legis, & quando ceſſet. 218. Epikeia, ſeu interpretatio legis quid, quotuplex, & regulæ pro interpretatione. 219. Legis diſpenſatio quid, quotuplex, & qui diſpenſare poſſint. v. Diſpenſatio. De tolerantia, abrogatione, & derogatione legis. 232. De cauſſa requiſita ad legem abrogandam, & de triplici modo, quo lex abrogari poteſt. *ib.* Legis invalidatio per irritationem. *ib.* Ceſſatio legis per Privilegium. 233. De legis abrogatione per conſuetudinem. 242. Definitio Conſuetudinis. *ib.* Eius diviſio. 243. Requiſita ut obtineat vim legis. *ib.* Nulla conſuetudo poteſt abrogare legem naturalem. 244. Poteſt conſuetudo abrogari per legem contrariam ſubſequentem, licet immemorialis. 245. Conſuetudo particularis non abrogatur per legem univerſalem, bene quidem univerſalis. *ib.* Quomodo conſuetudo differat a præſcriptione. *ib.*

Lex naturalis quando in metu ceſſet obligare, quando non. T. I. 37.

Libellus famoſus quid. T. III. 393. Crimen peius detractione facta voce. *ib.* In iure ſtatuitur libello pœna mortis. *ib.*

Libellus, ut contractus quid. T. III. 253.

Liberalitas virtus annexa iuſtitiæ quid. T. II. 317.

Liberi arbitrii origo, & ſubiectum. T. I. 47.

Libertas requiſita pro dando ſuffragio in Capitulis in Electione Superiorum. v. Electio.

Libertas, ſeu liberum, neceſſaria eſt ad moralitatem actuum humanorum. T. I. 41. Differt a voluntario, & ſpontaneo. *ib.* Inter principia actuum humanorum conſtituitur. 42. Libertatis definitio. *ib.* Eius diviſio, naturæ ſcilicet, & arbitrii. *ib.* Utriuſque definitio. *ib.* Libertas alia item a coactione ſeu ſpontaneitatis, alia a neceſſitate, ſeu electionis, & indifferentiæ. 43. De eſſentia libertatis. 45.

Libertatis radix eſt indifferentia iudicii circa obiectum aliquod, aut actum, T. I. 47.

Libri ſacri, & canonici qui, eorumque diviſio. T. I. 358. Eorumdem librorum variæ verſiones. *ib.* De illorum interpretatione. 360. Varii Divinæ Scripturæ ſenſus. 361.

Linteamina ſacra ad Miſſæ celebrationem ſunt corporalia, & palla contexta ex lino, & ab Epiſcopo benedicta. T. IV. 307. Quæ eſſent corporalia quibus veteres utebantur. *ib.* Expoſitio inſtrumentorum Sacrificii quoad eorum ſignificationem. *ib.*

Litterarum ſcientia neceſſaria Clericis. v. Clericorum obligationes.

Litteræ dimiſſoriales a quo dandæ Clericis, ut poſſint ab Epiſcopo extraneo Ordinibus initiari. T. V. 252.

Locatio idem eſt contractus cum conductione. T. III. 253. Definitio locationis. *ib.* Locatio, & conductio proxima emptioni, & venditioni. 254. Loca eccleſiaſtica nequeunt locari niſi ad triennium ſine beneplacito Apoſtolico. *ib.* Uxor tenetur ſtare locationi factæ a Marito nomine eiuſdem Uxoris. *ib.* Sic hæres univerſalis locationi ſeu conductioni factæ a ſuo auctore. *ib.* Non tenetur tamen ſucceſſor particularis, puta emptor, nec Legatarius, nec donatarius. *ib.* Locator efficere debet, ut conductor re conducta libere uti, & frui poſſit. 255. Quando locator de penſione nihil remittere teneatur. *ib.* Remiſſionis regula a quo deſumenda. 256. Quid ſi locator rem vendat. *ib.* Cauſſæ ob quas locator poteſt ante tempus expellere conductorem. *ib.* Obligationes conductoris. *ib.* De ipſius debito completo conductionis, ſeu locationis tempore. 257. Conductio famulorum, vel operariorum. 258. Obſervanda in tali conductione. *ib.* Obligationes famulorum, & operariorum ſua opera locantium. 259.

Locutio amphibologica, ſeu amphibologia. T. II. 89.

Lucrum ceſſans, num ſufficiens titulus, ut in mutuo aliquid ſupra ſortem exigatur. T. III. 216.

Ludus. T. III. 265. Ludi definitio. *ib.* Quando ludus ſit honeſtus, & licitus. *ib.* Tria ludorum genera. *ib.* Conditiones requiſitæ in contractu ludi. *ib.* De ludis prohibitis. 266. De iis qui in ludendo peccare cenſentur. *ib.* De modis illicitis ludendi, & obnoxiis reſtitutioni. 267. Leges ludi. *ib.* Debitum reſtituendi lucratum ex ludis vetitis, & ſolvendi in his amiſſa. 268.

Luxuriæ definitio. T. I. 320. Luxuriæ

diviſio in perfectam, & imperfectam. 321. Species luxuriæ conſummatæ, nempe ſimplex fornicatio, ſtuprum, raptus, adulterium, inceſtus, & ſacrilegium. ib. Fornicatio quid? v. Fornicatio. Stuprum quid? v. Stuprum. Raptus quid? v. Raptus. Adulterium quid? v. Adulterium. Inceſtus quid? v. Inceſtus. Sacrilegium quid? v. Sacrilegium ut ſpecies Luxuriæ. Luxuriæ peccata contra naturam; quare ita dicantur. 329. & ſunt Mollities ſeu Pollutio, Sodomia, Beſtialitas, Indebitus concubitus. ib. Pollutio quid? v. Pollutio. Sodomia quid? v. Sodomia. Beſtialitas quid? v. Beſtialitas. Indebitus concubitus quid, & quando peccatum. 334. Plures luxuriæ ſpecies poſſunt in eodem actu concurrere neceſſario declarandæ in confeſſione. ib. Peccata Luxuriæ non conſummatæ; & ſunt venereæ cogitationes, moroſæ delectationes, deſideria, aſpectus, oſcula, tactus venerei, turpiloquia, ſcriptura, pictura indecens, Mulierum ornatus, choreæ, ſpectacula, moroſæ cogitationes venereæ, v. Cogitatio venerea moroſa. Deſiderium ſimplex etſi ineſſicax actus luxurioſi habet malitiam mortalem eiuſdem ſpeciei cum actu luxurioſo, ideſt adulterii, ſi actus qui deſideratur ſit Adulterium &c 335. Moroſæ delectationes. v. Delectatio moroſa. Oſcula. v. Oſcula. Tactus, aſpectus libidinoſi in ſe vel in aliis, qui maculam habeant culpæ læthalis. 338. Non excuſantur mulieres a gravi, quæ prodeunt nudatis mammis. 339. Graviter delinquunt facientes, exponentes, intuentes picturas obſcœnas. 340. Mulierum ornatus quando culpabilis, tum in fuco, tum in veſtibus &c. ib. Quid de muliere utente veſte virili, & homine muliebri ſine neceſſitate. ib. Quid de his qui loquuntur, componunt, canunt, audiunt obſcæna. 341. Quid de ſaltationibus ſeu Choreis. v. Choreæ. Spectacula, Commædiaſque frequentare quando culpabile. 342. Num dari poſſit parvitas materiæ in negotio impuritatis. 343.

Luxuriæ remedia? T. I. 347.

M

MAgia. v. Superſtitio.

Magiſtrorum obligationes. T. II. 366.

Magnanimitas, virtus integrans Fortitudinis, quid? T. II. 306.

Magnificentia virtus Fortitudinem integrans. T. II. 306.

Mahumetiſmus quid? T. I. 397. Deſcribitur eius origo, auctor, & progreſſus. ib. & ſeq. Regulæ falſæ huius religionis habentur in libro Arabice dicto Alcoranus ex articulo *Al*, & nomine *coranon* quod ſignificat vel lectionem, vel collectionem. 398.

Malitia actionis humanæ, ideſt unde actus humanus ſit malus? T. I. 51.

Manifeſtatio complicis in confeſſione num licita. T. V. 44.

Manſuetudo, virtus ſubiecta Temperantiæ, quid? T. II. 312.

Martyrium, Fortitudinis eſt actus. T. II. 308 Requiſita ad martyrium. ib. Quid de militibus morientibus in Bello pro veræ Fidei defenſione. 309. Quid de his qui occaſione piæ cauſſæ vitam exponunt. ib. Quid ſi pro defenſione alicuius virtutis. ib.

Materia Sacramentorum quæ. T. IV. 16. Materiæ & formæ quæ mutatio fieri poſſit in Sacramentis. 25. De materia dubia vel probabili, quoad eius uſum in Sacramentis. 27.

Matrimonii Sacramentum quid, ideſt quid ſub hoc nomine, & a quo deductum. T. V. 302. Aliis etiam variis vocabulis, ut nuptiæ connubium exprimi ſolet a Theologis hoc Sacramentum. ib. Matrimonium in ſe & primario conſideratur dupliciter, nempe ut contractus, & pro vinculo per talem contractum inducto. 303. Secundo prout eſt matrimonium ratum, quod eſt legitimum, & Sacramentum. ib. Matrimonium fidelium dicitur etiam tantummodo ratum quando nondum eſt conſummatum. ib. Matrimonium tribus aliis modis conſiderari poteſt, ſcilicet, ut contractus naturalis, ut civilis, ut Sacramentum novæ legis. ib. Matrimonium ut contractus, & ut Sacramentum tria in ſe continet ad quæ alia reducuntur, ideſt rationem contractus, vinculum quodam animorum, & carnalem copulam. 304. De eſſentia Matrimonii. ib. Variæ circa hanc ſententiæ. ib. & ſeq. Definitio Matrimonii. 306. De inſtitutione Matrimonii. ib. De Matrimonii bonitate, & honeſtate. 307. De præcepto contrahendi Matrimonium. 308. De Matrimonio prout eſt novæ legis Sacramentum. 309. De materia, & forma Sacramenti Matrimonii. 310. De Miniſtro Sacramenti Matrimonii. 311. De cauſſa efficiente Matrimonium, ideſt de mutuo conſenſu. 313 De conſenſu conditionato. 314. De Matrimonio contracto a parentibus loco liberorum præſentium, & tacentium. 316. De Matrimonio contracto per Procuratorem. ib. De proprietatibus ſeu bonis Matrimonii. 317. Quid de Poligamia ſimultanea, ſeu pluralitate uxorum. ib. Quid de Poligamia ſucceſſiva, ideſt de ſecundis, & ulterioribus nuptiis. 319. De Matrimonii

in-

indiſſolubilitate. 320. Quidquid ſit de conſuetudinibus Gentilium & Iudæorum, certum eſt quod Matrimonium ex natura ſua, & primæva inſtitutione in omni ſtatu legis fuit, & eſt ſine divina diſpenſatione inſolubile. *ib.* & *ſeq.* De ſolutione Matrimonii in Lege Moſayca per libellum repudii. 322. De firmitate Matrimonii inter Chriſtianos. 324. De Matrimonii ſolubilitate contracti per converſionem ad fidem Chriſtianam. 326. De Matrimonii diſſolubilitate ratione voti continentiæ. 327. Religioſa profeſſio dirimit Matrimonium ratum, non conſummatum. 328. In Matrimonii contractu intelligitur illa conditio, niſi alter coniugum ad meliora vocetur, ac ideo conceduntur duo menſes ad deliberandum. *ib.* Alter coniux nequit tranſire ad alias nuptias, niſi emiſſa ab altero religioſa profeſſione. 329. Suſceptio Sacri Ordinis non dirimit Matrimonium. *ib.* Etiam ob alias cauſſas ex Pontificis diſpenſatione docent aliqui diſſolvi poſſe Matrimonium ratum tantum. *ib.* De diſſolutione Matrimonii quoad thorum per divortium. 331. De debito Coniugum alterum dimittendi ſi fidem violet Matrimonii per fornicationem. 335. De bonis Matrimonii. 337. De Matrimonii effectibus & de uſu Matrimonii. 339. De requiſitis ad uſum licitum Matrimonii. 341. Peccata Coniugum contra Matrimonium. 344. Cauſſæ excuſantes denegationem debiti coniugalis. *ibid.* Peccata Coniugum contra bonum prolis. v. Peccata Coniugum.

Medicorum obligationes. T. II. 381.

Medium duplex; purum, & non purum. T. I. 65.

Memoria, virtus integrans prudentiæ, quid? T. II. 304.

Mendacium quid. T. III. 385. Eius definitio. *ib.* Modi varii mentiendi. *ib.* Diviſio mendacii. 386. Mendacium ſemper eſt peccatum. *ib.* Numquam licet mentiri. *ib.* Idem quod de mendacio currit de ſimulatione, hypocriſi &c. quæ ſunt mendacia. *ib.* Veritas quando occultanda. 387. Quando revelanda. v. Veritas. Proximi diffamatio. v. Diffamatio proximi.

Meritum, quid hoc nomen importet. T. I. 82. De merito operum, quæ ex gratia ſunt elicita. 83. Meriti diviſio de condigno, & de congruo. 87. Quæ opera iuſtorum ſint meritoria de condigno. 88. & *ſeq.* De conditionibus ad meritum de congruo. 90. Obiectum meriti quid? 91. De merito primæ gloriæ. 92. De merito doni perſeverantiæ in via. 93. De merito reparationis poſt lapſum. 94 De doni conſecutione ex merito de congruo. *ib.*

Metropolitanus. v. Patriarcha.

Metus quid, quotuplex. T. I. 35. Cauſſæ metus. *ib.* Dupliciter ſe habere poteſt ad actionem, vel cauſaliter, vel concomitanter. *ib.* Aliquando eſt cauſſa totalis actionis, aliquando partialis. *ib.* Metus non tollit prorſus voluntarium, ſed ſolummodo ſecundum quid. 36. Non ſemper tollit voluntarium ſecundum quid. 37.

Militum obligationes. T. II. 380.

Miniſtrorum Sacrorum electio a quo facienda. T. V. 293. Diſciplina Eccleſiæ circa talem electionem tum vetus, tum nova. *ib.* & *ſeq.*

Miſſa audienda ſub præcepto die Dominico aliiſve feſtis de præcepto. T. III. 431. Hæc obligatio incumbit cuicumque fideli. *ib.* Num cæcus, mutus, ſurdus a nativitate teneatur ad auditionem ſacri. 432. Quid in dubio an dies feſtus ſit de præcepto. *ib.* Quid requiratur ad implendam obligationem auditionis ſacri. *ib.* Quid circa locum. 433. Quid circa horas. *ib.* Quæ præſentia requiratur, ut quis ſatisfaciat præcepto. 434. Quæ integritas requiratur. *ib.* Quæ pars omiſſa ſit mortalis. 435. Miſſa tota audienda ab uno eodemque Sacerdote. *ib.* Quæ intentio & attentio requiratur ad ſatisfaciendum præcepto. 436. Quid circa quantitatem temporis diſtractionis. 437. Quid de recitante interim horas canonicas. *ib.* Quid de audiente Miſſam in peccato mortali. *ib.* Quid de audientibus Miſſam cum affectu ad peccatum. 438. De cauſſis excuſantibus ab auditione Miſſæ. *ib.*

Miſſæ nomine quid? T. IV. 311. Qui, & quando primam Miſſam celebraverit. *ib.* Incertum eſt quo ritu, veſte &c. primam celebraverit D. Petrus. *ib.* De lingua, qua Apoſtoli Miſſam celebraverint. 312. Plura Miſſarum genera. *ib.* Antiqua Miſſæ diviſio Cathecumenorum. 313. Miſſa integra dividitur in quatuor partes, ab initio ad Offertorium, ab Offertorio ad conſecrationem &c. *ib.* Pſalmus *Iudica me Deus*, quare omittatur in Miſſis Defunctorum, & tempore Paſſionis. *ib.* De introitu. 314. De Kyrie eleiſon. *ib.* De cæremonia ſalutandi populum. *ib.* Oratio, quare dicatur etiam collecta. *ib.* De Epiſtola & Graduali. *ib.* Quid alleluia, & quare prætermiſſum diebus ieiunii. *ib.* Quid Tractus. *ib.* Evangelium qua parte recitandum. 315. Poſt Evangelium ſermo fit ad populum. *ib.* Item decantatio, ſeu recitatio Symboli. *ib.* Quando talis recitatio

cœperit in Miſſa. *ib.* Secunda pars Miſſæ incipiens ab Offertorio. 316. Quid nomine Offertorii. *ib.* Ex quo hæc pars dicatur Offertorium. *ib.* Quid ſignificet parum aquæ infuſæ in vino. *ib.* De Præfatione. 317. Quid nomen Canonis ideſt de tertia pars Miſſę. *ib.* De Auctore Canonis. *ib.* Variæ Orationes quas complectitur canon. *ib.* Orat Sacerdos in Canone pro Papa. *ib.* De ritu iungendi, & extendendi manus ſuper oblata. 318. De actione conſecrationis. *ib.* De recitatione Orationis Dominicæ. *ib.* Quid ſignificet fractio Hoſtiæ. *ib.* De oſculo pacis in Miſſa. 319. Miſſa ſit conſormis Officio niſi gravis urgeat cauſſa, & ritus permittat aliter fieri poſſe. *ib.* Olim poſt Miſſam fiebat diſtributio Eulogiarum. *ib.* Quid Agapæ, & quando fiebant. *ib.* Miſſæ proprietates, ſeu neceſſitas, ut Sacerdos eam celebret, & populus eam audiat. 359. Miſſa applicanda a Parocho pro Populo, & quando. 360. Illicite celebratur ſine miniſtrante. 362. De Miſſa conventuali celebranda in Cathedralibus, & Collegiatis, & de eius applicatione pro Benefactoribus. 365. Quid de tali applicatione circa Regulares. *ib.* De Miſſarum honorario, ſeu ſtipendio. 366. Varia circa hoc elucidantur. *ib.* & *ſeq.* De Miſſarum fundatione. 377. De Miſſarum reductione. 380. Miſſæ ritus quoad locum & tempus. v. Sacrificium. Miſſæ olim plures, ut in Nativitate Domini, in aliis ſolemnitatibus celebrabantur ab eodem Sacerdote. 391. Num liceat nunc excepta Domini Nativitate. *ib.* De cæremoniis Miſſæ. v. Sacrificium,

Modeſtia, virtus ſubiecta Temperantiæ, quid. T. II. 313.

Modus utendi locis Theologicis. T. I. 16.

Mohatra contractus quid ſit, & an licitus. T. III. 189. & *ſeq.*

Monacatus origo. T. VI. 174. Religioſi nomen a quo. *ib.* Monachi nomen quid latine. *ib.* Monacale, ſeu Regulare inſtitutum. *ib.* In nova lege Evangelii vita Monachalis, ſeu Regularis ſumpſit exordium ab Apoſtolis. *ib.* Vitam monachalem cœperunt ducere, ut ex Caſſiano, Apoſtolorum exemplo quidam in Ægypto apud Alexandriam. Alii præruptos montes locaque deſerta petierunt, ut Paulus, qui in Thebaidæ deſertum confugit; item Antonius Ægyptius, ut ſe perſecutioni ſubtraherent, & vitam in mortificatione, ac virtutum exercitio ducerent. 175. Primis temporibus ante S. Benedictum nullam Monachi præſcriptam Regulam habebant, ac ideo Regulam nullam profitebantur. 176. S. Benedictus, ſi non primus, inter primos fuit, qui profeſſionis ſolemnis ritum præſcripſit ſecundum Mabilonium: Prolapſam iniuria temporum diſciplinam Monaſticam tandem pœnitus inſtauravit S. Odo in domo Cluniacenſi. *ib.* Monachorum antiquorum regulæ non apparent probatæ, aut confirmatæ nec ab Epiſcopis, nec a S. Sede. *ib.* Poſt Concil. Lateranenſe habitum ſub Honorio III. Nulla Religio de novo inſtitui, ac admitti poteſt ſine Sedis Apoſtolicæ approbatione, ſeu confirmatione. 179. De diverſitate, & multiplicitate Religionum. 180. Sæculo undecimo & ſequenti cœpit multiplicitas Ordinum, & Religionum. *ib.* Sæculo undecimo & duodecimo non ſolum multiplicati ſunt Ordines Monachorum, ſed etiam Canonicorum Regularium, quorum Ordo excitatus eſt; eodem ſæculo undecimo Hoſpitalariorum, Mendicantium, & ſæculo decimoſexto Clericorum Congregationes emerſerunt. 181. Eodem ſæculo undecimo in Romano Concil. habito anno 1059. ſtatuta fuit inſtauratio diſciplinæ Cleri, eum ad vitam communem reducendo, ſicuti ante, præcipue ineunte ſæculo octavo, per Crodogangium Metenſem Epiſcopum alioſve. *ib.* Decretum Concilii Rom. innovatum fuit ab Alexandro II. anno 1063. *ib.* Qui paruerunt Decreto, ad vitam communem ſe redigendo, vocati ſunt Canonici Regulares; qui eidem reſtiterunt manendo in vita ſingulari, nuncupati ſunt Canonici ſæculares. *ib.* Qui receperunt reformationem, ut ſtabilius diſciplina firmaretur in ipſis ſequi ſtatuerunt Regulam, quæ dicitur S. Auguſtini. *ib.* Sæculo duodecimo ex Cruciarorum expeditionibus orti ſunt Ordines Religioſorum Equeſtrium ſicuti etiam in Hiſpania. Item Ordines Hoſpitalariorum, Redemptionis captivorum. *ib.* Inſtitutio Ordinum Mendicantium Dominicanorum a S. Dominico, Franciſcanorum a S. Franciſco. *ib.* Sub iiſdem temporibus Alexander IV. plures Eremitarum Congregationes coniunxit ſub appellatione Eremitarum S. Auguſtini. 182. Hinc Religiones aliæ ſunt contemplativæ, aliæ activæ, aliæ mixtæ. *ib.* Inſuper Religiones aliæ ſunt Clericales, aliæ Monachales, aliæ Mendicantes, aliæ Militares, & ſingula inſtituta explicantur. *ib.* & *ſeq.*

Monitoria cenſuræ præmittenda, & quæ ſint ſolemnitates ad ferendam cenſuram. T. VI. 82.

Monitorium ad finem revelationis. T. VI. 124.

Monopolium quid ſit, quotuplex, & an ſit licitum. T. III. 201.

Mons Pietatis quid ſit? T. III. 233. Leges montium pietatis. *ib.* Sub conditionibus legum montes-pietatis ſunt liciti. Aliæ leges in præſenti Montium-Pietatis. *ib.*

Mora in reddendo quando eximat a culpa. T. III. 110.

Moralis bonitatis regulæ, ſcilicet lex æterna, & recta ratio. T. III. 96. *& ſeq.* Item divina voluntas. 98.

Moralitas actuum humanorum quid? T. I. 48.

Munerum largitio a Religioſo. v. Votum paupertatis.

Mutatio legis. v. Ceſſatio legis.

Mutuum quid? T. III. 202. Mutui definitio. *ib.* Mutuæ obligationes inter mutuantem & mutuatarium. 203. Quid de pactione inter contrahentes ſi moneta reddatur in ſpecie. *ib.* De iis, qui modo tenentur, modo non reddere mutuum. 204. De debito Parentum circa pecuniam creditam filiis. *ib.* Quando filii familias ſolvere teneantur mutuum acceptum. *ib. & ſeq.*

N

Nativitas quid, & quando in re aliena dominium per ipſam acquiratur. T. III. 51.

Neceſſitas triplex, extrema, gravis & communis. T. III. 376.

Neceſſitas ut oppoſita libertati non ſecus ac libertas varias habet ſpecies; nempe alia eſt neceſſitas coactionis, alia inclinationis; & hæc alia inclinationis naturalis, ſeu naturæ; alia advenientis. Differentia inter utramque. T. I. 44. Alia item eſt neceſſitas ſpecificationis, alia exercitii. Item alia phyſica, & abſoluta, alia moralis. *ib.*

Negotiatio quid. T. III. 191. Quot genera negotiationis. *ib.* Definitio negotiationis. *ib.* Negotiatio ſtricte ſumpta non eſt illicita. *ib.* Varii modi unde negotiatio illicita. *ib.* Vetita Clericis, & Religioſis. 192. Varii de Clerico reſſolvuntur caſus. *ib.* De venditione facta credito, aut anticipata ſolutione. *ib.*

Notariorum obligationes. T. II. 379.

Notitia uſu acquiſita extra Confeſſionem, auditorum in Confeſſione. T. V. 141.

Novitiatus Religionum ab ingredientibus percurrendus. T. VI. 232. De eius conditionibus. Conditiones Magiſtri Novitiorum quoad mores, exercitium in operibus ſpiritualibus Religionis, prudentiam, zelum, ætatem &c. 242. Opera Magiſtri Novitiorum. *ib.* De anno integro percurſendo in Novitiatu, quæ eſt ſeptima conditio ad validitatem Novitiatus. 144. Variæ expenduntur circa hoc difficultates. *ib.* De obligationibus Novitiorum. 249. Novitiorum privilegia & exemptiones. 250. De repetitione Novitiatus tranſeuntibus ad alium Ordinem. *ib.*

O

Obedientia, virtus annexa iuſtitiæ, quid? T. II. 316.

Obedientiæ Votum. T. VI. 283. Votum hoc præfert aliis D. Hieronymus. *ib.* Obedientia virtutum mater. *ib.* Obedientia quatenus pertinet ad Religioſos cadit ſub voto. *ib.* De hac obedientia hic agitur. Huius obedientiæ definitio. *ib.* Religioſus triplici titulo parere tenetur Superiori. *ib.* Quatuor conditiones, ut Religioſus perfecte obedientiam exerceat. 285. De obiecto, ſeu materia voti obedientiæ quod ſunt præcipue omnia ea quæ continentur in Regula, tacite vel expreſſe, quæ ad eius perfectam obſervantiam neceſſaria ſunt, & utilia, & hoc eſt obiectum remotum; proximum vero præceptum Superioris. *ib.* Num ſubditus teneatur parere Prælato præcipienti aliquid ſupra, contra, vel infra Regulam. *ib.* De debito obediendi reformationi diſciplinæ Regularis collapſæ. 288. De cauſis relaxationis diſciplinæ regularis. 289. De reformatione Religionum. *ib.* Quibus incumbat Religionum Reformatio in collapſa diſciplina Regulari. 290. De debito obediendi Prælatis in reformatione diſciplinæ Regularis collapſæ. præcipue quoad vitam communem. 292. Initium vitæ communis in Eccleſia fuit primævis temporibus Hyeroſolimis. *ib.* De uſu Livelli. *ib.* Conditiones pro uſu Livelli ut licitus ſit. v. Votum Paupertatis. De debito obediendi circa ea quæ ſunt extra regulam. 296. Variæ circa hoc explicantur difficultates. *ib.* Quæ facultas Prælati, aut Capituli generalis quoad ea quæ in Regula imponuntur vel ſub pœna tantum, vel ſub veniali. 298. De debito pœnæ a ſubdito ſubeundæ. 300. De appellationibus Religioſorum, qui ſe gravatos credunt in pœna a Superiore locali ſibi impoſita. 301. Quis Superior cui parere debet Religioſus. 303. Cui dum tranſit de uno ad alium Conventum ſive de familia, ſive ut hoſpes. *ib. & ſeq.*

Obligatio exemptorum circa Legem. v. Lex.

Obligatio legis in conſcientia. v. Lex.

Obligationes quorumdam ſtatuum perſonarum. T. II. 325.

Obli-

Digitized by Google

Obligatio removendi impedimenta obſervantiæ legis, & media ponendi pro ipſius executione requiſita. T. I. 207.

Oblivio. v. Ignorantia.

Obſervantia vana. v. Superſtitio.

Obſervantia, virtus annexa Iuſtitiæ, quid? T. II. 316.

Occaſio peccati. T. I. 253.

Occupatio gravis excuſat a recitatione Officii divini. v. Horæ Canonicæ.

Odium Dei quid? T. I. 433. Aliud abominationis, aliud inimicitiæ. *ib.* Ad Odium Dei ſpectant motus omnes malignæ affectionis contra Deum ſive verbo expreſſi, ſive corde retenti, dummodo ſint deliberati. 434. Unde ad ſpeciem huius horribilis peccati ſpectant convicia, quæ contra Deum in ira proferuntur, Blaſphemiæ &c. *ib.*

Odium proximi quid? T. I. 458. & hoc pariter aliud eſt abominationis, aliud inimicitiæ. *ib.* Non licet optare, & imprecari malum proximo, *ib.* nec inefficaciter. 459. Quando malum proximo liceat optare. *ib.* Maledictio gravis in non ſubditum eſt gravis læſio honoris proximi repugnans non ſolum charitati, ſed etiam iuſtitiæ, idcirco obligat ad ſatisfactionem. *ib.* Quid de maledictione facta Creaturis irrationabilibus. *ib.*

Officiales Ordinum Religioſorum. T. VI. 377. Officia Ordinum, alia ad internam Religionis directionem ſpectant, ut eſt Officium Vicarii; alia ad externam ideſt ſpiritualem proximorum curam, ut officium Prædicatorum. *ib.* Vicarii nomen excogitatum ad ſignificandum officium quod quis vice alterius gerit. Vicarii officium non eſt dignitatis, quando Vicarii eliguntur ab ipſis Prælatis ut ad modicum tempus eorum vices gerant dum ipſi ſunt abſentes. *ib.* Nec pariter Vicarii officium eſt dignitas, quando etiam deſignantur ſocii Prælato a Capitulis Generalibus, vel Provincialibus, aut a Generali, vel Provinciali, utpote carente iuriſdictione. *ib.* Vicariis electis, ut præſideant tempore dignitatis vacantis, competit auctoritas, & iuriſdictio, quæ competeret Prælato ſi adeſſet. Huiuſcemodi Vicarii deſignantur etiam in parvis Monaſteriis, quibus ob modicum numerum dari non ſolet Prælatus. *ib.* Differentia inter Vicarios, & Commiſſarios. *ib.* De eo quod poſſint Vicarii primi, qui ſunt cum ſuo Prælato, & quid in Prælati abſentia. *ib.* De officio Prædicatorum, ac eorum dependentia in hoc munere ab Epiſcopis, & Parochis. *ib.* Quomodo ſe gerere debeant in hoc ſacro miniſterio, & quotupliciter peccare poſſint. *ib.*

Omiſſio dari poteſt voluntaria ſine ullo voluntatis actu ad eam pertinente. T. I. 29. Nec ad hoc, ut ipſa, & malus effectus ex ea ſecutus ſint voluntaria requiritur præceptum, ſed ſolum, ut malus effectus ex omiſſione ſecutus cedat in culpam. *ib.*

Opera quæ vetita diebus Feſtis. T. III. 424.

Opinio contra proximi famam. T. III. 388. Quando temeraria. 390.

Opinio probabilis non ſumitur ſecundum etymologiam nominis, ſed ſecundum ipſius nominis uſum, ideſt pro eo quod licet verum non agnoſcatur, tamen veriſimile eſt, ſeu verum apparens infra evidentiam. T. I. 118. Definitio opinionis probabilis. *ib.* Diviſio probabilitatis in intrinſecam & extrinſecam; in probabilem ſpeculative, & practice; & ut opinio cenſeatur probabilis ſpeculative, non debet opponi rationi evidenti. 119. Opinio alia probabilis obiective, alia ſubiective. *ib.* Opinio alia minus tuta, & probabilior; alia tutior, & minus probabilis. *ib.* &c. v. Conſcientia. Regulæ præſcribuntur iis, qui habent opinionem probabilem. 149. Confeſſarius non debet abſolvere nolentem deponere opinionem minus probabilem ſtantem pro libertate. *ib.*

Oratio quid ſit. T. II. 2. Quotuplex. *ib.* Eius neceſſitas, & efficacia. *ib.* Conditiones ut ſit efficax. 3. Orationis ſubiectum. 4. Oratio Dominica cæteras antecellit. *ib.* Pro quibus orandum. 5.

Oratoria privata quæ. v. Templa.

Ordinis Sacramentum: Etymologia nominis. T. V. 175. Quid ſit. 176. Quid nomen Clericorum & de eorum diſtinctione a Laicis. 178. Vera ratio Sacramenti in ſacrorum miniſtrorum Ordinatione. 180. Quot ſint Ordines ut Oſtiariatus &c. Diviſio Ordinum. 183. Ratio, qua Epiſcopatus differt a Presbyteratu. 185. De Minoribus Ordinibus. 187. De Oſtiariatu, & eius munere. 188. De Lectoratu, & eius officio. *ib.* De exorciſtatu, & illius munere. 189. De Acolytatu, & tribus Acolytorum officiis. *ib.* De Auctore minorum Ordinum. 190. De Miniſtro Minorum Ordinum. 192. De illorum ſubiecto. 193. Antiquitas Minorum Ordinum. *ib.* Subdiaconatus Ordo, & officia. 194. Quando Subdiaconatus recenſeri cœpit inter maiores ordines. 195. Materia & forma Subdiaconatus. 197. De Ordine Diaconatus. *ib.* eiuſque definitio. *ib.* Error Novatorum circa Diaconos conſtitutos ab Apoſtolis. 198. Ordo Diaconatus eſt Hierarchicus. 200. Materia & forma Diaconatus. 201. Officia Dia-

Diaconi. *ib.* De Preſbyteratus Ordine. 204. Eſſentia huius Ordinis. 205. Materia huius. 207 Controvertitur inter Theologos num hæc ſit manuum impoſitio, vel inſtrumentorum traditio; num utraque partialiter. *ib.* & *ſeq.* Ordinis Miniſter. 246. Ordinis ſubiectum. 247. Quis cenſendus proprius Epiſcopus a quo ordines ſuſcipi debent. 240. Quid de Ordinatione per ſaltum. 251. Quid de Ordinatione accepta ab Epiſcopo intruſo, Hæretico, Schiſmatico, improbo. 253. Quæ Ordinandorum ætas. 260. Interſtitia ſervanda in Ordinum ſuſceptione. 261. De Titulo beneficii Eccleſiaſtici, aut Patrimonii requiſito pro initiatione ordinibus ſacris. 263. Antiqua Eccleſiæ diſciplina circa hunc titulum. *ib.* & *ſeq.* Quid nomine beneficii, ad cuius titulum initiari poſſit Clericus ſacris Ordinibus ſecundum præſentem diſciplinam, intelligatur. 265. De titulo Ordinationis Monachorum. 267. De pœna contra ordinatos ſine titulo. 268. De effectibus Sacramenti Ordinis. 269. De diſpoſitionibus ad ſacros Ordines. 287. De neceſſitate divinæ vocationis in iis qui cupiunt ſacris Ordinibus initiari. 288. Signa, quibus dignoſcitur hæc divina vocatio. 289. & *ſeq.* De peccato illius, qui honorum, commodorumque cupiditate ad Sacerdotium aſpirat. 291. Quomodo privatus per ſe ipſum ex allatis ſignis dignoſcere poſſit ſuam vocationem ad Sacerdotium. *ib.* De iis ad quos ſpectat explorare inditia vocationis promovendorum ad Ordines, & onus Paſtorale. 292. De ingenio Sacerdotali, ſeu ſpiritu Clericali. *ib.* De ſcientia requiſita in promovendis. 294. De ſanctitate in iiſdem requiſita. 295. Qui ab Eccleſia in veteri diſciplina ab Ordinum ſuſceptione excluſi. *ib.* Præcipuæ Clericorum obligationes, ideſt ſervandi Cælibatum, & recitandi Horas Canonicas. 297. & *ſeq.*

Ordo actuum humanorum duplex in intentione, & executione. T. I. 24. Talis ordo ſervatur in humanis negotiis, quando prudenter & conſulto, non temere, & ex impetu agitur. 25.

Ordo Charitatis. v. Charitas.

Oſcula ſecundum morem patriæ facta cauſſa amicitiæ, urbanitatis, & pacis non ſunt illicita T. I. 337. In oſculis, & actibus huiuſce generis ſervandus eſt decor perſonæ & ſcandalum vitandum, idcirco videtur non convenire Clericis, & Religioſis. *ib.* Mulier ſi advertat eam oſculantem iuxta morem patriæ moveri re ipſa affectu libidinoſo, & tactus, aut amplexus ſit impudicus, ſemper debet ſe retrahere. *ib.* De oſculis, tactibus, amplexibus honeſtis factis ioco, & levitate cum delectatione ſenſibili quid? *ib.* De oſculis libidinoſis. 338.

P

PAganiſmus quid ſit, & unde dictus. T. I. 395.

Palpo: quid hoc nomen importet. T. III. 92

Panis, ſeu materia & forma non remanent in Euchariſtia poſt conſecrationem. v. Euchar.

Parentum, ac Filiorum mutuæ obligationes. T. III. 323. De obligationibus filiorum erga Parentes, & Superiores alios. *ib.* Qui Superiores intelligantur. *ib.* Quæ officia Filii debent Parentibus expreſſa ſub nomine honoris eiſdem præſtandi. *ib.* Tria ſigna honoris exhibenda Parentibus, nempe reverentia; amor, & obedientia. *ib.* Quæ reverentia. 324. Quis amor. *ib.* Peccata filiorum ob defectum amoris. 325. Quænam obedientia reddenda. *ib.* Quando Parentibus non eſt obediendum. 326. In quo filii non ſubduntur Parentibus. *ib.* Quid circa electionem ſtatus. *ib.* Quid de ingreſſu in Religionem. *ib.* Conditiones, ut filii egredi poſſint e Religione pro parentum neceſſitate. 327. In neceſſitate parentum, filiorum, uxoris, cui potius a filio ſuccurrendum. 328. De obligatione Parentum erga filios. *ib.* Strictiori titulo obligantur Parentes erga filios, quam filii erga Parentes. *ib.* Debitum Parentum alendi filios. 329. Quid nomine alimentorum. *ib.* Uſquequo parentes filiis debeant alimenta. *ib.* Debitum parentum pro educatione filiorum. 330. Cauſſæ exhæredandi filios. 331. De debito parentum pro Chriſtiana filiorum educatione. *ib.* Exemplum parentum in filiorum educatione. 332. Correctio neceſſaria ad filiorum educationem. 333. Status electio libera filiis relinquenda. *ib.* Obligationes mutuæ patrinorum filiorumque. 334. Coniugum mutua officia. v. Coniugum &c.

Parentum erga filios obligationes. T. II. 382.

Parochi nomen quid olim apud Ethnicos, quid nunc in Eccleſia, & a quo ita vocentur. T. V. 218. Parochorum origo. 219. De iuribus, & officiis, quæ erant antiquitus, & nunc ſunt Parochorum. 220.

Parochi Regulares. T. VI. 379. An Religioſus poſſit cogi a ſuis Superioribus ad regendas Parochias Ordinis. *ib.* An etiam ad miniſtrandam Parochiam ſæcularem. *ib.* Parochus in Eccleſia parochiali Monaſterii, in iis quæ ſpectant ad vitam regularem parere tene-

tenetur ſuo Superiori; in regimine Eccleſiæ Epiſcopo. *ib.* Parochi in Eccleſiis Religioni ſubiectis ſunt amovibiles ad nutum Superioris, ſecus vero ſi pleno iure non ſint Religioni ſubiectæ. *ib.* Parochus Regularis quid in neceſſitate abſcedendi a Parochia. *ib.* Epiſcopus viſitare poteſt Eccleſias Parochiales Regularium in iis, quæ ſpectant ad curam animarum, & ſi impediatur, infringere poteſt ianuas, & armis ſpiritualibus contra impedientes procedere. *ib.* Quid idcirco hac ratione viſitare poſſit Epiſcopus in hiſce Eccleſiis. *ib.* Epiſcopus ſtante iure novo in Parochialibus Regularium deputare nequit Vicarios perpetuos. *ib.* Ad quid Epiſcopus cogere poſſit Parochum Regularem. *ib.* Quid circa punitionem horum Parochorum ſi delinquant, ideſt cuius hoc ſit. *ib.*

Participans in iniuſta actione dupliciter intelligi poteſt. T. III. 93.

Paſtorum animarum obligationes. T. II. 349.

Patientia virtus adnexa fortitudini. T. II. 306.

Patriarchæ nomen quid ſignificet. T. V. 234.

Patrinorum uſus in Baptiſmo. T. IV. 138. In Confirmatione. 161.

Paupertatis votum. T. VI. 305. Quid paupertas religioſa. *ib.* Non privat paupertas uſu facti; explicatur tamen in quo ſenſu. 306. Votum paupertatis permittit poſſidere bona in communi. *ib.* De paupertate Mendicantium. 307. Qui Ordines Mendicantes. *ib.* Quid de iis inſpecto iure communi quoad poſſeſſiones bonorum etiam in communi. *ib.* Duæ claſſes Mendicantium, Franciſcanorum, & aliorum. *ib.* S. Franciſcus primus inſtitutor Mendicantium abque dominio, quod aliæ Regulæ Dominicanorum, Eremitarum S. Auguſtini non abdicarunt in communi. 308. Quando hi poſteriores Ordines, & alii recenſiti ſint inter Mendicantes. *ib.* Franciſcani Ordines, Capucinorum, & obſervantiæ quoad partem etiam mobilia non poſſidendi, ſuum inſtitutum retinuere, ut in Regula S. Franciſci præcipitur. *ib.* Moderatio, qua mendicitas exercenda eſt. 310. Ordines poſſidentes in communi cavere debent a copioſiori opum, redituumve affluentia, ne ſint occaſio relaxationis diſciplinæ regularis. 311. Ex ſuperfluis religioſæ frugalitati ſubvenire debent pauperum inopiæ. *ib.* Varii modi exponuntur, quibus violari poteſt religioſa paupertas. 312. Quid ſentiant Theologi circa ludum Religioſorum, nempe quid de tali occupatione, ac uſu pecuniæ in eadem. 318. Procuratores, Œconomi nequeunt dare, alienare, donare, expenſas facere pro libito ſuo, ſed ſolum ſecundum regulam proprii inſtituti, Superioris voluntatem. ac prout fert eorum miniſterium. 320. De quantitate ſufficienti ad violationem voti Paupertatis. 321. Licentia Superioris pro licito uſu qualis eſſe debeat, tacita, ſeu implicita, ac virtualis, nec ſufficit quod ſit debita. *ib.* Religioſus tenetur ſervare paupertatem iuxta modum ſuæ Religionis. 324. Munerum largitio vetita Religioſo. 326.

Peccata Coniugum contra Matrimonii fœdus. T. V. 344. Cauſæ excuſantes denegationem debiti coniugalis a culpa. *ib.* Peccata Coniugum contra bonum prolis. 348. De eiectione fœtus quando ſine evidenti matris periculo ſervari nequit. 349. *De abſtinentia a carnali actu ne familia numeroſitate prolis graventur.* *ib.* Peccata Coniugum adverſantia bono Sacramenti. 350. Tactus, aſpectus, Oſcula, &c. obſcœna Coniugum num licita. 352.

Peccati nomen quotupliciter ſumitur. T. I. 245. Peccati natura, & definitio. 246. In quo peccati natura conſiſtat. 247. Quæ cauſſa materialis peccati. 248. Quæ cauſſa efficiens. 249. Ignorantia quæ cauſſa peccati. 250. Paſſio & malitia, aliæ interiores cauſſæ peccati. *ib.* Cauſſæ exteriores. 252. Conditiones requiſitæ ad peccatum, ideſt advertentia quæ multiplex eſt. 253 Conſenſus. 255. Quid de eo qui negative ſe habet ad motus concupiſcentiæ non aſſentiendo nec diſſentiendo. 257. Primus peccati affectus, ideſt macula. 259. Offenſa Dei ſecundus effectus. 261. Reatus pœnæ, & ipſa pœna, alii peccati effectus. *ib.* Peccatorum diviſio. 262. De peccato Originali. 263. Ipſius exiſtentia. 264. De natura ipſius, & in quo formaliter conſiſtat. 265. Variæ circa hoc opiniones. 266. Traductio peccati originalis in poſteros quomodo. 268. De ipſius ſubiecto. 270. De modo quo hoc peccatum contrahi poteſt. *ib.* De immunitate B. M. Virginis ab originali. *ib.*, *& ſeq.* Pœnæ hujus peccati in hac vita. 272. Quæ in altera. 273. Peccata Perſonalia, ideſt Peccata commiſſionis & omiſſionis in genere. 275. De peccato omiſſionis, quod eſt tranſgreſſio præcepti negativi, num dari poſſit ſine ullo voluntatis actu. *ib.* Communis eſt Doctorum, omiſſionem culpabilem in cauſſa eſſe culpabilem etiam in ſe. 277. Quæ actionem cæteroquin malam in commiſſione, vel omiſſione excuſent a culpa. 278. De peccato mortali, & veniali.

li. *ib.* Errores Novatorum & Baii circa hanc diſtinctionem. 279. Quid nomine peccati mortalis, ac eius definitio. *ib.* Quid veniale. *ib.* Ex mortali, & veniali oritur habituale. *ib* De differentia mortalis a veniali, & a quo repetatur 280. Peccata quæ, in quibus datur parvitas materiæ. 282. Differentia eſſentialis peccati mortalis a veniali. 285. Error circa hoc Novatorum. *ib.* De poſſibilitate vitandi omnia peccata venialia. 288. Num puer capax ad veniale, ſit etiam capax ad mortale. 289. Num dari poſſit peccatum quod ſit in pœnam præcedentis. 290. Diſtinctio ſpecifica peccatorum a quo deſumatur. 292. Diſtinctio numerica peccatorum. 299. A quo talis diſtinctio repetenda. 300., *& ſeq.* De inæqualitate, & connexione peccatorum. 304. Quæ peccata contra Spiritum Sanctum. 309. Remedia peccatorum mortalium. 310. Remedia venialium. 311. Peccata Capitalia. 312 Superbia. v. Superbia. Avaritia. v. Avaritia. Gula v. Gula. Luxuria. v. Luxuria. Ira. v Ira. Invidia. v. Invidia. Acedia. v. Acedia.

Peccati reatus triplex, culpæ, pœnæ æternæ, & pœnæ temporalis. T. v. 64.

Peculium, ſeu livella Religioſorum in particulari quid; Quidve circa illa ſentiant Doctores. T. vi. 323.

Pecunia occulta depoſitione non antiqua in aliqua domo inventa num pertineat ad inventorem. T. iii. 29.

Penſio a quo dicitur. T. ii. 286. Quid. *ib.* Olim duplicis generis: Alia fundis, alia annuis proventibus conſtabat. *ib.* Nunc dividitur in Clericalem, & Laicalem. *ib.* Qui poſſit penſionem imponere. *ib.* Quando Epiſcopus poſſit imponere penſionem ex rationabili cauſſa. *ib.* Quænam iuſtæ cauſſæ. *ib.* Quid ut licite in reſignatione beneficii pacifici poſſit penſio. *ib.* Qui poſſit imponere penſionem ſuper Parochialibus. 288. Quid ut licite, & valide obtineatur penſio clericalis iuxta ſtylum Curiæ Romanæ. *ib.* Quinam ſint incapaces penſionis. *ib.* Quid de penſione reſervata in utilitatem alterius. *ib.* Penſio legitime impoſita ſub mortali ſolvenda. *ib.* Penſionarius non ſatisfaciens recitationi Officii B. M. V. ad quid teneatur. *ib.*

Permutatio beneficii quid. T. ii. 299. Quid olim de permutationibus ſentirent. *ib.* Quid ſi beneficia permutanda ſint in diverſa Diœceſi. *ib.* Conditiones requiſitæ ad permutationem. *ib.*, *& ſeq.*

Perſeverantia virtus adnexa fortitudini quid. T. ii. 306.

Pharmacopolarum obligationes. T. ii. 381.

Pictura quando rei alterius dominium tribuat. T. iii. 51.

Pietas virtus adnexa iuſtitiæ quid. T. ii. 316.

Pignus & pactum. T. iii. 264. Pignoris definitio, & pacti anthicreſeos. *ib.* Pignoris diviſio. *ib.* De obligationibus dantis, & accipientis pignus. *ib.*

Piſcatio facta in locis privatorum ad quid obliget. T. iii. 135. Quæ vetita die feſto. 425.

Plantatio qua ſicut in ædificatione acquiri poteſt dominium in re aliena: quid utraque, & quando his dominium rei alterius acquiratur. T. iii. 50.

Pœnitentia publica pro peccatis etiam gravioribus non eſt imponenda ex Rituali Romano. T. v. 67. Conſuetudo, quæ invaluit in Eccleſia a ſæculo ſeptimo, ut occultis peccatis occulte, pro publicis publice pœnitentia peragatur. 71. De iis ad quos ſpectat publicam pœnitentiam imponere. *ib.* Diſciplina veteris Eccleſiæ circa hanc. *ib.* Gradus publicæ pœnitentiæ quot. 78. De peccatis eo tempore obnoxiis pœnitentiæ publicæ. *ib.* De perſonis quæ ſubiectæ erant publicæ pœnitentiæ. 82. Pœnitentia quam agere debebant Clerici maiores depoſiti. *ib.* Publica pœnitentia unice tantum peragebatur. 83. De remiſſione Eccleſiæ circa publicam ſolemnem Pœnitentiam. *ib.*

Pœnitentiæ Sacramentum. T. v. 1. Quid hoc nomen importet. *ib.* Quid hoc nomen ſignificet. *ib.* Pœnitentia olim Catechumenorum. 2. Pœnitentiæ nomen quo modo nunc accipitur. *ib.* Pœnitentiæ definitio. *ib.* Differentia inter Pœnitentiam virtutem, & Pœnitentiæ Sacramentum. *ib.* Definitio Pœnitentiæ virtutis. 3. Definitio ut Sacramentum. *ib.* Convenientia, & diſconvenientia inter utrumque. *ib.* Connexio Pœnitentiæ cum gratia, & charitate. 4. De iis, qui errarunt circa hoc Sacramentum. *ib.* De Pœnitentia ut Sacramentum. 5. De virtute huius. 6. Neceſſitas huius Sacramenti. 9. Materia illius. 10. Materia remota. *ib.* Proxima. 12 Proprietates contritionis generatim ſumptæ. 13. Neceſſitas Contritionis. 14. Quæ contritio neceſſaria. *ib.* Quando præceptum Contritionis obliget. 15. De duplici actu Contritionis. 16. De Contritione perfecta. 17. De neceſſitate huius ad diſponendum pœnitentem ut digne Sacramentum Pœnitentiæ recipiat. 18. De voto, ſeu deſiderio Sacramenti, quod includi debet in Contritione perfecta. 20. De contritione imperfecta, ideſt de Attritione. 21. Quid nomen

men Attritionis ſignificet. v. Attritio.

Pollicitatio. v. Promiſſio.

Pollutio ſeu mollities quid. T. I. 330. Quale peccatum. *ib.* Num liceat non ad malum finem deſiderare pollutionem in ſomno. 332. Quando ex poſitione actionis, ex qua pollutio ſequatur, peccatum ſit. *ib.*

Polygamia. v. Matrimonium.

Poſſeſſio quid, & quotuplex. T. III. 37.

Poſtulatio beneficii. T. II. 222.

Poteſtas legitima admittendi ad Religionem & Novitiatum apud quos reſideat. T. VI. 238.

Poteſtas Monaſtica, & Politica Superiorum Regularium. T. VI. 352. Quotuplex hæc poteſtas. *ib.* De numero Prælatorum. 353. Quæ Prælatus præcipere poſſit Religioſo. *ib.* Signa dignoſcendi quando Superior obligare velit ſub mortali, quando non. *ib.* De poteſtate coercitiva Superiorum Regularium per pœnas ſpirituales, & temporales. *ib.* Duplici pœnarum genere conceſſo Regularibus ad coercendos contumaces. 355. Num poteſtas ferendi cenſuras ſe extendat ad Prælatum infimum. *ib.* Quid de inhabilitatibus ad officia, num Prælatus has imponere poſſit quando non ſint expreſſæ in iure communi. Quid de pœnis corporalibus. *ib.* Requiſita in Prælatis Regularibus ut ſicuti eſt Paſtoris animarum, paſcant ſuos ſubditos doctrina & exemplo. *ib.* De auctoritate Superiorum corrigendi ſubditorum exceſſus. 365.

Præceptum Communionis T. IV. 207. Variæ acceptiones huius nominis. *ib.* Neceſſitas communinnis. 208. Euchariſtia ſicuti Baptiſmus recipi poteſt vel in re vel in voto. *ib.* Quid ſentiant Græci de neceſſitate Euchariſtiæ, quid Novatores. 209. De obligatione communionis ex præcepto Divino & Eccleſiaſtico. 211. Quando præceptum divinum obliget, quando Eccleſiaſticum. 212. Regula pro pueris circa ætatem eos admittendi ad Communionem. *ib* Quale tempus intelligatur Paſchale pro implendo præcepto Communionis annuæ in propria Parochia. *ib.* Quid de Peregrinis. *ib.* Quid nomine proprii Sacerdotis. 214. An liceat bis in die ſumere Euchariſtiam. 216. De frequentia Communionis. 217. Antiqua diſciplina Eccleſiæ circa hanc. *ib.* Quibus frequens utilis. 218. Quibus concedenda. 219. De Communione ſub utraque ſpecie. *ib.* Diſciplina Communionis ſub una tantum ſpecie. 220. Diſpoſitiones requiſitæ ad Communionem aliæ animæ, aliæ Corporis: quæ? 224. *& ſeq.*

Prælaturæ Regularium circa earum initium, & nomen. T. VI. 351.

Præſcriptio ſeu uſucapio quid. T. III. 33. Quo iure inducta. *ib.* Iuſtitia præſcriptionis in utroque foro. 34. Obiectum præſcriptionis. 35. De præſcriptione contra fundationes Beneficiorum. *ib.* De conditionibus ad præſcribendum. 36. Diviſio præſcriptionis. 45. Tempus requiſitum ad præſcribendum contra legem canonicam & civilem. 48. Differentia inter præſcriptionem, & conſuetudinem. *ib.* Remedium contra præſcriptionem. *ib.*

Præſentia realis Chriſti. v. Euchariſtia.

Precarium quid. T. III. 262. Quomodo differat a commodato. *ib.* ubi exponitur diverſa conditio precarii a commodato.

Pretium rerum quale iuſtum. T. III. 170. Quid nomen pretii. *ib.* Diviſio pretii. *ib.* Quando res iuxta taxam vendi nequeat. *ib.* Quando taxa ſit iniuſta. 175. Quid quando res non eſt taxata. *ib.* Quid de pretio rerum pretioſarum. *ib.* De pretio rerum quæ venduntur ſub haſta. *ib.* De cauſſis, quæ excuſare poſſunt ſi res pluris vendatur quam valet, vel minus quam valet ematur. *ib.* Quid de emptione & venditione ob ſcientiam privatam. *ib.* Quid de pretio theſauri quem Dominus ignorat. 177. Quid de emente rem pretioſam pro vili. *ib.*

Primatus quid. T. V. 234. Inſtitutio Primatum. *ib.* Quid occaſionem dederit huic inſtitutioni. *ib.* Iura Primatum. 235.

Principum obligationes. T. II. 387.

Privilegiorum Ordinum Regularium origo, & natura. T. VI. 393. Quid ſit Privilegium. *ib.* Quomodo privilegia interpretanda. *ib.* Quotuplex ſit interpretatio. *ib.* De Regularium exemptione ab Ordinariorum iuriſdictione. *ib.* Variæ circa hoc ſolvuntur difficultates. *ib.*

Privilegium Clericale, nempe Eccleſiaſtici Ordinis. T. V. 242. Quotuplex. *ib.*

Probatio admittendorum ad Religionem, ſcilicet ad habitum, & Novitiatum. T. VI. 133.

Probitas Miniſtri non eſt neceſſaria ad valorem Sacramenti. T. IV. 46.

Procuratorum obligationes. T. II. 379.

Profeſſio Fidei ſeu externus actus fidei quando eliciendus. T. I. 389. Quibus præcipiatur ab Eccleſia. 393.

Profeſſio Religioſa eiuſque neceſſitas. T. VI. 252. Quid profeſſionis nomen. *ib.* Eius definitio. 253. Eius diviſio. *ib.* De libertate requiſita ad Profeſſionem. 254. De æta-

te

te profitentium. 255. De Forma profeſſionis. 256. De Profeſſione nulla, aut dubia. 257. De nullitate Profeſſionis ex inobſervantia Decretorum Innocentii XII. *ib.* De modo quo ſe gerere debet qui certus eſt, ſe non eſſe profeſſum. 260. De ratificatione profeſſionis. 262. De effectibus profeſſionis, & validæ ratificationis. 263. De jure reclamandi ad reſcindendam profeſſionem. 266. De iis, qui admittere poſſunt ad profeſſionem. *ib.*

Promiſſio quid. T. III. 270. Ejus definitio, & diviſio. 271. Gravitas promiſſionis a quo pendeat. *ib.* Acceptatio promiſſionis requiſita ut ſtricte obliget. *ib.* Hæc quotuplex. 272. Quid ſi promittens abſens ſit. *ib.* De promiſſionibus jure poſitivo irritis. *ib.* De ceſſatione promiſſionis, ac ejus irritatione. 273.

Promulgatio Legis. v. Lex.

Propoſitiones quæ hæreticæ, quæ erroneæ. T. I. 17.

Propoſitum non peccandi de cætero requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ. T. V. 29.

Propoſitum requiſitum ad votum. v. Votum.

Providentia virtus integrans Prudentiæ. T. II. 304.

Proxenetæ, qui ſint. T. III. 197.

Proximus qui? T. I. 434.

Prudentiæ nomen quid. T. II. 303. Prudentiæ definitio, & diviſio. *ib.* Illius officia. *ib.* Illius partes. 304. Objectum Prudentiæ. *ib.* Vitia prudentiæ oppoſita per exceſſum, & defectum. 305.

Pudicitia virtus ſubjecta Temperantiæ. T. II. 310.

Puellarum examen antequam admittantur ad habitum, & profeſſionem Religionis. T. VI. 234.

Pueri ſtatim poſt uſum rationis tenentur ſub culpa ad obſervantiam humanarum legum. T. I. 199. An eximantur a pœna per legem impoſita ante annum pubertatis. *ib.*

Pupillus: qui veniat hoc nomine. T. III. 143. Quid poſſit circa contractus. *ib.*

## Q

Quadrageſima quid. T. III. 417. An ſit Traditionis Apoſtolicæ. *ib.* De hebdomada Sancta. 418.

Quarta Funerum, ideſt jura Parochialis Eccleſiæ ad exequias & oblationes dum alibi ſepultura electa eſt. T. III. 503., & *ſeq.* Quæ dicantur funeralia, & quæ ex funeralibus ſubjaceant quartæ funeri. 506. Qui olim ex Regularibus tenerentur quartæ funeri. 507. Cui Eccleſiæ hæc quarta debeatur. *ib.* Varii caſus reſolvuntur. *ib.*

## R

Rapina quid. T. III. 383. Qui rei rapinæ. *ib.*

Raptus quid. T. I. 325. Requiſita ad verum raptum. *ib.* Raptus alius alio gravior. *ib.* Pœnæ ſtatutæ contra raptores. *ib.*

Ratio naturalis quid. T. I. 15.

Ratio, virtus integrans Prudentiæ, quid. T. II. 310.

Recurſus, ſeu receptoris nomine qui veniunt. T. III. 93.

Referentis obligationes. T. II. 379.

Regulæ actuum humanorum. v. Regulæ morum.

Regulæ antiquorum Monachorum. v. Monachorum origo.

Regulæ morum Conſcientia, & Lex. T. I. 99.

Rei obligationes. T. II. 375.

Religio, virtus adnexa juſtitiæ quid. T. II. 316.

Religionis nomen quid. T. II. 1. Ejuſque eſſentia. *ib.* Ejus objectum. *ib.* Actus Religionis. *ib.*

Religionis vocabulum quid ſecundum ſuam etymologiam. T. VI. 200. Quid in præſenti. *ib.* De Regularium Ordinibus. *ib.* Religioſi ſtatus definitio. *ib.* Conditiones eſſentiales requiſitæ ad conſtituendum ſtatum Religioſum. 201. & *ſeq.*

Religionum multiplicitas. v. Monachatus origo.

Religioſi Militares qui; eorum privilegia, & obligationes. T. VI. 220.

Religioſo particulari quæ ſint vetita. T. VI. 226.

Religioſorum obligationes tendendi ad perfectionem. T. VI. 207. Perfectio religioſa in quo conſiſtat. *ib.* Tres ſtatus perfectionis religioſæ. *ib.* Ad quid teneatur Religioſus vi ſui ſtatus, 208. Culpa Religioſi relinquentis media ad perfectionem. 209. Quæ media ducentia ad perfectionem. *ib.*

Religioſorum ſtatus, & obligationes. T. II. 350. Quid ſtatus Religioſus. *ib.* Conditiones ad validam profeſſionem. 351. Profeſſio quid, quotuplex. *ib.* Obligatio Religioſorum ad perfectionem. *ib.* Quid hæc perfectio. *ib.* Quid de tribus votis caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ. 352. Paupertas religioſa quid. *ib.* Ad quid obliget, & an privet uſu facti. *ib.* Quid de Religioſo qui de levibus diſponit. 353. Quid poſſit accipere ſine licentia Prælati. 354. Peccata Religioſi contra votum paupertatis. *ib.*

Quid

Digitized by Google

Quid de Superioribus circa impenſas, & donationes ex bonis Monaſterii. *ib.* Licentia Superioris ad uſum bonorum Religioſo conceſſa quænam eſſe debeat. 356. Nonnulla adnotantur in tali propoſito. *ib.* De Voto caſtitatis emiſſo in Profeſſione. 357. De Voto obedientiæ. *ib.* Quid hoc votum, & ad quid obliget Religioſum. *ib.* Quouſque Superior obligare poſſit Religioſum vi voti obedientiæ. 358. An in actione neceſſaria etiam cum periculo vitæ. *ib.* Extenſio poteſtatis Superiorum Regularium erga ſuos ſubditos quoad politicam gubernationem. 359. *& ſeq.* Votum obedientiæ cui principaliter fiat. *ib.* De culpa Religioſi violantis regulam. *ib.* Obligationes Superiorum, localium. 360. De uſu bonorum Monaſterii quem facere debet Superior, & quid illis circa hoc obſervandum. 361. De aliis quibuſdam ſtatus Religioſi obligationibus. *ib.*, *& ſeq.*

Religioſus aſſumptus ad Epiſcopatum, Cardinalatum, Abbatiam, vel Parochiam extra Ordinem. T. VI. 267.

Religioſus commorans ſingulariter in Hoſpitio Religionis, vel conventu ſuppreſſo ſine Papæ diſpenſatione. T. VI. 271.

Religioſus tranſiens ab una ad alteram Religionem. T. VI. 273.

Reliquiæ Sanctorum quo cultu adorandæ. T. II. 27. An reliquias furari ſit furtum, & ſacrilegium. 28. An in aliquo caſu vendi poſſint ſine labe ſimoniæ. *ib. & ſeq.*

Remuneratio, ſeu remuneratoria donatio quæ. T. III. 274.

Renuntiatio Beneficii. v. Reſignatio.

Requiſita ad Sacrificii celebrationem. v. Miſſa.

Reſidentia in loco Beneficii. T. II. 252. *& alibi.*

Reſignatio quid. T. II. 297. Quæ olim. *ib.* Conditiones ut reſignatio ſit licita. *ib.* An Clerici poſſint reſignare Beneficia ad quorum titulum promoti fuerunt ad ordines. *ib.* An poſſint reſignari Beneficia juris-patronatus in favorem tertii, ſine conſenſu patroni. 298. Reſignationes Parochialium quomodo admittantur in Curia Romana. *ib.* Ad reſignationem requiritur juſta cauſſa. *ib.*

Reſtitutio quid ſit. T. III. 61. Ejus definitio. *ib.* An diferat a ſatisfactione, & ſolutione. *ib.* Ejus neceſſitas. *ib.* De peccato detinentis ſine juſta cauſſa. 63. De radice obligationis reſtituendi. 64. De tribus modis quibus violatur communiter juſtitia. *ib.* Ex qua culpa oriatur ejus obligatio. 66. Quid in dubio de gravitate vel levitate culpæ. *ib.* Quando adſit obligatio ex culpa juridica. 68. *& ſeq.* De obligatione reſtitutionis in poſſeſſore bonæ fidei. 71. Ad quid teneatur poſſeſſor malæ fidei. 74. Quid poſſeſſor dubiæ fidei. 76. De debito reſtitutionis ob rei injuſtam acceptionem, vel damnificationem. 77. De debito furis alteriuſve iniqui poſſeſſoris, aut damnificatoris reſtituendi rem alienam, quæ apud ipſum periit, peritura etiam apud dominum. 78. De debito reſtitutionis pro actione poſita, ex qua damnum alteri ſecutum ſit. 79. Quid de eo qui dubitat an malum ſecutum ſit ex tali actione. 80. De debito reſarciendi damnum illatum a proprio mancipio, animali, vel filio. 81. De debito reſtituendi accepta ob opus malum. *ib.* Quid de uxoratis, filiabus familias, ancillis circa pretium turpitudinis. 83. Quid de aliis quibus lege vetitum eſt donare, ſeu dare &c. num accipiens ob opus malum etiam data titulo donationis occaſione operis mali, reſtituere teneatur. *ib.* Quando data ob turpem cauſſam reſtituenda ſint Fiſco, & quando in pia opera eroganda. *ib.* De debito reſtituendi accepta ob opus bonum debitum. 84. De debito reſtitutionis ratione rei acceptæ. 86. De obligatione quam habent reſtituendi cooperantes alterius damno moraliter. *ib.* Quid nomine cooperatorum moraliter, qui omnes exponuntur ac recenſentur cum D. Thoma. 87. An omnes teneantur eodem ordine ad reſtitutionem. *ib.* Quid de jubente. *ib.* Quid de conſulente minus malum paratiſſimo ad majus malum. *ib.* Quid de movente paratiſſimum ad malum, vel damnum, ut illud celerius &c. exequatur. *ib.* Quid de dubitante num influxerit in alterius damnum. 88. De juſſione, ſeu mandante. *ib.* De conſulente. 90. De conſentiente. 91. De palpone ſeu adulatore. 92. De recurſu ſeu receptore. 93. De participante. *ib.* De cauſſis negativis injuſtæ damnificationis. 95. De impedientibus aliquem a boni conſecutione. 97. De impediente ne Advocatus alicui aſſiſtat. 98. Quid de impediente ſine vi & dolo, ne aliquis indignus Beneficium, Cathedram obtineat. *ib.* Quid de injuſte aperiente alicujus litteras ex quibus cognoſcens beneficium conſecuturum, negotiatione lucraturum, impedit illi hæc bona. *ib.* Quid de impediente ſine fraude, aut dolo ne aliquis legatum &c. conſequatur. 99. Retrahens aliquem vi, aut dolo ne ingrediatur Religionem, ad quid teneatur. *ib.* De iis qui tenentur compenſare damna illata in Bello contra Principis intentionem. *ib.* De culpa, & de-

Digitized by Google

& debito compenſandi ex mora in reſtituendo ſeu debito ſolvendo ex contractu. 100. Cui reſtituendum. *ib.* Quo tempore. 102. De ordine ſervando in reſtitutione. 103. De ordine ſervando in ſolvendo reſpectu creditorum. 104. De culpa ob dilationem ſolutionis. 110. De cauſſis excuſantibus a reſtitutione. 113. De reſtitutione mediante munere. 116. De bonorum ceſſione quoad debiti reſtitutionem implendam, ac de aſſignatione, & tranſactione. *ib.* De exemptione ſolutionis debiti per ingreſsum in Religionem. 118. An cauſsæ excuſanres a reſtitutione excuſent a furto. 119. Cauſsæ excuſantes dilationem ſolutionis, ſeu reſtitutionis. *ib.* De iniuriis in parriculari, & neceſsaria reſtitutione. 122. De debito reſtitutionis ob iniurias in corpus proximi per homicidium, & mutilationem. 123. De cauſſis excuſanribus a reſtitutione ratione homicidii. 125. De debito reſtitutionis ob iniuriam illatam per ſtuprum. 126. De obligatione reſtitutionis propter Adulterium. 128. De debito reſarciendi damnum illatum contra honorem, & famam proximi. 130. Cauſſæ excuſantes a reſtitutione famæ. 131. Obligatio reſtituendi ob iniurias in bonis fortunæ proximi. 132. Fortunæ bona quot. 133. Obligatio Coniugum reſtituendi ſi de eorum bonis alter alteri ſurripiat. 134. Debitum filiorum familias pro eorum furtis in re domeſtica. *ib.* Obligatio reſtitutionis famulorum, & artificum aliquid dominis ſurripientium in compenſationem maioris mercedis, quam iudicant mereri eorum opera Dominis præſtita. *ib.* De debito ementis a fure rem, erga rei furatæ dominum. 135. Obligatio reſtitutionis paſcentium in alienis paſcuis, & ligna in alienis ſylvis cædentium. *ib.* De piſcantibus, & venantibus in alieno fundo. *ib.* De vectigalium defraudatione. 136. De reſarciendo lucro ceſſante & damno emergente ob quamvis rei alienæ detentionem. *ib.* Obligatio hæredum Defuncti teſtituendi aliena ab ipſo detenta, ac damna illata. *ib.* Obligatio eorum qui ſe pauperes fingunt. 137. Debitum Parentum exponentium filios ſuos in Hoſpitali, vel alio pio loco, iſta loca compenſandi. *ib.*

Reſtrictio mentalis quid, & quotuplex. T. II. 89. Quænam licita; quænam illicita. 90. Reſtrictiones non pure mentales non omnes ſunt illicitæ. 92. Conditiones requiſitæ ad licite utendum reſtrictione late, & non pure mentali. 93.

Reviviſcentia meritorum, bonarumque operationum per Sacramentalem abſolutionem. T. V. 147.

Reviviſcentia peccatorum poſt lapſum ſubſequens pœnitentiam. T. V. 148.

Ritus, ſeu ordo iudicialis apud Regulares T. VI. 399. De via accuſationis. 401. De via inquiſitionis. *ib.* De Iudice Regularium. 403. De probatione per teſtes. 405. De reo examinando. 407.

Rixa filia iræ. T. I. 349.

Ruſticorum obligationes. T. II. 383.

S

SAbbatho ſubſtitutum fuit ab Apoſtolis dies Dominicus. v. Feſti dies.

Sacerdos proprius cui in Paſchate facienda eſt Confeſſio quis? T. V. 63.

Sacerdos ſolus eſt miniſter Sacrificii Eucharistiæ. v. Sacrificium.

Sacramentalia, quid hoc nomine. T. IV. 80. Quæ ſint Sacramentalia. *ib.* Quomodo gratiam producant. *ib.* Eorum uſus vetuſtiſſimus. *ib.*

Sacramenti nomen a quo ductum. T. IV. 1. Sacramenti vox quomodo a Scriptoribus prophanis & quomodo a Sacris uſurpetur. 2. Sacramentum quid? 3. Sacramenti exiſtentia. 4. Eius definitio. 5. Cauſſæ inſtitutionis Sacramentorum. 6. Sacramentorum exiſtentia in diverſis hominum ſtatibus. 7. Sacramenta in ſtatu legis naturæ. 8. Legis ſcriptæ. *ib.* Sacramenta legis gratiæ. 9. Sacramentorum differentia veteris, & novæ legis. *ib. & ſeq.* Sacramentorum novæ legis materia, & forma. 16. Diviſio formæ. 21. Materia & forma Sacramentorum neceſsaria ad eorum valorem. 23. Quæ mutatio formæ in Sacramentis fieri poſſit. 25. De formæ repetitione ſuper eamdem materiam. 28. Quæ cauſſa efficiens Sacramentorum. *ib.* De Sacramentorum Miniſtro. 31. De Miniſtri intentione in Sacramentis conficiendis quæ & quotuplex. 32. Quid nomine intentionis internæ & externæ. 34. Quæ intentio neceſſaria. 43. Sacramenta num licite poſſint miniſtrari indignis. 52. De Sacramentorum ſubiecto, & diſpoſitione, ut ea rite ſuſcipiat. 55. De diſpoſitionibus ad licite & fructuoſe Sacramenta ſuſcipienda. 58. De Gratiæ collatione. v. Gratia. Sacramentorum virtus, & efficacia ac effectus 60 Quomodo Sacramenta gratiam producant. 61. Sacramenta qua cauſſalitate phyſica, vel morali gratiam producant. 62. De Gratia Sacramentali ſeu actuali. 63. De Sacramentorum reviviſcentia. 66. De Sacramentorum menſura gratiæ. *ib.* De charactere qui eſt al-

ter effectus Sacramentorum. 69. Sacramentorum numerus in nova lege. 70. Sacramentorum ordo, dignitas, ac neceſſitas. 72. De fine, & cauſſis quibus contentaneum fuit, Sacramenta inſtitui. 73. *& ſeq.* De cauſalitate Sacramenti in voto quoad gratias Sacramentales, ideſt num illas conferat. 76. De Sacramentorum cæremoniis. *ib.*

Sacrificii nomen quid. T. IV. 232. Eius definitio. *ib.* Diviſio Sacrificii proprie dicti ſecundum diverſas rationes. 233. De iis quæ ſpectantur in Sacrificio. 235. In vera Religione debet eſſe Sacrificium proprie dictum. *ib.* De nomine, & exiſtentia veri, ac proprie dicti Miſſæ Sacrificii. 237. Sacrificium Miſſæ quid. 239. *& ſeq.* An fractio ſpecierum ſpectet ad eſſentiam Sacrificii. *ib.* An Sacrificium Crucis, & altaris in ſubſtantia ſint unum & idem. 244. An conſecratio utriuſque ſpeciei ſpectet ad eſſentiam Sacrificii. 245. Quem locum habeat oblatio. *ib.* De differentia Sacrificii Miſſæ a Sacramento. 246. De diverſo effectu, & ordine Sacrificii, & Sacramenti. *ib.* Sacrificium Miſſæ pro quibus offerendum. 247. Et circa hoc varii adnotantur caſus. 248. *& ſeq.* De Miſſis privatis. 251. Ex quo Miſſæ dicantur privatæ. *ib.* Cauſſa finalis Sacrificii Miſſæ. 252. Effectus Sacrificii Miſſæ. *ib.* An valeat ex opere operato, an ex opere operantis. 255. De valore Sacrificii Miſſæ. *ib.* De fructu Sacrificii. 257. De Miſſæ neceſſitate ex parte Celebrantis & populi. 259. Quoties Sacerdos teneatur celebrare. *ib. & ſeq.* Quoties ſimplex Sacerdos ut non peccet. Quoties Paſtores & Curati. *ib.* An teneantur aliquando pro ſubditis ſpecialiter applicare. *ib.* Deciſio ſuper hoc Benedicti Pap. XIV. 261. An liceat celebrare ſine miniſtrante. 262. *& ſeq.* De debito fidelium communicandi ſacramentaliter in Miſſa. 264. De Miſſa Conventuali in Cathedralibus & Collegiatis, & eius applicatione. 265. Quid de tali applicatione quoad Regulares. *ib.* De Miſſarum honorario ſeu ſtipendio, & quo tempore invaluit. 266. *& ſeq.* Obſervanda a Sacerdote circa ſtipendium. 268. Illicitum pro una eadem Miſſa plura ſtipendia recipere. 269. Varii circa hoc reſolvuntur caſus. *ib. & ſeq.* Quando Miſſæ ſunt affixæ certo loco, aut diei, aut Altari privilegiato, an Celebrans præciſe teneatur ibi, & tunc, & in altari privilegiato celebrare. *ib.* An ſit mortale celebrare alibi, quando Miſſa petitur in Altari privilegiato. 272. Quid de Capellano anticipante celebrationem Miſſarum, quas diebus ſingulis in Capella celebrare debet. 273. Quando Capellanus ægrotans teneatur per alium ſatisfacere. 274. Quid de eo qui cum ſtatuerit non celebrare, dato ſtipendio celebrat. *ib.* Obligatio celebrandi pro ſtipendio eſt de genere iuſtitiæ commutativæ. 275. De fundationibus Anniverſariorum, & Miſſarum. 277. Quo ritu olim Anniverſaria, & pro quibus celebrabantur. 278. Variæ exponuntur circa onera anniverſariorum. 279. De Miſſarum reductione. 280. Quibus conceſſa a Tridentino. *ib* An abrogata Regularibus. 281. Quid de iis qui faciunt ſatisfacere onera Miſſarum minori Eleemoſyna quam receperunt. *ib.* De fructu applicando a Sacerdote ei a quo ſtipendium accepit. 282. An Prælatus Regularis poſſit irritare applicationem factam a ſubdito. *ib.* Applicatio quando facienda, & an ſub conditione. 283. De Altari privilegiato. *ib.* An in generali ſuſpenſione Indulgentiarum anno Iubilei includatur etiam Altare privilegiatum. *ib.* Quid de obligato celebrare in Altari privilegiato ſi omittat. 285. De diſpoſitionibus ad Miſſæ celebrationem. *ib.* De diſpoſitionibus ex parte audientium. 286. *& ſeq.* Quinam arcendi. *ib.* Veterum habitus, ac ſitus dum Miſſam audiebant. *ib.* De Ritibus Miſſæ. 289. De tempore, & loco quo liceat celebrare. *ib.* Vetus diſciplina. *ib.* Quid de recitatione matutini ante miſſam. 290. De quotidiana celebratione. *ib.* Diſciplina circa hoc priorum temporum. *ib.* Ritus Eccleſiæ Orientalis circa celebrationem in aliquibus diebus. *ib.* De inſtitutione ritus præſanctificatorum. 293. De loco ad Miſſam celebrandam. *ib.* Qualis tempore Apoſtolorum & ſæviente perſecutione. v. Templa. An in locis non conſecratis. 295. An licite celebrari poſſit in Eccleſia violata. *ib.* De Altari requiſito ad celebrationem. 297. De cæremoniis in ſacrificii Miſſæ celebratione. 298. *& ſeq.*

Sacrilegium: unde hoc vocabulum. T. II. 134. Sacrilegium quid. *ib.* Sacrilegii ſpecies. *ib.*

Sacrilegium ut ſpecies Luxuriæ quid, & quomodo incurratur. T. I. 328.

Sagæ quæ. v. Superſtitio.

Satisfactio quid. T. V. 64. A quo hoc nomen derivetur. *ib.* Eius definitio. *ib.* Quotuplex ſit ſatisfactio. 66. De modis Deo ſatisfaciendi. 66. De debito pœnitentis acceptandi, ac implendi pœnitentiam ſibi a Sacerdote impoſitam. 69. De impoſitione ſatisfactionis aliis applicandæ, ideſt defunctis, num imponi queat. *ib.* De Debito Con-



Digitized by Google

feſſarii imponendi ſatisfactionem pœnitenti. ib. De eius executione quoad tempus 70. An poſſit Confeſſarius iniungere aliquam pœnitentiam explendam in toto ſive in parte ante abſolutionem. 71. De commutatione ſatisfactionis a Confeſſario iniunctæ. ib. An valeat ſatisfactio perſoluta per alium. 72. De conditionibus ſatisfactionis. ib. De utilitate, ſeu effectibus ſatisfactionis. ib. Præcipui Canones pœnitentiales ſecundum ordinem Decalogi. 75.

Scandalum quid. T. I. 463. Quotuplex. ib.

Schiſma quid & quotuplex. T. I 460. Pœnæ contra ſchiſmaticos. ib.

Scriptura ſacra quid? unus ex fontibus moralitatis. T. I. 13. Eius diviſio. ib. De eius libris. ib.

Scripturæ libri. v. Libri ſacri.

Scrupulus quid. T. I. 150. Cauſſæ ſcrupulorum. ib. Scrupulorum remedia. ib. & ſeq.

Scrutinium, ac Scrutatorum neceſſitas in Capitulis. T. VI. 391. Quid ſi ſcrutatores non conveniant in aſſignando numero ſuffragiorum. ib. Num in ſcrutinio liciti ſint calculi, ſeu fabæ. ib. & ſeq.

Secretarii obligationes. T. II. 379.

Secretum naturale alterius non revelandum. T. III. 404. Præter ſecretum Confeſſionis aliud triplex conſiderari ſolet. ib. Variæ conditiones, ſeu modi ſecreti accepti. 405. De obligatione ſecreti commiſſi, & promiſſi, quod eſt ſecretum ſtrictum & rigoroſum, dictum naturale. ib. Quid excuſare poſſit a mortali revelantem ſecretum ſibi commiſſum, præcipue quando vergeret in damnum ſpirituale vel temporale tertii. ib. De revelante ſecreto habito fortuito. 407. Quando levis culpa in revelatione ſecreti. ib. Quid de inquirente ſecreta alterius. 408. Quid de aperiente, & legente alterius literas. ib.

Seditio quid, & an ſemper mortale peccatum. T. I. 460.

Semi-Regulares, ſeu quaſi Regulares qui. T. VI. 194. & ſeq.

Septuageſima, Sexageſima, & Quinquageſima quid. T. III. 417.

Sepulturæ nomen; & Quotupliciter accipiatur. T. III. 482. Quid Cæmeterium. ib. Quando invaluerit uſus ſepeliendi mortuos prope Eccleſiam. ib. De initio conſecrationis Cæmeteriorum. ib. Quando cœperint fideles omnes ſepeliri in Eccleſia. 484. Quid circa præſentem diſciplinam. 485. Quomodo acquiratur ius Sepulcri. ib. An licitum ſit accipere aliquid pro loco conſtruendæ ſepulturæ. 487. An habens ſepulturam pro ſe, & hæredibus eam ſine Simonia vendere poſſit. ib. Pœnæ violatorum ſepulturæ. ib. De ſepeliendis in loco ſacro, & qui excluduntur. 488. De non impedienda ſepultura. 490. Iuſtæ cauſæ ſepulturam impediendi. ib. De loco ubi quiſque ſepeliendus, num in Parochia, an alibi. ib. Quid de iis qui ſepeliri volunt cum habitu Religioſo. 495.

Sequeſtrum ut contractus quid. T. III. 260. Eius definitio. ib. Sequeſtrum multiplex. ib. Quæ ſequeſtrari queant. ib.

Servitus quid. T. III. 53. Eius diviſio. ib.

Servorum, ſeu famulorum obligationes. T. II. 366.

Sigillum Confeſſionis quid. T. V. 136. Quo iure obliget. ib. Unde oriatur obligatio ſigilli. ib. Sigilli materia quæ. 138. De variis modis quibus violari poteſt ſigillum. 139. De uſu notitiæ per confeſſionem acquiſitæ, extra confeſſionem. ib. Quando uti liceat ſcientia habita in confeſſione. 142. Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius interrogatus de auditis in Confeſſione. 144. De confeſſione ex qua oritur obligatio Sigilli. ib. De iis qui contrahunt obligationem ſigilli, ſeu Sacramentalis ſecreti. 145. De obligatione pœnitentis ad ſigillum erga Confeſſarium. 146. De pœnis contra violatores Sigilli. ib.

Simonia quid ſit. T. II. 137. Simoniæ definitio. ib. Conditiones ad incurrendam Simoniam. 139 Diviſiones variæ Simoniæ. 140. & ſeq. quæ ſingulæ explicantur. Gravitas peccati Simoniæ. 143. De ſubiecto Simoniæ. 145. De materia Simoniæ. 146. Cauſſæ excuſantes a ſimonia. ib. & ſeq. De materia ſpirituali ſimoniæ. 151. De ſimonia in re ſpirituali eſſentialiter in adminiſtratione Sacramentorum. 152. Res circa ſingula Sacramenta expenditur. 153. De ſimonia in Sacramentalibus. 155. Notandum circa Miſſæ Sacrificium. ib. De Simonia in venditione ſepulturæ, cæmeterii, in accipienda pecunia pro ſepultura aliiſque officiis eccleſiaſticis, & iuriſdictionis actibus. 156. & ſeq. De ſimonia pro ingreſſu in Religionem. 159. De variis modis quibus contrahi poteſt ſimonia in materia beneficiorum Eccleſiaſticorum. 164. & ſeq. An talis ſimonia ſit iuris divini, aut Eccleſiaſtici. 165. & ſeq. Penſiones, quæ vendi poſſunt ſine Simonia, quæ non. 170. & ſeq. Quid ut beneficium licite gravetur onere penſionis. ib. Dictum de Simonia in beneficiis ſæcularibus intelli-

gendum etiam quoad beneficia Regularia. 171. Pœnæ ſtatutæ contra Simoniacos. *ib.* *& ſeq.* ubi exponuntur. De debito reſtitutionis ob Simoniam. 175.

Simulatio quid. T. III. 386. An mendacium. *ib.* Quando peccatum. *ib.*

Sobrietas virtus ſubiecta Temperantiæ quid. T. II. 310.

Societatis animalium Contractus. T. III. 240. Varii modi ineundi hunc contractum. *ib.* Conditiones ad ipſius iuſtitiam. *ib.*

Sodomia quid & quotuplex. T. I. 333. Graviſſimum ſcelus. *ib.* Pœnæ contra ſodomitas. *ib.*

Solemnitates Matrimonii quæ. T. V. 353.

Solemnitates Teſtamenti quæ. T. III. 286.

Solertia, virtus integrans prudentiæ, quid. T. II. 304.

Sollicitatio. v. Confeſſarius ſollicitans.

Sortis contractus quid. T. III. 269. Eius definitio. *ib.* Variæ conditiones, ut ſors ſit licita. *ib.*

Specificatio quid, & in quo contingat. T. III. 49.

Spectacula frequentare quid. v. Luxuria.

Spes Virtus Theologica. T. I. 417. Spei natura, & obiectum. *ib.* Diviſio Spei. 419. Differentia Spei a Fide. *ib.* Eius neceſſitas. 420. Actus Spei quando eliciendi. 421. Cauſſæ Spei. *ib.* Effectus Spei. 422. Vitia Spei oppoſita. 423.

Sponſalia: quid hoc nomen. T. V. 353. Sponſalium effectus. 354. Qui ſponſalia contrahere poſſunt. 355. Valor ſponſalium iuramento firmatorum. 358. Valor ſponſalium cum ſubſequente copula. *ib.* Diviſio Sponſalium. 359. Qui invalide contrahunt ſponſalia. *ib.* Finis Sponſalium. 361 Sponſalium diſſolutio. 362. Neceſſitas certitudinis cauſſæ ſufficientis ad diſſolvenda ſponſalia. 366.

Sponſio, vulgo *ſcomeſſa*. T. III. 268. Eius definitio. *ib.* Conditiones ad iuſtitiam huius contractus requiſitæ. *ib.*

Spontaneum quid, & quomodo voluntarium coincidat cum ſpontaneo. T. I. 25.

Spurius qui; quando ſuccedat Matri ab inteſtato, & ex teſtamento; quando non ex teſtamento. T. III. 305.

Subſtitutio, una ex diſpoſitionibus in Teſtamento. T. III. 307. Eius definitio. *ib.* Varia ſubſtitutionum genera. *ib.* *& ſeq.* De ſubſtitutione Fidei commiſſaria reciproca & compendioſa. 308.

Superbia quid. T. I. 313. Eius definitio. *ib.* Actus ſuperbiæ. *ib.* Remedia Superbiæ quæ & quot. 315. Filiæ Superbiæ quæ? Singulæ deſcribuntur. 316.

Superficies quid. T. III. 53.

Superiorum & inferiorum mutuæ obligationes. T. II. 364.

Superſtitio quid ſit, & quotuplex. T. II. 107. Superſtitionis definitio. *ib.* Variæ ſuperſtitionis ſpecies, quæ ſingulæ explicantur. 109. *& ſeq.* Idololatria, nempe, Divinatio, Vana obſervantia, Maleficium, & Magia. Regulæ ad dignoſcendas ſuperſtitiones. 119 De pœnis contra quoſcumque ſuperſtitioſos. 126.

Suſpenſionis Cenſura quid. T. VI. 127. Eius diviſio. *ib.* Quid de ſuſpenſione impoſita abſolute ſine limitatione. 128. Num valide conferatur penſio ſuſpenſo a beneficio, aut ab officio, & excommunicato. *ib.* Suſpenſio a quo imponi poſſit. 129. De ſubiecto ſuſpenſionis. *ib.* Quid de ſuſpenſo ſi exerceat ea quæ ſunt Ordinis ſacri. *ib.* Regulæ abſolutionis a ſuſpenſione. *ib.*

Suſpicio: Eius differentia a præſumptione, & indicio. T. I. 411. Quotuplex. *ib.*

Suſpicio famæ proximi quid. T. III. 388. Quando temeraria. 390.

Suſurratio filia Invidiæ. T. I. 350.

Suſurrationis eſt concitare diſcordias. T. III. 393.

Sylvarum ligna qui cædere poſſint, & in quibus ſylvis. T. III. 26.

Symbolum quid, & quotuplex. T. I. 387.

Synderesis quid. T. I. 110.

## T

TEmperantiæ varia acceptio. T. II. 310. Eius definitio. *ib.* Virtutes ipſi ſubiectæ. *ib.* Ipſius obiectum. *ib.* Vitia ipſi oppoſita. *ib.* Partes integrantes Temperantiæ. 314.

Templa ſeu Eccleſiæ quæ. T. IV. 293. Sunt loca pro Miſſæ celebratione. *ib.* Ubi tempore Apoſtolorum celebrabatur. *ib.* Templa, ſeu Eccleſiæ a quo conſecrandæ. 294. Recenſentur fines, quare Templa conſtruuntur. *ib.* Forma antiquorum Templorum. 296. De Oratoriis privatis ad Miſſæ celebrationem quando cœperunt eſſe in uſu. 297.

Tentatio Dei quid. T. II. 127. Quotuplex eius acceptio. *ib.* Quando vetita, & lethalis. 128. Quid de probationibus per ferrum candentem, & alia media. 129. Quando, & ubi inductæ in uſum. *ib.*

Terrulæ, aliique fundi ſteriles, & parvi momenti Eccleſiæ, ſeu Monaſterii, alteriuſve pii loci, an vendi poſſint ſine ſolemnitate, ideſt ſine placito S. Sedis. v. Bona temporalia.



Digitized by Google

Teſtamentum, ſeu ultima voluntas. T. III. 283. Quid vox Teſtamenti, & quotupliciter accipiatur. 284. Eius definitio, & diviſio ſecundum ius antiquum, & novum. *ib.* Conditiones requiſitæ ad valorem teſtamenti. 288. De valore Teſtamenti ad cauſſas prophanas cum ei deficiant ſolemnitates in foro conſcientiæ. *ib.* De Teſtamentis privilegiatis. 289. Qui teſtes nuncupativi vocandi ſunt 290 Quis teſtamentum inter liberos, & quid ad eius valorem. 291. De validitate teſtamenti privilegiati militum. *ib.* Quid de teſtamento ruſticorum Rur. *ib.* De iis qui poſſunt teſtamentum facere. 292. De Codicillo. v. Codicillus. Hæredes inſtituti, vel ſubſtituti in teſtamento. 302. De Hæredibus ex teſtamento. v. Hæres. De ſubſtitutione. v. Subſtitutio. v. Teſtamenti Executores, vulgo *Commiſſarii*. 311. Conſiliarii Teſtatoris: quid ipſis incumbat. 310. Teſtamenti revocatio & ambulatio. 313.

Teſtator ex iuſta cauſa poteſt exhæredare. T. III. 303. Cauſæ legitimæ exhæredandi. *ib.*

Teſtimonium falſum. Quid hoc nomine vetetur in octavo Decalogi præcepto. T. III. 385.

Teſtium obligationes. T. II. 373.

Theatralium Actorum obligationes, ut licite artem ſuam exerceant. T. II. 383.

Theologorum Scholaſticorum auctoritas, unus ex fontibus moralis Chriſtianæ. T. I. 14.

Theſaurus quid hoc nomine. T. III. 27. Theſaurus ab aliquo inventus cui iure naturali, & gentium ſpectet, ideſt num ſit primo occupantis. *ib.* Cui iure civili. *ib.* Varii caſus exponuntur. *ib. & ſeq.*

Timoris diviſio, & proprietates. T. I. 423.

Timoris donum recenſetur inter dona Spiritus Sancti. T. II. 322. Quid donum Timoris. *ib.* Eius obiectum. *ib.*

Titulus. v. Cambium.

Tonſura Clericalis quid. T. V. 238 Eius origo. *ib.* Eius differentia ab ordine. 239. Eius definitio. *ib.* De diſpoſitionibus requiſitis ad Tonſuram. 244. De receſſu a ſtatu Clericali quando licite fieri poſſit. *ib.* An illicite ſuſcipiat Beneficium, & illius fructus, qui habet animum ſtatum clericalem deſerendi. *ib.*

Traditio quid. T. I. 7. & 362. Traditio in ordine ad obiectum quotuplex. *ib.* Diſcrimen inter Traditionem divinam, & humanam. *ib.*

Tranſactio quid. T. III. 265. Eius definitio. *ib.*

Tranſitus ab una ad aliam Religionem. v. De Religioſo tranſeunte.

Tranſubſtantiatio quid? T. IV. 188.

Trebellianica Lex quæ. T. III. 291. Eius differentia a Falcidia. 302.

Tributa a Principe impoſita, ac vectigalia, quæ idem ſignificant, quid? T. III. 269. Eorum definitio. *ib.* An eorum ſolutio obliget in conſcientia. *ib.* Requiſita ad iuſtitiam tributi. 270.

Tutior opinio quæ. T. I. 119.

Tutorum obligationes. T. III. 143. Tutella eorumdem ex iure Romano quotuplex, & huius variæ ſpecies. *ib.*

V.

VAnagloria. v. Superbia.

Vana obſervantia. v. Superſtitio.

Vaſa ſacra adhibenda in Sacrificio. v. Sacrificium.

Venatio ubi fieri nequeat. T. III. 33. Quando facta die feſto pertineat ad opera ſervilia. 425.

Venditio officiorum publicorum num licita. T. III. 61. Conditiones ut licita. *ib.*

Venditio quid. T. III. 167. Origo venditionis, & eius definitio. *ib.* Obligationes venditoris. 168. De iis qui poſſunt vendere. *ib.* De re vendibili. 169. Obligatio vendentis rem alienam. 170. Pretium iuſtum rei venalis. v. Pretium. Ad quem pertineant fructus rei venditæ. 178. Quando liceat venditori reſervare ſibi fructus rei venditæ. 179. Ad quem pertineat periculum & deterioratio rei venditæ. *ib.* Quid nomine periculi. *ib.* De Retractu Gentilitio. v. Retractus. De debito venditoris manifeſtandi defectum, ſeu vitium rei venalis. 184. Num vitium manifeſtum non interroganti ſit aperiendum. 185. Quid de merce vitioſa non periculoſa. *ib.* De dante monetam falſam pro vera. 186. De debito venditoris erga emptorem pro evictione. *ib.* Quando venditor bonæ fidei non teneatur de evictione. 187. De diviſione emptionum, & venditionum a præcipuis eorum ſpeciebus. *ib.* De venditione, & emptione cum pactis retrovenditionis, ſeu redemptionis. *ib.* Num liceat tale pactum in favorem vendentis. *ib.* Quid ut talis contractus ſit licitus. 189. De contractu Mohatra. v. Mohatra. De venditione facta cum pactis legis commiſſoriæ, & additionis in diem. 190. Venditio facta credito, aut anticipata ſolutione. 193. Venditio facta per Proxenetas, & de ea quæ ſit accepta arrha. 197.

Venditio rerum ſacrarum, & eorum converſio ad uſus prophanos donec propriam formam retinent quodnam peccatum ſit. T. II. 30. Quando liceat, & quæ converti poſſint, quæ non in uſus prophanos. 31.

Verecundia, virtus annexa Temperantiæ, quid. T. II. 314.

Veritas quando celanda. T. III. 387. Varii caſus exponuntur, in quibus veritas celanda. *ib.* Quando revelanda. 388.

Veſtes Infidelium deferre quando liceat. T. I 391.

Veſtes ſacræ neceſſariæ ad licitam Miſſæ celebrationem quæ? T. IV. 302. Quæ prioribus Eccleſiæ temporibus. *ib.* De eorum ſignificatu. *ib.* An debeant eſſe benedictæ & a quo. 305. An detritæ inſervire poſſint ad uſus prophanos. *ib.* An veſtes prophanæ mutatæ forma inſervire poſſint uſibus ſacris. *ib.* An preces præſcriptæ recitandæ ex præcepto in veſtibus ſacris induendis obligent ſub mortal. *ib.*

Vicarii Regulares. v. Officiales Regularium.

Vicarius Generalis Epiſcopi qui. T. V. 213. Origo huius officii. 214. Conditiones requiſitæ in Vicario Generali. *ib.*

Vigiliæ ſeu ſtationes quid, & quando olim obſervabantur. T. III. 452.

Vindicativa iuſtitia quæ. T. III. 4.

Vino in Calice aqua miſcenda. T. IV. 182. An ante conſecrationem convertatur in vinum. *ib.* Quid hæc mixtio ſignificet. *ib.*

Violantes immunitatem Eccleſiaſticam. v. Immunitas Eccleſiaſtica.

Violatio Eccleſiæ quid. T. VI. 437. Plures modi quibus Eccleſia violari poteſt. *ib.*

Violentia ſeu coactio quid, & quotuplex. T. I. 31. Num cauſſet involuntarium. *ib.*

Virtutes quæ? intellectuales ſcilicet, & morales. Virtutes morales quare ita vocentur. T. II. 302. In quo differant a Theologicis. *ib.* Virtutes morales primariæ, quæ dicuntur Cardinales, quæ. *ib.* Quare ita dicantur. *ib.*

Virtutes ſecundum earum eſſentiam. T. I. 352. Virtutum diviſio. *ib.* Virtutes morales quæ. *ib.* Virtutum moralium proprietates. *ib.* Actus earum qui. 353. Earum obiectum. *ib.*

Viſitatio, ſeu viſitatores Ordinum Regularium ad quem finem inſtituti. T. VI. 375. Quale eorum officium. *ib.* Qui ad hoc officium eligendi. *ib.*

Vitium ſeu defectus mercium. v. Defectus mercium.

Ultimæ voluntatis, ſeu Teſtamenti natura, & diviſio. v. Teſtamentum.

Unio materiæ & formæ in Sacramentis quæ. T. IV. 23.

Vocatio divina attendenda eſt in electione Status Religioſi. T. VI. 212. Ejus definitio. *ib.* Unde vera vocatio eſt a Deo. 213. Eius ſigna. *ib.* Quomodo ſe gerere debeat director cum iis, qui ſe credunt vocatos ad Religioſum ſtatum. *ib.*

Voluntarium quid ſit. T. I. 25. Quotuplex. *ib.* Ejus definitio, & obiectum. *ib.* Requiſita ad voluntarium. 27. Diviſio voluntarii. *ib.* An idem cum volito. *ib.*

Voluntas naturalis quid. T. I. 23. Eius obiectum. *ib.* Actus ipſius qui. *ib.*

Vota ſolemnia. T. VI. 283. Facultas Pontificis diſpenſandi in votis ſolemnibus. 329.

Voti nomen quid, & quotupliciter accipiatur. T. II. 31. Ejus definitio, & conditiones. *ib. & ſeq.* An metus irritet votum. *ib.* Quando validum eſſe poſſit de non vovendo. 33. Num teneat votum non petendæ diſpenſationis, commutationis &c. *ib.* Quid de votis impeditivis majoris boni. 34. An invalidum de re illicita. *ib.* Quid de re indifferenti vel impoſſibili. *ib.* Diviſio voti. *ib.* De modo quo votum obligat, perſona, & tempore. 35. Quid de votis mixtis. *ib.* An vota ſint præferenda legatis. *ib.* An facta pro altero illum obligent. *ib.* Quid circa tempus implendi votum. *ib.* Quædam notanda circa temporis determinationem. 37. De votis indeterminatis. *ib.* Quid de vovente ieiunium qualibet feria ſexta, quando in hac occurrat Nativitas Domini. 38. De obligatione quoad vota dubia. 39. De voto perſonali, & quotuplex eſſe poſſit. 40. De voto cum fictione elicito. *ib.* De voto conditionato. 41. Quomodo conditio in voto implenda ſit. *ib.* Quid de voto pendente a voluntate voventis. *ib.* Quid ſi pendeat ex voluntate alterius. *ib.* De iis qui poſſunt facere votum. 42. Vota impuberum. *ib.* An vota cum præiudicio Superiorum irrita. *ib.* Modi quibus tollitur voti obligatio. *ib.* Quibus conveniat poteſtas irritandi vota, & qualiter Superioribus Religionum. 45. Quid de marito reſpectu voti uxoris, Domini quoad vota ſervi. *ib.* Quænam vota irritari poſſint indirecte a Superiore. 47. De votorum diſpenſatione, & quid ſit diſpenſatio. 48. Requiſita ad diſpenſationem. *ib.* Qui diſpenſare poſſint, & quomodo dum votum eſt iuris naturalis, & divini. 49. Vota Papæ reſervata. 50. An habentes poteſtatem de iure ordinario diſpenſandi in vo-

tis

tis poſſint eam delegare. *ib.* Quomodo Prælatis Religionum exemptarum conveniat facultas diſpenſandi in votis ſubditorum. 53. An Prælatus, aut Papa poſſint ſecum diſpenſare in propriis votis. 54. De cauſſa legitima requiſita ad diſpenſationem. 54. *& ſeq.* De voti commutatione, & quid ſit commutare votum. 55. An commutatio voti in melius fieri poſſit privata auctoritate, & an in æquali. 56. De iis qui poſſunt vota commutare. 57. Quid de commutatione votorum in Iubileo. *ib.* Quid attendere debeat Confeſſarius in voti commutatione. *ib.* De cauſſis ad commutationem requiſitis. 59.

Votum aſsumendi ſtatum Religioſum. T. VI. 226. Ad quid teneatur vel non teneatur, qui Religionem ingredi vovit. *ib.* De tempore implendi votum Religionem ingrediendi. 230. Modi, quibus ceſsare poteſt votum ingrediendi Religionem. 231.

Uſuarius ad quid teneatur circa rem cuius habet uſum. T. III. 52. De utente re aliena quam detinet. 64.

Uſucapio idem ac præſcriptio. v. Præſcriptio. Uſus ius quid, & quotuplex. T. III. 51.

Uſufructuarius: quid hoc nomine. T. III. 52. Uſusfructuarii obligationes. *ib.*

Uſusfructus quid. T. III. 52. Differentia uſusfructus ab uſu, & dominio. *ib.* Quomodo acquiratur. 53. Quomodo terminer. *ib.*

Uſus matrimonii inſtitutus ad prolis procreationem. T. V. 339. Requiſita ad licitum uſum Matrimonii. 341. Modi contrahendi ſponſalia. 357.

Uſura: quid hoc nomen. T. III. 206. Eius definitio. *ib.* Eius diviſio. *ib.* De iuribus quæ uſuram vetant. 207. Tituli quibus aliquid exigi poteſt ſupra ſortem. 210. De lucro accipiendo ex mutuo ratione periculi. 211. Varia periculorum genera. *ib.* Conditiones requiſitæ ut aliquid exigi poſſit hoc titulo ex mutuo. 215. Quid ſi leges Principis, vel conſuetudines locorum videantur concedere uſuras. 216. De titulo lucri ceſſantis, & damni emergentis, ad aliquid in mutuo ſupra ſortem recipiendum. *ib.* De titulo gratuitæ donationis num ſufficiat ut aliquid ſupra ſortem ex mutuo accipiatur. 220. De requiſitis ſupra ſortem a Divitibus, qui ex mutuatis valde lucrantur, ut ſunt Mercatores Iudæi. 221. Ad quem ſpectent fructus rei datæ pro aſſecuratione mutui. *ib.* Quid mutuans circa fructus pignoris. 222. De contractu vulgo dicto *a godere*, num licitus. *ib.* Uſura quam parere poſsunt pacta mutuo addita. 223. Num amicitia duci poſſit in pactum. *ib.* De pacto remutuandi. 225. Quid ad evitandam uſuram in mutuo. *ib.* De pacto pœnæ conventionalis quæ mutuo apponitur. 226. De auctario quod exigunt tutores pro pecuniis mutuatis pupillorum. 227. De iis qui ratione uſurarum reſtituere tenentur. *ib.* De obligatione cooperantium uſuris. 230. De pœnis uſurariorum. 231. De culpa petentis, & accipientis ſub uſura. 232. De Montibus Pietatis. v. Montes Pietatis.

*F I N I S.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005777301

Digitized by Google

Digitized by Google